CORNELII A LAPID

OMMENTARI

IN

RIPTURAM SAC

21

BS 1145
L3
v.21
1891

85409

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080014761

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

# COMMENTARIA

IN

# SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

222,
2.

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

# COMMENTARIA
IN
# SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

JOS. MAX. PERONNE

CANON. ECCLESIÆ SUESSIONENSIS, OLIM SCRIPTURÆ SACRÆ PROFESSOR

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT.

TOMUS VIGESIMUS PRIMUS

## IN APOCALYPSIN S. JOANNIS

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Téllez

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13.

MDCCCXCI

CAPILLA ALFONSINA
UANL
85409

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
CAPILLA ALFONSINA
FONDO [B]ISTERIO VALVERDE Y TELLEZ

# DISSERTATIUNCULÆ DUÆ.

## I

## DE SENSU SPIRITALI [1].

1. Quæstio gravis est, ad quam aggredimur, de spiritali sensu Scripturarum. Agitur enim de eo sensu, quem non minus quam litteralem Spiritus Sanctus auctor Scripturis subesse voluit, quem hic liber unus habet, utpote quid suum proprium, nec cum ullo alio commune, quem denique postremis ætatibus primus omnium Lutherus, tum alii ex Protestantibus, vulgo autem recentiores, qui Rationalistæ vocantur, plane respuunt, atque in Scripturis se agnoscere inficiantur. Hæc, inquam, quo loco eam quæstionem habere oporteat, satis manifestant.

2. Porro, quid sit sensus spiritalis, sive mysticus, et quanam ab origine repetendus, plene discere est ex doctrina Patrum. Nominis tamen hujus duplex est in eorum scriptis usurpatio : altera, qua sensum illum significat ipsarum Scripturarum proprium (2), de quo nunc agimus; altera vero ad eas sententias designandas, quæ quidem Scripturis ipsis minime subsunt, eorum tamen quæ in Scripturis dicuntur, aut narrantur, consectaria quædam sunt et consequentia, de quibus etiam inferius agetur. Hanc autem usurpationis discrepantiam, quæ in Patrum libris deprehenditur, causari est, cur quæstio hæc, quæ cæteroquin satis foret expedita, si rectam sensus spiritalis informationem in animo constanter haberemus, tam intricata et confusa sit apud auctores, apud eos etiam qui rerum theologicarum peritissimi audiunt, quosque mireris, sive dum loquuntur, sive dum disputant, sensum spiritalem aut mysticum eum vocare, qui alius plane est, puta consectaria illa quæ diximus, aut ipsum sensum litteralem mysteria resque hujusmodi sublimiores, referentem, atque etiam translatum.

3. Id itaque nobis curæ esse debet, ut indicata prius origine ac patefacto veluti fonte sensus spiritalis, rerumque notionibus nominibusque clare inter se et accurate distinctis, quæstionem hanc perquam dilucide habeamus, vitatisque ambagibus, quibus eam nonnulli, nescio qua ducti religione, referciunt atque implicant, rem totam, quo simplicius fieri potest, exponamus. Quod etiam tuto nos præstituros confidimus, si duce Thoma viam illam iverimus, quam ipse Patres secutus nobis aperuit, summam eorum de quibus tractaturi sumus, paucis hisce verbis egregie perstringens : « Auctor sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solùm voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsæ res significatæ per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis; illa vero significatio, qua res significatæ per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur, et eum supponit, » I, *Quæst.* I, art. 10.

4. His Thomæ verbis illud docemur, spiritalem sensum Scripturis subesse ideò posse, quia per ea quæ in illis narrata sunt aut commemorata, alia præterea Deo auctore significabantur. Ex quo

(1) Vide Patritium, *De interpretatione Scripturarum Sacrarum*, lib. I, cap. VIII et seqq., à quo fonte hæc omnia, paulum tamen ad brevitatem contracta, hausimus

(2) Conf. quæ de diversis sensibus tomo XIX præmisimus, num. 2, ubi sensus litteralis notio hæc affertur : « Sensum spiritalem id nominamus, quod sub sensu litterali delitescens exprimere quidem Spiritus Sanctus directe intendit etsi remote, verba tamen oblique proferunt, si, inquam, conferantur cum aliis quibusdam Scripturarum partibus, nec nisi remote, rebus, quas ipsa significant, interpositis. »



007697
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et illud manifeste consequitur, sensum hunc spiritalem non tam Scripturarum ipsarum proprium esse, quam earum rerum quas Scripturæ complectuntur; Scripturis tamen eum messe, quia Spiritus Sanctus sacro codici res illas consignans, consignare etiam voluit, quem iis rebus indiderat, significatum, quemque ex Scripturis colligeremus æque ac sensum litteralem. Verbo, quod Scripturæ spiritalem sensum *possint continere*, hoc habent ab ipsa typorum significatione; quod vero illum *reipsa contineant*, id non aliunde est, nisi ex consilio et voluntate Spiritus Sancti. His vero præcognitis facile quisque intelligit sensum spiritalem posse dupliciter spectari, ut Scripturis ipsis subest, utque iis rebus, quæ in Scripturis commemorantur, ideoque, tametsi unus idemque sensus sit, perspicuitatis tamen causa dividi cogitatione posse ac veluti duos sensus haberi, quorum priorem opportune dixeris sensum spiritalem *verborum*, posteriorem *rerum*; posteriorem autem prioris originem esse ac veluti fontem. De utroque porro peculiaris disciplina sit, oportet; pauca supponemus de sensu consequente Scripturarum.

## CAPUT I.

### De sensu spiritali rerum, sive de typologia.

5. Ea omnia, ex quibus spiritalis verborum sive Scripturarum ipsarum sensus emanat, *typos* communi nomine vocamus cum Paulo, *Galat.* IV, 24; ipse autem typorum significatus, quin et tota hæc disciplina, *typologia* nomen a recentioribus scriptoribus inditum habet. Sunt itaque typi eæ sive personæ, sive res, sive actiones, iique eventus, eaque gesta, quæ peculiari quodam Dei consilio atque instituto ad id conformabantur ac dirigebantur, ut, vel futura quædam præsignificarent ad ipsam divini fœderis σκιαγραφίαν, præsertim vero ad Christum ejusque Ecclesiam, pertinentia; vel sublimiora quædam, spiritalia videlicet, cœlestia atque divina rudioribus quibusdam lineamentis exprimerent atque referrent; vel normæ denique ac regulæ essent, ad quam mores nostros exigeremus ac fingeremus. Quidquid simul ex Patrum scriptis colligimus, quod typos aliquo modo attingat, ad triplex illud genus facile est revocare; ipsos igitur typos partiemur in *propheticos*, *anagogicos* et *tropologicos*, quæ nomina, etsi non eadem constanter notione, ab ipsis Patribus fuerunt usurpata, ac singillatim de unoquoque genere, quæ scitu magis necessaria sunt, paucis disseremus, nonnulla alia postremo dicturi ad hanc typologiæ tractationem in universum pertinentia.

### ARTICULUS I.

#### *De vario typorum genere.*

I. *De typis propheticis.*

6. Genus typorum, qui *prophetici* vocantur, aliis generibus latius patet; tota enim veteris fœderis σκιαγραφία fœderis novi prænuntia fuit, seu quædam veluti adumbratio. Quare plurima propheticorum typorum specimina ex vetere fœdere peti possunt, sive personæ sint, uti Adam, Melchisedech, Isaac et Ismael, Moyses; sive res, uti arca Noe, lex vetus, victimæ et cæremoniæ, dies festi, nubes quæ Israelitas ducebat, manna, etc.; sive eventa et gesta, uti ejectio Agaris et Ismaelis, transitus maris Rubri.

Patet typos hosce, quum signa essent ac symbola rerum futurarum, habendos esse tanquam prænuntiationes, non secus ac sunt ipsæ prophetiæ, a quibus id unum differunt, quod istæ verbis, illæ vero ea ratione qua diximus, ederentur. Distinguendi tamen omnino sunt, ut Thomas distinxit, *Quodlib.* VII, art. 15, ad 1, et art. 16, typi prophetici a vaticiniis *symbolicis*, quibus prophetæ subinde futura prædicebant, et quorum triplicem modum exhibent Scripturæ. Horum unus erat, quum Deus menti prophetæ imaginem aliquam primo repræsentabat monstruosam plerumque atque αἰνιγματώδη, tum hujus significatum aperiebat, ac postremo propheta rem totam aliis narrabat, ut factum videre est *Jerem.* I, 11-16; XXIV, 1-8; *Ezech.* XXXVII, 1-14; *Amos* VII, 7-8; VIII, 1-2, etc. Alter, quum Deus prophetam ipsum aliquid agere jubebat, subdens rei gestæ declarationem, quam propheta alios doceret: talia reperimus *Isai.* XX, 2-4; *Jerem.* XIII, 1-9; XIX, 1-11; *Ezech.* IV, 1-8, etc. Denique, quum propheta ipse ea, quæ ipsi Deus prius aperuerat,



pronuntiabat addita simul aliqua re aut actione *symbolica*, illustrationis atque ornatus gratia, uti sunt prophetiæ Ahiæ, III *Reg.* XI, 29; Elisei, IV *Reg.* XIII, 15; et Agabi, *Act.* XXI, 11. Neque enim in aliquo horum typorum locus ullus prophetis est. Sed neque meræ imagines hi sunt prophetæ menti obversantes, ut primus modus est vaticiniorum symbolicorum; neque actiones cæteroquin ἄσκοπα, nec alio spectantes quam ut oculis quoque rudi quadam veluti imagine ea repræsentent, quæ audientium auribus ingerit propheta, ut fit duobus modis posterioribus.

II. *De typis anagogicis.*

7. Nomen ἀναγωγῆς recentiores plerumque indere solent spiritali illi sensui, qui est de æterna hominum beatitate. Verum non tam arctis limitibus Patres hujus vocis usum definiverunt. Quum enim quivis sensus spiritalis legentium mentem animumque subvehat ad altiora iis, quæ voces ipsæ in obvium sensum acceptæ significant, commune spiritali sensui nomen ἀναγωγή pro vocis notione factum a Patribus interdum est. Subinde tamen ac magis proprie significationem illam spiritalem hoc nomine illi vocavere, quæ res natura sua terrenis ac corporeis sublimiores attingeret, cœlestia potissimum ac divina. Ideo typi quibus peculiaris est spiritalis ista significatio, ii propria quoque appellatione typi *anagogici* dicuntur.

Horum nonnullos eorumque interpretationem reperies in libro Sapientiæ, ut sunt templum Salomonis, IX, 8, et manna, cujus aliquot in libro ipso leguntur significationes, XVI, 21-26; plures quoque in epistolis Pauli, ut sunt urbs Jerusalem, *Gal.* XIV, 25, tabernaculum ejusque partes atque instrumentum, *Hebr.* IX, sacerdotium Melchisedechi, *ibid.* VI, 20 seqq., sacerdotium Aaronis, *ibid.* VIII, 1 seqq. Cæterum typi anagogici cæteris pauciores sunt, præsertim quod maximam partem inter typos propheticos adnumerari queant, et a Patribus reapse fuerint utrique simul adnumerati quam frequentissime.

III. *De typis tropologicis.*

8. Tertium genus typos *tropologicos*, seu *morales* complectitur, quorum spiritalis significatio *tropologia* vocatur, nomine nimirum a Patribus usurpato, deductoque ex Græco vocabulo τρόπος, quod inter alia *morem* ac *consuetudinem* sonat. Hujusmodi typum gessit manna, *Sap.* XVI, 27; gessere item, teste Paulo I *Cor.* X, 5, ea quæ Israelitis in deserto contigerunt. Præterea vix aut nihil invenias cujus tanquam typi tropologici diserte meminerint Scriptores sacri, etsi late prorsus hoc typorum genus patuisse conjicere sit, tum ex iis quæ loquitur Paulus de factis atque eventis populi Israelitici iter agentis per desertum, quorum rationem non est cur putemur non aliorum etiam fuisse, quæ in vetere Testamento leguntur; tum ex eo, quod, quum tota prioris fœderis σκιαγραφία posterioris, quod nobiscum pepigit Deus, quædam fuerit veluti deformatio, putandum est morum quoque, quos sectaremur, rationem in illa habitam fuisse.

9. Non tamen ideo rem quamlibet a Scriptoribus sacris in exemplum assumptam aut propositam, quanquam τύπος ab iis dicatur, in eorum de quibus agimus, typorum numerum esse referendam arbitramur, sed illas tantummodo, quibus typi formam a Deo inditam esse vel ex ipsorum Scriptorum verbis, vel aliunde argumentum petere possumus. Neque enim, quæcumque res exemplo potest esse (v. g. Paulus sese, *Philipp.* III, 17; II *Thess.* III, 9, vel Thessalonicenses, I *Thess.* I, 7, in exemplum proponens; aut Christus discipulorum pedes abluens, vel crucem bajulans, vel etiam « extra portam passus, » *Hebr.* XIII, 12), ea tyjus est, tametsi typus quilibet tropologicus in exemplum sit. Etenim, quamvis Deus voluerit, ut omnia hæc exemplum virtutum sint, minime id voluisse credendus est peculiari illa et sublimiori ratione, qua ipse personas, res, eventa, ita conformabat atque regebat, ut *spiritalis* (præter litteralem) significatio illis subesset, quæ typorum moralium propria est.

Quod autem de Scriptoribus sacris dicimus, id dictum quoque, ut par est, de Patribus deque interpretibus Scripturarum, qui si rem aliquam aut personam ex vetere aut novo Testamento producant, et in exemplum proponant, atque ex iis quæ de ea in bibliis referuntur, sensum aliquem moralem colligunt, non continuo rem illam aut personam typum tropologicum fuisse pronuntiabimus, quum tales interpretationes institui possint etiam de aliis rebus, quæ in bibliis minime leguntur, puta de gestis sanctorum aut clarorum virorum, qui profecto haudquaquam

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

typi fuerunt. Quod si cui lubeat fortasse ea, ex quibus Patres atque interpretes sententias ac documenta depromunt ad mores pertinentia, typos nuncupare secundum eam notionem, qua, quidquid exemplo esse potest, Græci τύπον vocant, non obsistimus, dummodo stet discrepantia inter hos atque illos typos tropologicos, de quibus est ista quæstio, et quibus ex peculiari Dei consilio atque institutione spiritalis inerat significatio.

## ARTICULUS II.

### *Typi ac symbola in quo discrepent.*

10. Hic locus est, quo animadvertamus typos quoslibet a Patribus *symbola* interdum fuisse nominatos, neque inepte: typus enim quivis symbolum est. Non tamen cuivis symbolo typi nomen concinne inderemus. Quare, quum Deus, non modo typis, sed aliis etiam symbolis usus sit, quumque typi, non vero quævis alia symbola, de earum rerum genere sint, non secus ac sunt oracula et vaticinia, quæ aliquid habent naturæ vim atque ordinem excedens, quasque proinde comminisci non oportet, ubi aliquid tale reapse accipere necesse non est, indicia quædam suggeremus ac regulam, quibus securius typos a symbolis cæteris, quæ Deus usurpavit, aut usurpari jussit, discernamus.

11. Itaque pro typis habenda necessario non sunt symbola rerum præteritarum, quæ μνημόσυνα proprie habentur ac vocantur, ut sunt iris, *Gen.* IX, 13; festum Paschatis apud Hebræos ex ea parte, quatenus monumentum erat repulsæ ab illis servitutis; eucharistiæ confectio, quam *memoriale mortis Domini* vocat Ecclesia. Neque ea quæ Deus verbis subinde adjungebat ad rem aliquam vel confirmandam, vel plenius illustrandam, quam tamen clare jam aperteque edisseruerat, puta portenta, quæ fœdus inter Deum et Abraham initum sunt comitata, nubes quæ templum a Salomone constructum aperuit: quæ symbola σημεῖα apte diceres. Neque ea, quæ μεταφορικὰ commode appellarentur, quibus, inquam, ad aliquid significandum ita Deus utebatur, ut verbis adjectis videretur quidem loqui de symbolo, sensum tamen verborum aliorsum pertinere facile quisque intellexisset, ut fuit serpens, quem loco diaboli Deus allocutus est *Gen.* III, 14, ficus jubente Christo arefacta. Neque denium symbola δεικτικὰ, quæ aliquid portendebant, quod fieret aut contingeret simul ac ipsa adhibebantur, ut mactatio victimarum pro peccato et pro delicto, quæ indicabat pœnas a lege condonari.

E contrario pro typis habenda esse symbola illa putamus, quæ, ut nullum habent ex prædictis, si præterea vel ipsorum naturam spectes, vel rerum quas significabant, facile intelligas a Deo uno ita confirmari, regi atque ordinari ad aliquid significandum, ut inter ipsa atque inter rem significatam aliqua similitudo vel analogia intercedere deprehenderetur. Hujusmodi sunt homines aut eventus quidam rerum humanarum ut rerum aliarum symbola a Deo adhibiti; sed plurimæ quoque res gestaque plurima, ex quibus memorasse sufficiat unum agnum, qui symbolum erat tum egressus ex Ægypto, tum Christi olim immolandi, utrumque ex divino instituto atque proposito: sed prioris quidem nil nisi merum symbolum, utpote rei præteritæ, quodque ipsi Israelitæ per se excogitare ac marte suo instituere potuissent; posterioris vero etiam typus, utpote rei futuræ, necdum hominibus plane compertæ, quam directe atque ἀμέσως præmonstrabat, nulla prædictione interjecta, ad quam illustrandam usurparetur.

12. In universum autem, ut typos a meris symbolis secernamus, regula hæc esto ex natura sensus spiritalis Scripturarum petita. Quoniam in symbolis nihil aliud deprehendere est, nisi unius alicujus rei significationem, hinc quum aliquid novimus, quod in Scripturis legitur, symbolum esse, neque tamen sensus ipse obvius ac litteralis verborum, quibus illud commemoratur, quidquam tale refert, pro certo tenebimus non merum symbolum id esse, sed typum. Dicendum quippe tunc erit sensui litterali verborum alium quoque sensum subesse, nempe spiritalem; at spiritalis sensus in verba, non ex meris symbolis, quibus, ut docet D. Thomas *Quodlib.* VII, art. 15, ad 1, art. 16, sensus iste non subest, sed ex typis, de quibus ea et dicta sunt, duntaxat derivatur. Exemplo hæc esse possunt. Matthæus tanquam de Christo reduce ex Ægypto dicta interpretatur verba, quæ Oseas protulit de Israelitarum gente ex eadem ipsa Ægypto reducta; itaque



reductio hæc illius reditus symbolum fuit. Verum fuit-ne quoque typus? Ipsa rei natura secundum ea, quæ modo animadvertimus, satis id docet; hoc idem tamen discemus, si regulam hanc adhibeamus. Expensis enim verbis illis, ut in ipso Oseæ libro sunt cum reliquo sermone contexta, perspicies sensum obvium ac litteralem nihil præferre, quod Christum attingat; latebit itaque in illis sensus spiritalis, adeoque id quod sensus litteralis prodit, reductio, inquam, Israelitarum ex Ægypto, haudquaquam merum symbolum est: id enim litteralis sensus proderet utique; sed typus Christi ex ea regione redeuntis. Eodem pacto Christi typos, non autem nuda symbola, fuisse cognosces agnum paschalem, Psaltem, Salomonem, aliaque, de quibus quæ in Scripturis veteris fœderis ita dicuntur, ut in sensum litteralem accepta ad Christum minime pertineant, ea tamen ut dicta de Christo acceperunt atque interpretati sunt Scriptores novi Testamenti.

## ARTICULUS III.

### *Prioris fœderis οἰκονομίαν typis ornatam fuisse probatur.*

13. Typorum natura ac multiplici forma declarata, demonstrandum modo est, typos hosce, quum priorum fœderum obtineret οἰκονομία, a Deo reapse adhibita fuisse. Nemo Catholicorum ea de re dubitat; quin etiam ex Heterodoxis plures fuerunt, qui ita sentirent, quos inter eminent Grotius, Cocceius, Glassius *Philologia sacra*, lib. II, part. I, tract. 1, sect. 1, Spencerus *De legibus Hebræor. ritualibus*, lib I, cap. XI, recentiore autem ætate J. Dav. Michaelis et J. Christoph. Blasche. Attamen ex Heterodoxis vetustioribus non pauci, nostra autem ætate fere omnes, respuunt typos quoslibet, maxime propheticos; aut, si quos interdum illorum aliqui accipere videntur, eos tamen typos fuisse affirmant, κατ' ἔκβασιν, *secundum eventum* duntaxat, et ob similitudinem quamdam quam haberent cum illis quorum typi esse putantur, non vero quod illos Deus ita conformaverit ac direxerit, ut ea præsignificarent. Verum et Scripturas, et traditiones, et synagogæ tum veteris tum novæ sententiam, et rationem ipsam, adeo nobis favere compertum est, ut, adversarii nostri litem amittant, necesse sit. Præsto sint argumenta tum ex Scripturis, tum ex ratione desumpta; cætera vid. apud Patritium, tom. I, pag. 189-200.

### I. *Argumenta ex Scripturis deprompta.*

14. Non una solum ratione sententiam nostram Scripturæ tuentur. Primo enim Pauli verba manifesta sunt, quibus diserte affirmat fuisse hujusmodi typos, qui vel futura præsignificarent, *Rom.* V, 14; *Gal.* IV, 24; *Coloss.* II, 17; *Hebr.* IX, 9; X, 1; XI, 19; vel cœlestia, divina atque alia rebus corporeis ac terrenis sublimiora proderent, *Hebr.* VIII, 5; IX, 23; vel mores recte informandos nos docerent, I *Cor.* X, 6, 11. Sed et Petrus satis perspicue demonstrat, quæ Noæ ejusque familiæ evenerunt ingruente diluvio, ea fuisse typum baptismatis, hoc vocans eorum ἀντίτυπον. Sed neque veteris fœderis testimonia desunt. Auctor enim libri Sapientiæ sic scribit de templo: « Et dixisti me ædificare templum..... *similitudinem* tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio, » IX, 8, id est typum cœli. Psaltes canere aggrediens, quæ Israelitis contigerant in deserto, ea vocat *parabolam* מָשָׁל, et *ænigmata* חִידוֹת, *Psalm.* LXXVII, 2, non alia profecto de causa, nisi quia aliud præter id quod erant significabant, prorsus ut parabolæ aliud significant præter id quod sonant.

Præterea Scriptores sacri ita de quibusdam sive personis, sive rebus, sive eventis, loquuntur, itaque hæc omnia conferunt, atque exponunt ut vel ipsis adversariis (vid. Baueri *Hermeneut. sacr.* §8, sub finem) id ultro concedentibus constet, etsi Scriptores illi non aperte id pronuntient, hæc eadem habita ab ipsis fuisse tanquam typos, quales nos descripsimus, videlicet qui, non ob qualemcumque similitudinem, quam forte fortuna cum aliis rebus haberent, sed, ut cum Petro loquar, « definito consilio et præscientia Dei, » *Act.* II, 23, illas significarent.

15. Verum Scriptores θεόπνευστοι non modo typos agnoscunt inter ea, quibus constat divinorum fœderum οἰκονομία, neque modo personas, res, gesta atque eventa tanquam typos nobis tradunt, sed ea ipsa, quæ de typis scripta sunt, neque possunt ut scripta de aliis in litteralem sensum accipi, ita usurpant, ut quæ non de typis scripta forent, sed de iis quæ per typos significabantur: quod non ex alia causa profecto repeti potest, nisi quod certum atque indubium ipsis esset, quæ

de typis dicta sunt aut scripta, ea dicta quoque esse aut scripta de rebus per typos significatis; id tamen non aliter fieri poterat, nisi si æque certo iis constaret, vim illam typis, qua aliud significarent, inditam divinitus fuisse. Veterum Scripturarum verba, quæ hac ratione a novi Testamenti Scriptoribus usurpantur, aliquot superius indicavimus (n. 11). Juvat præterea animadvertere Christum ipsum eadem ratione nonnulla ex ipsis usurpasse. Nobile est illud Psaltæ effatum : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, » *Ps.* cxvii, 22, quod et in Matthæo, et in Marco, et in Luca, et in Actis, et in prima Epistola Petri transcriptum legimus, quodque, etsi Psaltes de se loquatur, Christus tamen tanquam de se dictum usurpavit : qui autem id fieret, nisi quia Psaltes eaque, quæ huic contigisse verbis illis narrantur, typus Christi propheticus fuere?

16. Quid vero quod sacri Scriptores, non solum ea præstant, quæ huc usque enumeravimus, sed insuper momenta rationum desumunt vel ex typis, vel ex iis, quæ de typis scripta sunt, ad aliquid arguendum aut confirmandum, quod ad res per typos hosce figuratas pertineat? Ita enim Paulus, *Rom.* ix, 27, ubi gentes ad Christum congregandas commemorat, Judæos quoque sperare jubet usus testimonio Isaiæ, qui tamen loquitur de Israelitis vindicandis a servitute, qua illos Assyrii premebant, *Isai.* x, 22. Idem Paulus, ut demonstret, quoniam « finis.... legis Christus ad justitiam omni credenti.... quæ.... ex fide est, » *Rom.* x, 4, 6, ea profert, quæ de vetere lege dixerat Moyses : « Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo, » *Ibid.* 8 ex *Deut.* xxx, 14. Idem ipse Synagogam cum legibus Mosaicis a Deo rejiciendam fuisse, *Gal.* iv, 21-31, arguit iis, quæ de Agare et Ismaele narrantur in Genesi, atque adeo ex illis verbis, quibus Deus Abrahamum jussit utrumque domo ejicere, *Gen.* xxi, 10 : « Ejice ancillam hanc et filium ejus, » etc. Eodem modo divinam Christi θεότητα, *Hebr.* i, 5 defendit, prolatis videlicet iis quæ de Salomone Deus dixerat : « Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, » II *Reg.* vii, 14. Sed et alia hujusmodi apud Paulum reperias. Ipse autem Christus illis Psaltæ verbis, de quibus paulo ante diximus, usus est, ut evinceret, quid Judæis ipsi minime credentibus ab ipsomet foret exspectandum.

17. Aliud denique sententiæ nostræ momentum biblia suppeditant, quod etsi ad aliquod ex iis, quæ protulimus, reduci commode possit, præstat tamen peculiari illud consideratione persequi. Sunt autem ea oracula veterum Scripturarum, quorum πλήρωμα apostoli et evangelistæ, his dicendi formis adhibitis : « Et impleta est Scriptura, Tunc adimpletum est, Ut impleretur, » harumque similibus, alia in re constituunt quam in ea, de qua oracula illa in litteralem sensum accepta constat fuisse edita. Id autem fit in his novi Testamenti capitibus : *Matth.* ii, 15; xiii, 35; *Joan.* xiii, 18; xv, 25; xix, 36; *Act.* i, 16. Horum enim oraculorum duplex πλήρωμα agnoscamus necesse est : prius in ea re, ad quam pertinet sensus litteralis; alterum in ea, qua oraculum *impletum* fuisse dicunt Scriptores novi Testamenti. Quare ad utramque rem pertinent oracula hujusmodi. At, qui possint ad posteriorem pertinere, quam litteralis eorum sensus nullo modo refert, nemo divinabit, nisi rem priorem posterioris typum fuisse ponat. Ut autem argumento huic nostro suum maneat robur, demonstremus, oportet, locutiones illas : « Ut impleretur, Tunc impletum est, » etc., in summa ipsa verba *impleri*, πληρωθῆναι, τελειωθῆναι, τελεῖσθαι, in his locutionibus idem omnino valere, ac *fieri* seu *evenire* ea ipsa, ad quæ oraculum allegatum pertinet, non autem alia his similia, de quibus tamen minime fuerit prolatum.

18. Quanti facienda sit hæc sententia, nemo non videt, adeoque mirari subit fuisse atque etiamnum esse viros apprime catholicos, qui re aut verbo eam in dubium revocaverint. Si enim illorum verborum notio alia foret, dubitare utique esset, an vaticinia plurima, quæ ea ratione ab apostolis atque evangelistis proferuntur, ad Christum vere pertineant, aut saltem eorum significatio scriptorum θεοπνεύστων auctoritate, quæ ipsam confirmet, destitueretur, præter quam quod ineptius quid saperet oracula hæc iis rebus, de quibus minime edita sunt, accommodasse ob quamdam solummodo similitudinem, quæ fortuito inter illas intercederet atque inter eas, de quibus edita reapse fuerant. Plura porro habemus, quibus hujus sententiæ veritatem defendamus.

Nam, ut alii jam animadverterunt, locutiones illæ quamdam ἐνέργειαν præ se ferunt, qua compellimur in aliam prorsus significationem eas accipere, quam ut simplex comparationis forma sint, simplicemque annuntient rerum similitudinem. Geminas præterea illarum locutionum reperimus in vetere Testamento, inque his ea ipsa verba usurpantur, quibus constanter usus est



interpres Syrus novi Testamenti pro verbis πληρωθῆναι, τελειωθῆναι, τελεῖσθαι, ad eum modum, de quo quærimus, adhibitis, verba, inquam מלא, quod est πληρωθῆναι *impleri*, et שלם, quod est τελειωθῆναι *perfici*, sive τελεῖσθαι *absolvi*, neque unquam alio sensu, nisi eo, quem in novo Testamento locutionibus illis subesse dicimus : significant quippe fieri aut evenire illud ipsum, quod fieri aut evenire debebat, quia vel prædictum fuerat, vel promissum, vel, ut fieret, quacumque ratione præceptum aut constitutum. Lege III *Reg.* ii, 27; viii, 15, 24; II *Paral.* vi, 16; xxxvi, 21; *Psal.* xx, 5, 6, in quibus est verbum מלא, et *Job* xxiii, 14; *Isai.* xliv, 28, in quibus verbum שלם usurpatur. Sed et in novo Testamento plura legimus, in quibus verbo *impleri* et similibus alia notio præter hanc affingi nullo modo potest, quum certum sit ea de re hæc prædicta fuisse, qua impleta esse dicuntur; ex his pauca indicasse sufficiet, in quibus, quod affirmamus, vel ipsi Sociniani nequeant non pervidere : *Matth.* ii, 23; *Luc.* i, 20; xxiv, 44; *Joan.* xviii, 9, 32; *Act.* iii, 18; xiii, 33.

19. Neque multum habet sententia nostra, quod sibi timeat ab auctoritate scriptorum aliquot Syrorum, qui syriace scribentes, ea nempe lingua, quæ linguæ apostolorum atque ipsius Christi proxima est, tales dicendi formulas adhibuerunt, quum verba Scripturarum aliis rebus accommodarent quam iis, de quibus fuerant prolata; id, inquam, nihil habet momenti, quo quis pervincat, talem illarum formularum usum proprium quoque fuisse sermoni eorum, qui novum Testamentum litteris consignarunt. Nam, præterquam quod nemo ex illis auctoribus Syris adeo vetustus sit, qui non trecentis ferme post annis ab editione novi Testamenti absoluta floruerit, ea videlicet ætate, qua credere est sermonem Syrorum magis ac magis discrepasse a sermone syrochaldaico, quo Christus et apostoli loquebantur, omnes Christiani sunt, omnesque illis dicendi formis utuntur tunc solummodo, quum Scripturarum testimonia proferunt, ex quo apparet, non ex more loquendi formas illas ita ab eis adhibitas repeti debere, sed alia prorsus ex causa; quænam autem hæc sit, facile est pervidere. Qui enim volumina Patrum manu versant, norunt eos more ac modo Scriptorum sacrorum iisdemque dicendi formis locutos subinde esse ac scripsisse, cui rei comprobandæ locupletissimum testimonium præsto est, Augustini, inquam, ita scribentis : « Tanta est vis consuetudinis etiam ad discendum, ut, qui in Scripturis sanctis quodammodo nutriti educatique sunt, magis alias locutiones mirentur, easque minus latinas putent, quam illas, quas in Scripturis didicerunt, neque in latinæ linguæ auctoribus reperiuntur. » *Doctr. Christ.* lib. II, cap. xiv. Quum itaque Scriptores christiani et oracula Scripturarum, ut notum est, aliis diversisque rebus accommodarent, et ipso Scripturarum sermone interdum scriberent, atque etiam loquerentur, difficile factu non fuit, ut quandoque utrumque contingeret, id est, ut simul oraculorum sensum accommodarent rebus aliis, simulque id facerent usurpata illa ipsa dicendi forma, quam Scriptores sacri in oraculis transcribendis atque explicandis usurpare consueverunt; idque eo vel maximo, quod rerum similitudo formulam illam dicendi suggereret, quum revera id factum esset, quod scriptum est in oraculo, illud, inquam, *quod* oraculi verba a reliqua oratione et libri contextu divulsa ac seorsum accepta sonare possunt, etsi non id factum esset, *de quo* illud editum et scriptum est. Totum vero id confirmatur ea ratione, quod καταχρηστικὸς iste usus verbi *impleri* ut ut reperiatur, licet raro, apud veteres scriptores christianos, atque adeo apud illos, qui græce scripserunt, puta, apud Clementem Romanum, nunquam tamen apud alios; quibus e contrario haudquaquam incomperta fuit illa hujus verbi notio, quam defendimus; nam apud Herodotum hæc legimus : Ὥστε ἀποπλῆσαι τὸν χρησμὸν... τὸν περὶ τῆς ναυμαχίης ταύτης εἰρημένον, *ut impleretur oraculum de hac navali pugna prolatum* lib. VIII; apud Tullium vero : « Ne aut id profiteri videar, quod non possim implere. » *Pro Cluent.* Lege Lexicon Forcellini, v. *impleo.*

II. *Rationes.*

20. Si nulla alia forent rationum momenta, quibus confirmaremus divinorum fœderum ἱστορίαν, typis a Deo instructam fuisse, magna tamen huic sententiæ gravitas accederet ex comparatione sedulo ac diligenter instituta inter ea quæ in veteris, atque inter ea quæ in novi Testamenti libris commemorantur Ex hac enim comparatione cuilibet qui animum præjudicatis opinionibus occupatum non gerat, fieri nequit, quin appareat mira illa utriusque fœderis connexio, neque jam

ea solummodo, quæ inter diversas unius ejusdem historiæ alicujus partes deprehenditur, aut quæ inter prædictiones et inter rerum prædictarum exitus, etsi utraque hæc connexio in hoc, de quo agimus, perspicua prorsus sit, sed ea quæ esse solet inter imaginem atque inter id quod imago repræsentat. Hæc vero non hujus loci est demonstrare, quia nimis longum sane opus foret. Auctor itaque sum studiosis sacrarum litterarum, ut legant Augustini *contra Faustum* disputationem, lib. XII, cap. VI-XXXVIII, et libros XI-XVII *de Civitate Dei*, item Παραλληλισμὸν *veteris Testamenti cum novo* a P. Dan. Huetio habitum, qui dimidia ferme pars est operis sui, cui titulus est: *Demonstratio Evangelica*, peculiariter autem ea quæ congessit in cap. CLXX, atque item librum J. Marchetti, cui titulus est: *Il Cristianesimo dimostrabile sopra i suoi libri anche a chi non li crede*, præsertim part. I, § 21, et part. II, §§ 18, 19.

## ARTICULUS IV.

### *Quæstiones aliquot de typis.*

#### I. *Typorum nomina apud Scriptores sacros.*

21. Typis alia quoque nomina sunt in epistolis Pauli. Appellantur quippe allegoriæ, *Gal.* IV, 24; parabolæ, *Hebr.* IX, 9; XI, 19; umbræ, *Coloss.* II, 17; *Hebr.* VIII, 5; X, 1; exemplaria, id est ὑποδείγματα, *Hebr.* VIII, 5; IX, 23, seu ἀντίτυπα, *Hebr.* IX, 24, etsi hoc ultimum a Petro usurpatur ad significandam rem per typum designatam. Non itaque improbandum est, si qui figuram ipsam *typum* nominant, rem vero præfiguratam *antitypum*. Nomen autem *allegoria*, potius quam typos ipsos, ipsam horum significationem aut significationis modum indicare dicendum est, quod etiam ex ratione, qua Paulus illud adhibet, discere possumus: non enim res ipsas *allegoriam* vocat, sed ait ea fuisse ἀλληγορούμενα, *per allegoriam dicta*, id est, secundum sensum spiritalem, quo aliud præsignificabant. Alia nomina apud Patres reperiuntur.

#### II. *Quomodo typi innotescant.*

22. Non una ratio est, qua typos cognoscamus. Atque illa prima et potissima, quum ipsi Scriptores bibliorum expressis verbis affirmant aliquid typum fuisse, figuram, umbram aut exemplar Christi, Ecclesiæ aliarumque rerum sive futurarum, sive cœlestium ac divinarum, sive ad mores pertinentium; cujus rei specimen tibi exhibent plura eorum, quæ supra protulimus ex novo fœdere. Alterum ad typos cognoscendos indicium habemus, quum iidem illi Scriptores tanquam de Christo, de Ecclesia, deve alia rerum illarum, scripta aut dicta accipiunt ea verba, quæ, si litteralis atque obvius ipsorum sensus consideretur, nequaquam de illis scripta sunt aut dicta: hoc enim concludimus alium præterea sensum illis verbis subesse, spiritalem videlicet, idque ideo, quia personæ, res atque eventa, de quibus dicta seu scripta fuerant, τυπικῶς id significarent, de quo in sensum utique spiritalem verba illa scripta ac dicta fuisse docemur a Scriptoribus novi Testamenti; cujus quoque rei non unum specimen superius habes (11). Præterea, quum ratio typorum, qui magno numero indicantur ab apostolis et evangelistis, illa ipsissima sit, quæ et aliarum personarum, rerum, atque eventorum plurimorum, atque inde jure illud arguamus, quod tota divinorum fœderum οἰκονομία, quæ Christi obitum præcessit, si universim spectetur, eam præsignificaverit, quæ eumdem hunc obitum subsecuta est, jure etiam arguemus typos fuisse ea omnia, quæ inter interque ea quæ ad novum fœdus pertinent, manifesta intercedit analogia, quamquam nihil de his novi fœderis Scriptores nobis tradiderint, ut sunt arbor vitæ *Gen.* II, 9, fœdera a Deo inita cum Abrahamo *Gen.* XV, 9, et cum Israelitis *Exod.* XXIV, 3, caper emissarius *Lev.* XVI, 10, etc. Ad hoc genus revocantur alia quoque, puta, cæremoniæ nonnullæ aut ritus, quorum ut nulla ratio compareat, cur præscriberentur lege a Moyse lata, ita optima cernitur, si aliquid existimentur significare; exempli causa sint panes absque fermento cum agno comedendi die festo paschatis, quorum rationem optimam esse comperies, si intelligas per eos præsignificatum fuisse panem eucharistiæ, sive etiam, ut Paulus quoque fortasse putavit I *Cor.* V, 6, purum ab omni macula animum, quo ad eucharistiam sumendam accedere oportet. Porro hæc analogia est, ex qua Patres argumentum desumunt, quum aliquid affirmant habendum esse tanquam typum;



sique in id unanimi consentiant, consensus iste aliud præter illa, quæ suggessimus, indicium erit ad typos dignoscendos. Pro typis quoque secure accipies ea, quorum nominibus Christus, Ecclesia, Christi opera aut sequaces, τροπικῶς designantur, ut sunt David, Jerusalem, Israel. Quum totum genus aut tota aliqua res, uti cæremoniæ et tabernaculum, typus est, etiam ea, quæ generi illi subjecta sunt, atque illius rei partes, typos esse putandum est, caute tamen neque ulterius, quam par est, progrediendo, ut ex minutis quibusque sensum aliquem spiritalem exprimere velis; eo vel maxime quod hujusmodi veluti consectaria typorum spiritalem sensum non exhibent plerumque nisi probabilem, non vero certum. Servanda itaque hac quoque in re erunt ea, quæ ad spiritalem verborum sensum adinveniendum infra præcipiemus.

#### III. *An omnia, quæ habentur in vetere Testamento, typi fuerint.*

23. Nihil omnino in Scripturis veteris fœderis commemorari, cui non aliquis subsit *typicus* significatus, non pauci arbitrantur. His *Figuristis* nomen est, eorum vero doctrinæ *figurismus*. A quibus autem causis repetenda hæc sit, quæque inde proveniant incommoda, narrant Fleuryus, *Discours V sur l'hist. ecclés.* §§ 11, 12, et Bergierus, *Dictionn. de théologie*, v. *Figure*, qui tamen, ut moris est, figuras rhetoricas cum sensu spiritali confundunt.

Putant hi sententiæ suæ patronos imo et auctores habere se non unum e Patribus, atque adeo Paulum ipsum. Passim quippe obtrudunt verba illa Pauli: « Omnia in figura contingebant illis, » I *Cor.* X, 11. Plura etiam apud Patres legere est, quæ illis favere videantur, puta, apud Augustinum, quod « omnia vel pene omnia, quæ in veteris Testamenti libris gesta continentur, non solum proprie, sed etiam figurate accipienda sint, » *Doctr. Christ.* lib III, cap. XXII, ipsa etiam flagitia, ut ante Augustinum scripserat Irenæus: « De quibus autem Scripturæ non increpant, sed simpliciter sunt positæ, nos non debere fieri accusatores.... sed typum quærere. » *Advers. hær.* lib. IV, cap. XXXI. Nemo tamen sententiæ illi patrocinari visus est magis quam Hieronymus, qui hæc pronuntiat: « Perspicue demonstratur omnia illius populi in umbra, et typo, et imagine, præcessisse, » *ad Dardan.* epistola 129; itemque: « Non sunt, ut quidam putant, in Scripturis verba simplicia: plurimum in his absconditum est, » *ad Damas.* epist. 18; quin imo: « Singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus; » quid plura? « Post historiæ veritatem spiritualiter accipienda sunt omnia, » Prolog. *Comment. ad Isaiam.*

24. Verum, ni fallor, typologiam adeo late patere negandum omnino est, tum quia, quæ pro illa sententia afferuntur, rem sic habere non evincunt; tum etiam quia, præter æqui ponderis auctoritates, ratio ipsa illud negare suadet, idque unum accipere atque affirmare, plurimos re ipsa typos in vetere Testamento reperiri, atque assentiendum omnino esse Patribus, qui docuerunt, « omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri, » Ambros. *in Lucam*, lib. II, § 56, ita tamen ut hæc dicta esse intelligamus, sicut scholæ loquuntur, de generibus singulorum, non vero de singulis generum.

Ac primo illis, qui diserte negant typologiam tam late patere, Patrum testimonia hæc præsto sunt. Tertulliani affirmantis, quod, quum « non omnia imagines, sed et veritates, non omnia umbræ, sed et corpora,... plures voces eorum (prophetarum) nudæ, et simplices, et ab omni allegoriæ nubilo puræ, defendi possint; ut quum exitus gentium et urbium resonant, Tyri, et Ægypti, et Babylonis, et Idumææ, et Carthaginiensium navium; ut quum ipsius Israelis plagas, aut venias, captivitates, restitutiones, ultimæque dispersionis exitum, perorant. Quis hæc interpretabitur magis, quam recognoscet? Res in litteris tenentur, ut litteræ in rebus leguntur, » *De resurr. carn.* cap. XX. Hilarii: « Qui omnia quæ in libris psalmorum scripta sunt, ad personam Domini nostri unigeniti Filii Dei existiment esse referenda,... eorum opinio stare qui non potest, omnis enim ex effectu religiosæ mentis hic sensus est, et caret culpa;... quamquam.... id ipsum interdum imperite fiat, » *in Psal.* LXIII. Epiphanii: « Moyses.... ubique decernere solet, partim quæ temporibus congruunt, partim quæ certis rebus adumbrandis serviunt, partim quibus futura bona declarantur, quæ in Evangelio demum adventu suo Christus Jesus Dominus noster implevit, » *Hæres.* 33. Hieronymi: « Qui ex parte typi fuerunt Domini salvatoris, non omnia, quæ fecisse narrantur, in typo ejus fecisse credendi sunt, » *in Os.* XI, 1, 2. Augustini: « Mihi autem sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum ali-

quid aliud præter id, quod eo modo gestæ sunt, significare arbitrantur, ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt. Non sane omnia, quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt; sed propter illa, quæ aliquid significant, etiam ea, quæ nihil significant, adtexuntur... Ita in prophetica historia dicuntur et aliqua, quæ nihil significant, sed quibus adhæreant, quæ significant, » passim *De Civit. Dei*. Gregorii Magni : « Sic vitæ suæ historiam texens (Job), ut ei ( errarum aliquid, quod allegorice intelligi possit, interserat, quatenus et ex magna parte historica sint, quæ memorat, et tamen aliquando per hæc eadem ad spiritalem intelligentiam consurgat, » *Moralium* lib. XXI, cap. 1. Thomæ : « Quatuor isti sensus non attribuuntur sacræ Scripturæ, ut in qualibet ejus parte sit in istis quatuor sensibus exponenda, sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantum, » *Quodlib.* VII, art. 15, id est, uno litterali, docet quippe Thomas sensum spiritalem sensui litterali inniti, ex eoque profluere, nec sine eo esse posse. Ejusdem : « Sensus spiritualis.... accipitur vel consistit in hoc, quod QUÆDAM res per figuram aliarum rerum exprimuntur, » *ibid.* Ejusdem : « In sacra.... Scriptura præcipue ex prioribus posteriora significantur, et ideo QUANDOQUE in sacra Scriptura secundum sensum litteralem dicitur ALIQUID de priori, quod potest spiritualiter de posterioribus exponi, sed non convertitur, » *ibid.*

25. Alii præterea Patres adeo late patentem typologiam tacite respuunt, quum reprobant quorumdam κακοζηλίαν ac nimietatem in typicis sensibus extorquendis. Apud Methodium hæc legimus : « Bene quippe in eis, imo præclare versata mihi videris, o Theophila, caute illud secureque providens, ut verba Scripturæ intelligantur, prout sonant juxta nativum sensum. Periculo siquidem non vacat spernere semper ac transilire velle obviam ac primo aspectu pulsantem animum sententiam Scripturæ, » *Conviv. decem virginum*, orat. 3. Basilius hæc habet : « Quidam.... captionibus quibusdam atque tropologiis ex suo ipsorum ingenio aliquid Scripturis adjicere auctoritatis conati sunt. Verum id ei competit, qui seipsum Spiritus Sancti oraculis constituit sapientiorem, quique interpretationis prætextu commenta sua inducit. Itaque, prout scripta sunt, intelligantur, » *Hexaem.* hom. 9. Gregorius Nazianzenus de iis, qui vel nulla vel omnia in sensum spiritalem accipiunt, quæ in Scripturis habentur, sic ait : « Alterum judaicum quodammodo et abjectum, alterum ineptum et somniorum conjectore dignum est, paremque utrumque meretur reprehensionem, » *Orat.* 42. Ipse denique Origines nonnulla e re nostra protulit : « Erit ergo sapientis scribæ et edocti de regno Dei, qui sciat de thesauris his proferre nova et vetera, scire, quomodo in unoquoque loco Scripturæ *aut* abjiciat penitus occidentem litteram, et spiritum vivificantem requirat, *aut* confirmet omnimode et utilem ac necessariam probet litteræ doctrinam, *aut* manente historia opportune et decenter introducat etiam mysticum sensum; » tum nonnullis exemplis prolatis ita pergit : « Igitur ex his, quæ protulimus, paucis, si qui studiosi sunt in Scripturis divinis, perfacile colligere poterunt etiam cæterorum distinctiones. Sapiens enim, si audiat, inquit, verbum, non solum laudabit, sed et adjiciet ad illud. Quid adjiciet? Ut discutiat, et discernat, in singulis quibusque capitulis legis, ubi fugienda sit legis littera, ubi amplectenda, ubi etiam narratio historiæ cum mystica expositione conveniat, » *in Num.* hom. 11.

26. Denique ipsa rei ratio vetat, ne omnia, quæ exhibent libri veteris Testamenti, in typos convertamus; imo id vetat reverentia ipsa, qua divinas litteras prosequi decet, quandoquidem illas, nedum nosmetipsos, cachinnis hominum maleferiatorum exponeremus, si isti conspicerent in unaquaque re, quam libri illi nobis exhibent, anxie nos typum aliquem atque aliquod mysterium veluti venari. Et re quidem vera, ecquid hujusmodi deprehendas in regionibus, urbibus, fluminibus, montibus ac populis, qui in Scripturis commemorantur? Quid tale tibi præferant putei effossi a pastoribus Isaaci, *Genes.* XXVI, 15-22, pulmentum Jacobi, *ibid.* XXV, 29, turris Phanuelis, *Judic.* VIII, 8, 9, coma Absalomi? II *Reg.* XIV, 26. Quid cameli Eliezeris, *Genes.* XXIV, 10, asinæ Saulis, I *Reg.* IX, 3, canis Tobiæ? *Tob.* XI, 9. Quid denique significabat crassities Eglonis, *Judic.* III, 17, claudítas Miphibosethi, II *Reg.* IX, 3, podagra Asæ? III *Reg.* XV, 23.

27. Quod vero attinet ad auctoritates, quæ pro opposita sententia stare putantur, uti diximus, eæ vel nullo modo vel non satis rem conficiunt. Pauli enim testimonium quid conferat adversariis, quisque facile sentiet, si non mutilum, ut fieri solet, sed integrum proferatur. Neque enim scripsit Paulus : « Omnia in figura contingebant illis, » sed : « Hæc autem omnia in figura contingebant



illis, » ea nempe, quæ proxime enumeraverat. Quod Irenæus in flagitiis, quæ in vetere Testamento narrantur, typum quærere jubeat, id non modo non evincit sensisse eum omnia omnino in eodem Testamento vetere typica fuisse, sed contrarium potius ex ejus verbis colligere est; si enim ita de illis sensit, « de quibus Scriptura non increpat, » jure credere possumus secus de illis saltem sensisse, quæ ab ipsis Scripturis reprobantur, eo vel maxime quod alia hæc quoque antea commemoraverit, quidque de iis sentiendum sit, docuerit, quin tamen typum ullum in iis agnovisse videatur. Quomodo Hieronymi et Augustini verba sint intelligenda, satis docemur aliis eorum verbis, quæ produximus. In universum autem, quæcumque apud veteres Patres leguntur, quæ latius quam par est, typologiam sectandam suadere videntur, diligenter attende posse ea imo et oportere alterutra ratione intelligi : vel quod non de singulis generum Patres loquantur, sed de generibus singulorum; vel quod non ea dixerint de rebus, quales ipsæ sunt, deque eo, quod ex sese habent, sed ex ea parte spectatis, quatenus in Scripturas relatæ sunt, quod, inquam, non rebus ipsis, sed rerum narrationibus illam significationem subesse affirmaverint, ac *spiritalem* vocaverint, non quia res narratas pro typis proprie dictis haberent, sed quia spiritales vocarent alias quoque significationes, præter eum sensum, qui vere ac proprie spiritalis habendus est et vocandus.

## IV. *An etiam novum Testamentum typos habeat.*

28. *Novum testamentum* vocamus tum divinam illam οἰκονομίαν illumque ordinem rerum, quem Christus constituit; tum libros, quibus hæc eadem una cum gestis Christi Scriptores divino Spiritu afflati consignarunt. Animadvertere tamen est aliquibus librorum, quos *novum testamentum* dicimus, evangeliis, inquam, ea contineri, quæ maximam partem, dum vetus adhuc οἰκονομία obtineret, facta sunt; novam quippe veteri successisse, quum Christus mortem obiret, Paulus nos docuit : « Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est, » *Hebr.* IX, 16. Quamobrem quæstio, an typi in novo fœdere habeantur, diversa ratione circa libros ac circa divinam ipsam οἰκονομίαν versatur; si enim de hac illud quæramus, quæstio spectare nequit nisi ad ea, quæ Christi morte posteriora sunt. Quibus præcognitis tota res facilius expeditur. Itaque, si typi tales habendi sint, quales definivimus, dicimus, quamquam secundum quorumdam Patrum sententiam typos nonnullos in evangelio commemoratos haberi putandum sit, nullos tamen amplius post Christi mortem, id est post sublatum vetus Testamentum, aut saltem post adventum Spiritus Sancti, id est, post novum testamentum promulgatum, typos exstitisse.

Sic enim credere suadet argumentum, quod ipsæ novæ Scripturæ suggerunt, et ex quo maximum sententiæ nostræ pondus accedere nemo negabit. Quidquid enim rationum, quibus divinorum fœderum οἰκονομίαν typis ornatam fuisse confirmamus, ex Apostolorum aut Evangelistarum libris desumere est, totum pertinet ad vetus fœdus; in novo autem nullum unquam typum illis agnitum deprehendas; imo ita de typis loquuntur deque utroque Testamento, ut ex ipsorum dictis jure quis conficiat, sensisse eos, post vetus Testamentum sublatum novumque inductum, nullum typis locum amplius fuisse, nam « finis legis Christus, » *Rom.* X, 4.

Nec Patres desunt qui nostræ sententiæ suffragari videntur. Conf. Origenem, *De Princip.*, lib. IV, § 13; Chrysostomum, hom. 23 *in Joan.* § 3; hom. 32 *in Epist. ad Hebr.* § 1; Augustinum, serm. 74 *De verbis Evang. secund. Matth.* § 5; lib. XXII *Contra Faustum*, cap. VI; Hieronymum, *Præfat. Comment. de Epist. ad Galat.*

29. Opponere nobis quis forsitan posset caput XXIV Matthæi, ubi Christus simul loquitur de eversione Hierosolymorum deque fine mundi, ita ut prius horum posterioris typus fuisse videatur. Attamen, velim, consideres Christum simul utique, hoc est, uno eodemque ac continuo sermone de rebus illis locutum esse, nam triplici interrogationi discipulorum de his iisdem rebus eum respondere oportebat, non tamen locutum esse promiscue, quasi si unum atque idem eæ res forent, ut fit ubi simul de typo deque antitypo Scriptores ἀδιακρίτως loquuntur, sed distincte ac distribute. Discipuli, ut locum hunc commentatur Hieronymus, « interrogant tria : Quo tempore Jerusalem destruenda sit, quo venturus Christus, quo consummatio sæculi futura sit. » Singulis autem interrogationibus singulas responsiones exhibet sermo Christi. Primo enim postremum in-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

terrogationi respondet Christus, illis exorsus verbis : « Videte ne quis vos seducat, » concludensque illis : « Tunc veniet consummatio ; » tum primæ, suggerens ex Danielis vaticinio indicium urbis proxime delendæ ; demum secundæ : « Tunc, inquiens, si quis vobis dixerit, » etc., ubi illud *tunc* vel nullum tempus definit, ut sæpissime apud Matthæum, vel idem valet ac *postea*, id est post Hierosolymorum reique judaicæ excidium.

## CAPUT II.

**De sensu spiritali verborum.**

Naturam sensus spiritualis paucis in memoriam revocabimus, probaturi deinceps vere subesse Scripturis hunc sensum, tum eas quæstiones soluturi, quæ de eo institui solent, ac demum monita quædam daturi de usu interpretationis spiritualis.

### ARTICULUS I.

***De natura et nominibus sensus verborum spiritalis.***

30. In definitione sensus spiritalis diximus eum sub litterali *delitescere*, quia verba, prout sonant cum reliquo sermone conjuncta et contexta, hoc est, in sensum litteralem accepta, sensum hunc spiritalem præferre minime videntur, quamquam iis re ipsa subsit. Spiritus Sanctus hunc *remote* intendere dicitur; *proxime* enim intendit id quod verba sonant in sensum litteralem accepta, perque hoc ipsum vult illud aliud exprimere, quod sensum spiritalem vocamus, ideoque sensus litteralis medius est inter Spiritus Sancti consilium interque sensum spiritalem. Qui autem fieri possit, ut *directe* simul simulque *remote* id quod verbis exprimit, Spiritus Sanctus intendat, intelliges ex iis quæ de significatione verborum immutatorum directa quidem quamvis remota alias dicta sunt (1). Verba vero solum *oblique* sensum spiritalem præferre dicuntur; mens quippe legentium in illum haudquaquam recta fertur, sed alia via in notitiam illis veniat, necesse est, atque ex aliis Scripturarum capitibus discant eum verbis subesse. Neque sensum hunc verba præferunt nisi *remote*, hoc est, mediis illis rebus quas ipsa significant, in quantum, inquam, ea, quæ exhibentur per litteralem ipsorum verborum sensum, figuræ sunt ac typi id significantes quod per sensum litteralem exhibetur. Rem totam exemplo declaremus. Verba illa : « Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, » II *Reg.* VII, 14, sensum habent spiritalem. Sane Spiritus Sanctus per ea *proxime* intendebat Salomonem designare, cum eorum sensus litteralis Salomonem exhibeat; per id vero quod de Salomone his verbis est locutus, *remote* videlicet, voluit aliquid de Christo edicere. Id tamen *oblique* verba præferunt, quandoquidem qui ea legit, non perspicit alium quem quæ præter Salomonem illis iisdem verbis commemorari, nisi legerit prius Pauli epistolam ad Hebræos, I, 5; in tantum autem Christum quoque verba hæc præferre possunt, in quantum Salomonem, de quo sunt prolata, Christi typus fuit, unde etiam spiritalis eorum significatus, qui Christum exhibet, *delitescere* dicendus est sub sensu litterali, qui exhibet Salomonem.

31. His probe intellectis, quænam inde consequantur, quisque per se discere potest. Ac primo magis ac magis comperimus, quid sensus spiritales tum rerum tum verborum congruant inter se, quidque inter se discrepent. Sensus quippe spiritalis verborum nihil est aliud quam ipse spiritalis sensus rerum verbis occulte expressus. Utrumque autem Scripturæ nobis pandunt, at Scripturis ipsis sive harum verbis ac locutionibus alter solummodo subest, prior vero personis, rebus, eventis ac gestis, quorum in Scripturis mentio fit. Uterque a Spiritu Sancto est; priorem tamen rebus indidit Spiritus Sanctus, non ut auctor est Scripturarum, sed ut est *actor rerum*, sicut loquitur D. Thomas, posteriorem vero Scripturis indidit, ut est præcipuus earum auctor. Præterea prior a Spiritu Sancto ἀμέσως, est nulla alia re interjecta, alter vero interposita litterali verborum significatione, eaque re quæ litterali sensu significatur. Sensus spiritalis rerum a nullius alterius

(1) Sensum translatum verba haud *proxime* præferunt : oritur enim ex sensu *proprio* figuram exhibente; at illum verba præferunt *directe*, quandoquidem mens audientium, sive legentium, recta in rem figuratam fertur.



rei significatione dependet, neque ulli alteri veluti innititur atque inhæret; sensus spiritalis verborum dependet ab horum sensu litterali, quo veluti fundamento superstructus est, ut scribunt Hieronymus, Augustinus, Gregorius et Thomas, ex ea parte quatenus sensus litteralis illud prodit, ex cujus typica significatione spiritalis sensus in verba ipsa derivatur. Denique sensus spiritalis rerum esse potuisset, etsi nullæ unquam exstitissent Scripturæ, quod de sensu spiritali verborum dici non potest.

32. Aliud præterea ex definitione illa discimus. Etenim cum inter sensum litteralem et sensum spiritalem verborum similitudo sive proportio illa intersit, quæ est inter rem per sensum litteralem expressam, et inter rem expressam per sensum spiritalem, prout illa typus est, hæc vero antitypum, necesse est ut verba spiritalem sensum revera exhibeant, sicut revera typus exhibet antitypum. At verba eatenus aliquid possunt exhibere, quatenus in sensum litteralem accepta id sonare possunt; ac proinde, ut exhibere id possint quod proditur per sensum spiritalem, necesse est talia ea esse, quæ a reliquo sermone contextuque orationis divulsa ac seorsum usurpata hoc idem possint, in sensum litteralem saltem translatum accepta, sonare. Id fit, exempli causa, in verbis paulo antea prolatis ex vaticinio Nathanis, quæ, etsi contextus orationis nos cogat tanquam de Salomone dicta intelligere, ipsa tamen per se atque extra contextum illum accepta, Christum perquam apte litterali sensu prodere possunt. Avelle etiam ab Oseæ sermone, XI, 1, verba illa : « Ex Ægypto vocavi filium meum ; » quid in his ita avulsis est, quod, si in litteralem sensum accipiatur, minus rei illi congruat, quam μυστικῶς ea designant? Item historia Isaaci et Ismaelis nonne, si per seipsam consideres tanquam rhetoricam allegoriam, sensum litteralem utique translatum præfert, in quem accepta illud admodum exhibeat, quod contexta cum reliqua Abrahæ historia, Paulo teste, μυστικῶς portendit?

33. Ex ea ipsa porro sensus spiritalis definitione nosces quoque Scripturarum verbis, quæ in sensum spiritalem accipi debent, duos sensus necessario subesse, litteralem, inquam, et spiritalem; neque spiritalem sensum colligi posse nisi ex illis verbis, quorum sensus litteralis aliquam figuram seu typum præbet; inque vicem, quæcumque verba in sensum litteralem sumpta aliquam præbent figuram seu typum, iis sensum quoque spiritalem subesse posse.

34. Insuper, cui ex definitione probe innotuerit natura sensus spiritalis, qui Scripturis inest, haudquaquam eum impedient diversa nomina, quibus Patres sensum hunc appellare consueverunt. Nonnulla subdamus, quæ studiosis sacrarum litterarum putamus satis futura, quominus quemquam eorum in Patribus legendis illa nominum discrepantia remoretur.

Maxime omnium communis ac trita est appellatio sensus *spiritalis*, cujus origo repetenda videtur ex more quodam, qui non prima modo christianæ reipublicæ ætate obtinebat, sed etiam ante illam, ut discimus ex Philone, *De Vita contemplativa*, atque ex iis quæ idem hic narrat de Therapeutis, morem hunc ita describens : « Tota lex hisce hominibus videtur animali similis esse, ac pro corpore quidem habere verborum structuras, pro anima vero invisibilem sensum dictionibus inclusum. » Appellatio autem hæc et ratio distinguendi inter sensum litteralem et spiritalem Pauli auctoritate sancita est, qui de lege agens non semel discrimen urget inter litteram et spiritum, quamvis discrimen hoc aliud sit quam illud quod est inter sensum litteralem atque inter sensum spiritalem. Ratio autem hujus appellationis petita est tum ex præstantia ac sublimitate sensus spiritalis, tum quia sub litterali delitescentem, non tam oculis legentium verba illum subjiciunt, quam menti excogitandum atque inveniendum relinquunt. Animadvertas tamen quod, sicut nomine sensus litteralis Patres nonnunquam proprium duntaxat verborum sensum indicant, ita sensus spiritalis iis est, non ille solummodo sensus de quo nunc agimus, sed et ipse sensus litteralis translatus, quem etiam a Joanne spiritalem vocari videas, *Apoc.* XI, 8; nec raro etiam sensus ille, quem accommodatum dicere solemus; imo sensus ipse litteralis et proprius, qui mysteria resque alias sublimiores exhibet, eo prorsus pacto, quo Christus de verbis quibus eucharistiam promiserat, ait : « Verba quæ ego locutus sum vobis; spiritus et vita sunt, » *Joan.* VI, 64; Augustinus vero de his ipsis verbis : « Quid est : Spiritus et vita sunt? SPIRITALITER intelligenda sunt. Intellexisti spiritaliter? spiritus et vita sunt. Intellexisti CARNALITER? etiam sic illa spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt, » *in Joan.*, tract. 27; habes enim in his antithesim inter *spiritaliter* et *carnaliter*, quæ, quid prius horum sonet, docet te manifesto.

ALERE FLAMMAM VERITATIS

terrogationi respondet Christus, illis exorsus verbis : « Videte ne quis vos seducat, » concludensque illis : « Tunc veniet consummatio ; » tum primæ, suggerens ex Danielis vaticinio indicium urbis proxime delendæ ; demum secundæ : « Tunc, inquiens, si quis vobis dixerit, » etc., ubi illud *tunc* vel nullum tempus definit, ut sæpissime apud Matthæum, vel idem valet ac *postea*, id est post Hierosolymorum reique judaicæ excidium.

## CAPUT II.

**De sensu spiritali verborum.**

Naturam sensus spiritualis paucis in memoriam revocabimus, probaturi deinceps vere subesse Scripturis hunc sensum, tum eas quæstiones soluturi, quæ de eo institui solent, ac demum monita quædam daturi de usu interpretationis spiritualis.

### ARTICULUS I.

*De natura et nominibus sensus verborum spiritalis.*

30. In definitione sensus spiritalis diximus eum sub litterali *delitescere*, quia verba, prout sonant cum reliquo sermone conjuncta et contexta, hoc est, in sensum litteralem accepta, sensum hunc spiritalem præferre minime videntur, quamquam iis re ipsa subsit. Spiritus Sanctus hunc *remote* intendere dicitur; *proxime* enim intendit id quod verba sonant in sensum litteralem accepta, perque hoc ipsum vult illud aliud exprimere, quod sensum spiritalem vocamus, ideoque sensus litteralis medius est inter Spiritus Sancti consilium interque sensum spiritalem. Qui autem fieri possit, ut *directe* simul simulque *remote* id quod verbis exprimit, Spiritus Sanctus intendat, intelliges ex iis quæ de significatione verborum immutatorum directa quidem quamvis remota alias dicta sunt (1). Verba vero solum *oblique* sensum spiritalem præferre dicuntur; mens quippe legentium in illum haudquaquam recta fertur, sed alia via in notitiam illis veniat, necesse est, atque ex aliis Scripturarum capitibus discant eum verbis subesse. Neque sensum hunc verba præferunt nisi *remote*, hoc est, mediis illis rebus quas ipsa significant, in quantum, inquam, ea, quæ exhibentur per litteralem ipsorum verborum sensum, figuræ sunt ac typi id significantes quod per sensum litteralem exhibetur. Rem totam exemplo declaremus. Verba illa : « Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, » II *Reg.* VII, 14, sensum habent spiritalem. Sane Spiritus Sanctus per ea *proxime* intendebat Salomonem designare, cum eorum sensus litteralis Salomonem exhibeat; per id vero quod de Salomone his verbis est locutus, *remote* videlicet, voluit aliquid de Christo edicere. Id tamen *oblique* verba præferunt, quandoquidem qui ea legit, non perspicit alium quemque præter Salomonem illis iisdem verbis commemorari, nisi legerit prius Pauli epistolam ad Hebræos, I, 5 ; in tantum autem Christum quoque verba hæc præferre possunt, in quantum Salomonem, de quo sunt prolata, Christi typus fuit, unde etiam spiritalis eorum significatus, qui Christum exhibet, *delitescere* dicendus est sub sensu litterali, qui exhibet Salomonem.

31. His probe intellectis, quænam inde consequantur, quisque per se discere potest. Ac primo magis ac magis comperimus, quid sensus spiritales tum rerum tum verborum congruant inter se, quidque inter se discrepent. Sensus quippe spiritalis verborum nihil est aliud quam ipse spiritalis sensus rerum verbis occulte expressus. Utrumque autem Scripturæ nobis pandunt, at Scripturis ipsis sive harum verbis ac locutionibus alter solummodo subest, prior vero personis, rebus, eventis ac gestis, quorum in Scripturis mentio fit. Uterque a Spiritu Sancto est ; priorem tamen rebus indidit Spiritus Sanctus, non ut auctor est Scripturarum, sed ut est *actor rerum*, sicut loquitur D. Thomas, posteriorem vero Scripturis indidit, ut est præcipuus earum auctor. Præterea prior a Spiritu Sancto ἀμέσως, est nulla alia re interjecta, alter vero interposita litterali verborum significatione, eaque re quæ litterali sensu significatur. Sensus spiritalis rerum a nullius alterius

(1) Sensum translatum verba haud *proxime* præferunt : oritur enim ex sensu *proprio* figuram exhibente; at illum verba præferunt *directe*, quandoquidem mens audientium, sive legentium, recta in rem figuratam fertur.



rei significatione dependet, neque ulli alteri veluti innititur atque inhæret ; sensus spiritalis verborum dependet ab horum sensu litterali, quo veluti fundamento superstructus est, ut scribunt Hieronymus, Augustinus, Gregorius et Thomas, ex ea parte quatenus sensus litteralis illud prodit, ex cujus typica significatione spiritalis sensus in verba ipsa derivatur. Denique sensus spiritalis rerum esse potuisset, etsi nullæ unquam exstitissent Scripturæ, quod de sensu spiritali verborum dici non potest.

32. Aliud præterea ex definitione illa discimus. Etenim cum inter sensum litteralem et sensum spiritalem verborum similitudo sive proportio illa intersit, quæ est inter rem per sensum litteralem expressam, et inter rem expressam per sensum spiritalem, prout illa typus est, hæc vero antitypum, necesse est ut verba spiritalem sensum revera exhibeant, sicut revera typus exhibet antitypum. At verba eatenus aliquid possunt exhibere, quatenus in sensum litteralem accepta id sonare possunt ; ac proinde, ut exhibere id possint quod proditur per sensum spiritalem, necesse est talia ea esse, quæ a reliquo sermone contextuque orationis divulsa ac seorsum usurpata hoc idem possint, in sensum litteralem saltem translatum accepta, sonare. Id fit, exempli causa, in verbis paulo antea prolatis ex vaticinio Nathanis, quæ, etsi contextus orationis nos cogat tanquam de Salomone dicta intelligere, ipsa tamen per se atque extra contextum illum accepta, Christum perquam apte litterali sensu prodere possunt. Avelle etiam ab Oseæ sermone, XI, 1, verba illa : « Ex Ægypto vocavi filium meum ; » quid in his ita avulsis est, quod, si in litteralem sensum accipiatur, minus rei illi congruat, quam μυστικῶς ea designant ? Item historia Isaaci et Ismaelis nonne, si per seipsam consideres tanquam rhetoricam allegoriam, sensum litteralem utique translatum præfert, in quem accepta illud admodum exhibeat, quod contexta cum reliqua Abrahæ historia, Paulo teste, μυστικῶς portendit ?

33. Ex ea ipsa porro sensus spiritalis definitione nosces quoque Scripturarum verbis, quæ in sensum spiritalem accipi debent, duos sensus necessario subesse, litteralem, inquam, et spiritalem ; neque spiritalem sensum colligi posse nisi ex illis verbis, quorum sensus litteralis aliquam figuram seu typum præbet ; inque vicem, quæcumque verba in sensum litteralem sumpta aliquam præbent figuram seu typum, iis sensum quoque spiritalem subesse posse.

34. Insuper, cui ex definitione probe innotuerit natura sensus spiritalis, qui Scripturis inest, haudquaquam eum impedient diversa nomina, quibus Patres sensum hunc appellare consueverunt. Nonnulla subdamus, quæ studiosis sacrarum litterarum putamus satis futura, quominus quemquam eorum in Patribus legendis illa nominum discrepantia remoretur.

Maxime omnium communis ac trita est appellatio sensus *spiritalis*, cujus origo repetenda videtur ex more quodam, qui non prima modo christianæ reipublicæ ætate obtinebat, sed etiam ante illam, ut discimus ex Philone, *De Vita contemplativa*, atque ex iis quæ idem hic narrat de Therapeutis, morem hunc ita describens : « Tota lex hisce hominibus videtur animali similis esse, ac pro corpore quidem habere verborum structuras, pro anima vero invisibilem sensum dictionibus inclusum. » Appellatio autem hæc et ratio distinguendi inter sensum litteralem et spiritalem Pauli auctoritate sancita est, qui de lege agens non semel discrimen urget inter litteram et spiritum, quamvis discrimen hoc aliud sit quam illud quod est inter sensum litteralem atque inter sensum spiritalem. Ratio autem hujus appellationis petita est tum ex præstantia ac sublimitate sensus spiritalis, tum quia sub litterali delitescentem, non tam oculis legentium verba illum subjiciunt, quam menti excogitandum atque inveniendum relinquunt. Animadvertas tamen quod, sicut nomine sensus litteralis Patres nonnunquam proprium duntaxat verborum sensum indicant, ita sensus spiritalis iis est, non ille solummodo sensus de quo nunc agimus, sed et ipse sensus litteralis translatus, quem etiam a Joanne spiritalem vocari videas, *Apoc.* XI, 8; nec raro etiam sensus ille, quem accommodatum dicere solemus ; imo sensus ipse litteralis et proprius, qui mysteria resque alias sublimiores exhibet, eo prorsus pacto, quo Christus de verbis quibus eucharistiam promiserat, ait : « Verba quæ ego locutus sum vobis; spiritus et vita sunt, » *Joan.* VI, 64 ; Augustinus vero de his ipsis verbis : « Quid est : Spiritus et vita sunt ? SPIRITALITER intelligenda sunt. Intellexisti spiritaliter ? spiritus et vita sunt. Intellexisti CARNALITER ? etiam sic illa spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt, » *in Joan.*, tract. 27 ; habes enim in his antithesim inter *spiritaliter* et *carnaliter*, quæ, quid prius horum sonet, docet te manifesto.

35. Frequente quoque in usu est nomen sensus *mysticus*, quod ideo sensui spiritali factum est, quia aliquid arcanum aut saltem occultum sacrumque præfert, ac proinde frequentius hoc nomen sortitur ille spiritalis sensus, qui mysteria continet resque cœlestes et divinas ; quin etiam ita vocatum reperias sensum litteralem, quo hæc eadem exhibentur.

36. Aliud spiritali sensui nomen est *allegoria*, sive sensus *allegoricus*, sæpe et ipsum usurpatum a Patribus, qui tamen illius notionem haudquaquam, ut recentiores Scripturarum interpretes faciunt, ita contraxerunt, ut indicaret solummodo sensum illum spiritalem, qui christiana dogmata complectitur; imo illorum plerique hoc nomine promiscue designabant tum quemlibet sensum spiritalem, tum sensum litteralem translatum, quamvis nonnulli utrumque ita distinguerent, ut priorem dicerent allegoriam *rerum*, posteriorem *verborum*.

37. Neque infrequens est apud Patres nomen *tropologia* ac sensus *tropologicus*, pro cujus vocabuli duplici notione eo nuncupabant tum sensum spiritalem, qui ad mores informandos pertinet, et quem *ethicum* quoque, sive *moralem* dixere, tum sensum vocum ac locutionum τροπικῶν et translatarum.

38. Occurrunt præterea in scriptis Patrum ad sensum spiritalem significandum, nomina *imago*, *ænigma*, *anagoge*, sive sensus *anagogicus*, sensus item *figuratus*, a Græcis dictus κατὰ σχῆμα, *typicus*, *symbolicus*, *parabolicus*, et κατὰ διάνοιαν, de quorum omnium vi et notione quid sentire oporteat, partim per te judicare poteris, partim intelliges ex iis quæ de hisce nominibus scripsimus, ubi de typis actum est. Sedulo tamen mente retineas nomina hæc, non secus ac superiora, in Patrum scriptis sæpe designare sensum litteralem, qui vel translatus sit, vel sublimiora quædam significans, quandoque autem non ipsum verborum sensum, sed propositum ipsum aut consilium, quod Spiritui Sancto in Scripturis edendis fuit. Neque inutile erit animadvertere sensum κατὰ διάνοιαν proprie vocari, ut distinguitur a sensu κατὰ ῥητόν, sensum vero κατὰ σχῆμα distingui a sensu κατὰ λέξιν, hoc est *proprio*, quæ tamen distinctio minus accurata est, nisi cum sensus κατὰ σχῆμα est sensus *figurarum* rhetoricarum, id est troporum, qui proinde sensus melius κατὰ τρόπον vocaretur.

## ARTICULUS II.

***Sensum spiritalem verbis Scripturarum subesse, inque ea ex typis derivari, demonstratur.***

39. Nunc ulterius procedendum est ac demonstrandum, Scripturarum verbis sensum illum vere subesse, inque ea non aliunde nisi ex typorum significatione derivari, sive in tantum subesse verbis, in quantum subest rebus quas verba hæc in sensum litteralem accepta designant. Primum sponte sua consequitur ex nonnullis eorum quibus typos fuisse confirmavimus ; alterum vel ipsa rei natura declarat. Quare, ut duo illa demonstremus, non longa nobis disputatione opus erit.

I. *Subest Scripturarum verbis sensus spiritalis.*

40. Scripturis spiritalem sensum subesse, ipsæ nos docent. Paulus namque id pronuntiat : « Lex spiritualis est, » *Rom.* VII, 14, id est, habet sensum quoque spiritalem, ut Hieronymus Pauli sententiam interpretatur. Atqui notio legis non ea solum complectitur, quæ lex mandat, sed etiam verba quibus mandata edicuntur. Quare sensus iste spiritalis, non modo rebus a lege præceptis, sed et ipsis legis vocibus subesse Paulo id testante credendus est. De historia Isaaci et Ismaelis hic idem ita scripsit : « Quæ sunt per allegoriam *dicta*, » *Galat.* IV, 24 ; allegoria itaque hæc *dictis* seu *verbis* inest. Verum patet eam allegoriam rhetoricam nequaquam esse, imo, ut scribunt Chrysostomus et Hieronymus, καταχρηστικῶς Paulus nomen hoc usurpavit ; non itaque aliud esse ea potest, quam ipse spiritalis typorum significatus in verba defluens ac per verba occulte exhibitus, qui ἀνάλογος *allegoria* vocari solet.

41. Insuper Scriptores novi Testamenti tanquam de antitypis dicta acceperunt verba quæ de typis dicta sunt ; constat igitur verba hæc etiam de antitypis dicta fuisse. At secundum sensum litteralem de typis solummodo dicta esse potuerunt ; ergo de antitypis dicta sunt secundum sensum spiritalem. Subest itaque verbis illis sensus spiritalis. Quod autem ea tanquam de antitypis dicta acceperint Scriptores novi Testamenti, id manifestum eo fit, quod plerumque hæc referunt



nulla mentione injecta, nullaque habita ratione sive typorum, ad quos ea pertinent, sive, quod idem esset, sensus litteralis quem exhibent. Expende, exempli causa, *Matth.* II, 15 ; XIII, 35 ; XXI, 42 ; *Joan.* XIII, 18 ; XV, 25 ; XIX, 36 ; *Rom.* X, 8 ; *Ephes.* IV, 8 ; *Hebr.* I, 5 ; II, 13. Alia argumenta apud ipsum Patritium vide, *ibid.* p. 220. Conf. tum quæ de typis supra dicta fuerunt, tum Glaire, *Introd. aux livres de l'anc. et du nouv. Testam.*, tom. 1, p. 299 seqq.

II. *Sensus spiritalis in verba ex typis, sive ex spiritali typorum significatione, derivatus est.*

42. Sensus spiritalis in verba Scripturarum ab earum auctore derivatur ex spiritali significatione rerum quas ipsa significant in sensu litterali ; vel, si mavis, verba rem de qua μυστικῶς dicta sunt, designant, auctore Spiritu Sancto, per spiritalem significationem rerum quas exhibent, in sensum litteralem accepta.

Potissimum autem hujus rei argumentum est, quod nulla alia origo, non modo obvia magis magisque probabilis, sed quæ vel ullam probabilitatis speciem præferat, possit sensui spiritali attribui. Quænam enim hæc alia sit ? Quamcumque excogites, hoc ab ea quam indicavimus, differat, necesse est, quod Spiritus Sanctus verba proferens, non *remote*, id est, non alia interjecta significatione, sed *proxime* et ἀμέσως id intenderit, quod sensum spiritalem vocamus. Hoc autem posito, jam nullum quod ad loquentis mentem, superesset discrimen inter sensum spiritalem et litteralem. Num vero aliquod superesset quoad verba ipsa ? Nullum omnino. Sublata enim media illa, quæ rebus ipsis sive verborum materiei inest, significatione, verba nequibunt non præferre ἀμέσως, adeoque etiam *directe* eam quoque rem, quæ spiritali sensu significatur ; at rem hoc pacto præferre proprium est verborum in litteralem sensum acceptorum, nempe alterum est discrimen inter duos hosce sensus. Totum itaque utriusque sensus discrimen id unum foret, quod sensus spiritalis omnino lateat in verbis, quodque erui inde non possit, nisi aliquis alius scriptor θεόπνευστος affirmet eum verbis illis subesse. Id nempe sic habet ; qui tamen cum hoc cohærere possit aliud quod ponitur, spiritalem sensum a verbis *directe* præferri, equidem plane non video. Illud autem præclare video, quod, si id unum duo illi sensus discrepent inter se, tota sensus spiritalis, qui verbis subest, natura in sola obscuritate consistet, nihilque aliud erit spiritalis sensus, nisi quidam sensus litteralis obscurus ; unde et illud incommodi consequetur, ut duo sensus litterales uni eidemque locutioni Scripturarum subesse dicantur, qua de re quid sentire oporteat, jam disputavimus.

43. Hanc porro sententiam qui habent, jure Paulo auctore gloriantur. Hic enim docet *narrationem* de Isaaco et Ismaele esse allegoriam, utique spiritalem ; id autem ipse hoc probat, quod duo illi filii Abrahæ *typi* fuerint duorum Testamentorum : « Quæ sunt per allegoriam *dicta*. Hæc *enim* sunt duo testamenta, » *Gal.* IV, 24. Eamdem et Patribus sententiam fuisse, affirmare non dubitamus. Quid enim sibi voluit Hieronymus memorans « historiæ veritatem, quæ fundamentum est intelligentiæ spiritalis, » *ad Dardan.* epist. 129. Quid Augustinus hæc docens : « Ante omnia tamen, fratres, hoc in nomine Domini et admonemus, quantum possumus, et præcipimus, ut, quando auditis EXPONI SACRAMENTUM SCRIPTURÆ NARRANTIS, QUÆ GESTA SUNT, prius illud, quod lectum est, credatis sic gestum, quomodo lectum est, ne, subtracto FUNDAMENTO rei gestæ, quasi in aere quæratis ædificare, » serm. 72 *de Temp.*; et alio loco : « Tripartita itaque reperiuntur ELOQUIA prophetarum ; siquidem aliqua sunt ad terrenam Jerusalem spectantia, aliqua ad cœlestem, nonnulla ad utramque.... Ideo tripartita, non bipartita, esse dixi ; hoc enim existimo, non tamen culpans eos, qui potuerint ILLIC, » id est, in illis eloquiis, « de quacumque re gesta sensum intelligentiæ spiritalis exsculpere, servata primitus duntaxat historiæ veritate, » *De Civ. Dei*, lib. XVII, cap. III. Quid Gregorius Magnus hæc scribens : « Spiritales fructus allegoria germinet, quos tamen ex radice historiæ veritas producit, » *in Job*, lib. VI, cap. I ; itemque hæc : « In VERBIS sacri ELOQUII, fratres charissimi, prius servanda est veritas historiæ, et postmodum requirenda spiritalis intelligentia allegoriæ. Tunc namque allegoriæ fructus suaviter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur, » hom. 40 *in Evang.* Quid Patres alii, qui his similia scripserunt ? Quid, inquam, nisi sensum spiritalem verborum ex spiritali sensu rerum emanare ?

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Eo autem securius in hac sententia perstamus, quod huic eidem plenissime Thomæ auctoritas suffragatur. Quædam ejus verba, quæ huc spectant, superius retulimus; alia nonnulla nunc referre operæ pretium esse existimamus: « Actor.... rerum, non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam res potest disponere in figuram alterius; et SECUNDUM hoc in sacra Scriptura manifestatur veritas dupliciter. Uno modo, secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit sensus litteralis; alio modo, secundum quod res sunt figuræ aliarum rerum, et in hoc consistit sensus spiritualis. Et sic sacræ Scripturæ plures sensus competunt, » *Quodlib.* VII, art. 14. « Sensus spiritualis *semper* fundatur supra litteralem, ET PROCEDIT EX EO, » *ibid.* « Significatio, qua PER hujusmodi RES Christus aut ejus membra significantur, facit alium sensum præter historicum, scilicet allegoricum, » *ibid.* art. 15. « Dicendum quod spiritualis sensus sacræ Scripturæ accipitur EX HOC, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, » *ibid.* art. 16.

## ARTICULUS III.

### *Quæstiones aliquot de spiritali sensu verborum.*

**I.** *De spiritalis sensus speciebus.*

44. Versatur hæc quæstio tum circa modum, quo verba in spiritalem sensum accepta aliquid significant; tum circa id, quod eo modo significatur.

Verba tunc etiam, quum in spiritalem sensum accipiuntur, non secus ac fit, quum accipiuntur in sensum litteralem, vel propria sunt vel translata. Hinc sensus quoque spiritalis, si modum spectes quo verba illum exhibent, alius proprius est, alius translatus. Proprius dicitur, quum verba id, quod cum reliqua oratione contexta spiritali sensu significant, ab ea divulsa possent litterali et proprio sensu significare. Quod si litterali quidem sensu, sed translato ipsa per se ac seorsum accepta significare illud possent, sensus spiritalis et ipse translatus dicendus est. Facile itaque intelliges proprium esse sensum spiritalem illorum verborum: « Nec os illius confringetis, » *Exod.* XII, 46; *Joan.* XIX, 36, atque illorum: « Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, » II *Reg.* VII, 14; *Hebr.* I, 5; translatum vero, qui his subest: « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, » *Psalm.* CXVII, 22; *Matth.* XXI, 42.

45. Sin autem spectes id, quod verbis in spiritalem sensum acceptis significatur, alias jam diximus moris esse interpretum sensum spiritalem triplici forma distinguere, prout vel credenda, vel speranda, vel agenda attingit, ac pro triplici hac forma alium vocare sensum *allegoricum*, alium *anagogicum*, alium *tropologicum*; quarum nominationum κυριολογία quæ et quanta sit, etiam expendimus. Apposite magis diversas spiritalis sensus formas pro diversitate rei significatæ dispertiremus, ut typos ipsos sive sensum spiritalem rerum, in sensum *propheticum*, *anagogicum* et *tropologicum*, quæ partitio videtur consentanea magis iis, quæ apud Patres de diversis spiritalis sensus speciebus scripta legimus. Nihilominus a vetustioribus Patribus, Origene præsertim et Hieronymo, duplex hujus sensus forma solet distingui, quarum una duas priores ex tribus illis complectitur, altera tertiæ respondet; hanc alteram sensum ἠθικόν, *tropologicum*, aut etiam *moralem* illi dixerunt, illam vero *anagogicum*, *mysticum*, *spiritalem*.

Alias quoque sensus spiritalis partitiones reperias apud Scriptores, qui de bibliis agunt; si tamen recte intellexeris hujus sensus definitionem, diversas formas, in quas sensum hunc illi partiuntur, nullo negotio comperies vel ad eas, quas enumeravimus vel ad sensum litteralem aut accommodatum, vel ad sententiarum consectaria, esse revocandas.

**II.** *Quatenus spiritalis verborum significatio porrigatur.*

46. Quum sensum spiritalem verborum ex typis originem ducere demonstraverimus, pro typis autem nequaquam habenda esse singula, quæ in Scripturis continentur, præjudicata res est non quibusque Scripturarum partibus spiritalem sensum subesse. Verum, omissa ea origine, quam sensui spiritali verborum omnes tribuunt, res hæc aliis argumentis probari potest. Quæstionem autem, non ad integras solum Scripturarum partes, puta, ad integras narrationes, sive ad integros psalmos, sed etiam ad singulas sententias, ad singulas voces, ad litteras singulas, nonnulli



extendere solent. Nos vero, quid de litteris deque singulis vocibus sentiendum sit, postquam paucis exposuerimus, de reliquis accuratius disseremus.

47. Itaque aio, nihil mysticum nullumque spiritalem sensum litteris subesse. Cui veritati demonstrandæ vel ipsa contrariæ sententiæ futilitas ineptiæque, quibus ea scatet, satis sunt. In mysticum hunc, qui nullus est, litterarum sensum venando Judæi præsertim desudarunt kabbalæ illi addicti, quam « spuriam, impuram, anilem, et febriculosam, » lepide dixit Glassius, *Philol. sacr.* lib. II, P. I, a quo etiam, si vacat ac lubet, sive ab aliis non paucis, quid rei kabbala sit, poteris ediscere. Judæi hujus operis socios Christianorum aliquot habuere. Hi vero frustra Hieronymi auctoritatem obtendunt, seseque illis Hieronymi verbis tuentur: « Singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus, » in epist. *ad Ephes.* III, 6, quorum germanam sententiam mox edicemus.

48. Sed neque singulis Scripturarum verbis subesse sensum spiritalem vel ideo credere compellimur, quia non singula verba ὥσπερ θεόπνευστα habeantur, aut haberi possint. Adde, sæpe nos dubios hærere, in aliqua enuntiatione Scripturarum quænam vox ex diversis, quas codices discrepantes exhibent, germana sit. Quin, si rem penitus introspicias, pervidebis neque ullum posse huic quæstioni locum esse. Vel enim voces consideramus, ut sunt aliis junctæ et contextæ in una eademque enuntiatione, vel seorsum singulas ac per se ipsas. Si primum fiat, jam non de singularum vocum sensu quærimus, sed enuntiationis totius; nam sensus inde elicitus, non vocum singularum, sed integræ enuntiationis est, quum sæpe vocibus quibusdam immutatis sensus tamen tum litteralis tum spiritalis integer maneat, ut in illo Exodi: « Nec os illius confringetis, » *Exod.* XII, 46, quod in Numeris ita legitur: « Os ejus non confringent, » apud Joannem vero: « Os non comminuetis ex eo. » Sin autem voces singulas seorsum ac per se ipsas spectes extraque sermonis contextum, nisi forte si nomina propria sint, jam non sensum aliquem tibi exhibebunt, qui ex integra solum enuntiatione elici potest, sed meram rei unius notionem vagam plerumque atque indefinitam; quare neque ullum ex ea sensum spiritalem exspectare est. Quis enim sensus, non spiritalis modo, sed vel litteralis certus ac determinatus insit verbis *esse*, *habere*, *loqui*, *facere*, *stare*, *venire*, etc.; sive nominibus *terra*, *mons*, *flumen*, *populus*, *urbs*, *domus*, etc.? Dices fortasse nomen *domum*, exempli gratia, in Scripturis μυστικῶς ecclesiam designare *populum* vero Christianos. At, si id putas, jam vides te non vocem singillatim accipere, sed adjectis annexisque aliarum quoque vocum notionibus. Num autem verba illa Salomonis: « Ibit homo in *domum* æternitatis suæ, » *Eccle.* XII, 5, de Ecclesia dicta credas, aut de Christianis illa Mosis: « Hæccine reddis Domino, *popule* stulte et insipiens? » *Deut.* XXXII, 6.

49. Superest itaque, ut quæramus, an singulis Scripturarum enuntiationibus ac sententiis aliqua spiritalis subsit significatio, quam præter sensum litteralem ab auctore Spiritu Sancto esse constet. Qui ita sensere, *Figuristæ* vocati sunt, quorum plures et inter Reformatos sunt reperti, Cocceium ducem secuti. *Figurismi* inter Christianos invehendi plures causæ exstitere. Credita quippe est, quamvis falso ac perperam, doctrina hæc, non modo Patrum, sed et Scriptorum novi Testamenti, Pauli præsertim, auctoritatibus commendari. Opinio insuper, quod vel singula Scripturarum verba θεόπνευστα forent, contemptus quidam inconsultus eorum, quæ in scientiis simpliciora ac planiora videbantur, quodque inde consequens erat, ineptum earum rerum studium, quæ aliquid mirabile atque extraordinarium putantur præ se ferre, nec non ipsa Judæorum in Scripturis exponendis ratio et consuetudo, ad doctrinam hanc sectandam homines impulerunt; quanto autem cum incommodo ac veritatis detrimento, satis notum est. Hinc enim sensus arbitrarii nonnunquam Scripturis affieti ac veluti Sancti Spiritus oracula venditati. Hinc inepta argumenta sanctissimis religionis veritatibus ac præceptis comprobandis petita. Hinc data hujus ejusdem religionis hostibus ansa, ut vel divinos libros aspernarentur, atque irriderent, vel calumniam nobis struerent, veluti si ea ipsa veneraremur, quæ aliqui ex Patribus in Scripturarum interpretatione peccarunt, vel illud effutirent christianam doctrinam metaphoris atque allegoriis totam contineri iisque inniti. Lege Lyranum, Fleuryum, *Dissert. V sur l'histoire ecclés.*, § 11, 12, et Bergierum, *Diction. de théologie*, v. *Figure*. Negare quidem haud possumus fuisse inter Patres, non tamen adeo multos, ut quidam Protestantes præsertim contendunt, sed paucos omnino, qui mysticam interpretationem ulterius, quam par esset, extenderent, quosque ideo putes Figuristis favisse; imo



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fuerunt etiam, qui præceptis atque regulis, quas scripto consignarunt, figurismum docuisse aliter legentibus videri possent, hosque inter Hieronymus, cujus verba nonnulla paulo ante, alia vero superius, n. 22, retulimus. Nihilominus, singulis Scripturarum enuntiationibus spiritalem sensum subesse, quum auctoritas nulla sit, quæ nos id credere cogat, ratio vero id minime credere etiam suadeat, secure negamus.

50. Nec majus negotium nobis facessunt testimonia Patrum in hanc sententiam a quibusdam congesta, quæ plerumque de sensu spiritali rerum, non autem verborum, dicta sunt. Quibus testimoniis etsi vinceres omnibus tum personis, tum rebus, tum eventis in sacro volumine memoratis, spiritalem inesse sensum, non ex hoc sequeretur subesse quoque singulis enuntiationibus, quum harum plurimæ neque personam ullam attingant, neque rem, neque ullum eventum. Cæterum, an Patribus tam late patuerit vel ipse spiritalis sensus rerum, jam examinavimus. Si quæ vero Patrum dicta favere reapse videntur sententiæ, quam impugnamus, satis tamen non sunt ad illam confirmandam. Primo enim neque adeo multa sunt adeoque perspicua, ut sententia illa Patribus communis fuisse putari debeat, aut etiam possit, inque eam fidem convenisse dicendi sint. Tum eos hac de re oratorie atque ὑπερβολικῶς locutos esse facile perspicias. Ecquis enim in illis Hieronymi verbis paulo ante transcriptis hyperbolam Hieronymo haud infrequentem continuo non agnoscat, quam vel ipsa enuntiatio prodit manifesto? Quid enim? Num suspicabimur Hieronymum sensisse reapse singulis syllabis, singulis litteris Scripturarum, non dicam plures, sed vel unicum sensum subesse? Memineris præterea nominationem *sensum spiritalem* aliasque hujusmodi in scriptis Patrum incertas et vagas esse, atque, ut fert orationis contextus, definiendas; ubi vero affirmasse videntur nullam Scripturarum particulam carere sensu spiritali, nihil aliud eos sibi voluisse, nisi illud, quod Apostolus Timotheum docuit his verbis: « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, » etc. II *Tim.* III, 16.

Quid vero quod nobis aliisque ita sentientibus Patres non pauci nec parvi nominis adstipulantur? Expresse aut saltem implicite id præstant Tertullianus, Origenes, Hilarius, Basilius, Nazianzenus, Augustinus, Gregorius Magnus, Thomas, quorum testimonia jam retulimus. Alios nonnullos his adjungemus. Origines hæc scripsit: « Quid opus est in his allegoriam quærere, quum ædificet etiam littera? Ostendimus ergo esse quædam, quæ omnino non sunt servanda secundum litteram legis, et esse quædam, quæ allegoria penitus immutare non debet.... Ostendimus, ut opinor, auctoritate Scripturæ divinæ, ex iis, quæ in lege scripta sunt, ALIQUA penitus refugienda esse et cavenda, ne secundum litteram ab evangelii discipulis observentur, QUÆDAM vero omnino, ut scripta sunt, obtinenda, ALIA autem, habere quidem secundum litteram veritatem sui, accipere tamen utiliter et necessario etiam allegoricum sensum, » *in Num.* hom. 11. Epiphanius: « Divina OMNIA verba NON ad allegorias referenda, sed, ut se habent, accipienda sunt, » *Hæres.* 61. Gregorius: « Sententiæ... nonnullæ vero ita exterioribus præceptis inserviunt, ut, si quis eas subtilius penetrare desiderat, INTUS quidem NIHIL inveniat, sed hoc sibi etiam, quod foris loquuntur, abscondat, » *Moral.* lib. XXI. Thomas, qui Augustinum contestatur: « In quibusdam sensus LITTERALIS quærendus est SOLUS, » *Quodlib.* VII, art. 15.

51. Ratio vero sententiæ, quam defendimus, cui non optima videatur? Quinam enim sensus spiritalis præter litteralem inesse dicatur, exempli causa, prophetiis, quibus Christus aut novum testamentum prædictum est? puta, illis Jacobi verbis: « Non auferetur sceptrum de Juda, » etc.; aut illis Isaiæ: « Ecce virgo concipiet, » etc.; aut illis Jeremiæ: « Feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, » etc.; aut illis Michææ: « In novissimo dierum erit mons domus Domini, » etc.; aut illis Zachariæ: « Ecce rex tuus veniet, » etc. Quinam spiritalis sensus sit eorum, quæ de cœlesti beatitudine scripta sunt, quem neque Thomas (ibid.) agnoscit? Quemnam præter litteralem tibi exhibeant vel decalogi præcepta, vel sententiæ perplurimæ, quæ tum in lege, tum in psalmis, tum in prophetis, habentur, moribus duntaxat conformandis accommodatæ? Quid proverbia Salomonis aut Siracidæ? Quid illæ historiarum partes, quibus vel anni, quos patriarchæ vixere et quibus liberos generare cœperunt, vel genealogiæ continentur? Non itaque singulis Scripturarum partibus spiritalem sensum subesse putandum est.



## III. *An novum Testamentum habeat sensum spiritalem.*

52. De hac quoque re, quæ modo in quæstionem venit, an novi Testamenti libris subsit sensus spiritalis præjudicium jam factum est, quum probaverimus sensum hunc ex typis in verba derivari, nullos autem typos, saltem post adventum Spiritus Sancti, [illegible] novi fœderis adjunctos fuisse. Illud tamen aliis quoque rationibus comprobabimus, præmonentes ab hac questione evangelia esse seponenda, utpote quibus ea contineantur, quæ maxima ex parte gesta fuerunt vetere adhuc obtinente Testamento.

Etenim, qui id, de quo nunc quærimus, affirmandum censent, indubitata res est, nullum prorsus eos habere a Scripturis ipsis, id est, a Scriptoribus novi Testamenti, suffragium. Quæcumque enim ex horum testimonio colligere est, quæ ad sensum spiritalem defendendum conducant, omnia ad illum duntaxat pertinent, qui subest libris veteris Testamenti; neque ulla in novo Testamento verba reperias, quæ hi in spiritalem sensum acceperint.

53. Ex Patribus, qui expressis verbis id neget, quod nos negamus, doceatque sensum spiritalem reliquis novi Testamenti libris præter evangelia minime subesse, dubito an aliquem sis producturus; qui vero secus sentire videntur, nonnullos deprehendas. Si tamen illud sedulo attenderis, cujus in hisce quæstionibus de sensu spiritali nunquam non maxime refert meminisse, quodque nunquam nimis inculcatur, sensum, quem Patres spiritalem vocant, non semper id genus esse, qui præter litteralem verbis a Spiritu Sancto subjectus est, sed vel ipsum sensum litteralem, qui mysteria ac sublimiora quædam dogmata exhibet, aut exempla suppeditat, aut symbolicus sive figuratus est, vel sensum accommodatum, vel piam aliquam commentationem, qua ex ipso sensu litterali sive ex ipsa Scripturarum sententia aliquid illi inferunt, atque concludunt, moribus erudiendis recteque informandis opportunum, si id, inquam, attenderis, facile etiam perspicies, probari non posse Patres adversari potius quam suffragari sententiæ huic, ac levi negotio ea diluos, quæcumque ex Patrum scriptis deprompta, etsi minus expensa, solent opponi. Etenim pervolve commentarios sive Chrysostomi de Actis Apostolorum, quæ is unus e Patribus vetustioribus explanavit, sive ejus atque aliorum de Apostolorum epistolis, sive eorum, qui aliqua de Apocalypsi scripserunt, et vix quidquam te ex illis corrasurum arbitror, quo contrariæ sententiæ opem feras. Equidem hæc lego de Actis Apostolorum apud Chrysostomum: « An historia tantum hoc opus, et spiritu vacat? nequaquam, » hom. 1 *in Act.*; sed manifestum fit ex orationis serie et contextu in his *spiritum* nihil aliud designare quam [illegible]. Præterea, quæ testimonia Patrum produximus, quum quæsitum fuit, an typi sint in novo Testamento, num non illa credere suadent, etiam quod attinet ad præsentem quæstionem, Patres secus ac nos nequaquam sensisse?

Sed et alii quoque sunt magni nominis auctores, quos nobiscum sentientes habemus, quandoquidem docuerunt rariores omnino typos in novo Testamento, rarioremque apud hujus Scriptores inveniri sensum verborum spiritalem, cumque novum Testamentum dicunt, etiam evangelia connumerant, atque ex evangeliis pauca illa petunt, quæ in exemplum afferre solent. Lege Cornelium a Lapide, *Encom. Scripturæ*, § 24, et *De Epist. Pauli*, can. 6; Serarium, *Prolegom. bibliac.*, c. XXI, q. 8; Bonfrerium, *Præloqq.*, c. XX, sect. 3; Molinam, *In Thom.* I, q. 1, art. 10, disp. IV; quibus adde Tostatum, qui negat *allegorias* haberi in novo Testamento, *In Matth.* XIII, q. 28.

54. Concludimus itaque, si sensum spiritalem eum esse accipias quem definivimus, qui, inquam, præter litteralem verbis ac locutionibus revera subest ex divini auctoris proposito, non exstare talem sensum in iis novi Testamenti libris, qui alia complectuntur, quam quæ Christi mortem, aut ad summum quæ adventum Spiritus Sancti præcessere. Sin autem sensum spiritalem dicas id quod est veluti consectarium sententiarum in illis libris descriptarum, quodque commentando atque concludendo inde colligimus, nemo tibi negabit id recte colligi ex illis posse, ut Patres colligere solebant.

## IV. *An significationi spiritali vis argumenti insit.*

55. Argumentis ex spiritali significatione petitis vim ullam inesse negant nonnulli, plerique affirmant. Lis autem plane dirimitur, si quæstionem περὶ δογμάτων ab ea dividas, quæ est περὶ πράξεως,

Utramque ergo separatim habebimus, atque agemus primo de vi argumentorum, quæ sensus spiritalis suppeditat, tum de horum usu.

*1° Adseritur vis illa significationi spiritali.*

56. Spiritalibus significationibus, æque ac litteralibus, vim illam inesse, Scripturæ ipsæ nos docent; hoc enim argumentorum genere ipsos Scriptores bibliorum adeoque Christum ipsum usos fuisse jam vidimus. Sed et ratio manifesta est, quæ nos id credere compellit, eaque est spiritalis sensus æque ac litteralis Spiritum Sanctum auctorem esse, ideoque religioni æque habendum, ne sive prioris sive posterioris auctoritatem detrectemus. Enimvero, qui secus sentiunt, negent etiam, necesse est, sensum ullum spiritalem in Scripturis sacris exstare. Si enim exstat, auctorem alium habere nequit nisi Spiritum Sanctum; si talem habet auctorem, nequit non esse certissimus; si certissimus est, ineptus esse non potest, ex quo argumenta petantur.

57. Qui contra sentiunt, rationibus atque auctoritatibus sententiam nostram oppugnant, suamque tuentur. Etenim illis quæ ex vetere Testamento deprompta affirmavimus a Scriptoribus novi Testamenti in spiritalem sensum accepta fuisse, atque ita accepta in argumentum fuisse usurpata, negant ullum reapse subesse sensum spiritalem. Si causam eos roges, aiunt se id negare hoc ipso, quia Scriptores illi ex hujusmodi locis argumenta petunt. At qui ita ratiocinatur, patet eum illud peccare, quod *circuitionem* vocant dialectici, atque id ponere quod in quæstione versatur. Neque magis eos juvat hæc alia ratio, inutile esse argumentum depromptum ex sensu spiritali, quia, ut Thomas docet, etsi in aliam sententiam, « nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat, » I, q. 1, art. 10, ad 1. Ratio enim ista non illud attingit, quod nunc quærimus, an vis argumenti insit sensui spiritali, sed illud de quo postea quæremus, usum, inquam, hujusmodi argumentorum. Cæterum, si hæc adversariorum ratiocinatio rem universe atque absolute conficeret, dicere etiam necesse foret, argumentum petitum ex aliquo Scripturarum capite in sensum litteralem accepto inutile esse, quoties eadem res litterali aliorum capitum sensu probari potest: quo quid ineptius?

Neque magis proficiunt auctoritatibus quas producunt, Dionysii Areopagitæ, Irenæi, Epiphanii, etc. Nam horum Patrum allegata testimonia, si attente ponderentur, salvam omnino sententiam nostram relinquunt, ut videre est apud Patritium, *ibid.* p. 236 seqq.

*2° De usu argumentorum quæ ex sensu spiritali peti possunt.*

58. Etsi argumentis ex spiritali sensu petitis nequeat non inesse ea vis quam iis tribuimus, hisque Scriptores novi Testamenti atque ipsum Christum usos esse pro comperto sit, nunc tamen hujusmodi argumenta vix ullum usum habent in theologia. Sensus enim spiritalis, ex quo argumenta quis ducere vellet, vel certus est vel dubius.

Ex significatione spiritali, quæ certa plane atque indubia non est, liquet argumentum ἀποδεικτικὸν duci non posse. Sic, exempli causa, arbor vitæ a Deo satus in medio paradiso typus fuisse fertur eucharistiæ, quod sane cur neges, ratio nulla est; non tamen adeo hac de re certi sumus, ut illis quæ de arbore hac a Moyse narrantur, comprobare possis effectus eucharistiæ eos esse, quos credere jubemur.

59. Ubi autem spiritalis aliqua significatio certa est atque indubia, hoc plerumque ideo fit, quia aliquis alius e Scriptoribus bibliorum hanc nos docet, ideoque duo sunt loci, unde ea colligi potest, unus, quo ipsius auctoris verba leguntur, alter, quo μυστικῶς explicantur ad aliquid declarandum vel comprobandum; in priore tamen significatio illa latet, patet vero in posteriore: quamobrem, cum par sit utriusque auctoritas, siquidem significationem hanc ad aliquid declarandum aut probandum et nos urgere velimus, eam petemus potius ex loco quo patet, quam ex illo quo latet. Sed argumentum petere ex loco quo ea patet, hoc est, ubi scriptoris ipsius θεοπνεύστου verba interpretatur alius scriptor θεόπνευστος, id ad unum atque idem recidet, ac petere argumentum, non tam ex illius quam ex hujus auctoritate; sic enim nihil aliud facimus, quam ut hujus verba aut sententiam repetamus. Adeoque tota vis argumenti, non tam ab ipsa illa significatione, quam ab hujus ejusdem scriptoris auctoritate dependebit, ipsumque argumentum tibi suggeret locus, non cui significatio illa veluti latens subest, sed quo scriptor iste illam tibi aperit. Atque huc spectare videntur verba Thomæ : « nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat. » Exemplo sit oraculum de Salomone prolatum : « Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, » II *Reg.* VII, 14. Quis hæc, ut in libro secundo Regum leguntur, de Christo, utique secundum sensum spiritalem, dicta esse intelligeret, nisi nos Paulus, *Hebr.* I, 5, certiores fecisset? Si itaque Christum Dei Filium esse his comprobare instituas, ea usurpabis procul dubio, non ut quæ a Nathane ad Christum Deum significandum prolata fuerint, sed ut quæ a Paulo relata atque in hunc sensum accepta : quo vides argumentum in Pauli ipsius auctoritate consistere.



60. Ne vero illud reponas, quod, si res sic se haberet, etiam alia argumenta ex sacris Scripturis petita, cum horum sensum Patres nos docent, in Patrum auctoritate consistere dicenda forent, eaque non tam ex Scripturis sacris quam ex Patrum testimonio duci. Ne id, inquam, reponas. Etenim in tantum vis argumenti ex spiritali aliqua significatione petiti, ad testimonium alius e Scriptoribus bibliorum, qui nos hanc significationem docet, revocari dicenda est, in quantum una eademque est divina auctoritas omnium Scriptorum θεοπνεύστων, imo unus atque idem est Scripturarum omnium sacrarum auctor Spiritus Sanctus; proinde non secus fit, ac cum quis argumentum ducere vellet ex alicujus scriptoris, puta Platonis aut Aristotelis, verbis obscurioribus, quæ scriptor ipse alio loco declararet : argumentum enim hujusmodi non ex eo loco ubi verba illa leguntur, sed ex eo ubi declarantur, petitum foret. Verum aliter res se habet, cum argumenta depromimus ex Scripturarum sacrarum verbis in aliquem sensum acceptis, quem a Patribus didicimus. Neque enim una atque eadem est Scriptorum qui hæc verba protulere, et Patrum qui ea interpretantur, auctoritas; quandoquidem etsi, cum Patres omnes in aliquem sensum ex Scripturis eruendum consentiunt, nequeat sensus hic non verus haberi, non tamen tale momentum Patrum sententiæ ideo inest, quia divino numine afflati fuerint, ut fuere Scriptores bibliorum, sed quia testes sunt eorum quæ de bibliorum interpretatione ac sensu Ecclesia omni ætate docuit. Proinde consistet utique in Patrum auctoritate vis illius argumenti, quo probare velles hanc illamve significationem quibusdam Scripturarum verbis vere subesse, idque ipsis Patribus credimus; ast, veram esse rem verbis illis significatam, credimus ipsi scriptori θεοπνεύστῳ, visque argumenti ex horum verborum significatione deprompti, ad rei significatæ veritatem comprobandam, in hujus ipsius auctoritate consistit. Patet itaque ab re esse illud quod nobis opponitur.

61. Cæterum, quod affirmamus, argumenta ex spiritali sensu ducta vix ulli usui nunc esse in theologia, monemus id verum esse tunc solum, cum illud ipsum comprobandum est, quod per sensum spiritalem exhibetur, ut facile intelliges ex exemplo superius posito. Secus tamen est, si significationes spiritales ex ea parte consideres, qua aliquid futurum portendunt; tunc enim, etsi alius e Scriptoribus bibliorum illas nos doceat, eæ tamen ipsæ per se, æque ac cætera vaticinia, illud argumentorum genus suppeditant, quod a rerum futurarum prædictione duci solet. Exempli causa, illa verba *Exod.* XII, 46 : « Nec os illius confringetis, » μυστικῶς significabant futurum, ut Christo crura non confringerentur; hanc vero significationem didicimus a Joanne. Ideoque si illis verbis confirmare aggredereris Christo crura nequaquam fuisse confracta, usurpare ea deberes, non ut quæ a Moyse prolata, sed ut quæ a Joanne relata atque in eum sensum accepta sunt, quo non Moyses, sed Joannes argumentum tibi suggereret; at, si probare velles illud quod factum narrat Joannes, prædictum olim fuisse a Moyse, plane id conficeres proposita spiritali illorum verborum significatione.

Præterea recte animadvertit Molina, « licet singuli sensus spiritales (ii videlicet qui minus certi sunt) probabile duntaxat sint argumentum ad confirmandas res fidei, attamen consonantiam tot figurarum veteris Testamenti, quibus adeo ad vivum delineatæ ac expressæ sunt res novi Testamenti, esse non leve argumentum ad confirmationem fidei, quo etiam contra infideles uti possumus. » Eadem hæc jam protulerat Augustinus : « Et ex illis quæ figuris involuta sunt, si quædam velut sub uno aspectu quasi contexta ponantur, ita conjungunt in contestatione Christi voces suas, ut cujusvis obtusi surditas erubescat, » *Contra Faustum*, lib. XII, cap. VII

V. *An prophetiæ sint quibus præter litteralem, spiritalis quoque sensus subsit.*

62. Famosum, mala utique fama, est Grotii inventum, quod ad prophetas interpretando

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gitavit. Prophetias τυπικάς esse, ac duos proinde esse earum sensus : proximum unum et minus nobilem, quo typos ipsos; remotum alterum et sublimem magis, quo Christum resque hujus eæ designant. Inventum istud edisserit in commentariis quibus Matthæum illustravit, eique adhæret in interpretatione veteris Testamenti, quoties aliqua prophetia explananda est, si paucas prorsus exceperis, per quas Christum tantummodo significari, haudquaquam potuit inficias ire. Quam misere res cesserit Grotio, quamque invitis omnibus artis hermeneuticæ legibus ac regulis propositi tenax is fuerit, ejus commentaria volutantibus nequit non illico apparere. Lege, exempli causa, quæ adnotavit in Isaia, c. LIII, et in Michæa, c. v, 2. Hæc tamen Grotiana placita non modo amplexus esse, sed et latius longiusque extendisse, omnique limite liberasse videtur Pascal, cujus verba, fatear equidem, miratus sum ita relata haberi in bibliis Lutetiæ dudum editis, *La sainte Bible de Vence*, tom. XIII, *Préface générale sur les prophètes*, p. 25, inque annotationibus quæ leguntur in fine operis editi a Duclotio, *La Bible vengée*, ut etiam Pascalis sententia probetur atque accipiatur. Pascalis verba sic habent : « Si prophetiæ unicum sensum habere creduntur, CERTUM EST Messiam nondum advenisse; si duplicem habent, certum est advenisse eumque esse Jesum Christum, » *Pensées*, c. XIII, n° 2. Audacius enimvero! quod tamen non hujus loci est refutare; quamvis ad hujusmodi commentum refutandum, vel unicum sufficeret vaticinium a Daniele prolatum de septuaginta hebdomadibus. Audeat enim Pascal, et, siquidem hebdomadas illas annis constare, non diebus, nobiscum sentit, aliam inde sententiam extundat præter designatam ætatem, qua Christus esset adventurus. Quod si ætatem hanc designat Daniel, licet solum præterea que nihil, num non hæc prophetia, quantumvis unicus illi sensus subsit, satis superque sit, ex qua certo concludamus Messiam advenisse, nullumque alium hunc esse nisi Jesum Christum?

Communis itaque ac certissima sententia, quam sequamur oportet, utpote quæ Patrum omnium fuit, est maximam ac potissimam prophetiarum partem, quæ priore fœdere obtinente editæ fuerunt, ad Christum resque hujus directo, proxime atque solummodo pertinere. Vid. Bergier, *Dictionnaire de théologie*, v. *Prophétie*. Nihilominus negari nequit aliquas illarum fuisse τυπικάς, quibus, inquam, et typus prædiceretur secundum earum sensum litteralem, et per typum, hoc est secundum sensum spiritalem, simul prænuntiaretur antitypum. Vid. Bossuet, *Supplenda in Psalm.*

N. B. Laurentius Bauerus in primis adversus sensum spiritalem disseruit, opere cui titulus, *Hermeneut. sacr.* §§ 8, 9, etc. Sed ita loquitur, ut qui ponat sensus spiritalis originem a consilio ipsius Scriptoris nos repetere : hinc sensum illum iis argumentis impetit, quibus probari solummodo posset, Scripturis duplicem sensum litteralem non esse adscribendum. Neque attendit, Patribus sensum litteralem sæpe non esse alium nisi proprium : hinc et ipse ea, quæ Patres loquuntur de sensu translato, quem spiritalem vocant, ita accipit, tanquam si loquerentur de vero ac proprie dicto sensu spiritali, falsoque contendit sensum spiritalem sectantes destruere litteralem.

## ARTICULUS IV.

### *Monita de usu interpretationis spiritalis.*

63. Quæcumque de sensu spiritali disputata hactenus sunt, satis cuique futura esse arbitramur, ex quibus memor illius Augustinianæ sententiæ : « Inutiliter signa interpretari male vagantis erroris est, » *Doctrina christ.* lib. III, cap. IX, discat qua se ratione gerere debeat in hujusmodi sensu eruendo, quid hac in re præstare, quid cavere ipsum oporteat. Non tamen dubitandum est, quin studiosorum commodis prospecturi simus, si præcipua ex illis in summam colligamus, atque ad certa veluti capita redigamus. Itaque, positis prius certis quibusdam principiis huc spectantibus, indicia atque argumenta suppeditabimus, quibus sensum spiritalem, ubi latet, deprehendere ac dignoscere, atque inde eruere possimus; tum vero quænam in mystica interpretatione attendere, quænam vitare potissimum oporteat, edicemus.

I. *Principia quædam ponuntur.*

64. Subesse sensum spiritalem tum materiei, tum verbis Scripturarum quamvis indubium sit, si de illis generatim loquaris, non tamen de singulis id certo affirmari potest. Eam ob rem sensum spiritalem, quem rebus aut verbis quibusdam subesse certo constat, apprime cauteque distinguendum esse ab eo quem vel argumentis non omnino certis, vel solum conjectando ex rebus aut verbis colligimus. Quibus porro indiciis certa ab incertis secernamus, ea mox proponentur. Id interea in mystica interpretatione cum primis positum sit, ut nil sanctius atque antiquius habeamus, quam ne veluti Spiritus Sancti effata atque oracula venditemus, quæ talia fortasse nequaquam sunt.



65. Spiritalis iste sensus verbis subesse in tantum potest, in quantum subest æque illis ipsis rebus quas eadem hæc verba designant. Unum itaque atque eumdem esse apparet spiritalem verborum ac rerum per hæc designatarum significatum. Utque spiritalis rerum significatus similitudini alicui aut proportioni, quæ inter res ipsas seu typos atque inter antitypa intercedit, ita spiritalis sensus verborum ipsi horum sensui litterali cuidam veluti fundamento innixus est ac superstructus. Quod vero sensum litteralem verborum dicamus fundamentum esse sensus spiritalis, sic intellige ut, si verba hæc avellantur a sermone aut a narratione cui contexta sunt, possint in sensum litteralem saltem translatum accepta antitypum quoque designare non secus ac typum, sicut alio loco jam declaravimus.

Quæ quum ita sint, patet, quam præpostere is ageret, qui, ut spiritali sensui colligendo adlaboraret, litteralem negligeret, quum nihil hoc esset aliud, quam domum exstruere, priusquam fundamentum jactum sit. Imo, etsi, ut Patres sensere, quos inter consule Hieronymum, *in epist. ad Galat.* IV, 18; Augustinum, *Contr. advers. leg. et proph.*, lib. I, cap. XIII, et Gregorium, lib. II, hom. 10 *in Ezech.*, utque ratio ipsa credere suadet, sensus spiritalis præstantior sit et sublimior sensu litterali, in quo latet, quum nunquam res ipsa effigiem suam non antecellat, majus tamen studium in sensu litterali definiendo ponendum esse pro comperto est.

66. Denique non inutile erit unum etiam monuisse, fundamentum, inquam, spiritalis significationis non idem necessario esse ac fundamentum, cui innititur veritas rerum μυστικῶς significatarum, sive, ut cum philosophis loquar, aliam esse veritatem *subjectivam*, aliam autem *objectivam* sensus spiritalis. Posteriorem esse posse sine priore, non autem contra. Priorem pendere ex litterali sensu verborum ipsorum, quibus sensus ille spiritalis subest, posteriorem vero quærendam sive ex aliis Scripturæ locis, sive ex cæteris doctrinæ catholicæ regulis. Exempli causa, verborum illorum : « Nec os illius confringetis, » *Exod.* XII, 46, spiritalem significationem in ipso sensu litterali optime fundatam esse patet, optime quippe possunt verba hæc per se ipsa sumpta significare ossa Christi non fuisse confringenda; at, quod reipsa confracta non fuerint, non ab alio didicimus nisi a Joanne. Atque hoc eodem exemplo discimus, quomodo veritas *subjectiva* sensus spiritalis sine *objectiva* esse non possit, in quantum, inquam, non alia ratione nobis constat illis Moysis verbis rem, quam narrat Joannes, μυστικῶς prænuntiatam fuisse, nisi quia Joannes testatur id reapse factum esse, quod verbis illis μυστικῶς prænuntiatum est.

II. *Argumenta atque indicia sensus spiritalis.*

67. In mystica interpretatione nos juvabunt aliquot ex regulis, quas ad sensum litteralem definiendum suggessimus, *Op. cit.* I, p. 55 et seq. Comparatio enim animi, quam primam posuimus inter regulas remotas, eo magis necessaria est ad spiritalem sensum quærendum, quo abundantius lumen interpretis menti in ea quæstione affulgeat, oportet. Catholicis doctrinis religiose adhærendum esse, non est, cur præmoneamus. Lectio integrorum bibliorum quo attentius instituetur, eo plenius nobis apparebit admiranda illa divinorum fœderum συμφωνία mutuusque respectus, unde tota typologiæ ratio pendet, ideoque et spiritalis sensus Scripturarum. Apprime quoque tenenda est dictio translata bibliorum, quo veros typos a meris figuris rhetoricis verborumque immutationibus distinguere noscamus, prout inferius præcipiemus. Potiores quoque Scripturarum interpretes erunt consulendi, maxime vero qui sapientius et accuratius in hoc interpretationis genere versati sunt, ex quibus nominasse sufficiat Cornelium a Lapide.

68. Certa tamen atque indubia sensus spiritalis argumenta non aliunde petere est, nisi ex iis auctoritatibus, quibus refragari religio est, ex testimonio, inquam, Scriptorum sacrorum, ex Ecclesiæ judicio, atque ex communi Patrum sententia : his, inquam, auctoritatibus solummodo certo nobis constare potest, num rebus, num verbis quoque, quibus res designantur, sensus spiritalis subsit. Triplex est autem hujus rei ratio ac modus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Etenim, si Scriptores sacri, sive Ecclesia, sive Patres una voce, doceant, aliquam personam aut rem, seu aliquod eventum, typum fuisse, quo aliquid significaretur, simulque significatum hunc verbis inesse, quorum sensus litteralis typum illum exhibet, jam nulli ulterius dubitationi locus erit, quominus continuo credamus tum in re tum in verbis sensum spiritalem latere. Exempli gratia, id omnino credendum de factis atque eventis Isaaci et Ismaelis, deque historia, qua hæc referuntur; etenim tum illis tum huic sensum subesse spiritalem expresse Paulus affirmat, *Gal.* IV, 24.

Sin autem illi primum horum solummodo affirment, id est, aliquam sive personam, sive rem, sive eventum aliquod, typum fuisse, etsi non necessario consequi inde videatur verba, quæ typum hunc exhibent, in sensum quoque spiritalem esse accipienda, quandoquidem typorum significatus in causa sit, cur sensus spiritalis possit etiam verbis subesse, non autem cur necessario subsit, nihilominus, secundum id, quod alio loco animadvertimus, etiam hæc ratio satis est, cur sine erroris metu sensum spiritalem verbis quoque subesse putemus. Quare, quum Paulus nubem, quæ Israelitis dux itineris fuit, transmissum ab iis sinum Erythræum, manna, quod manducarunt, petram, quæ eos potavit, aliaque hujusmodi, I *Cor.* x, 1 seqq., ita commemoret, ut qui hæc omnia typos fuisse sentiret, morosius fortasse, nisi etiam audacius, negaremus id satis esse, cur dicamus spiritalem sensum etiam in harum rerum historiis latere.

Quod si denique illi testimonia seu verba Scripturarum in spiritalem quidem sensum accepta proferant, quin tamen se ita ea accipere ac proferre ulla ratione nos moneant, ut id deprehendamus, regula hæc nobis præsto est ex ipsa sensus spiritalis notione deprompta, quæ, si ea rite adhibeatur, nec fallit unquam, nec fallere potest. Si sensus ipse litteralis atque obvius verborum, prout hæc leguntur eo loco, ex quo sunt deprompta, non illud refert, de quo tamen Scriptores sacri, aut Ecclesia, aut Patres una voce, docent dicta ea fuisse, pro certo habebis illud referri per spiritalem eorumdem horum verborum sensum, ac proinde hunc his verbis inesse, per sensum vero litteralem typum aliquem designari. Paulus de Christo dicta esse affirmat illa verba Nathanis : « Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, » *Hebr.* I, 5. At, si ipsum Nathanis vaticinium legeris, intelliges ea de Salomone dicta fuisse. Conclude itaque his verbis subesse quoque sensum spiritalem, in quem accepta Christum referunt, cujus typus Salomon fuit. In hujus autem regulæ usu sedulo cavebis, quæ mox cavenda dicentur.

69. Alia porro argumenta atque indicia, quibus majore aut minore probabilitate evincere possumus sensum spiritalem quibusdam verbis inditum esse, ex hoc deducuntur, quod toti veteri οἰκονομίᾳ typicus insit significatus, eaque facile disces ex illis, quæ disseruimus de ratione, qua typi innotescunt.

### III. *Quæ in mystica interpretatione cavenda.*

70. Nunc autem summatim ea edicamus, quæ potissimum cavere oportet in spiritali sensu quærendo, quæ tamen quisque jam ediscere potuit ex tota hac nostra disputatione.

Cumprimis itaque nimietas fugienda est, qua non uno modo peccatur. Accidit quippe nimietate peccare eos, qui, ut sensum spiritalem litterali adstruant, ipsum litteralem tandem destruunt, aut saltem pervertunt ac depravant, quam ob rem Origenem acriter carpit Hieronymus, *Contr. Joan. Hierosolymit.* § 7; etsi revera, qui id faciunt, non spiritalem sensum, sed fictum sensum litteralem comminiscuntur, atque in locum veri substituunt, quum spiritalis sensus sine litterali esse aut ei adversari nequeat. Ii quoque nimietate peccant, qui proprii ingenii fœtus atque inventa pro mysticis Spiritus Sancti effatis, aut sensum spiritalem, qui probabilis ad summum sit, tanquam certum divendunt; ad quod etiam scribit Hieronymus Origenem offendisse, dum « ingenium suum facit Ecclesiæ sacramenta, » *Præf. Lib. V Comment. de Isaia.* Nimii etiam habendi sunt, qui in sensu spiritali talem rerum ordinem flagitant, aut invenire adnituntur, qualis est in sensu litterali, iidemque a Hieronymo improbantur. Idem peccant, qui unamquamque voculam historiarum aut sermonum, quibus sensus spiritalis subest, μυστικῶς exponere student; qua de re agentem Huetium adeas, *Demonstr. Evang.*, prop. IX, cap. CLXXI. Ii demum merito nimietatis arguuntur, qui extra divinorum fœderum οἰκονομίαν spiritales significatus protrahunt, quum aliquid, quod ad illam minime pertinet, ab aliqua re ex iis, quæ in Scripturis habentur, tanquam a typo præsignificatum esse comminiscuntur.



71 Aliud, quod apprime cavebis, est, ne spiritalem sensum esse putes, qui litteralis est. Qua de re vix aliquid dicendum superest præter ea, quæ passim in hac dissertatione dicta sunt. Hujus autem erroris periculum magis præsens fit, ubi sensus litteralis verborum vel mysteria prodit, vel translatus est, præsertim quum verba ex historia et ex rebus vere gestis, maxime autem quum ex typis transferuntur. Item ubi symbola usurpata commemorantur, ubi res gestæ in exemplum proponuntur, ubi similitudines adhibentur, et comparationes instituuntur, ubi denique prosopopœia aut imagines inveniuntur. Hujus ejusdem erroris periculo obnoxius est, qui in legendis Patribus atque bibliorum interpretibus non jugiter memoria retinet, quod sæpe animadvertimus, plura ac diversa ab illis nomina promiscue adhibita reperiri modo ad unum modo ad alium Scripturarum sensum designandum.

72. Caveas denique, ne in sensum spiritalem usurpari putes ab aliquo ex Scriptoribus sacris verba aut sententias alterius, dum has quibusdam aliis rebus accommodat, atque aptat κατ' [illegible] aut secundum aliquam similitudinem, quæ inter res istas intercedit atque inter rem verbis illis illisque sententiis vere designatam.

## CAPUT III.

**De consectariis et consequentibus sententiæ, quæ verbis bibliorum subjecta est, seu de sensu consequente Scripturarum.**

73. Est hoc insitum atque innatum hominum mentibus, dum scripta legimus, aut loquenti aures præbemus, simul ex dictis aut auditis ratiocinari, aliaque ex aliis colligere, atque ea, quæ rerum scriptarum aut dictarum consectaria esse intelligimus, ipsis, qui hæc scripsere, aut dixere, tribuere ut eorum ipsorum sententias. Hoc autem, sicut in cæteris libris, sic etiam in bibliis legendis fieri solet. Multiplex tamen intercedit inter utrorumque consectaria discrimen. Nam cæterorum librorum auctores vel ea fortasse non animadvertebant, dum scriberent; vel, etsi animadverterent, curæ ipsis forte non erat, ut ea legentium mentibus occurrerent; vel, quamvis id fieri optaverint, non tamen prævidere potuerunt id certo factum iri, multoque minus, ut id certo fieret, providere. At, quod attinet ad biblia, res secus se habet omni ex parte. Plane enim indubia ac certa sunt, si de Spiritu Sancto deque consectariis illis dicantur, hæc, quæ de Moyse deque litterali multiplici sensu Scripturarum Augustinus scribebat : « Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest, » *Conf.* lib. XII, cap. XXXI, hoc est, ex eis colligi. Itemque alia hæc : « Et ipsam sententiam (quam consectaria illa exhibent)... certe Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus est (qui, inquam, per Scriptorem ab ipso inspiratum biblia edidit), et ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione prævidit, imo, ut occurreret, *quia et ipsa est veritate subnixa*, providit, » *Doctrina Christ.* lib. III, cap. XXVII.

Constat proinde Spiritum Sanctum in bibliis edendis id inter cætera sibi proposuisse, ut ea quoque nos doceret, quæ prædicta ratione ex bibliis colligimus, atque eruimus, quæque consequuntur ex materie atque argumento, pertinentque sive ad mentem veritate doctrinarum imbuendam, sive ad mores honestate informandos, non secus atque illa ipsa, quorum consectaria sunt, et quæ aperte atque expresse in bibliis habentur. Quod pluribus præterea rationibus potest confirmari.

### ARTICULUS I.

*Testimonia Scriptorum sacrorum.*

74. Ac primo Scripturæ ipsæ hujus rei argumenta suggerunt. Paulus sic loquitur : « Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus, » *Rom.* XV, 4; et alio loco : « Hæc autem omnia in figura contingebant illis; SCRIPTA SUNT autem ad CORREPTIONEM (sive, ut sonant græca ipsa Pauli verba, πρὸς νουθεσίαν, *ad admonitionem*) nostram, » *I Cor.* X, 11, nimirum ut ex his colligamus atque disca-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mus, quid nobis agendum, quid cavendum sit, huc, inquam, spectabat Spiritus Sanctus, dum eo ipso auctore illa scribebantur. Ad Timotheum vero hæc Paulus scribebat : « Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. OMNIS SCRIPTURA DIVINITUS INSPIRATA utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, » *II Tim.* III, 15. Vides, ut Paulus hanc utilitatem repetat ex eo, quod *Scriptura divinitus inspirata* sit, ideoque ut auctori Spiritui Sancto causam utilitatis hujus tribuat. Sed et *omnis Scriptura* πᾶσα γραφὴ dicitur afferre hanc utilitatem, quam tamen, sæpissime fiet, ut ῥητῶς ex ipsis sententiarum aut narrationum verbis capere frustra coneris. Exemplum sume ex his : « Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi. Factumque est vespere et mane dies unus,... dies secundus,... dies tertius, » etc., *Gen.* I. « Fluvius... dividitur in quatuor capita, nomen uni Phison, » etc., *Ibid.* II, 10; « Cognovit autem Cain uxorem suam, » etc., *Ibid.* IV, 17; « Hic est liber generationis Adam, » etc., *Ibid.* V, 1; exque aliis sexcentis. Hæc itaque in tantum utilitatem illam afferre dicenda sunt, in quantum alia inde vel consequuntur, vel media ratiocinatione aut commentatione colligi aut cogitari a nobis possunt. Ad hæc eadem consectaria et consequentia pertinere facile intelliges ea, quæ Paulus non semel loquitur, atque urget, de discrimine inter *litteram* et *spiritum*.

75. Adde, quod, nisi illud Spiritui Sancto fuisset propositum, plurimorum, quæ præsertim in historia israelitica leguntur, nulla alia ratio appareret, cur referantur a sacris Scriptoribus, ideoque minus vere dixisse videretur Paulus ea, quæ modo retulimus. Quod enim ad historiam attinet, plurima nullius omnino momenti sunt; nec sane nostra interest, si Eglon Moabitarum rex adipibus obesus fuerit, si Miphiboseth Saulis filius claudicaverit, si Asa rex Judæ podagra laboraverit. Sed neque typum aliquem in illis latere deprehendas, quo sensus saltem spiritalis hujusmodi narrationibus aut narrationum partibus subsit. Demum horum non pauca adeo obscura sunt atque implexa, ut neque eorum sensus colligi possit. Quorsum itaque hæc omnia auctore Spiritu Sancto narrantur? quorsum his, non secus ac cæteris Scripturis sacris, cœlestis ille character impressus illaque divina auctoritas addita, quibus ea θεόπνευστα esse ipsi ita credimus, ut, secus sentire religioni cuique sit, oporteat? Contra ea, si quid veri ex hisce ipsis locis eruamus, quod nominum etyma, vel numerorum rationes, vel alia personarum, rerum ac locorum adjuncta, commentationi nostræ exhibeant, quodque moribus recte fingendis alendæve in Deum pietati conducat, sententia ipsa sic collecta ea procul dubio est, quam, ut loquitur Augustinus, « certe Dei Spiritus, qui (per Scriptorem ab ipso afflatum) hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione prævidit, imo ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa, providit; » idque illud est quod sibi voluit Augustinus, ubi animadvertit, ut « divini sermonis obscuritas etiam ad hoc sit utilis, quod plures sententias veritatis parit, » *De Civit. Dei*, lib. XI, cap. XI. Hoc autem modo probe intelligimus, cur Spiritus Sanctus curaverit ut hæc quoque in sacrum volumen referrentur, quænam ex his utilitas capi queat, quam denique ad veritatem Paulus fuerit locutus.

## ARTICULUS II.

*Testimonia Patrum.*

76. Quænam hac de re sententia Patribus fuerit, notior res est, quam ut confirmatione indigeat. Non semel animadvertimus quem hi *sensum spiritalem* aut *mysticum* vocant, sæpe non sententiam esse verbis Scripturarum subjectam, sed esse ea de quibus nunc agimus, consectaria et consequentia ex sententia ipsa, imo quidquid veri occasione capta ex iis quæ in Scripturis legimus, menti occurrit. Hanc nominibus illis aut similibus notionem Patres subjecisse apparet manifesto ex ipsorum Commentariis de sacra Scriptura.

77. Sed et aliud argumentum ex commentariis hisce petere est. Constant ea quippe magnam partem doctrinis, præceptis sententiisque ita propositis, ut quas ipse Spiritus Sanctus suggesserit per ea quæ in Scripturis habentur. Quamobrem, nisi rem sic se habere Patres credidissent, dicendi essent nos fefellisse, nisi autem res ipsa ita foret, ipsi falsi esse, eorumque commentarii non



quidem futiles aut inutiles, sed quibus magna ex parte inane fundamentum fuisset substructum. Sin autem positum sit veram esse sententiam quam defendimus, liquet jam non injuria modo, sed et minus pie carpi eam rationem, quam in suis Scripturarum commentationibus Patres inierunt. Subjiciam denique pro hac sententia quædam Patrum testimonia, quæ sese mihi ultro in eorum Commentariis legendis obtulerunt.

78. Eusebius ita loquitur : « Per totam sacram et a Deo inspiratam Scripturam præcipuus intelligentiæ scopus eo spectat, ut tradat mystica atque divina, servata vicissim obvia quoque intelligentia historiæ, » *Demonstrat. evang.* lib. IX. Hæc gemina fere cum sint eorum quæ mox transcribemus ex Augustini libris *De Doctrina christiana*, eodem modo intelligenda sunt.

Hilarius enarrans hæc verba Psaltæ : « Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, in terra, in mari et in omnibus abyssis. Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis, » *Ps.* CXXXIV, illud adnotat, ipsum verborum sensum sistere infra orationis materiem, quæ est Dei potentia, atque : « An hæc tantum perfectæ in Deo voluntatis omnipotentia est, terras exhalare nubes, coruscare pluviis imminentibus fulgura, alternatis spiritibus flare ventos? Sed arguunt hanc opinionem nostram virtutes verborum et naturæ generum.... Quæ hic humani sensus intelligentia? » Non ideo tamen sensum hunc illorum verborum esse respuendum, quem et ipse accipit ita pergens : « Sed hæc a me volenti virtutem et rationem dictorum ostendere ita commemorata sint, ut nihilominus invisibilis et omnipotentis virtutis esse intelligatur, a mari, quod est ab extremo terræ, nubes educi, et inter pluvias fulgura coruscare, et ventos ex occultis spirituum suorum sedibus flare; » sed ex ipso hoc illorum verborum sensu sublimiora quædam consectaria esse eruenda, subjicit quippe : « Verum quia non in his tantum omnipotentia Dei est, neque in his solum quæ voluit, fecit in cœlo et in terra, in mari et in abyssis, et IN HIS quæ corporaliter gesta esse memorantur, SPIRITALIA SIGNIFICARI meminerimus, demonstrandum est nunc, QUID SUB HIS DICTIS PER VIRTUTEM PROPHETIÆ INTELLIGERE DEBEAMUS. » Hæc *spiritalia* vocat *intelligendaque per virtutem prophetiæ*, nimirum quia hæc quoque, etsi non ῥητῶς, ut sensum verborum, medio tamen hoc ipso sensu « certe Dei spiritus, » Augustini utar verbis, « occursura lectori vel auditori sine dubitatione prævidit, imo, ut occurrerent, quia et ipsa sunt veritate subnixa, providit. » Continuo, quænam spiritalia hæc sint, Hilarius exponit : « In eo quod omnia quæ voluit, fecit in cœlo et in terra, in mari et in abyssis, quantum cognitioni nostræ permissum est, nihil amabilius Deo homine est, » etc., *In Ps.* CXXXIV.

Hieronymus in eadem fuit sententia. De exordio Geneseos sic loquitur : « Magis itaque secundum sensum quam secundum verbum, translatio verborum IN PRINCIPIO de Christo accipi potest, » *Quæst. hebr. in Gen.* 1, 1; ubi oppositio ipsa *sensus* et *verbi* clare ostendit non loqui Hieronymum de sensu verborum, sed de eo quod ex sensu hoc colligi commentatione potest; id autem nec jure nec recte fieri posset, nisi positum sit Spiritum Sanctum, Moysi exordium Geneseos suggerendo, providisse, ut illud de quo loquitur Hieronymus, ex hujus exordii sententia colligeretur. Huc quoque pertinet dictum illud Hieronymi de Christi verbis : « In quibus per tanta jam sæcula tantorum ingenia sudaverunt, ut rationem verbi uniuscujusque magis opinati sint, quam expresserint, » *ad Marcell.* epist. 27.

Sic etiam Ambrosius de hoc eodem exordio : « Est etiam initium MYSTICUM... In hoc ergo principio, id est in Christo, fecit Deus cœlum et terram, » *Hexaem.* lib. I, cap. IV; ubi vox *mysticum* non significat sensum vere ac proprie spiritalem ex typis in verba derivatum, sed aliquid aliud, quod Spiritus Sanctus intendit præter ipsam verborum sententiam, ex hac tamen colligendum.

Augustinum a nobis stare, testimonio ea sunt quæ jam ex ipso descripsimus. Itemque cum præcipit, « ut intelligatur legis et OMNIUM divinarum Scripturarum PLENITUDO et FINIS esse dilectio, » *Doctrina christ.* lib. 1, cap. XXXV. Etenim, si *omnium* Scripturarum is *finis* est, cum plurimæ sint earum sententiæ, quæ finem hunc ipsæ per se ῥητῶς minime attingunt, concludendum est illud ipsum effici ex his Augustini verbis, quod ex verbis Pauli effici superius vidimus.

Denique Gregorius Magnus plene nobis est adstipulatus, dum hæc scripsit : « Dominus et Salvator noster... aliquando nos sermonibus, aliquando vero operibus admonet. Ipsa etenim facta ejus præcepta sunt, quia, dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit, » hom. 17 in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Evang.*; provisum videlicet Dei numine est, ut *ex rerum* a Christo gestarum *narratione*, quam Evangelistæ scripsere, vitæ recte agendæ præcepta eruamus et colligamus.

### ARTICULUS III.

*Monita nonnulla.*

**79.** Hæc quæ consequuntur, aut commentando promuntur ex verbis aut ex materie Scripturarum sacrarum, a Patribus designantur plerumque iis iisdem nominibus, quibus sensus spiritalis vere ac proprie dictus solet designari, ut sunt *sensus spiritalis*, *mysticus*, *moralis*, horumque similia, aut *intelligentia*, aut simpliciter etiam *sensus* absque ullo nomine adjectivo. Perquam apte *sensus* κατὰ διάνοιαν vocaretur, ut Græci faciunt, qui tamen sensum quoque spiritalem sic vocant. Non male fortasse *sensum consequentem* latine diceremus.

80. Sensum hunc quid plane aliud esse, ac sit sensus litteralis, nemo non perspicit. Sed et a sensu quoque spiritali omni ex parte differre facile intelligis ex hujus definitione; sensus enim spiritalis ex typis oritur, atque hinc in verba derivatur, hisque, æque ac sensus litteralis, vere subest, quorum nil simile habet sensus iste consequens. Imo neque *Scripturarum sensus* vere ac proprie hic dici potest, si nomen *sensus*, prout in tota hac disputatione usurpatur, significet vel verbi notionem, vel sententiam ex plurium verborum notionibus exsistentem. Poterit tamen sic vocari atque haberi, in quantum Spiritus Sanctus Scriptori bibliorum suggerens sententias id providit, ut ex harum sensu sensum illum erueremus.

81. Ex doctrina superius proposita, quam ab Augustino sumus mutuati, efficimus, in hujusmodi sensu colligendo hoc unum cavere oportere, ne quid a veritate absonum, aut ineptum, aut ab ipsa verborum significatione omnino alienum, quodque nullo modo consequens esse videatur, promamus; hæc enim, tanquam quæ Scripturarum forent consectaria aut ex Scripturis colligenda, divinus harum Auctor profecto non intendebat.

82. Attamen, quæ ita cum Scripturarum sententia sunt connexa, ut manifesta ac necessaria consecutione ex hac conficiantur, secernenda ea sunt ab illis quæ alia via, puta ex nominum etymis, ex numerorum rationibus, exque aliis similibus, menti biblia legentium occurrunt, cum priora illa certo ex Scripturarum sententia consequantur, ut sunt, exempli causa, consectaria theologorum : non item posteriora, sed hæc solum probabiliter plus minusve. De prioribus illis consectariis ita scribit Gregorius Nazianzenus : « Nonne perspicuum est, ista tametsi non dicantur *in Scripturis*, tamen ex illis colligi, quæ hæc necessario efficiant ac probent?.... Quod si, te bis quinque aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem, aut ex eo quod animal ratione præditum et mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi viderer delirare? Nequaquam profecto, cum tua dicerem. Neque enim verba magis sunt ejus qui loquitur, quam illius qui loquendi necessitatem simul affert. Quemadmodum igitur hic, non ea magis quæ dicuntur, quam quæ intelliguntur, expenderem, eodem modo nec si quid aliud eorum quæ vel nullo modo, vel certe non satis aperte dicuntur, ex Scriptura tamen intelligi colligique reperirem, tam te nominum sycophantam pertimescerem, ut a pronuntiatione ipsa refugerem, » Orat. *De Spiritu Sancto*, quæ est 5 *de Theologia*.

## II.

# VARIA APOCALYPSEOS INTERPRETANDÆ SYSTEMATA.

Quam varie omnibus temporibus intellectus sit et expositus liber Apocalypseos, omnibus satis notum est. Notandæ sunt autem imprimis tres hypotheses. Prima, eorum, veterum præsertim, qui totam Apocalypsin de ultimis mundi temporibus intelligunt. Secunda, eorum qui in hoc libro christianæ religionis seu Ecclesiæ Christi triumphum de Judaismo primum, tum de Ethnicismo prædici ac describi existimant : ita Alcazar, Salmeron, Bossuetius, præclaro suo opere, cui titulus : *L'Apocalypse, ou révélation de S. Jean*; Ellies Dupin, *Analyse de l'Apocalypse*, etc.; De Sacy, D. Calmet, etc., recentius autem Allioli. Tertia denique, eorum qui in Apocalypsi totius Ecclesiæ militantis singulis suis, sex scilicet, ætatibus, septima autem ætate triumphantis, historiam reperire autumant : ita Holzhauser, opere cui titulus in vers. gall.: *Interprétation de l'Apocalypse, renfermant les sept âges de l'Eglise catholique, ouvr. trad. et continué par le chan. de Wuilleret*; Joachim Trotti de la Chétardie, *Explication de l'Apocalypse par l'histoire ecclésiastique*; Anglus quidam (Carolus Walmesley, episcopus), qui sub nomine *Pastorini* in lucem edidit librum gall. translatum cum hoc titulo : *Histoire abrégée de la naissance, des progrès, de la décadence, etc., de la Réform. de Luther, tirée de l'Apocalypse*; Verschraegue, *Claræ simplicesque explicationes libri Apocalypseos*, Tornaci, 1855, etc.

Harum interpretationum primam, cum fusius eam exponit, imo sequitur maximam partem Cornelius a Lapide, hic omittendam puto. Duas vero posteriores, a recentioribus interpretibus maxime expositas atque illustratas, in compendium redigere et quasi in conspectum oculis subjicere, operæ pretium erit.

### ARTICULUS I.

*Bossuetii Apocalypseos interpretatio*

1. Scopus vaticiniorum Joannis is est, ut ostendat Christi regnum et victorias, afflictæ Ecclesiæ solatio et præsidio futuras, subactis inimicis, sicut scriptum est : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, » *Ps.* CIX.

Præcipuus autem inimicus est ille serpens antiquus, de quo ipse Dominus : « Inimicus homo hoc fecit; » et iterum : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, » *Joan.* XII, 31. Ille autem duos nascenti Ecclesiæ concitavit inimicos, Judæos et Gentiles, quorum Joannes fata præcinit.

Hæc prima prædictio est in duas secta partes : de Judæis agit a capite IV, de Gentibus a IX, vers. 15, ac deinceps usque ad decimi noni finem. Capite vero XX, victus Satanas iterum majore impetu exsurgit, et iterum debellatur. Quibus prædictionibus videmus persecutorem Satanam in se et in suis devictum, ligatum, ad breve tempus solutum, ultimo et horrendo judicio carcere æterno conclusum, a quo mors novissima inimica destruetur, I *Cor.* XV, 26; *Apoc.* XX, 10, 12.

2. Persecutio Gentium nota est, Judæorum occultior per calumnias quibus Romanos tunc rerum potientes ac reges concitabant. Sic enim jam inde ab initio Christum, et deinde Paulum Romanis, Jacobum fratrem Domini, imo et Petrum Herodi tradiderunt. Neque excisi a Tito mitiores fuerunt; testis ipse Joannes post illud excidium, scribens ad Angelum Smyrnæ : « Blasphemaris ab iis qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. » Cum ergo Judæi a proposito persequendi Christianos non desisterent, idem Joannes vidit insecutam ultionem : « Ecce, inquit, faciam illos qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, ut veniant et adorent ante pedes tuos, » victi scilicet et prostrati Romanorum armis : quod cap. IV ac deinceps copiosius exsequetur.

3. Mitto autem in iis capitibus ea quæ nihil habent difficultatis, nempe judicii apparatum, cap. IV, ab Agno reseratum librum, quo divina decreta conscripta sunt, cap. V, tum cap. VI, 1-2,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Evang.*; provisum videlicet Dei numine est, ut *ex rerum* a Christo gestarum *narratione*, quam Evangelistæ scripsere, vitæ recte agendæ præcepta eruamus et colligamus.

## ARTICULUS III.

### *Monita nonnulla.*

**79.** Hæc quæ consequuntur, aut commentando promuntur ex verbis aut ex materie Scripturarum sacrarum, a Patribus designantur plerumque iis iisdem nominibus, quibus sensus spiritalis vere ac proprie dictus solet designari, ut sunt *sensus spiritalis*, *mysticus*, *moralis*, horumque similia, aut *intelligentia*, aut simpliciter etiam *sensus* absque ullo nomine adjectivo. Perquam apte *sensus* κατὰ διάνοιαν vocaretur, ut Græci faciunt, qui tamen sensum quoque spiritalem sic vocant. Non male fortasse *sensum consequentem* latine diceremus.

**80.** Sensum hunc quid plane aliud esse, ac sit sensus litteralis, nemo non perspicit. Sed et a sensu quoque spiritali omni ex parte differre facile intelligis ex hujus definitione; sensus enim spiritalis ex typis oritur, atque hinc in verba derivatur, hisque, æque ac sensus litteralis, vere subest, quorum nil simile habet sensus iste consequens. Imo neque *Scripturarum sensus* vere ac proprie hic dici potest, si nomen *sensus*, prout in tota hac disputatione usurpatur, significet vel verbi notionem, vel sententiam ex plurium verborum notionibus exsistentem. Poterit tamen sic vocari atque haberi, in quantum Spiritus Sanctus Scriptori bibliorum suggerens sententias id providit, ut ex harum sensu sensum illum erueremus.

**81.** Ex doctrina superius proposita, quam ab Augustino sumus mutuati, efficimus, in hujusmodi sensu colligendo hoc unum cavere oportere, ne quid a veritate absonum, aut ineptum, aut ab ipsa verborum significatione omnino alienum, quodque nullo modo consequens esse videatur, promamus; hæc enim, tanquam quæ Scripturarum forent consectaria aut ex Scripturis colligenda, divinus harum Auctor profecto non intendebat.

**82.** Attamen, quæ ita cum Scripturarum sententia sunt connexa, ut manifesta ac necessaria consecutione ex hac conficiantur, secernenda ea sunt ab illis quæ alia via, puta ex nominum etymis, ex numerorum rationibus, exque aliis similibus, menti biblia legentium occurrunt, cum priora illa certo ex Scripturarum sententia consequantur, ut sunt, exempli causa, consectaria theologorum: non item posteriora, sed hæc solum probabiliter plus minusve. De prioribus illis consectariis ita scribit Gregorius Nazianzenus: « Nonne perspicuum est, ista tametsi non dicantur *in Scripturis*, tamen ex illis colligi, quæ hæc necessario efficiant ac probent?.... Quod si, te bis quinque aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem, aut ex eo quod animal ratione præditum et mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi viderer delirare? Nequaquam profecto, cum tua dicerem. Neque enim verba magis sunt ejus qui loquitur, quam illius qui loquendi necessitatem simul affert. Quemadmodum igitur hic, non ea magis quæ dicuntur, quam quæ intelliguntur, expenderem, eodem modo nec si quid aliud eorum quæ vel nullo modo, vel certe non satis aperte dicuntur, ex Scriptura tamen intelligi colligique reperirem, tam te nominum sycophantam pertimescerem, ut a pronuntiatione ipsa refugerem, » Orat. *De Spiritu Sancto*, quæ est 5 *de Theologia*.

---

## II.

# VARIA APOCALYPSEOS INTERPRETANDÆ SYSTEMATA.

Quam varie omnibus temporibus intellectus sit et expositus liber Apocalypseos, omnibus satis notum est. Notandæ sunt autem imprimis tres hypotheses. Prima, eorum, veterum præsertim, qui totam Apocalypsin de ultimis mundi temporibus intelligunt. Secunda, eorum qui in hoc libro christianæ religionis seu Ecclesiæ Christi triumphum de Judaismo primum, tum de Ethnicismo prædici ac describi existimant: ita Alcazar, Salmeron, Bossuetius, præclaro suo opere, cui titulus: *L'Apocalypse, ou révélation de S. Jean*; Ellies Dupin, *Analyse de l'Apocalypse*, etc.; De Sacy, D. Calmet, etc., recentius autem Allioli. Tertia denique, eorum qui in Apocalypsi totius Ecclesiæ militantis singulis suis, sex scilicet, ætatibus, septima autem ætate triumphantis, historiam reperire autumant: ita Holzhauser, opere cui titulus in vers. gall.: *Interprétation de l'Apocalypse, renfermant les sept âges de l'Eglise catholique, ouvr. trad. et continué par le chan. de Wuilleret*; Joachim Trotti de la Chétardie, *Explication de l'Apocalypse par l'histoire ecclésiastique*; Anglus quidam (Carolus Walmesley, episcopus), qui sub nomine *Pastorini* in lucem edidit librum gall. translatum cum hoc titulo: *Histoire abrégée de la naissance, des progrès, de la décadence, etc., de la Réform. de Luther, tirée de l'Apocalypse*; Verschraegue, *Claræ simplicesque explicationes libri Apocalypseos*, Tornaci, 1855, etc.

Harum interpretationum primam, cum fusius eam exponit, imo sequitur maximam partem Cornelius a Lapide, hic omittendam puto. Duas vero posteriores, a recentioribus interpretibus maxime expositas atque illustratas, in compendium redigere et quasi in conspectum oculis subjicere, operæ pretium erit.

## ARTICULUS I.

### *Bossuetii Apocalypseos interpretatio*

**1.** Scopus vaticiniorum Joannis is est, ut ostendat Christi regnum et victorias, afflictæ Ecclesiæ solatio et præsidio futuras, subactis inimicis, sicut scriptum est: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, » *Ps.* CIX.

Præcipuus autem inimicus est ille serpens antiquus, de quo ipse Dominus: « Inimicus homo hoc fecit; » et iterum: « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, » *Joan.* XII, 31. Ille autem duos nascenti Ecclesiæ concitavit inimicos, Judæos et Gentiles, quorum Joannes fata præcinit.

Hæc prima prædictio est in duas secta partes: de Judæis agit a capite IV, de Gentibus a IX, vers. 15, ac deinceps usque ad decimi noni finem. Capite vero XX, victus Satanas iterum majore impetu exsurgit, et iterum debellatur. Quibus prædictionibus videmus persecutorem Satanam in se et in suis devictum, ligatum, ad breve tempus solutum, ultimo et horrendo judicio carcere æterno conclusum, a quo mors novissima inimica destruetur, I *Cor.* XV, 26; *Apoc.* XX, 10, 12.

**2.** Persecutio Gentium nota est, Judæorum occultior per calumnias quibus Romanos tunc rerum potientes ac reges concitabant. Sic enim jam inde ab initio Christum, et deinde Paulum Romanis, Jacobum fratrem Domini, imo et Petrum Herodi tradiderunt. Neque excisi a Tito mitiores fuerunt; testis ipse Joannes post illud excidium, scribens ad Angelum Smyrnæ: « Blasphemaris ab iis qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. » Cum ergo Judæi a proposito persequendi Christianos non desisterent, idem Joannes vidit insecutam ultionem: « Ecce, inquit, faciam illos qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, ut veniant et adorent ante pedes tuos, » victi scilicet et prostrati Romanorum armis: quod cap. IV ac deinceps copiosius exsequetur.

**3.** Mitto autem in iis capitibus ea quæ nihil habent difficultatis, nempe judicii apparatum, cap. IV, ab Agno reseratum librum, quo divina decreta conscripta sunt, cap. V, tum cap. VI, 1-2,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad quatuor prima sigilla, Christum equo albo vectum, triumphatoris instar, arcu instructum, sequentibus satellitibus bello, fame et peste, tribus scilicet flagellis quocunque voluerit immittendis, vers. 4, 5, 7. His ergo præmissis, quo hæc flagella pertineant, Joannes demonstrabit.

4. Ad quintum sane sigillum audiuntur animæ sanctorum postulantium vindictam sanguinis sui, et dilata vindicta, « donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi. » Illos autem fratres expectandos, ipsos esse ex Judæis electos, patet ex contextu, ubi palam et sine ænigmate signandi in frontibus, dicuntur *ex omni tribu filiorum Israel* assumendi, ac deinde sigillatim duodecim tribus enumerantur. Insuper vers. 9 legimus : « Post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex *omnibus* gentibus et tribubus, et populis et linguis, » etc. Ergo venientes ex tribubus *Israel* distinguuntur ab iis qui ab *universis* orbis tribubus oriuntur, quippe numerabiles ab innumerabilibus, et unius generis homines a toto humano genere. Revera enim ac per eadem tempora sub Trajano et Adriano gravis commota est persecutio adversus Christianos a gentilitate conversos; hic autem, ex eo quod illi ex omnibus gentibus, memorantur tantum ut aggregati Judæis, ut competit gentibus insertis in bonam olivam Judæorum, *Rom.* XI. Quod etiam ex eo facile confirmatur, quod per illa capita a quarto ad medium nonum, nemo propter idola punitæ dicatur addictus, sed id reservatur eidem cap. IX, vers. 20, post plagas ab Euphrate et ab exercitibus Orientis in Romanos persecutores, inque Valerianum imperatorem immissas, ut statim declarabitur ad ejusdem capitis vers. 14 et 20, quod claro argumento est, antecedentia vaticinia, a quarto ad octavi finem, non ad alicujus idolis addictæ gentis, sed ad Judæorum excidium destinari.

5. Jam ergo collectis ex Judæorum gente qui superaverant notati ac præordinati in vitam æternam, nihil obstabat quominus gens perfida ultioni permissa per totum orbem dissiparetur, magna suorum strage. Itaque laxantur (VIII, 7) qui cohibiti erant (VII, 1), ventorum spiritus; simul admittuntur ad altare, quod est Christus, orationes sanctorum, sive sub altari clamantium (VI, 10), sive etiam eorum qui de terra pias voces adjungebant (VIII, 1, 2, 3, etc.); ac statim tubæ divinorum judiciorum, ac vindictæ mundi ultrices dirum increpuere, cœpitque exoriri ad primum clangorem per aera horrenda tempestas : quo turbine, stylo prophetico, magnas mutationes rerum et cruenta bella portendere solent, atque more suo generatim Joannes nuntiat, *ibid.* VII, mox ad particularia deventurus. *Mons magnus*, magna potentia, quo sensu Babylon ; *mons magnus ac pestifer*, pestem ac perniciem inferens gentibus, ipsam quoque Christi potentiam ex parvulo lapide in montem magnum crevisse memoratur. *Magnus* ergo *mons ardens* magna potentia spirans iras in Judæos toties rebellantes : *immissa in mare*, in turbam tumultuantem, et apparuit mare multo mixtum sanguine et oppletum cadaveribus; ac turbine correptæ naves in profundum mersæ (vers. 8, 9, 10). Ergo sexcenta fere millia Judæorum cæsi, præter eos quos fames ac flamma hauserat, distractosque vili pretio captivos innumerabiles.

Hæc victoria tanti Romanis constitit, ut ipse Adrianus, datis ea de re ad senatum litteris laureatis consuetam salutem non præfixerit (Dio in *Adriano*), quo significabat luctuosam quoque Romanis fuisse victoriam, ut indicarat Joannes nomine magni montis igniti immissi in mare, et ex illo undarum flammarumque conflictu repercussi.

Exinde aperitur ipsa mali causa, ad tertiam tubam, « magna stella cadente de cœlo, » vers. 10, 11, nec poterat aptius designari Cochebas, seu Barcochebas, quo duce et impulsore Judæi rebellaverant. Nam Cochebas ipso nomine *stella* dicitur, ut propheta eum non modo indicasse, sed ipso velut nomine appellasse videatur. Tum ipse se jactabat e cœlo descendere, ut astrum salutem suæ genti allaturum, adhibito illo oraculo : « Orietur stella ex Jacob, » *Num.* XXIV, 17. Vid. Eusebium, IV, 6. At Joannes ostendit futurum non astrum benignum affulgens e cœlo, sed sidus infaustum. Solent sane doctores stellarum nomine designari ; doctores vero falsi et erratici, stellæ quidem, sed cadentes; et teste S. Juda, « sidera errantia. » Subdit Joannes nomen stellæ illius cadentis *absinthium*, vers. 11, ex effectu scilicet, quo sensu Scripturæ sexcenta nomina produnt; eo quod Judæi falsi Messiæ Barcochebæ opera mersi sint doloribus et probris, æternum depulsi ab Hierosolymæ reliquiis, ac data tantum licentia plorandi quotannis super cineres urbis, nec relicto ipsi nomine, cum eam Ælius Adrianus Æliam appellaverit.

Sic adamussim congruunt omnia. Nec mirum quod Joannes hæc *cito ventura* significaverit, cap. I, 3. Rursus autem jubentur animæ martyrum « requiescere ad modicum tempus, » VI, 11 : cum bellum adversus Judæos incœptum sit anno nono et ultimo Trajani ; ab exitu vero Joannis vix decimo quinto, neque ita multo post, Adriano imperatore, confectum.



Quod autem ad tubam quartam, « tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum obscurata, » memoretur, VIII, 12, facile retulimus ad Deuteroses Judæorum per eadem tempora introductos, et ad prophetarum oracula, auctore Akyba doctissimo Rabbinorum, adversus Christum in Akybæ gratiam detorta : quæ causa exstitit cæcitatis Judæis et Gentibus, obscuratis quantum poterat Scripturis de Christo, de Ecclesia, de Apostolorum prædicatione, ac tertia veluti lucis parte detracta : quanquam plus satis supererat ad convincendos infidelium animos.

6. Cap. IX, 1-13. Expeditis rebus judaicis, Joannes transiturus erat ad Gentilium ultionem. Sed aliqua mora injecta est propter hæreticos, e Christianis quidem ortos, sed Judæis affines, qui per eadem fere tempora exstiterunt : dixi Judæis, ac post Judaicam gentem haud immerito collocatos, quod, Judæorum more, crederent Christum purum hominem, nec Deum, nec ante Mariam fuisse. Itaque post tria *væ* ad quartam tubam audita, ubi quinta tuba insonuit, *visa est* post Cochebam falsum Judæorum doctorem, *altera stella*, doctor alter et falsus magister Judaicorum errorum sequentium, *de cœlo* ac velut de summa arce doctrinæ *cecidisse ;* atque has quidem reliquias fermenti judaici in Cerintho et Ebione Joannes exciderat, scripto sub vitæ finem Evangelio ; sed viderat clam duraturas sub Alogorum nomine (Epiphanius, *hæres.* 52), ac postea clarius revicturas sub Victore Papa, duce Theodoto Byzantino, viro docto et omnibus Græciæ artibus celebri, sed præsertim confessione nominis Christi, cujus gratia detrusus in carcerem, sociis ad martyria properantibus, ipse abnegato Christo, e tam nobili confessione velut e cœlo lapsus. Sed ut etiam turpius laberetur, Christi divinitatem negavit, ne in Deum, sed in hominem peccasse videretur. Is igitur doctrina et confessione clarus ut stella cecidit ; « et data est ei clavis putei abyssi, et aperuit puteum. » Neque enim uspiam apud prophetas inveneris alias calamitates, puta bella, pestem famemque ex infernis sedibus emersisse, sed hæreses, sive animarum seductio, proprium inferorum ac Satanæ negotium. In Theodoto figurati, qui deinde Judæorum opiniones de Deo et Christo sectati, Praxeas, Noetus, Sabellius, Paulus Samosatenus, etc.; imo Arius et Nestorius, quos non hic expressos, sed in ipso fonte veluti designatos et figuratos putamus.

Sequitur : « Et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei, » etc., cap. IX, 2 : quæ sane portendunt orbi universo tetram caliginem, retardato per hæreses cursu Evangelii, quod est mundi lumen. Nam ab initio Celsus aliique christianæ religionis hostes, cum eidem religioni hæreticorum insanias imputabant, ac veris falsa miscebant ; tum etiam quod erat exitiosissimum, christianismum a se discordem, nihil aliud esse dicebant quam, ut cæteræ sectæ, inventum humanum in opiniones variabiles scissum. Locustæ ergo quæ « de fumo putei exierunt, » vers. 3 seqq., has hæreses denotant. Nullum enim est animal quod subtilius ac fallacius in domos ipsaque adeo cubilia irrepat, aut homines feriat occultius. Insuper non omnibus nocent hæ Joannis locustæ, sed iis tantum qui « non habent signum Dei, » fidemque salutarem pia professione velut inscriptam « in frontibus suis. » Jamque illud singulare quod « cum habeant facies ut facies hominum (pugnacium), et velut leonum dentes, » simul habeant capillos ut capillos mulierum, molles, effœminati, quod etiam de Paulo Samosateno ejusque discipulis proditum (Euseb.).

His expositis sic concludit Joannes : « Væ unum (seu *primum*) abiit, et ecce veniunt duo væ post hæc. » Primum autem illud *væ* cum secundo collatum, ad Valeriani imperium nos deducet ; cujus temporibus judaicum errorem in Paulo Samosatensi solemnissimo totius Ecclesiæ catholicæ judicio condemnatum esse constat, qui congruus finis rebus judaicis, et primo *væ* est appositus.

7. Reliqua parte cap. IX, a vers. 13 ad finem, sexta insonante tuba, describuntur Parthorum seu Persarum redivivi exercitus, initiumque labis imperio Romano ex Valeriani clade illatæ, qua imperii ad Orientem conversæ vires, Gothisque qui tum primum apparuere, et reliquis occidentalium partium invasoribus, ac tandem eas excisuris, patefactus est aditus. Orientalium autem exercituum characteres graphice Joannes exposuit, primum ex immenso equitatu, deinde ex armorum genere et pugnandi modo, sagittis et ad frontem et post terga velut ex cauda equorum immissis. Quibus plagis non omnes quidem Romanæ vires consumptæ, sed tamen tertia pars internecione deleta ; et diserte adscriptum, « cæteros homines qui non sunt occisi, non egisse pœniten-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiam » a colendis dæmoniis suis et simulacris aureis, argenteis, lapideis et ligneis. Ubi annotandum hic primum idola commemorata esse, ut nempe constet ad Ethnicos hanc primum spectare prophetiam.

8. Væ igitur primum abiit, ceu de Judæis sumptum supplicium. Nunc, cap. x, ad Gentiles novus ordo vaticiniorum exoritur, dicente Angelo ad Joannem, vers. 11 : « Oportet te iterum prophetare Gentibus, » tanquam diceret : Hactenus Judæis tantum sua fata nuntiasti : nunc vero novo ordine prophetare te oportet omnibus gentibus, totiusque imperii Romani pandenda judicia; atque hæc delibasti, cap. IX, 14 : nunc autem et jam dicta inculcanda sunt, et reliqua omnia plenius exsequenda, cavendumque est « de multis regibus, » sive persecutoribus (cap. XIII, XVII, 9), sive persecutionis ultoribus (*ibid.* 16). Hæc autem incipiunt a cap. XI.

9. Sequuntur sex visiones de ultione Gentium.

*Prima* visio, cap. XI. Conf. Lactantium, *De Morte persecut.*, cap. XIX, 11. « Calcabitur sancta civitas, » id est Ecclesia christiana, eo more quo Hierosolyma quondam sub Antiocho illustri: nam hinc petuntur imagines prophetiæque ornatus; « mensibus quadraginta duobus, » hoc est dimidio anno supra triennium, quod etiam ex Antiochi persecutione repetitum intelligunt omnes: ut res Ecclesiæ eo statu essent quo per illud triennium cum dimidio anno sub Antiocho res Judaicæ fuerant, quæ horum typus essent. « Duo testes » sunt innumeri martyres et confessores, qui ingruente persecutione nihilosecius Evangelium prædicarunt, imo sanguine suo fœcundarunt. Sane quod plerique Catholici huc Enochum et Eliam necessario invehendos putent, meminerint duos Joannis testes « a bestia quæ ascendit de mari occidendos, » vers. 7, hoc est ab imperante et persecutrice Roma, cum vero Enochi et Eliæ cædes reservetur ad ultima mundi tempora, rursus soluto Satana et sæviente Antichristo. Non ergo ad litteram hæc Enocho et Eliæ aptari possunt, sed tantum figurate et modo accommodatitio. « Terræ motus, » vers 13, de bellis civilibus interpretandus; ejusdem versus reliqua pars, de Constantini victoria. Inter hæc væ *secundum* abiit, ac *tertium* statim indictum ad finem usque prophetiæ et Romani excidii duraturum, vers. 14.

10. *Secunda* visio de ultione Gentium, cap. XII.

Inter singulares Diocletianicæ persecutionis characteres ac notas, nulla est insignior quam quod per tres vices insurrexerit, ac totidem vicibus compressa sit per principes in Christianorum gratiam. Res autem sic se habuit : anno Christi 303, Diocletiano, Maximiano Herculio atque altero Maximiano, Galerio scilicet, auctoribus, persecutio inchoata; anno 311, qui erat persecutionis octavus, edicto Galerii et Constantini victoria siluit. Nec ita multo post, anno 312, a Maximino imperatore tanquam ex novo initio instaurata, a Constantino et Licinio repressa est. Tertio Licinius a Constantino disjunctus, ipse per se persecutionem movit, ac tertia Constantini victoria fractus; et pax Christianorum stabili lege firmata. Jam hæc a Joanne expressa, ac tres vices distincte notatæ sunt. Draco devoraturus mulierem, Ecclesiam scilicet, et puerum (illum fortem qui recturus erat « gentes virga ferrea, » et mox sub Constantino principe regnaturus) mulieris fugientis in desertum, vers. 4, 6, en persequentis primus impetus. Draco prælio victus et cantatum epinicium : « Nunc regnum Dei et Christi, » vers. 9, 10, en fractus et contusus. Draco ira percitus et mulierem fugientem persecutus, vers. 13, 14, en secundus conatus. Sed mulier adjuta a terra quæ absorbeat persecutionum fluctus, en iterum cessatio. Denique draco rursus « iratus et facturus prælium cum reliquis de semine mulieris, » neque quidquam proficiens, en tertia et extrema, et cassa molimina, et mulieris requies.

11. *Tertia* visio circa ultionem Gentium, cap. XIII.

Tertius hic describitur Diocletianicæ persecutionis character, isque maxime singularis et proprius : quod ea persecutio sola ex omnibus sub septem Augustis gesta sit, quod his sublatis extincta sit, quæ erat plaga mortis idololatriæ inflicta; quod denique plaga illa curata sit, ipsaque idololatria persecutrix sub Juliano Apostata non modo vitam, sed etiam regnum resumpserit.

Bestia igitur septiceps septem sunt Augusti, sub quibus decennalis illa persecutio gesta memoratur. Primus Diocletianus, ab ipso initio solus, adscivit cæteros in imperium; huic accedunt Maximianus Herculius, Galerius Maximianus, Constantius Chlorus, Maxentius, Maximinus, ac denique Licinius. Cum vero hi septem non eodem tempore, nec eadem omnes acerbitate sævirent, tres elegit Apostolus quos singulari quodam modo exhiberet, Maximianos duos et Diocletianum



ipsum, ex quibus tota moles extitit. Historiam præmittimus auctore Lactantio, cujus hæc verba sunt: « Ab Oriente usque ad Occidentem tres acerbissimæ bestiæ sævierunt, » *De Morte persecut.*, XVI. Locus omnino notus ad describenda sub his tribus quas nominavimus feris, tetra et atrocia, ab ipso anno 303 persecutionis initia. Nunc ad singulos characteres : « Bestia quam vidi, similis erat pardo, » *Apoc.* XIII, 2. Maximianum Herculium hic ponimus, varium, versipellem, nunc abjecto imperio, nunc resumpto notum, nunc amicum Maxentio filio, Constantino genero, ipsi Galerio, nunc ab iis dissidentem : nullus pardus colore aut pelle magis variata. « Pedes ejus pedes ursi, » animal informe, rapax, boreale, Galerius Transdanubianis ab oris, de quo Lactantius : « Naturalis barbaries et feritas, a sanguine Romano aliena : habebat *ursos* ferociæ et magnitudini suæ simillimos, » *ibid.* IX, 21. Pergit Joannes : « Et os ejus sicut os leonis. » Ad os pertinent edicta feralia. Hæc Diocletiani primi imperatorum nomen præferebant : leonem referunt cruentæ voces.

« Plaga mortis, » qua occiditur unum caput, deinde vero « curata, » est idololatria, amissis viribus, amisso imperio, velut mortua, convalescens tamen, cum post 50 annos, quibus victa et exarmata sub Constantino et ejus liberis jacuisse videbatur, tandem a Juliano Apostata rursus regnatrix atque persecutrix. Eo ergo pertinet illud Prophetæ nostri : « Et admirata est universa terra post bestiam, » nempe ubique terrarum idolorum servitus se tam inexspectato instauratam obstupuit. « Et adoraverunt draconem, » assueta dæmonia coluerunt; « et adoraverunt bestiam, » ipsum imperium Romanum, ipsos imperatores, ipsum Julianum pro deo, pro Serapide, pro solis filio se gerentem, suasque imagines cum idolis thure et suffitu adorandas proponentem; « dicentes : Quis similis bestiæ, aut quis potest pugnare cum ea? » quæ seipsam suscitaverit, ac deos romanos invictos esse ostenderit. « Nam data est illi potestas, » non effusa, et ad libitum illimitata, sed ut cæteris, ut Antiocho, « menses quadraginta duos, » certo quodam spatio divina potentia circumscripto, et ipsa tanti persecutoris cæde ac punitione finito; quod ipse etiam fateri cogeretur, dicens : « Vicisti, Galilæe, » *Theod.* III, 22.

« Alia bestia, » vers. 11, sunt sophistæ et magi, v. g. Jamblicus et Maximus, qui jam a Diocletiani temporibus, deinde sub Juliano Apostata, falsa philosophia, magicisque artibus ac præstigiis auxilio venerunt idololatriæ. « Habebat cornua duo similia agni, » quo significatur Julianum multa ex christianis institutis in idololatriæ splendorem usurpasse, v. g. curam pauperum, sacerdotii majestatem, etc.

12. *Quarta* visio circa ultionem Gentilium, cap. XIV.

Apparet super montem Sion martyrum gloria, vers. 1, 2, in Ecclesiæ vexatæ solatium; apparet Evangelium æternum ab Angelo medio cœlo portatum, vers. 6, 7, id est toto orbe clarum. « Babylon illa magna, » id est Roma, divinæ justitiæ pœnas dedit, clamante Angelo : « Cecidit, cecidit, » vers. 8. Victa est, capta est, prædæ et ludibrio Alarico, barbaris data est, pristino imperio et splendore mulctata; tum in urbe et extra urbem immittitur gemina falx ad messem et ad vindemiam, vers. 16. In ipsa enim civitate Gensericus a S. Leone Papa exoratus pepercit sanguini, opes demessuit. At in vindemia sanguis effusus designatur. « Calcatus est lacus extra civitatem, » vers. 20. Paulo post Gensericum, ab eodem Leone Papa Attila Hunnus a civium sanguine deterritus, ad vastandas igni ferroque provincias se convertit, et exivit « sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta, » hoc est 70 fere leucis; et velut calcatis uvis longe lateque torcularia redundarunt.

13. *Quinta* visio de septem phialis ac plagis, cap. XV et XVI.

Plagæ illæ horrendæ ad unum idemque tempus pertinent, Valeriani scilicet, alioquin boni principis, sed diri persecutoris.

Prima phiala effusa super terram designat immissum in paganos ulcus pessimum, sive pestilentialem tumorem : non quod Christiani prorsus immunes, sed quod parcius læsi. Vid. Eusebium, VII, 22.

Secunda et tertia phialis in mare et in flumina effusis in ipso imperii corpore, et per singulas deinde provincias, bella civilia exarserunt, et ubique sanies et cadaverosus sanguis apparuit, promulgato per angelos divino judicio, ut Romani sanguinarii post tantas sanctorum cædes exsaturarentur civium sanguine quem sitirent.

Quarta phiala super solem velut ad accendendum ejus ardorem effusa est, unde æstus, intr



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sabiles siccitates, sterilitas, fames, quæ per hæc tempora memorantur. Conf. Dionysium Alexandrinum. S. Cyprianum *ad Demetr.*

Quintam phialam effudit Angelus « super sedem bestiæ, » quæ sedes Roma est, æque sedes imperii et idololatriæ; « et factum est regnum ejus tenebrosum, » capto Valeriano imperatore, ejusque corpore Sapori Persæ substrato ad conscendendum equum : obscurata interim hoc exemplo et proculcata majestate, ac per provincias triginta tyrannis exortis, quos inter viri ignobiles, et duæ etiam fœminæ memorantur ad tanti imperii propudium.

Sexta phiala effusa est « super flumen illud magnum Euphratem, » eoque velut exsiccato, aperuit viam « regibus Orientis, » et immensis illis exercitibus de quibus actum cap. IX, 11. Joannes educit reges « totius terræ, » exteros scilicet et Romanos, in locum qui vocatur hebraice Armageddon, qui est mons Mageddon, tanquam in eum scilicet quo, velut ex consuetudine Scripturarum, regii exercitus cædi solent : quo Sisara et reges Chanaan internecione deleti sunt, quo cecidit Ochosias rex Juda, quo Josias a Nechao Ægypti rege interemptus, ex quo secutus est ille ingens apud Zachariam « in Mageddon planctus, » XII, 2, hoc est, tanta quanta potest esse lamentatio : tantus quoque in imperio Romano, duobus quoque regibus Valeriano et Juliano cæsis, exortus est luctus.

Septima denique phiala in aerem effusa, unde fulmina et tonitrua, et venti et tempestates cooriri solent : quibus etiam terra ipsa concutitur. Hac autem plaga designatur sub Valeriano rege universalis quædam commotio et inclinatio totius imperii romani, ostensis tum maxime barbaris gentibus, Suevis, Alanis, Gothis imprimis qui agmen ducerent. In hac ergo commotione, Spiritus ille rerum futurarum testis tanquam in causa videt, et Joanni ostendit rem Romanam penitus fatiscentem, ac labentis imperii motus, et exauditur « e throno vox magna clamans : Factum est; » de imperio Romano conclamatum est : En a multo jam tempore quassatum jam ruit; et « facta est civitas magna in tres partes; » Occidentis imperium, quo Roma imperii sedes collocata est, in tres imperatores partitum, Honorium Ravennæ legitimum, Attalum Romæ, in Galliis Constantinum. Sic licet Valeriani rebus intentus, ad labentis sub Honorio imperii tempora deducitur, tanquam ad alteram ex successu plagam; nihilque aliud superest quam ut ipsum Romanum excidium, jam ex obliquo tantum, directe et plane significet, quod pertinet ad cap. XVII.

Nota, bestiam, quanquam speciali ratione in Diocletiano ac decennali persecutione a Joanne consideratam, generatim tamen esse idololatriam, Romæ totoque imperio dominantem, eaque de causa hic etiam nominatam. Imaginem vero bestiæ adoratam nihil aliud esse quam imaginem romani imperatoris martyribus propositam ad sacrificia et libamina, quod et sub Valeriano gestum auctor est Eusebius, VII, 17.

14. *Sexta* visio de Babylonica meretrice, cap. XVII.

Cum nulla fere inter interpretes exstiterit hic discrepantia, pauca memorari satis erit.

« Septem capita septem reges sunt : quinque abierunt, unus est, et alius nondum venit, et cum venerit, oportet illum breve tempus manere; » quæ verba claram rerum futurarum continent historiam. Futurum enim erat, ut quinque reges, Diocletianus scilicet, duo Maximiani, Constantius Chlorus atque Maxentius in locum suum abirent, totaque persecutio in uno Maximino vigeret; Licinius, postea persecutor futurus, tunc exspectandus esset.

« Et bestia quæ erat et non est, et ipsa octava (Græce, *octavus est rex*), et de septem est » regibus, sive capitibus. Quod quid est aliud quam ipsum quodammodo duplicatum, ac sibi ipsi superjectum novum Augustum, qui et inter septem censeatur, et octavus quoque numerari possit. Porro Lactantius rem enodat his verbis : « Maxentius patri suo (Maximiano Herculio) post depositum imperium, purpuram mittit, et bis Augustum nominavit, » *De Morte persecut.*, XXVI, XXVIII.

Mitto Babylonis seu Romæ excidium, cap. XVIII, necnon cœlestium spirituum laudes, cap. XIX.

15. Posteaquam Apostolus copiosissime exposuit instantes primarum sub imperio Romano persecutionum eventus, ad ultimam persecutionem in fine sæculi transit, ejusque tres præcipuas circumstantias in unum caput XX contrahit, nempe de diabolo alligato et soluto, deque regno Christi ac de mille annis.

Serpens non est alligatus ab Angelo, aut in abysso reclusus, ne noceat omnino, ne tentet, ne persequatur Christianos; sed ne, ut olim sub paganismo, *universalis* seductio fiat, aut persecutio. Nec tacuit Joannes. Ligatus enim et clausus, « ut non seducat amplius, » ut olim indefinite, « gentes. » Non redibit unquam universalis illa seductio.



Mille annis, qui numerus perfectus est, denotatur complexio annorum quibus ad mundi extrema pertingitur.

« Et regnaverunt (beati) cum Christo mille annis. » Si hic ageretur tantum de cœlesti gloria et regno, illud imperium sempiternum diceretur, non autem ad mille annos. Cum ergo dicitur beatas animas cum Christo regnaturas, profecto intelligendum est de illo regno, sive de gloria sanctarum animarum in Ecclesia Christi usque ad sæculi finem, ante resurrectionem ultimam. Tria autem hic notanda sunt. *Primo*, agi de animabus sejunctis a corpore, ne quid suspicemur de millenariorum errore. *Secundo*, agi de passis sub bestia, hoc est in persecutione romana : sic quorum Apostolus tormenta viderat, eorum prædicat gloriam. *Tertio*, eam gloriam illis attributam, ut cum Christo sedeant, ut cum Christo judicent.

Præclare Nazianzenus de gloria et regno hoc beatorum (martyrum) cum Christo per mille annos : « Non tu (Julianum Apostatam alloquitur) victimas pro Christo cæsas, nec magnos pugiles extimuisti, Joannem Baptistam, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Andream, Theclam, alios qui et ante et post illos pro veritate, cum ferro, igni belluisque ac tyrannis decertarunt, tanquam in alienis corporibus, imo tanquam nullis jam corporibus; quorum nominibus præclari honores festaque constituta sunt; a quibus dæmones propelluntur, morbi curantur; quorum sunt apparitiones, quorum prædictiones; quorum corpora idem possunt ac beatæ animæ; quorum vel sola sanguinis gutta, atque exigua quamvis passionis signa, idem possunt quod corpora, » *Orat.* 3.

In duobus ultimis capitibus interpretandis a Cornelio nostro Bossuetius vix discrepat.

N. B. Bossuetiana Apocalypseos expositio id imprimis videtur peccare, tum quod hujus libri symbolis atque imaginibus levioris momenti aut res, aut eventus, aut homines describi censeat; tum quia multos eventus ab Apocalypsi prædictos temporibus Valeriani imper. assignat et quasi congerit, quos antea, sub Antonio Pio scil. ejusque successoribus, contigisse melius dixisset.

Quod attinet ad chronologicum ordinem, seu seriem rerum gestarum designandam, egregius est P. Jac. Philippus Lallemand, *Réflexions sur le Nouv. Testament.*

Nec de Bovet, *L'Esprit de l'Apocalypse*, contemnendus in paucis quibus a Bossuetio discrepat, quanquam propria ejus capitum XXI et XXII expositio omnino est deserenda.

## ALLIOLI APOCALYPSEOS INTERPRETATIO.

Thema Apocalypseos est : *Certamen Christi cum hostibus suis et in eosdem victoria.* Porro hostes Christi erant *Judæi* et *Ethnici;* hinc duæ hujus libri partes, quarum *prima* christianæ religionis de Judaismo victoria describitur; *secunda* Gentilitas, seu Ethnicismus, ab eadem christiana religione devicta ostenditur.

Post titulum, cap. I, 1-3, et prologum, additis epistolis ad septem Ecclesias, I, 4—IV, incipit *prima* pars, cap. V ad cap. XII, ubi agi de Judaismo a Christo et religione christiana devicto, hæc indicia sunt, tum quod divina ultio iisdem verbis intentatur, quibus Christus Hierosolymæ excidium prænuntiavit, cap. VI, 13 seqq.; tum quia et ii qui pœna afficiuntur, et ii qui ab ea eximuntur, pariter Judæi sunt, cap. VII; tum quia templum et civitas sancta a Gentibus expugnanda prædicuntur, XI, 1, 2. Quanquam si quis judicium extremum mundique finem hic quoque describi, nec verborum quibus vates utitur, sensum rei judaicæ excidio exhauriri, contendat, calculum meum adjicio.

### 1. *Conspectus primæ partis*, cap. VI—XII.

Fata hominum et regnorum soli Deo nota sunt, cap. V; revera Christus se de Judaismo triumphaturum prædicit, cap. VI, 2, ipsosque Judæos bello, vers. 4, fame, 5, et morte (gladio hostili et peste) excidendos. Sancti, qui a Judæis martyrio interempti sunt, jam nunc beati in cœlis, non quærunt ex vindictæ cupiditate, sed sciscitantur quando eventurum sit, quod ipse Christus prædixerat, *Matth.* XXIV, 6-34. Igitur horrenda clades denuntiatur, vers. 12 seqq., et ingruit; Chris-

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

tiani tamen, tam ex Judæis quam ex Gentibus collecti, a periculis erunt immunes, cap. VII. Mox, cap. VIII, 2-5, Cœlicolis stupentibus, angeli sex, classico quasi dato, divinæ ultionis adversus Judæos progressionem annuntiant, imo exequuntur, a cap. VIII, 7, usque ad finem cap. IX. Angelus Testamenti, Christi personam referens, rei judaicæ eversionem, cujus apparatus et initium in antecedentibus visionibus descripta sunt, jamjam consummandam intonat. Cap. XI, 1-14, templum Gentibus tradetur, quo significatur ejus destructio et finis Levitici cultus; deinde, vers. 15-19, septimus angelus christianam religionem de Judaismo triumphantem canit; tandem, cap. XII, Ecclesiæ christianæ victoriam in speciali visione sub symbolo mulieris parturientis vates iterum describit, ut quasi in summa priorem vaticinii partem repetat.

In hac prima parte sigillatim hæc adnota :

Cap. VI, cum sigilla sex aperiuntur, Deus vindictam suam Judæis *minatur* solummodo atque *præparat*, non jam *exequitur*.

VII, 1. Jubentur angeli retinere ventos, ne noceant terræ. Venti facile excitant tempestates et procellas. Quando igitur retinentur, ne spirare possint, non metuendæ sunt tempestates. Cum autem procellæ sint symbolum magnarum calamitatum (Cf. *Dan.* VII, 2), nihil aliud hac imagine significari videtur, nisi cladis Judæorum rebus imminentis in Christianorum gratiam dilatio.

℣. 4. Notum est Cestium obsedisse Hierosolymam, neglectisque ejus capiendæ occasionibus, sequente mense obsidionem solvisse, atque abduxisse exercitum. Christiani qui erant in urbe, memores moniti Christi, *Matth.* XXIV, 16, continuo ex urbe atque ex Judæa abierunt Pellam. Vid. Eusebium, *Hist. Eccles.*, lib. III, cap. V. Nonnulli etiam dispersi fuerunt per Europam atque Asiam, et cum Titus urbem obsedit, nemo in ea erat Christianus. Vid. Josephum, *De Bello Jud.*, lib. II, cap. XXII.

℣. 9. Christiani ex *Gentibus* commemorantur hic, ut significetur ex iis imprimis christianam Ecclesiam conflari. Joannem prospexisse non modo Hierosolymæ calamitates sub Tito et Romanis, sed etiam remotiores eventus, scilicet mundi finem, hinc quoque patet.

VIII, 1. Jam cum septimo sigillo reserato vindictæ adest *initium*, panditurque in secunda visionum parte (in qua angeli *tuba* canunt) vindictæ *incipientis* et *crescentis* descriptio.

℣. 2. Rite *tubæ* dantur angelis exitiale *bellum* denuntiaturis.

℣. 3. Suffitus vulgare precum symbolum est.

℣. 4. Versus hic symbolice significat gratas Deo fuisse preces Christianorum, et nunc in eo esse ut exaudiantur, vindictæ adversus Judæos quasi laxis habenis.

℣. 7 seqq. Miro ordine sibi invicem succedunt septem calamitates (tubæ) variis symbolis descriptæ : quatuor scilicet prioribus percutiuntur res inanimes, terra, mare, flumina et cœlum; quinta et sexta, homines; septima excidium universum peragitur.

IX, 1. Stella quæ aperto quinto sigillo de cœlo cadit, est Satanas. Datur ei clavis putei, scilicet potestas suos in terras emittendi, ut noceant hominibus.

℣. 3. Locustæ sunt Satanæ cohortes seu satellites, qui Judæorum mentem ita excæcarunt, ut inter se dissidentes, omnibusque dediti vitiis, magis rei suæ quam Romani ipsi nocuerint.

℣. 13. Describitur adventus Romani exercitus sub Tito militantis.

Rosenmullerus ad h. l. : « Fingitur exercitus, duces habens sibi præfectos dæmones, ad mala inferenda semper paratissimos. Jam vero cum malis dæmonibus sedes in locis desertis a Judæis assignari soleret, eodem relegati, vinculisque constricti dicendi erant, quamdiu illis nocendi potestas adempta erat, *Zachar.* V, 11; *Tob.* VIII, 3. Hujus autem carceris locus in desertis ad Euphratem regionibus ponitur, quod homines in Palæstina nati vel educati ad nullam forsitan regionem magis horrerent. Nunc jubet cœlestis vox vinculis liberari dæmones malos, ibi vinculis constrictos : quo significatur exercitum Romanum se jam parare itineri contra Judæos. »

℣. 20. « Adorarent dæmonia et simulacra aurea. » Alii arbitrantur Judæos, qui vitæ servandæ causa se Romanis dedissent, diis sacrificasse, et signa militaria adorasse, in documentum se in fide Romanorum mansuros. Alii improprie hæc intelligunt, servivisse nempe Judæos pecuniæ, gemmis, mensis, a quibus, utpote inanimatis rebus, servari in periculo non poterant. Causa hic redditur, cur ultimum exitium Deus ad plagas Hierosolymorum addiderit, quia homines nil erant correcti.

X, 1. Angelus *Testamenti* (*Malach.* III, 1) describitur, Christi personam referens, angelus,



inquam, dux et protector gentis Israeliticæ, itinerum comes ac laborum, legisque promulgator in monte Sina. Talis aperte denotatur iride, quod signum est fœderis Dei cum hominibus, *Gen.* IX, 13, aliisque symbolis. Quia Judæi antecedentibus plagis induruerant, angelus hic iis instantem finem fœderis denuntiat, scilicet elapso tempore brevi ad pœnitentiam dato, civitatem sanctam destructum iri, XI, 1-13, Ecclesiæque Christianæ de Judaismo triumphum a septimo Angelo proclamatum, XI, 15 seqq.

℣. 4. *Signa*, id est, clausa tene, ne legendo tradas : per metonymiam, quia quæ celata alios volumus, solemus obsignare, ut testamenta; hoc est, maturum nondum est ultimum exitium; antea duo prophetæ pœnitentiam prædicent, oportet; deinde, nisi Judæi resipiscant, tuba septimi angeli insonante res Judaica destruetur.

℣. 6. *Tempus non erit amplius*, id est, nulla amplius dilatio concedetur. Vox χρόνος significat etiam *moram*, et verbum χρονίζω interpretatur Hesychius [illegible], *moror*.

℣. 9. *Devora illum.* Comestio hæc ænigmatice significat comprehensionem, quam sequitur meditatio, quasi concoctio quædam. Sic quæ bene discimus, ea dicimur in succum et sanguinem vertere. Et satis nota sunt Latinorum *propinare, imbibere, devorare, deglutire*, de rebus mente percipiendis.

℣. 11. Memorantur Gentes, quia ad eos quoque pertinet vaticinium (XI, 3).

XI. Vid. quæ adnotavimus pag. 222 seqq.

℣. 1-3. Bello Judaico incepto, antequam gentis excidium consummatur, Deus ad pœnitentiam Judæos excitat tum minis, tum duorum prophetarum prædicatione.

℣. 4. Imago desumpta est ex *Zachar.* IV, 11, 14, ubi agitur de Zorobabele, laicorum, et de Jesu: sacerdotum principe.

℣. 5, 6. Imagines desumptæ ex IV *Reg.* I, 9-12; *Eccli.* XLVIII, 3; *Exod.* VII—IX. Sensus est, Deus Christianos æque atque olim Eliam, est protecturus; nihil tam magnum et stupendum est, quod non a Deo impetrent, si opus sit.

℣. 7. Bestia est Satanas.

℣. 8. Sodomis sæpe Prophetæ Judæam comparant in peccatis et in pœna. Comparatur etiam Ægypto, sive propter ejus idololatriam, sive quia sicut Ægyptus Jacobi populum vi oppresserat, ita Hierosolyma Christi populum.

℣. 10. Imagine hac describitur Zelotarum insania, qui spretis Christianorum monitis, suisque viribus ac cœlesti auxilio confisi, victoriam ratam certamque habebant.

℣. 11. Sensus est : Non multo post Deus injurias eorum ulciscetur permittendo Hierosolymam reipsa ab hostibus expugnari.

℣. 13. Urbis expugnatio.

℣. 15. Quid septima tuba denuntiet, dici supervacaneum erat, quia satis per se elucet, ultimum scilicet Judaismi excidium, ita ut regnum Dei jam sit sola Christiana Ecclesia. Hoc est argumentum epinicii quod sequitur.

XII. Palæstinorum Christianorum Ecclesia, cæterarum fons et mater, tanquam Judaismi victrix modo descripta est : novo nunc symbolo hoc iterum elucescet, puta nascentem Ecclesiam a Judæis fuisse vexatam instigante Satana, sed auxiliante Deo illæsam mansisse, imo hostes suos profligasse.

℣. 1-2. Mulierem quæ parturit, esse B. Virginem, ex se patet : Maria hic, ait D. Augustinus, figura est Dei Ecclesiæ ante Christum, e qua Christus ipse ortus est, quæque mox facta est prima materque Christianorum Ecclesia.

℣. 4. *Tertiam partem stellarum*, scilicet Scribas, Pharisæos et legis Doctores vana sua sapientia inflatos, [illegible] cæcatos.

℣. 6. Hæc per anticipationem dicuntur : præcessit enim pugna Michaelis cum Dracone; qua finita, Draco persecutus est mulierem, vers. 14.

Imago desumpta est a Maria Virgine, fugiente in Ægyptum cum infante Jesu. Durante bello Romanorum cum Judæis, Christiani etiam in Judæa magnis periculis fuerunt expositi. Sed consuluerunt sibi fuga. Concesserunt nempe Pellam in Peræa. Tempus hic rursum annorum trium et dimidii, quamdiu duravit bellum Judaicum ducibus Vespasiano et Tito.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

℣. 17. Quum nihil effecisset Satanas contra Christianos *ex Judæis*, vel cœtus Christianos *in Judæa*, fœminam dimittit, totam rabiem in Christianos *ex Gentibus*, efflaturus : quæ sane apta transitio est e prima parte hujus libri ad secundam.

II. *Conspectus secundæ partis*, cap. XIII—XX, 5.

Romanum imperium ejusque antichristiana potestas ex una parte, XIII, 1-18, ex altera Sanctorum chorus in scenam prodeunt, XIV, 1-5, velut athletæ duo inter se dimicaturi : unus viribus et astu potens, alter inermis divinas laudes concinendo. Piorum patronum se Deus profitetur : ideo a duobus angelis prædicitur Romani imperii exitium, ac pœna a Christiani nominis hostibus sumenda, XIV, 6-13; Messias ministros suos progredi jubet, tanquam messores et vindemiatores, ut divina decreta exsequantur, XIV, 14-20. Dum angeli septem quasi in procinctu stant ad mandata Christi obeunda, Electi, stantes circa thronum Dei, epinicium præcinunt. Hymno dicto, septem ultrices phialæ, quasi totidem voces ad pœnitentiam metu calamitatum vocantes, in terras effunduntur, XV, 5-18. Cum homines non resipiscant, Romanum imperium calamitatibus tum intestinis, tum externis absumptum, labefactatur et fatiscit, XVI, 19-21. In urbe Roma, velut imperii sui capite, Ethnicismus consedit : ponitur ergo hic vaticinium adversus Romam. Urbs illa, cultu idololatrico contaminata, Christianorum ebria sanguine, libidinibus fœda, fracto imperii robore, vix principes habere potest, usque dum imperii primaria sedes esse desinat, XVII, 1-11. Reges qui initio Romæ partes sequebantur, et adversus Christi Ecclesiam pugnabant, ad Agnum conversi, Romæ Ethnicæ exitium perficiunt, XVII, 12-18. Ornatur nunc Romæ excidium, primum planctu publico et lamento de urbis tam gravi ruina, XVIII, 1-24; deinde epinicio in tam memorabilem victoriam in cœlo per orbem decantato, XIX, 1-10; tandem solemni pompa triumphali, 11-21. His peractis, describuntur lætissima religionis christianæ et regni Messiani in his terris fata, post idololatriam in plerisque orbis regionibus extirpatam, seu diabolo per annos mille alligato. Quæ sequuntur, ultimos mundi eventus enarrant.

In hacce secunda parte hæc sigillatim adnota :

XIII. Vid. quæ adnotavimus pag. 252 seqq.

℣. 6. *Tabernaculum*, id est cultum Christianorum et religionem. *Et eos qui in cœlo habitant*, id est, beatos Martyres quos post mortem etiam conviciis lacerare non desierunt Ethnici; seu potius Christianos in terris degentes. Cf. I Cor. III, 16, 17.

16. Simulacra locuta esse, creditum Ethnicis, et, arte diabolica, credere fas est. Lactantius, lib. II, cap. VII : « Illud etiam mirabile, quod simulacrum Fortunæ muliebris non semel locutum esse traditur ; item Junonis Monetæ, » etc. Apollonii etiam imago vi dæmonis locuta, ut est apud Philostratum.

XVI, 17. Converso ad Christianam fidem Constantino, de Ethnicismo actum est.

XVII. Vid. notata ad pag. 303 et seqq.

XVIII, 4. Cum urbi excidium ab Alarico proxime immineret, ea excesserunt multi Christiani, v. g. S. Paula, quæ Bethlehemum confugit apud S. Hieronymum.

℣. 8. Roma ab Alarico expugnatur.

℣. 21-24. Imagines e Prophetis desumptæ, nec litteraliter premendæ.

## BARTHOLOMÆI HOLZHAUSER APOCALYPSEOS INTERPRETATIO.

*Septem Ecclesiæ quæ sunt in Asia*, ad quos nominatim scribit Joannes, sunt typus totius Ecclesiæ Catholicæ in variis suis ætatibus, septem scilicet. Id a Spiritu Sancto monemur : nam, expletis monitis ad harum Ecclesiarum angelos, III, 22, D. Joannes addit : « Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. » Quæ verba sane sunt attentionem excitantis ad mysterium aliquod, seu altiorem ac remotiorem sensum intelligendum.

Cæterum singulis ætatibus respondent tum singuli dies creationis, tum septem historiæ Israeliticæ epochæ, tum septem dona Spiritus Sancti.

Plures sunt in Apocalypsi repetitiones, seu potius *quasi repetitiones*, quia in unaquaque percurritur quidem *moraliter* ab initio usque ad finem Ecclesiæ historia, sed non in singulis reperiuntur omnia et eadem facta, cum omnibus et iisdem circumstantiis ; et facta quæ in singulis hinc inde eadem sunt, aliis equidem imaginibus repræsentantur, et alias instructiones continent. Sub hoc respectu totus liber ita dividi potest :



Cap. I—III, monita ad septem Asiæ Ecclesias, quibus generalis conspectus historiæ ecclesiasticæ adumbratur.

IV—XI. Ecclesiæ historia ab ejus initio ad finem usque variis symbolis sigillatim conficitur.

XII—XIX. Secunda repetitio, in qua pauci, sed maximi momenti prænuntiantur eventus.

XX. Tertia repetitio, in qua, omissis quæ ad nascentem Ecclesiam spectant, quædam ad finem ejus pertinentia delineantur.

XXI—XXII. Quarta repetitio, qua tantum describuntur Ecclesiæ militantis ultima fata, perennisque ejus in cœlis triumphus.

Nota, singulam Ecclesiæ ætatem non certo temporis articulo exordiri aut desinere, ita ut eodem ætas altera jam plene desierit aut sola vigeat. E contra, ab una ætate ad aliam sensim et sine sensu fit transitus, ita ut aliqua ætate ad finem vergente alia ætas jam oriri inceperit et quasi illabatur.

*Conspectus septem Ecclesiæ ætatum.*

I. Ephesus. Ætas *seminativa*, in qua Evangelium, quasi granum sinapis per orbem seminatur, suamque vineam Deus in Christum inserit. Apostolorum tempus. Versus finem Apostoli omnes, Joanne exempto, martyrio sublati sunt; eorum successores contra Nicolaitas decertant; prima charitas intepuit. Correlativa : 1° Donum *sapientiæ*, qua quæ sursum sunt sapiuntur, non quæ super terram, *Act.* II, 45. 2° *Prima creationis dies*, quum, Spiritu Domini super aquas abyssi volitante, lux facta est, et a tenebris divisa. 3° *Prima mundi ætas*, ab Adamo ad Noe, in qua secundum carnem propagatum est hominum genus.

II. Smyrna. « Esto fidelis usque ad mortem. » Ætas *irrigativa*, in qua Domini vinea recens plantata sanguine Martyrum irrigatur. « Habebitis tribulationem diebus decem : » hoc significantur decem persecutiones generales. Correlativa : 1° Donum *fortitudinis*. 2° *Secunda creationis dies*, in qua factum est firmamentum in medio aquarum, quo figuratur Martyrum fortitudo in mediis tribulationum fluctibus. 3° *Secunda mundi ætas*, a Noe ad Abrahamum usque, in qua primum victimarum sanguis in Dei honorem effusus est.

III. Pergamus, scientiarum laude nobilis. Ætas *illuminativa*, a Constantino ad Carolum Magnum. SS. Patres sua doctrina illuminant Ecclesiam, hæreses dissipant. Correlativa : 1° Donum *intelligentiæ*, qua a SS. Doctoribus mysteria SS. Trinitatis asseruntur et illustrantur. 2° *Tertia creationis dies*, quando recedentibus aquis in unum locum, apparuit arida, terraque herbam virentem et lignum pomiferum protulit : haud aliter baptismalibus undis irrigatus Ecclesiæ campus producit omnium virtutum gramen et flores, necnon arbores pomiferas, scilicet SS. Doctores. 3° *Tertia mundi ætas*, in qua ex una parte Israelitarum hostes et impii morte mulctati sunt, scilicet Sodomitæ, Pharao, Core, Dathan et Abiron, ex altera legem Mosi dedit Deus, quæ legem naturalem perficit et illustrat : ita hac tertia Ecclesiæ ætate, a Doctoribus confutantur hæretici : hinc « quia habes illic tenentes doctrinam Balaam... doctrinam Nicolaitarum, » II, 14, 15.

IV. Thyatira. Ætas *pacifica*, a Carolo Magno ad Carolum V imperatorem et Leonem X Pontificem. Regnat Christus per suam Ecclesiam. Monita contra sæculares ac mundanos mores. Jezabel. Correlativa : 1° Donum *pietatis*. SS. Franciscus, Thomas, Bonaventura, etc., etc. 2° *Quarta creationis dies* : « Fiant luminaria in firmamento cœli, » etc. 3° *Quarta mundi ætas*, a Moyse ad templum Salomonis. Davidis Psalmi.

V. Sardis. « Nomen habes quod vivas, et mortuus est. » Ætas *purgativa*, a Carolo V ad adventum *Pontificis Sancti et Regis Potentis*. Triticum suum cribrabit Christus. Bella, seditiones, hæreses, Ecclesia afflicta, suis divitiis et honoribus nudata, spoliata monasteria. Correlativa : 1° Donum *consilii*. 2° *Quinta creationis dies* : « Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. » Pisces et aves symbolum sunt, tum effrenæ libertatis, tum carnalium hominum. Cf. S. Judæ *Epist.* vers. 10 seqq. 3° *Quinta mundi ætas*, a templo Salomonis usque ad captivitatem. Schisma Jeroboam. Lutherus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vi. Philadelphia, *amor fratrum*. *Ætas consolativa*, ab adventu Regis Potentis et Pontificis sancti ad Antichristum. Pro calamitatibus quintæ ætatis Ecclesiam Deus solabitur. Catholicæ Ecclesiæ universalitas atque unitas. Fidei Christianæ professio sine exteriori seu temporali potestate. Religiosis ac sacerdotibus florens Ecclesia. Boni pastores. Multi sancti et Doctores. Pax vigebit regnante Rege Potenti ejusque successoribus. Correlativa : 1° Donum *prudentiæ*. 2° *Sexta creationis dies*. « Et dominamini (homines) piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram, » quibus verbis dominatio Regis Potentis significatur. 3° *Sexta mundi ætas*, quæ incipit a liberatione Judæorum, templi et Urbis reædificatione. Rex Potens respublicas destruet, evertet Turcarum imperium, in Oriente et in Occidente dominabitur.

vii. Laodicea, *populorum judicium*. *Ætas desolativa*. Antichristus. Mundi finis. « Neque calidus, neque frigidus. » Divini cultus oblivio, item virtutum omnium. Rara fidei Christianæ professio. Rerum humanarum in terris peractio. Correlativa : 1° Donum *scientiæ*. Christum judicem ut Deum cognoscent omnes. In cœlo clara visio fidem evacuabit. 2° *Septima* creationis dies. Completo suo opere, requiescet Deus cum sanctis suis. 3° *Prior Christi in terras adventus per incarnationem*.

Pauca nunc de capitibus singulis.

Cap. vi. Sigillum *primum*, bellica Christi mundum ingredientis expeditio, ut in eo devicto regnet; *secundum*, Nero; *tertium*, Hierosolymæ reique Judaicæ excidium; *quartum*, Domitianus; *quintum*, Christiani vexantur, a Trajano usque ad Diocletianum; *sextum*, Diocletianus et Maximianus.

Cap. vii. Ecclesiam militantem Deus solatur. Quatuor Angeli sunt Galerius, Maxentius, Maximinus et Licinius. Vers. 9-17, Ecclesiæ triumphantis solatium, Martyrum victoria.

Cap. viii. Sigillum *septimum*, pugnat Ecclesia adversus hæresiarchas, eorumque fautores usque ad consummationem sæculi; item, adversus Julianum Apostatam.

Vers. 7. *Primus* Angelus tuba canens, Arius; *secundus*, Macedonius; *tertius*, Pelagius; *quartus*, Nestorius; *quintus*, cap. ix, Eudoxus : stella quæ de cœlo cadit, Valens imperat. locustæ, Gothi, Wandali, etc.; *sextus*, Lutherus : quatuor Angeli solvendi sunt ejus fautores, tum principes, tum sacerdotes aut religiosi. ỳ. 20-21. Calamitates ab ipsis Catholicis partæ.

Cap. x. Consolatio Ecclesiæ in sexta ætate. S. Ignatius et Jesuitæ. Tridentinum concilium. Infideles evangelizantur. Catholici reges.

Cap. xi, 1. Toto orbe propagatur et exaltatur catholica Ecclesia. ỳ. 2. Terræ pars Gentilibus (Turcis) et Antichristo reservata, ita ut eam Ecclesia nunquam occupet. ỳ. 3-13. Antichristi persecutio. ỳ. 14-19. Ultima tuba et plaga. Cf. *Matth*. xxiv, 29 seqq.; *Luc*. xxi, 25 seqq.

Cap. xii. Signum seu mulier est Ecclesia; puer, Heraclius; draco, Chosroes.

Cap. xiii, 1-10. Ecclesiæ adversatur tum Mahometus, tum Antichristus. ỳ. 11-18, exsecrandus et impius Antipapa bestiam *adorare facit*.

Cap. xiv, 1-14. Martyrum gloria et triumphus. ỳ. 14-20, extirpatio hæreseum.

Cap. xv, 1-4. Christiani et Judæi Antichristo superstites dant laudem omnipotenti Deo, et Filio ejus Jesu Christo.

Hoc versiculo clauditur Holzhauseri Commentarius. Cur eum non absolveret interrogatus, respondisse fertur, se pristino suo ingenio ac lumine carere, ideoque muneri tanto jam esse imparem. Opus denuo in lucem recens editum est Viennæ in Austria, 1850, cura societatis Melchitaristorum dictæ; recentius autem illud gallice vertit, et ad exitum perduxit Can. de Wuilleret, hoc titulo : *Interprétation de l'Apocalypse, renfermant les sept âges de l'Eglise Cath., etc., par Barthélemi Holzhauser; ouvr. trad. du lat. et continué par le chan. de Wuilleret*, 1856, apud Vives.

Judice Haneberg, *Geschichte der biblischen Offenbarung*, part. viii, cap. iv, § xi, Holzhauser primas tenet inter omnes Apocalypseos interpretes.

Alius quoque in Apocalypsim Commentarii, pientioris licet quam acutioris, synopsin hic, ne quid omittam, cum tua bona venia, optime Lector, paucis subjiciam. Operi titulus : *Claræ simplicesque Explicationes libri Apocalypseos, auctore P. F. Verschraege, Tornaci*, 1855.



# VERSCHRAEGE APOCALYPSEOS INTERPRETATIO.

1. « Opus in septem partes divisum est, quarum sex repræsentant sex ordinarias dies Magnæ Hebdomadæ, per sex principaliores ætates Ecclesiæ Christi, incipiendo ab Ascensione Domini; septima vero pars consideratur ut magnum æternumque sabbatum, ad quod pertinet, quasi Parasceve, quidquid triste præcedere debet extremum mundi diem, et etiam extremum judicium : sicut in veteri lege vespera feriæ sextæ, et tota sequens nox, pertinebat ad sabbatum. Sex ergo prioribus partibus, sub aliis et aliis imaginibus, sexies repetitur Historia Ecclesiastica; ultima parte datur descriptio Jerusalem cœlestis. »

2. Asia (i, 4) septem Ecclesias continens, significat orbem catholicum universum, non solum in sua extensione, sed et in sua duratione, prout universam Christi Ecclesiam ab initio usque ad finem ejus in terris continet. Vox enim *Asia* significat *lutosa*, seu *turbida* : talis autem semper dici potest Ecclesia militans, tum propter continuas tribulationes quas patitur, tum propter plurima peccata multorum membrorum suorum; quamvis alio sensu vere sit tota « pulchra, » et « macula » in ea nulla reperiatur.

Porro, sicut *septem* Ecclesiæ particulares in Asia Minori numerantur, ita *septem* sunt Ecclesiæ universalis præcipuæ epochæ, seu ætates. Consequenter et Angeli earum præfigurabant sanctos Pontifices, non unum aliquem pro singula epocha, sed omnes qui in variis istis temporibus debebant existere. Etiam status singularum istarum Ecclesiarum, de quibus hic quæstio est, prænuntiabat statum universalis Ecclesiæ, quæ in diversis suis epochis, vel calamitatibus turbata per persecutiones, hæreses, schismata aut scandala, vel illustrata triumphis, in spiritu prophetico a S. Joanne prævidebatur. Omnia igitur quæ in sequentibus Epistolis dicit inspiratus scriptor de Episcopis seu Angelis septem illarum Ecclesiarum, et de populis illis commissis, non de istis solummodo, sed etiam et forte maxime de Pontificibus Romanis, in septem Ecclesiæ Catholicæ epochis, et de universo populo Christiano illis commisso, potest aut debet intelligi.

Variis modis a variis auctoribus dividuntur epochæ Ecclesiæ Christi, quæ *ætates* dici solent. Omnibus attente consideratis nobis præplacuit divisio, quam proponit et sequitur opus cui titulus : *Bible de Vence*, ubi sumitur

*Prima ætas*, ab initio prædicationis Evangelii per Apostolos, usque ad Arianismum, circa ann. Christi 320.

*Secunda ætas*, ab initio Arianismi usque ad invasionem Barbarorum in Imperium Romanum, inceptam per Hunnos et Gothos, ann. 395. Hæc ætas est brevissima tempore, sed eventibus valde notabilis.

*Tertia ætas*, a præfata invasione usque ad initium Mahumetismi, anno Domini 609.

*Quarta ætas*, ab initio Mahumetismi usque ad initium Lutheranismi, anno 1517. Hæc ætas est hucusque longissima, et ob tyrannidem Mahumetanorum, et schisma Græcorum, valde calamitosa.

*Quinta ætas*, ab initio Lutheranismi usque ad completam extinctionem Imperii Romani sub Francisco II, qui abdicavit, cogente eum Napoleone, ann. 1806. Etenim ejus filius et successor non resumpsit titulum Imperatoris Romani.

*Sexta ætas*, est et erit a præfata abdicatione usque ad proxima præludia judicii extremi. Incertum quamdiu hæc adhuc duratura sit.

*Septima* tandem et necessario *ultima* ætas, erit beata æternitas in qua celebrabitur magnum sabbatum, dum scilicet Deus cum omnibus electis suis introierit in requiem suam.

3. Interim notandum, quod tum initium, tum finis singulæ ætatis non debeat sumi omnino stricte, præcise ad annum vel diem aliquem absolute determinatum, quia magni eventus solent a longe paulatim præparari, antequam initium clare distinctum sumant; et similiter post completum cursum, nonnisi paulatim evanescere.

4. Sic igitur reperietur prophetica historia Ecclesiæ universalis, *primo*, in ordine quo ponuntur in hoc libro septem illæ particulares Ecclesiæ, in earum statu et nominis significatione;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*secundo*, in apertura septem sigillorum et singulorum sequelis; *tertio*, in sonitu septem tubarum, et his quæ post singulum sonitum contingere videbimus. Sic pervenimus usque ad caput duodecimum, ubi per apparitionem symbolicæ Mulieris incipit *quarta* repetitio, sed non tam completa, nec tam clare septem epochis distincta, ac præcedentes, tamen lectorem iterum ducens ab initio usque ad finem historiæ ecclesiasticæ. Capite XV resumitur *quinta* vice eadem historia per effusionem septem phialarum, quæ repetitio est iterum septem epochis clare distincta et duobus capitibus comprehensa. Postea sequitur *sexta* repetitio, quæ claudit historiam Ecclesiæ militantis, sed non facile distribui potest per septem epochas; incipit tamen evidenter etiam per primas Christianorum calamitates sub Paganorum tyrannide, et terminatur per extremum judicium, clarius quidem quam in præcedentibus repetitionibus expositum. *Tandem* liber *Apocalyp.* clauditur per historiam, seu descriptionem Ecclesiæ triumphantis in cœlis, in qua tamen repetitur aliqua recapitulatio sive rememoratio præteritorum, quæ locum habuerunt in terris.

6. Nunc ad singulas devenimus Ætates, cap. II-III.

1° Ephesus significat *desiderium*; illo ergo nomine vocatur civitas quæ est sedes primæ ex septem Ecclesiis. Illo mystico desiderio apte repræsentatur Ecclesia Catholica in prima sua Ætate, dum Apostoli omnes multique alii ex Christi et Apostolorum discipulis recenter inflammati igne Spiritus Sancti, ardentissime desiderabant progressum regni Christi, pro quo solo vivere et mori cupiebant. In prima illa Ecclesiæ universalis epocha, Angeli illius, seu Episcopi, id est, summi Pontifices, qui postea speciali nomine *Papæ* vocati sunt, fuerunt S. Petrus, ejusque successores usque ad Arianismum, qui omnes sanctorum catalogo adscripti sunt.

2° Smyrnæ nomen significat *myrrham*, quæ significatio mysterio non caret, ut quidem illa Smyrnensis Ecclesia apte in secunda ætate repræsentat Ecclesiam Catholicam, propter nimias amaritudines quibus tunc Sponsa Christi fuit repleta, quæ oriebantur ex vehementissimis persecutionibus, et ex furiosa Arianorum hæresi. Omnia quæ Smyrnensi Episcopo et Ecclesiæ scribuntur, Romanis etiam Pontificibus et Ecclesiæ universali in secunda epocha applicari possunt : etenim contra S. Sylvestrum ejusque successores multum sævierunt Ariani, Donatistæ, Novatiani, Sabelliani et etiam principes, eorum hæreticorum protectores.

3° Nomen civitatis Pergamus, vel Pergamum significat *elevationem*, quod inde provenire videtur, quod in loco elevato, seu montuoso, non autem in valle sita esset; sed forte magis ex dispositione divinæ Providentiæ, quia ejus Ecclesia debebat præfigurare Ecclesiam universalem in tertia sua ætate, in qua vera illa Christi Sponsa, non obstantibus omnibus persecutionibus, incipiebat notabiliter *elevari*, seu *exaltari* supra furentes inimicos suos, per triumphos veræ fidei, de idololatria, ac de omnibus istorum temporum hæresibus. Ea etiam in epocha reperiebantur viri valde notabiles sub omni respectu, qui successive cathedram S. Petri occuparunt; floruerunt maximi SS. Patres et Scriptores Ecclesiastici; celebrata sunt præcipua antiquorum temporum concilia, tum generalia, tum particularia; instituti sunt jam multi Ordines religiosi; ad Christum conversæ sunt plurimæ nationes, etc.

4° Thyatira *aromata* significat, alias etiam *sacrificium laboris et contritionis*; inde Thyatirensis Ecclesia apte videtur præfigurare et prænuntiare Ecclesiam universalem in quarta sua ætate, in multis laboribus et contritionibus, in plurimis anxietatibus et tempestatibus existentem, multaque sacrificia boni odoris Deo Patri et sponso suo charissimo Christo offerentem, tum inter horrendas Mahometanorum vexationes, tum inter continuas molestias Græcorum, unde secutum est eorum schisma; tum denique inter violentas turbationes et commotiones novorum hæreticorum sæculorum XV et XVI. Insuper et illis sæculis plurima etiam passa est Ecclesia Catholica ab imperatoribus, regibus aliisque principibus, sive quia hæresim ipsimet amplectebantur, sive quia hæreticis aut schismaticis favebant, sive quia Ecclesiæ jura usurpare conabantur, aut aliis quibusvis modis contra piissimam Matrem suam rebellabant.

5° Sardis nomen significat *princeps*, seu *principium* lætitiæ, alias etiam *canticum gaudii*. Quæ nominis significatio, ac plurima de Episcopo dicta, si applicentur universæ Ecclesiæ in quinta sua ætate, notandum est illo tempore (sæculo XVI et deinceps) multos Ordines religiosos vel refloruisse, vel fuisse reformatos, vel tunc institutos; multas nationes, per Jesuitarum præsertim labores, ad Ecclesiam Christi fuisse adductas; plurima etiam per concilium Tridentinum



fuisse explicata, statuta, renovata, reformata; plurimos errores damnatos, abusus proscriptos, instituta seminaria, etc., quibus omnibus Ecclesia novas splendidasque victorias de potestatibus adversis retulit; et ita quidem omnino videtur adimpleta fuisse prophetica significatio nominis Sardis.

6° Nomen Philadelphia, compositum ex duobus vocabulis Græcis, significat *amorem fratris*, seu *fraternitatem*. Quod quomodo isti nostræ difficillimæ ætati Ecclesiæ apte conveniat, intelliges si notes *primo*, in concursu populorum, nationum et sectarum, qualis hodie fit, jam aliqualem, et quidem valde notabilem *fraternitatem* effulgere, qualis forte nunquam antea in mundo visa fuit; et sumi posset ut præludium futuræ conversionis ad eamdem fidem. Plurima enim inveterata, ac pessima præjudicia contra fidem et Ecclesiam Catholicam inde occasionaliter dissipata fuerunt. *Secundo*, omnes sectæ acatholicæ sciunt, imo quasi oculis vident, Deum Ecclesiam Catholicam *diligere*, et efficaciter protegere; palpabili experientia cognoverunt virtutem fidei Catholicæ, indeque plurimi convicti fuerunt de ejusdem veritate. *Tertio*, sexta illa ætas Ecclesiæ c[illegible]mnum durat, nec debet terminari nisi post universalem conversionem omnium populorum, finita modo ultima Antichristi persecutione, et tunc omnibus populis tandem in una fide collectis, eadem charitate unitis, utique habebitur vera et universalis fraternitas; ergo tunc apparebit in toto suo splendore magna *Philadelphiæ* Ecclesia.

7° Nomen Laodicia, seu Laodicea, significat *populus justus*, et apprime præfigurat septimam Ecclesiæ universalis ætatem, in beata æternitate locatam, ubi solus et totus populus vere justus sub solo supremo episcopo Christo constitutus erit.

A. C.

Annotationes quibus *Commentaria R. P. Cornelii a Lapide in Apocalypsin B. Joannis Apostoli* illustravit ac ditavit Aug. CRAMPON, diœcesis Ambianensis presbyter,

Nil obstat quin imprimantur.

Datum Ambiani, die 23 octobr. ann. 1858.

† JAC. ANTONIUS,
*Ambian. Episcopus.*

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# COMMENTARIUS

# IN APOCALYPSIN

## SANCTI JOANNIS APOSTOLI.

## PROLOGUS.

A Propheta et Evangelista veteris Testamenti, ab Isaia, inquam, et Prophetis priscis, transeo ad Prophetam et Evangelistam novi Testamenti: ad S. Joannem dico, qui unus extat in lege nova Propheta, non umbræ veteris, sed lucis et veritatis Evangelicæ, eritque Propheta usque ad finem mundi. Ultima enim, finesque mundi ipse ex alta prophetiæ specula eminus prævidit et prænuntiavit. Quin imo, S. Joannem in fine mundi rediturum et prophetaturum, Doctores graves olim, et nonnulli hocce etiam sæculo, opinati sunt. S. Hippolytus enim, Episcopus et Martyr, qui ex Arabia devotionis ergo, ut limina Apostolorum viseret, Romam veniens sub Severo Imperatore, ob singularem doctrinam et sanctitatem a Callisto Papa detentus, et creatus Episcopus Portuensis, multa præclare scripsit; ac inter alia Canonem temporis, qui etiamnum extat excisus in statua ejus marmorea, insigni et ingenti, quæ scriptorum ejus merito illi erecta visitur in Bibliotheca Vaticana; ac tandem ab Ulpiano Jurisconsulto, acri Christianorum hoste, capitis damnatus, gloriosum obiit martyrium anno Domini 229: Hippolytus, inquam, lib. *De Consummat. sæculi*, scribit S. Joannem cum Henoch et Elia venturum, ac contra Antichristum depugnaturum. S. Hippolytum secuti sunt nuper Ambrosius Catharinus, tract. *De Gloria Christi consummata*, noster Alfonsus Salmeron, et propendet Sebastianus Barradius in illud *Joann.* cap. XXI, vers. 23: «Sic eum volo manere donec veniam.» Hi enim censent S. Joannem instar Henoch et Eliæ necdum esse mortuum, ideoque habere corpus mortale, prædicaturum contra Antichristum, et ab eo martyrio afficiendum: interim tamen per Dei dispensationem jam videre Deum, eoque frui. Probant id *primo*, ex ipsomet S. Joanne *Apocal.* X, 11, ubi audit ipse a Deo: «Oportet te iterum prophetare Gentibus.» Si «iterum,» inquiunt, quando, nisi sub iteratum Christi adventum? *Secundo*, ex ejus *Evangelii* cap. XXI, vers. 23, ubi ad Petrum Christus de Joanne dicit et statuit: «Sic eum volo manere donec veniam.» Ergo, inquiunt, manebit Joannes in vita hac, donec veniat Christus ad judicium. *Tertio*, quia corona martyrii Joanni æque ac cæteris Apostolis debetur, et vero promissa est a Christo *Matth.* XX, 23: «Calicem, ait, meum bibetis.» At hactenus ipse Martyr non fuit. Fiet ergo ab Antichristo. Denique decet ut, sicut Joannes Baptista præivit primum Christi adventum, ita Joannes Evangelista præeat secundum.

Verum S. Joannem esse mortuum asseverant S. Hieronymus, Eusebius et veteres pene omnes, imo tota Ecclesia, quæ S. Joannis quasi mortui, et in cœlo jam cum Christo, instar aliorum Beatorum, gloriose regnantis festum celebrat, eumque publice in Litaniis, æque ac alios Sanctos, colit et invocat. Accedit quod in Concilio Ephesino jubentur coli reliquiæ SS. Martyrum, maxime vero Joannis Theologi (qui fuit Apostolus et Episcopus Ephesi), ac earumdem reliquiarum meminit Cœlestinus Pontifex in epist. *ad Concilium Ephesinum*. Si reliquiæ ejus extant, ergo mortuus est.

Quod ergo cap. X *Apocal.* ei dicitur: «Oportet te iterum prophetare Gentibus,» sic intellige, non quod in fine mundi, sed quod sequentibus cap. XII, XIII, XIV, aliisque usque ad finem Apocalypseos, Gentibus eum prophetare jubeat, uti de facto iisdem ibi prophetat.

Illud vero *Evangelii* ejus, cap. XXI: «Sic eum volo manere,» idem est, ac si diceret: «Si eum volo manere,» uti alii codices legunt. Loquitur enim Christus non assertive, sed conditionate, idque ad reprimendam curiosam S. Petri interrogationem: «Domine, hic autem quid?»

Porro, quando et quomodo S. Joannes calicem passionis et martyrii biberit mox dicam.

Propheta ergo duntaxat est S. Joannes in *Apocalypsi*, quam jam quarto docendo et commentando ordiri, et Deo dante totam explicare destino.

Quanta sit sublimitas et excellentia Apocalyp-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

oræ aliis Scripturis canonicis, ex tribus magitibus æstimari potest.

*Primum* est materia. Sicut enim S. Joannes in Evangelio cæteris tribus Evangelistis antecellit, eo quod ipse pene solus ex professo agat de Christi divinitate, de Verbi origine, de processione et spiratione Spiritus Sancti, de Sanctissima Trinitate, de ejusdem unitate, relationibus, attributis, et similibus : unde ex eo Patres omnia pene argumenta contra Arianos, Sabellianos, Servetianos, Macedonianos, etc., æque ac Scholastici totam materiam de Trinitate, deque Deo trino et uno hauserunt. Ita hic in Apocalypsi idem ipse Dei in cœlesti throno residentis, Agni ab origine mundi occisi, Spiritus Sancti multoculi et multivarii majestatem, Angelorum et Beatorum venerationem, prædestinatorum signationem, Martyrum et Virginum gloriam; rursum futuras Ecclesiæ persecutiones, successus et triumphos ad Antichristum et finem usque mundi, Babylonis excidium, Henoch et Eliæ prædicationem et martyrium, Gog, Magog et Antichristi interitum, æterna gehennæ supplicia, Jerusalem cœlestem gemmis et auro radiantem, vivis coloribus depingit ac quasi corporata et præsentia oculis spectanda subjicit, ut cœlum palmo metiri, ut ait S. Cyrillus, Præfatione *in Evangelium S. Joannis*, ac humana humilitate in altissima provehi videatur. Quocirca S. Hieronymus, lib. IX *in Isaiam*, sub finem, asserit Apocalypsin « medullata Ecclesiæ Sacramenta contexere. » Ac S. Dionysius, *Eccles. Hierarch.*, cap. III, part. III : « Arcanam illam, inquit, ac mysticam omnino visionem dilecti discipuli, divinamque Domini Jesu et altissimam Theologiam, eis qui Dii fieri merentur exponit, eosque per sacra mysteria sustollit atque confirmat. » Apocalypsis ergo claudit in se et Theologiæ medullam, et Christianæ philosophiæ ac doctrinæ Evangelicæ quasi nucleum et animam. In Apocalypsi igitur jugiter et continuo cum sedente in throno, cum Agno, cum Angelis, cum 24 senioribus, cum sanctis quatuor animalibus, cum duodecim millibus signatorum ex qualibet tribu Israel, et turba magna gentium, cum palmatis Martyribus, cum Virginibus canticum novum cantantibus, cum muliere amicta stellis duodecim et lunam pedidus premente, cum Henoch et Elia, cum Sanctis stantibus supra mare vitreum qui vicerunt bestiam, habentibus citharas Dei, et cantantibus canticum Moysi et canticum Agni, supra fulgura et tonitrua in cœlo novo et terra nova, in Jerusalem nova descendente de cœlo versabimur, ibique gustabimus lignum vitæ, Agnusque deducet nos ad vitæ fontes aquarum, ut beatarum mentium beatam vitam hic præcipiamus et prælibemus eamque audiendo et meditando contemplemur, et æmulemur, quam brevi Deo duce reipsa inibimus, ut hisce omnibus fruamur in omnem æternitatem. Hoc est quod de *Apocalypsi* S. Joannes ex ore Christi scripsit cap. I, 3 : « Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt : tempus enim prope est. »

*Secundum* est ordo temporis. Scimus Ecclesiam instar auroræ et solis, successu temporis crevisse ad perfectum diem cognitionis mysteriorum fidei. Hac de causa scriptores hagiographi novi Testamenti, longe clarius, luculentius, distinctius et sublimius de iis scribunt quam Moses et Prophetæ veteris Testamenti. Ultimus est S. Joannes, ultimus pariter Bibliorum liber est Apocalypsis; ultimam ergo manum et coronidem Evangeliis et S. Scripturæ hac Apocalypsi S. Joannes imposuit. Richardus de S. Victore, lib. VII, cap. XII, asserit « librum hunc non solum esse Evangelium, sed in Evangelica doctrina sicut ultimum, ita et summum locum obtinere, ac in ipso S. Scripturam ad modum arboris cacumen extulisse. » Quocirca aurea S. Chrysostomus, Præfatione *in Evangel. S. Joannis* : « Joannes, ait, sanctissimus, admirationis plenus, arcana redundans sapientiæ, qui tot tantaque confert bona, ut qui diligenter et accurate eum excipiunt et observant, non jam homines et terræ incolæ habendi sint, sed super omnia hujus mundi bona collocentur in angelorum consessu, neque aliter terram quam cœlum habitent. Tonitrui enim filius est, Christo dilectissimus, columna omnium quæ in orbe sunt Ecclesiarum (unde hac de causa longævissimus inter Apostolos, usque ad tempora Trajani Ecclesiam rexit), qui cœli claves habet, qui Christi calicem bibit, et baptismatis aqua ablutus est, qui supra pectus Domini multa cum fiducia recubuit, non fabulas effingit, non personatus incedit, non orchestram supplodit, non aureo ornatur vestimento, sed stola purissima, veritatis decore intexta et distincta, amictus progeditur : cui proscenium est universum cœlum, theatrum orbis terræ, spectatores auditoresque omnes angeli, et quicumque homines angeli sunt, aut fieri desiderant. Hi duntaxat ejus harmoniam audire possunt. Ipsi enim angeli, Cherubim et Seraphim nobiscum per Joannis vocem didicerunt quæ cognovimus. Hoc enim ait Paulus : Ut innotescat Principatibus et Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Huic enim Apostolo supernæ adfuere virtutes, ejus animæ pulchritudinem, sapientiam et speciem virtutis admirantes per quam ipsum simul hausit Christum. Etenim quasi lyram quamdam pretiosis lapidibus auroque distinctam, aureo plectro adhibito : sic suam sibi animam exornando effecit, ut per eam magnum et altum spiritus personaret. » Hæc et plura S. Chrysostomus sparsim eo loco.

*Tertio* est auctor. S. Joannes enim unus omnium Sanctorum coronas meruit, lauream Doctorum liliatam Virginum, roseam et purpuream Martyrum. Nimirum ipse Theologus, imo Theologorum vertex, ipse Patriarcha, ipse Propheta, ipse Apostolus, ipse Evangelista, ipse Sacerdos,



ipse Pontifex, ipse Hierarcha, ipse Virgo, ipse Martyr, ipse Angelus, non natura, sed puritate et virtute. Hinc cap. XIX, vers. 10, videns angelum fulgidum volensque eum adorare, audivit ab eo : « Vide ne feceris; conservus tuus sum. » Virgo, inquam, per omnem vitam, qua virtute et Isaiæ et S. Petro, qui conjugati fuere, præcelluit. S. Joannes enim nec in nuptiis Cana Galilææ, de quibus *Joann.* II (uti aliqui putarunt), nec alibi unquam uxorem duxit, sed virgo ad Christum accessit, virgo permansit, uti S. Hieronymus, Augustinus et passim veteres docent. Illibatum ergo adolescentiæ florem ad Apostolatum vocatus Christo obtulit, oblatumque conservavit; quocirca tum aliarum virtutum, tum hujus præsertim angelicæ puritatis merito Joannes vocatur et fuit « discipulus ille quem diligebat Jesus, » qui transfigurationi et secretioribus omnibus ejus arcanis et miraculis interfuit, qui in ultima cœna super pectus Christi recumbens, ex eo omnem sapientiam suxit, nimirum virgo virginem dilexit, virgini virgo sua secreta credidit, atque arcana et abscondita a constitutione mundi revelavit : quin et moriens virginem matrem, quasi depositum charissimum, virgini commendavit. « Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt, » tam in hac vita per fidem, quam in altera per speciem.

Martyrem dixi, quia esto cervicem Joannis, æque ac Pauli, carnifex non amputarit, longum tamen ipse pro Christo martyrium subiit, tum in omni vita; tum cum a Domitiano Imperatore in insulam Patmos relegatus, insulanos omnes ad Christi fidem convertit; tum denique vere et proprie Martyr exstitit, cum hic Romæ ante portam Latinam, ejusdem Domitiani jussu in dolium ferventis olei immissus, mortis agonem obiit, sed miraculo ex eo illæsus, pulchrior et vegetior egressus, quasi a morte redivivus surrexit : scilicet quia virgo erat, instar trium puerorum in fornace Babylonia, ab igne uri aut lædi non potuit.

Extat hic Romæ martyrii ejus locus sacello insignitus, in cujus pariete ipse in dolio olei bullientis depingitur, cum hac inscriptione : « Joannes Christi Apostolus, Evangelista, Propheta et Martyr, e dolio ferventis olei vegetior exivit. » In averso vero pariete hæc inscripta visuntur carmina :

> Martyrii calicem bibit hic athleta Joannes,
> Principii Verbum cernere qui meruit.
> Verberat hunc fuste Proconsul, forfice tondet,
> Quem fervens oleum lædere non valuit.
> Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli,
> Quæ consecrantur, inclyta Roma, tibi.

Unde patet S. Joannem tunc pariter fustigatum fuisse, atque ignominiæ causa attonsum relegatum fuisse in exilium Patmos. Tam ergo Roma martyrio S. Joannis, quam S. Petri et Pauli gloriari potest, et vero debet. « Felix statu Ecclesia (Romana), ait Tertullianus, lib. *De Præscript.*, cap. XXXVI, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis Baptistæ exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes postquam in oleum igneum demissus, nihil passus est, in insulam relegatur. » Atque hic est calix quem Christus ei propinavit dicens : « Calicem quidem meum bibetis. » Quocirca Tertullianus et alii veteres Joannem appellant Martyrem. Quin et ipse Joannes, *Apocal.* I, 9 : « Ego, ait, Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu : fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, et testimonium (græce μαρτύριον) Jesu. » Taceo Martyrem fuisse, quando cruci Christi astitit cum Virgine matre tum Christi, tum sua, et doloris gladius ejus non corpus, sed animam penetravit, ut Christi dilecti, imo jam fratris sui, mortem intime ipsi compatiendo et commoriendo sentiret : videbat enim vitam suam mori in cruce; ibi ergo cum suo Christo mortuus est. Unde S. Bernardus, in *Lament. B. Mariæ*, loquens de ea et de S. Joanne, cum cruci Christi astarent, et illa huic quasi mater filio a Christo commendaretur : « Dum hæc, ait, pauca diceret (Christus), illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabant. Tacebant ambo illi martyres, et præ nimio dolore loqui non poterant. Isti duo virgines audiebant Christum voce rauca et semiviva loquentem, ipsum videbant paulatim morientem. » Et mox : « Amabant flere, et flebant amare. Amare flebant, quia amare dolebant. Nam gladius mortis Christi animas utrorumque transibat. Transibat sævus, sævus perimebat utrumque. »

Porro inter quatuor illa sancta animalia Cherubim nuncupata, currumque Dei stipantia, quem vidit Ezechiel, cap. I, et S. Joannes, *Apocal.*, IV, S. Matthæus homini, Marcus leoni, Lucas bovi, S. Joannes vero aquilæ comparatur. Quia sicut Isaias alios Prophetas, ita S. Joannes omnes Evangelistas sublimitate superat, et quasi aquila altissime in cœlum se librat. Moses rerum creationem et Pentateuchum a principio mundi et temporis orditur, dicens : « In principio creavit Deus cœlum et terram. » Similiter, sed altius, nimirum a principio, non temporis, sed æternitatis, Evangelium orditur Joannes : « In principio erat Verbum. » Atque, quod notatu dignum, æque ac mirum est, vidit S. Joannes adhuc vivens quatuor animalia, et seipsum in aquila repræsentatum in cœlo empyreo, throno Dei astantem, ac inter beatas mentes Deum assidue collaudantem : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens. » Quocirca jure S. Joanni hoc elogium tribuitur (quod nonnulli dant quoque S. Thomæ Aquinati) : « Doctorum sanctissimus, et Sanctorum doctissimus. » Nam, ut ait S. Hieronymus, *Præfat. in Matthæum* : « Joannes Apostolus et Evangelista, quem Jesus amavit plurimum, qui supra pectus Domini recumbens purissima doctrinarum fluenta potavit, et qui solus de cruce

meruit audire : Ecce mater tua. » Amplius dicit S. Augustinus, tract. 36 *in Joann.* : « S. Joannes Apostolus non immerito aquilæ comparatus, altius multoque sublimius aliis tribus (Evangelistis) erexit prædicationem suam, et in ejus erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam cæteri tres Evangelistæ tanquam cum homine Domino in terra ambulantes, de divinitate ejus pauca dixerunt : istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum supra terram, et super omnem ambitum aeris et cœli, sed super omnem etiam exercitum angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum, et pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Huic tantæ sublimitati principii etiam cætera congrua prædicavit, et de Domini divinitate quomodo nullus alius est locutus : hoc eructabat quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia et in convivio supra pectus Domini discumbebat. De illo pectore in secreto biberat; sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit, ut perveniat ad omnes gentes, non solum incarnatio Filii Dei, passio et resurrectio, sed etiam quod erat ante incarnationem unicus Patri, Verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei a quo missus est. » Merito ergo S. Dionysius Areopagita scribens ad S. Joannem, eum solem Evangelii indigitat.

Denique S. Joannes cum fratre Jacobo a Christo nomen excelsum, scilicet Boanerges, id est filii tonitrui, accepit. « Clangit, ait S. Hieronymus, epist. 85 *ad Evagrium*, tuba filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, et de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit. »

Quocirca, ut idem ait, præfatione *in Matth.*, Joannes prævio jejunio, addit ex Metaphraste Baronius, præviis tonitruis et fulguribus, quasi alter Moses, novum legis novæ exordium intonuit : « In principio erat Verbum. Joannes, ait S. Epiphanius, *hæresi* 73, vere tonitrui filius, per propriam suam grandiloquentiam, velut ex quibusdam nubibus, a sapientiæ ænigmatibus, piam nobis de Filio intelligentiam persuasit. »

Joannes ergo fuit « filius tonitrui, » id est tonitru, sicut filius hominis est homo.

Rursum, fuit filius tonitrui, id est fulmen; sicut enim ex matris utero ingenti parturitionis nixu et dolore, excluditur et nascitur filius : sic ex vehementi nubium collisione et tonitruo excluditur, et parturiendo quasi procedit fulmen. Sunt ergo duo fulmina belli sacri, non Scipiadæ, sed Zebediadæ, toto orbe et quovis sæculo tonantes et fulminantes.

Hoc est quod de quatuor hisce animalibus ait Ezechiel, cap. I, vers. 14 : « Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. » Certe in ejus Apocalypsi crebra ejus tonitrua et fulmina audiemus : fulminei hujus zeli exemplum, licet immaturum adhuc, dedit, *Luc.* IX, 53, quando Christo, utpote Judæo, a Samaritanis rejecto, indignans ac Eliæ zelum induens cum fratre Jacobo dixit : « Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos ? » Maturius dedit quando Theodosio pio Imperatore contra Eugenium tyrannum dimicaturo oranti, superumque opem imploranti, apparuit S. Joannes cum S. Philippo, vestitus candidis, et equo candido insidens, eique pugnam cum Eugenio edixit, ac suam opem victoriamque promisit; quam et præstitit insigni miraculo, tela hostium in ipsosmet retorquens, uti refert Theodoretus, lib. V, cap. XXIV, et Nicephorus, lib. XII, cap. XXXIX.

De S. Basilio scribit S. Nazianzenus : « Oratio ejus erat tonitru, quia vita erat fulmen. » Talem nimirum decet esse Prælatum, talem Doctorem, talem prædicatorem, ut vita fulguret, verbo tonet; plus feriat et penetret exemplo, quam præcepto : vita ejus sit fulmen, et oratio ejus erit tonitru. Talis præ omnibus fuit S. Joannes Boanerges : oratio ejus erat tonitru, quia vita erat fulmen. Quocirca ipse quasi tonitru et fulmen totum orbem percellendo, eum Verbi divinitate et incarnatione illuminavit, ejusdemque charitate inflammavit. Testis est sermo ille longissimus et ultimus Christi a cœna, spiritu et ardore plenissimus, quem e sinu Christi excepit, ac in omnium aures et mentes effundit, *Evangelii* cap. XIII, XIV, XV, XVI, XVII. Testes ejus epistolæ : « Deus, inquit, charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. » Testis tota vita, qua non aliud voce et opere spiravit, quam charitatem Dei et proximi; adeo ut jam plane decrepitus, cum in plura non posset vocem verba contexere, per singulas Ecclesiæ collectas non aliud diceret, quam : « Filioli, diligite invicem. » Ac rogatus a discipulis cur idem hoc jugiter ingeminaret, respondit : « Quia præceptum Domini est, et, si solum fiat, sufficit, » uti refert S. Hieronymus in cap. VI *ad Galatas*. Fuit ergo S. Joannes Cherub Dei, Benjamin Christi, Deiparæ adoptivus, Evangelistarum aquila, Apostolorum Mathusalem, sapientiæ abyssus, charitatis incendium, integritatis smaragdus, virgo sine labe, maryr sine morte, amiantus in igne, sol Ecclesiæ, deliciæ fidelium, Theologorum vertex, Prophetarum apex, cœli fulmen, orbis tonitru, » et « S. Scripturæ, secretarius Verbi æterni, thesaurarius omnium ejus opum et charismatum.

Narrat S. Brigida, lib. VI *Revelat.*, cap. LXXXIII, se, petente M. Mathia Sueco, commentante in Apocalypsin, petiisse a Christo, quis esset auctor Apocalypsis? ac Joannem jussu Christi respondisse : « Ego sum Joannes, cui in cruce assignasti matrem tuam. Tu, Domine, inspirasti mihi mysteria ejus, et ego scripsi ad consolationem futurorum, ne fideles tui propter futuros casus everterentur. »



Quocirca in tanta ejus sublimitate et spiritu, in tanta profunditate Apocalypseos, ut Boanerges nunc nostrum audiamus et hauriamus, faciamus quod fecit S. Gregorius Episcopus Neocæsariensis, ob multitudinem miraculorum cognomento Thaumaturgus, uti de eo refert Gregorius Nyssenus in ejus Vita, qui cum Origenis errabundi fuisset discipulus, factusque Episcopus fluctuaret de doctrina adeo tunc controversa, deque doctrinæ modo ac methodo, per somnium a B. Virgine ad S. Joannem hunc nostrum deductus fuit, qui ab illa ei datus præceptor, Symbolum ei tradidit, cujus exordium est : « Unus est Deus; » quod celebrat quinta Synodus Œcumenica, et tota Orientalis Ecclesia : quo Symbolo pleraque divinissima Evangelii et fidei mysteria limpide explicat et complectitur. Quocirca hoc Symbolo omnem Gregorio nebulam abstersit, omnem fluctuationem sustulit. Idem et nos ab eo identidem efflagitemus; nam et ipse lacrymis ac precibus libri signati, puta Apocalypseos, resignationem et declarationem a Deo impetravit. Hoc est enim quod ipse ait cap. V, vers. 3 : « Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, etc., aperire librum, et ego flebam multum, etc., et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. »

Ita oranti S. Chrysostomo (uti habet ejus Vita) apparuit S. Joannes cum S. Petro, vestitus albis, et respectu augustiore quam humano, eumque manu apprehendens dixit : « Sumus a Christo missi ad te, accipe librum, donum tibi missum a Deo. Ego sum Joannes Apostolus et Evangelista, qui caput in pectus Domini reclinavi. Hoc libro facile intelliges S. Scripturam, ac a me adjutus nullam in ea experiere difficultatem; » datoque ei osculo pacis in cœlum remeavit. Hæc Joannes ad Joannem, quem quasi discipulum illuminavit, fecitque Chrysostomum.

Aspice nos ex alto, o aquila cœlestis, illumin tenebras nostras, aciem mentis acue, ut irretortis oculis jubar cœlestium sacramentorum in Apocalypsi tua reconditum perspicere et contemplari, aliisque contemplandum proponere valeamus. Da, ut sacramenta hæc efficacia, æque ac sublimia legentes et ruminantes, excitemur ad illustre obsequium et amorem Dei nostri, ut tecum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et spiritu diligamus Jesum nostrum, ac vicissim ab eo singulariter diligi mereamur, ut pariter audiamus quod audisti et audis : « Hic est discipulus ille quem diligebat, » diligit, et in æternum diliget, « Jesus. » Impetra nobis, ut amore Jesu amori vano creaturarum omnium, utpote vanarum, exilium, instabilium et caducarum, moriamur; quia ipse pro amore veri amoris nostri, rebus omnibus, vitæque suæ mori dignatus est. Impetra, ut forti hoc et æterno amore omnia prospera et adversa, omnes infirmitates corporis et animæ, omnem inopiam, omnes ærumnas, humiliationes, despectus, persecutiones, labores, adversitates, mortificationes, angustias, quin et mortem ac martyrium generose sufferamus, imo alacres et ludibundi superemus et transcendamus, quia « fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. » Quod ut facilius obtingat, impetra nobis patrocinium Virginis matris Jesu, imo tuæ, ut ei dicat Pater : « Mulier, ecce Filius tuus; » et vicissim nobis : « Ecce mater tua. » Ipsa est enim mater amoris nostri; ipsa Jesum in corde nostro pariet. Ipsa est charitatis incendium; ipsa nos charitate ardentes efficiet, dilectos, fratres, imo filios sui et nostri Jesu, qui est vita nostra, gaudium nostrum, cor nostrum, jubilus noster, beatitudo nostra, æternitas nostra, Deus noster, amor noster et omnia.

## QUÆSTIONES

# PROOEMIALES IN APOCALYPSIN.

Quæritur primo, de auctoritate et auctore Apocalypseos, an nimirum sit liber canonicus, a quo et quando scriptus? Dubitarunt olim nonnulli de auctoritate hujus libri. Marcionitæ et Alogiani olim, teste Epiphanio, lib. II, *hær.* 51, et nostro sæculo Erasmus, Lutherus et Calvinus Apocalypsin a canone sacræ Scripturæ rejecerant. A suis ergo Patriarchis degenerant Augustinus Marloratus et Beza, quos sequuntur moderni Calvinistæ, qui eamdem recipiunt, ut ex ea probent Romanam Ecclesiam esse Babylonem, et consequenter Pontificem Romanum esse Antichristum, sed perperam, ut suis locis ostendam. Cæterum ipsi cornicum oculos configunt, atque invidia cæci, ut Pontifici eruant oculum unum, sibi alterum, imo utrumque, eruunt. Eorum enim servum arbitrium, ac fidem solam justificantem plane destruit, ac libertatem arbitrii, æque ac charitatis, aliarumque virtutum opera et merita, plane astruit Apocalypsis. Dubitarunt et nonnulli Catholici. Nam « Græcorum Ecclesiæ (aliquæ scilicet; nam de pluribus contrarium ostendunt Cardinales Baronius et Bellarminus) Apocalypsin non suscipiunt, » ait S. Hieronymus, epist. 129 *ad Dardanum*. Unde et Amphilochius, coævus S. Basilio, in *Catal. lib. canon.* : « Apocalypsin, ait, Joannis ali-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui iis inserunt; sed longe plurimi adulterinam respuunt. » Quin et Caius, vetus auctor, apud Eusebium, lib. III, cap. XXVIII, Apocalypsin attribuit Cerintho hæretico Chiliastæ. Chiliastæ enim, sive millenarii suum de mille annis, quibus Sanctos post primam resurrectionem cum Christo in terra regnaturos putant, errorem hauserunt ex cap. XX *Apocalypsis*, vers. 6. Verum Baronius, anno Christi 97, ostendit hæreses Cerinthi in Apocalypsi confutari.

Dico *primo* : Apocalypsis est Scriptura canonica. Est de fide, ut patet ex decreto Concilii Romani sub Damaso, ac Florentini et Tridentini. Item ex Ancyrano, Carthaginensi III et Toletano IV. Rursum ex Innocentio I, epist. 3 *ad Exsuperium*; Gelasio, S. Augustino, *De Doctrina Christiana*; Cassiodoro, Isidoro, et aliis qui canonum librorum canonicorum pertexunt. Hi enim omnes in eo nominant et collocant Apocalypsin. Quocirca veteres Apocalypsin citant ut librum canonicum. Ita faciunt S. Dionysius, Justinus, Irenæus, Hippolytus, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Chrysostomus, Epiphanius, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus et alii quos citat Pererius. Vide inter alios Cardinalem Baronium, anno Christi nonagesimo septimo, et Bellarminum, lib. I *De Verbo Dei*, cap. XIX.

Dico *secundo* : Licet aliqui, inter quos est Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, lib. VII, cap. XX (1), Apocalypsin tribuant Joanni, non Apostolo, sed alteri presbytero et Christi discipulo, qui inde Theologus vocetur, tamen certum est Apocalypsis auctorem esse Joannem Apostolum; huic enim eam attribuunt Patres jam citati. Nec obstat quod hic liber stylo differat ab Evangelio et epistolis S. Joannis, quia prorsus alia hic est materia, scilicet prophetia, quæ alio stylo scribenda est, quam historia vel Ethica. *Secundo*, non obstat quod in Græco hic liber inscribatur : « Apocalypsis Joannis Theologi, » quia cognomen Theologi appropriatum fuit S. Joanni ob sublimitatem ejus doctrinæ, qua de Verbi divinitate altissimisque mysteriis profundissime disseruit. Unde Theophylactus, præfat. *in Evang.*, ait : Ἰωάννης δὲ ὁ θεολογικώτατος. Id patet ex epistola B. Evodii, quæ inscribitur τὸ φῶς; et ex epistola decima Dionysii Areopagitæ, quæ inscribitur, *Joanni Theologo, Apostolo et Evangelistæ, exulanti in Patmo*, in qua inter alia ait : « Nulla adversitas nos privabit Joannis clarissimo radio, id quidem consecuturos memoria ac renovatione tuæ verissimæ Theologiæ. » Unde non immerito opinatur Alcazar, primum nomenclaturæ hujus auctorem, scilicet, qui nomen Theologi tribuerit S. Joanni, fuisse S. Dionysium. Idem Theologi cognomen S. Joanni attribuunt S. Cyrillus, S. Chrysostomus, Athanasius, Origenes, Damascenus, qui orat. *De Transfiguratione*, vocat Joannem « purissimum Theologiæ organum, » et alii quos citat Baronius, anno Christi 97, pag. 808. Errat ergo Beza, dum temere ex styli diversitate conjectat hunc librum esse Joannis, non Apostoli, sed ejus qui cognominatus est Marcus, *Actor.* XII, 25 (2).

Porro S. Joannes non hebraice, nec latine, sed græce scripsit Apocalypsin, quia scribit eam septem Episcopis et Ecclesiis Asiæ, ut patet cap. I, vers. 4; unde græce dicit vers. 8 : « Ego sum α et ω, » non « ego sum *Aleph* et *Tau*, » quomodo dixisset, si hebraice scripsisset (3).

Dico *tertio* : Certum est Apocalypsin non esse conscriptam ante excidium Jerusalem per Titum, uti volunt Joannes Annius, P. Salmeron et Hentenius; sed diu post eam. Probatur id *primo*, quia conscripta est post relegationem S. Joannis in Patmos, ut ipse ait cap. I, vers. 9; hæc autem relegatio facta est a Domitiano, qui regnavit post Titum, eversorem Hierosolymæ. *Secundo*, quia cap. II, vers. 13, facit mentionem Antipæ Martyris. Antipas autem passus est sub Domitiano, ut habet *Romanum Martyrologium*, 11 aprilis. Quocirca pariter certum est S. Joannem scripsisse Apocalypsin in Patmo, dum ibi exularet sub finem imperii Domitiani, nimirum sub annum Christi 97, qui imperii Domitiani fuit 14, et penultimus. Ita Irenæus, lib. V, sub finem, S. Hieronymus et Eusebius *in Chronico*, item Primasius, Andreas, Aretas, Alcazar, et alii scribentes in Apocalypsis cap. I, vers. 9, ac Baronius anno Christi 97.

Hinc patet *primo*, Apocalypsin scriptam esse viginti quinque annis post excisam Jerusalem. Excisa enim est anno Christi 72; Apocalypsis autem scripta est anno Christi 97.

Patet *secundo* Joannem scripsisse Apocalypsin antequam scriberet Evangelium. Hoc enim scripsit reversus ab exilio Patmos, ut docent S. Hieronymus in *Catal. Script. Eccles.*; Eusebius, lib. V *Histor.*, cap. XXIV; S. Augustinus et Beda, Procemio *in Evangelium S. Joannis* : nimirum scripsit Evangelium sub annum Christi 99 (biennio post Apocalypsin), qui fuit annus Nervæ, post Domitianum imperantis, primus; quo etiam anno interiit magnus ille, sive Philosophus, sive magus, certe magnus orbis impostor, Apollonius Tyanæus, cum quo Joannes in Asia, æque ac Romæ Petrus et Paulus cum Simone Mago, congressus, eum prostravit, ac Evangelio suo quasi fulmine afflavit.

Denique biennio post mortuus est S. Joannes scilicet anno a nativitate Christi 101, ab ejus passione 68, qui fuit Trajani Imperatoris 2, cum ageret annum vitæ 106, ut vult S. Hippolytus, lib. *De Consummatione sæculi* : vel, ut alii, 99; vel

(1) Hæc Dionysii Alexandrini opinio minimi est ponderis, tum quia eam ille ex antiquis Patribus primus protulit; tum quia ferventi studio Chiliastas, v. g. Nepotem episcopum, insectabatur.

(2) De Apocalypseos *authentic* conf. J. Dav. Michaelis *Apologie der Apocalypse wider falschen Tadel, und falsches Lob.* 1781.

(3) Conf. D. Glaire, *Introduction aux Livres de l'Anc. et du Nouv. Test.*, tom. VI, pag. 346.



potius, ut Baronius, 93. Cygnæam ergo hic quasi vocem edit S. Joannes. Quocirca concludens Apocalypsin pene cum vita, ad amorem suum suspirans, suave illud dulciter canit : « Veni, Domine Jesu. »

Quæritur *secundo*, quod sit argumentum, quæ materia Apocalypseos ? Mire hic variant Interpretes.

*Primo*, aliqui Apocalypsin generatim accipiunt, putantque in ea generaliter tantum describi dissidia et bella inter probos et improbos, ac utrorumque finem et exitum. Ita Ticonius et ex eo Primasius et Beda, quos fere sequuntur Ansbertus, Anselmus, Rupertus, Haymo, Richardus, Hugo, Thomas et Dionysius. Huc accedit Arias Montanus, qui censet in Apocalypsi describi pugnam carnis et spiritus in quolibet homine. Verum prius nimis generale, posterius hoc mysticum est et tropologicum.

*Secundo* alii, et longe verius, putant particulatim in Apocalypsi describi futuros Ecclesiæ per varias ætates eventus, non omnes, sed illustriores tantum aliquos. In primis ergo Lyranus, Antoninus et Aureolus censent Apocalypsin, post monita angelorum, id est Episcoporum Asiæ, a cap. IV ad finem prophetice futura prædicere, idque per sex visiones hac serie : a cap. IV usque ad VIII, *primam* visionem septem sigillorum ad Juliani Imperatoris tempora extendunt; *secundam* septem tubarum, cap. VIII et sequent., ad Mauricium; *tertiam* draconis et duplicis bestiæ, cap. XII et XIII, ad Carolum Magnum; *quartam* phialarum, cap. XVI, usque ad Henricum Imperatorem; *quintam* Babylonis, usque ad Antichristum; *sextam* denique qua finem libri claudit, ad extremum judicium, salvandorum gloriam et damnatorum supplicia referunt. Verum hos recte refutat Pererius, *disputat.* 8, eo quod hæc expositio non tantum commentitia sit, sed hiulcam contineat vacuitatem. Nam tempus, quod post Aureoli ætatem futurum erat, describi putarunt per quintam et sextam, hoc est ultimam, visionem, quæ spectat ad Antichristum, cum Antichristus hisce trecentis annis, qui fluxerunt ab Aureolo hucusque, necdum venerit, nec tam cito venturus videatur; et tamen illustria multa hoc tempore, æque ac trecentis illis annis contigerunt, et contingunt.

*Tertio*, Abbas Joachim, Ubertinus et Seraphinus putant describi in Apocalypsi septem Ecclesiæ status, scilicet *primum*, fundationis ejus in Apostolis; *secundum*, persecutionis sub Gentilibus Imperatoribus, *tertium*, prosperitatis sub Constantino; *quartum*, divisionis sub hæreticis; *quintum*, tranquillitatis et incrementi sub Carolo Magno, et deinceps; *sextum*, ultimæ persecutionis sub Antichristo; *septimum*, extremi judicii. Verum et hæc explicatio partim violenta est, partim incerta; atque tota ab ingenio humano conficta, et textui adaptata videtur, æque ac præcedens.

*Quarto*, alii censent in Apocalypsi describi prima Ecclesiæ tempora, et sigillatim bellum Ecclesiæ cum Synagoga, et cum Gentilitate, ac de utraque triumphum. Nam a cap. VI ad XII, agi de Synagogæ et judaismi abrogatione; inde usque ad cap. XX, de excidio gentilismi et Ecclesiæ regno. Ita noster Salmeron præludio VII *in Apocalypsin*, tom. XVI.

Huic subscribit noster Ludovicus Alcazar, qui fuse et operose contendit Apocalypsin esse unum et continuum ænigma, quo eleganter describatur Ecclesiæ Romanæ, præsertim primitivæ, triumphus et gloria. Sic enim ipse ait initio operis in *Epist. dedicat.* : « Persuasio mea est mentem Spiritus Sancti in Apocalypsi fuisse, egregium quoddam ænigma proferre, quod excellentiam Ecclesiæ Christianæ primitivæ, duasque præclaras ipsius victorias adumbraret : alteram videlicet, quam de Hierosolyma rebelli reportaverat, alteram quam de antiqua Roma Ethnica deinceps consecutum iri, cœlesti oraculo promittebatur. Maximum autem fore inter duas prædictas victorias discrimen, quia exitus primæ fuerat Hierosolymæ ac Judæi populi reprobatio; alterius autem finis et fructus futurus erat Urbis et orbis, id est Romæ et Gentilitatis, ad fidem Christi conversio : per quam erat futurum, ut mundani imperii domicilium ad se Christo transferente, latius præsideret Roma religione divina, quam olim dominatione terrena. » Itaque putat ipse in Apocalypsi non aliud describi, quam ruinam Synagogæ, sive judaismi, æque ac gentilismi, per erectionem Ecclesiæ et regnum christianismi.

Verum in hac explicatione multa difficultatem habent. *Primum*, quod sit nova et a communi explicatione dissentiens, licet eam cum communi conciliare conetur Alcazar, *notat.* 21; quodque ab Alcazar asseratur quidem, sed non satis efficaciter probetur et demonstretur.

*Secundum*, quod mystica videatur, non litteralis; hæc autem interpretandi ratio taxata fuit in Origene, de quo S. Hieronymus in *Jerem.* XXVII, ait : « Allegoricus semper interpres, et historiæ fugiens veritatem. »

*Tertium*, quod ex prophetia faciat historiam. Censet enim Joannem hic per ænigma describere Hierosolymæ excidium ante 25 annos peractum et præteritum. At vero Apocalypsin hanc esse prophetiam de futuro docet ipsum ejus initium, sive libri titulus et inscriptio, quæ sic habet : « Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito, » id est quæ cito futura sunt : Et vers. 3 : « Beatus qui audit verba prophetiæ libri hujus. » Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, cap. IV : « Joannes, ait, sicut appellatur Evangelista, quia librum Evangelii condidit : ita etiam appellatur Propheta, quia scripsit Apocalypsin infinita futurorum mysteria continentem. » Et Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem*, cap. XXIV, Apocalypsin appellat novæ prophetiæ sermonem, qui apud fidem nec-

tram est. » Sic et S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, cap. VIII : « Apocalypsis, ait, complectitur totum tempus a primo adventu Christi usque ad secundum. » Sic et alii. Iam quis credat S. Joannem rem præteritam, claram, toto orbe publicatam et celebrem, puta Judæorum et Hierosolymæ excidium, tam obscuro et perpetuo ænigmate describere, involvere et abscondere voluisse? Rursum, quis credat eum de Romana Ecclesia tam obscure passim loqui, cum et verba plane aliud significent, et de Romana urbe sub nomine urbis septem montes complectentis, clare et diserte agat cap. XVII, vers. 9.

*Quarto*, quia pleraque loca Apocalypseos ita clare, ex communi Ecclesiæ Doctorum explicatione, de temporibus novissimis loquuntur, ut ad Ecclesiam Romanam, Judæorum et Gentilium victricem, detorqueri non posse videantur. Talia sunt, *primo*, sexti sigilli comminationes, quæ de extremi judicii signis præviis plane intelligendæ videntur. *Secundo*, plagæ tubarum ac phialarum, quæ plane videntur esse illæ, quas in fine mundi Deus in sceleratos immittet. *Tertio*, duo testes cap. XI, scilicet Henoch et Elias, qui venient certaturi cum Antichristo, ab eo occidendi, et resurrecturi publice. *Quarto*, quod ibidem significat, Antichristum Hierosolymis regnaturum, atque eodem tempore, quo ab eo occidentur et resurgent Henoch et Elias, decimam Hierosolymæ partem terræ motu ruituram. *Quinto*, maris belluam, de qua cap. XIII, fore Antichristum; belluam vero terræ, fore ejus præcursorem et administrum. *Sexto*, Romam vastandam esse sub finem mundi per decem reges; et ex iis tres ab Antichristo occidendos, reliquos septem sponte se ei subdituros.

Respondet Alcazar, *not.* 20 et 21, duos hic esse sensus litterales, unumque alteri subordinatum : priorem per modum comparationis, alterum ut præcipue intentum. Prior est communis quem jam recensui; posterior, ait ipse, est meus de Ecclesia Romana.

Sic ergo ad singula ordine respondet, et singula juxta utrumque sensum exponit et applicat. Ad *primum* : Sexti, ait, sigilli explicatio est hæc : ante vastitatem Hierosolymæ a Tito illatam, et ante Synagogæ repulsam, horribiles cœli minæ et tonitrua præcesserunt, quæ similes fuerunt iis quæ sunt ultimi judicii diem antecessura, atque eodem modo Christus utramque rem conjungit, *Matth.* XXIV.

Ad *secundum* : Similiter, ait, dicendum est in septem tubarum plagis, Deum scilicet Apostolorum tempore, septem adversus Judæos plagas immisisse, ad earum similitudinem quas contra sceleratos in fine mundi est immissurus.

Ad *tertium*, eodem modo : Sicut enim Antichristi tempore Deus est Henochum et Eliam ad Judæos convertendos missurus : sic Apostolicæ prædicationis tempore Henochum et Eliam mystice et spiritualiter, hoc est Apostolos et viros Apostolicos, ad eosdem misit.

Ad *quartum*, similiter : Sicut decima Hierosolymæ pars Antichristi tempore ruet : sic olim Apostolorum tubis pars Hierosolymæ decima mystice corruit, cum relicto judaismo, Christo et Apostolis credens se subjecit.

Ad *quintum*, pariter : In bestia de mari prodeunte cap. XIII, designatur Imperium Romanum persequens Ecclesiam, instar Antichristi eamdem in fine mundi persecuturi.

Ad *sextum* : Decem reges in fine mundi Romam eversuros, similes esse iis qui mystice Romæ gentilismum everterunt.

Verum hæc, licet ingeniosa sint, tamen solidæ expositioni non satisfaciunt; nam *primo*, dura videntur, contorta et violenta. In Scriptura enim præterita assumuntur, ut typi et symbola futurorum : non vero e contra futura assumuntur ut sint typi præteritorum, eo quod futura præteritis sint obscuriora. Hoc autem fieri hic censet Alcazar, dum Henoch et Eliam censet assumi quasi typum Apostolorum, Antichristum assumi quasi typum Decii et Diocletiani, cum e contra hi fuerint typi et præambuli Antichristi; plagas judicio prævias assumi quasi typum plagarum, quibus jam excisa et eversa erat Jerusalem. Quis enim unquam de re præterita, per futurorum symbola tam remota et obscura locutus est, eamque ita descripsit? Præclare P. Salmeron in *Proleg.* cap. X, quinquag. 2, can. 45 : « Sicut, inquit, abusus magnus esset, et violentia quædam, historica ut prophetica interpretari : ita sane ingens esset error, et durities textus, quæ prophetice dicta sunt ad historiam referre, etiamsi illa maxime enarrentur in præterito propter immobilem prophetiæ certitudinem. Et in hoc Rupertus explicans Apocalypsin defecisse videtur, qui res maxime propheticas et futuras ad historias retulit veteris Testamenti. »

*Secundo*, quia illæ plagæ et res ad litteram, ut sonant, in fine mundi evenient : Alcazar autem illa, non ut sonant, sed mystice exponit in re præterita. Nam, verbi gratia, septem plagas cap. VII, ait fuisse Judæorum ignorantiam, concupiscentiam, iram et persecutionem in Christianos; plagam vero grandinis fuisse eorum obstinationem, etc. Sic cap. XVI, plagæ novissimæ, ait, sunt illæ, quibus Deus idololatriam debellavit, scilicet, *primo*, pudor et dolor Gentilium, dum de peccatis arguuntur; *secundo*, persecutionis crudelitas in Evangelii prædicatores; *tertio*, in Gentiles etiam ad Christi fidem conversos mira sævitia; *quarto*, ex Christianorum sapientia gravissima offensio; *quinto*, summa in persecutione excæcatio; *sexto*, post invasionem Romæ major persecutio; *septimo*, manifesta urbis Romanæ divisio, Evangelio prævalente, et idolorum cultura ruente. Quis exacta crisi litteram ab allegoria discriminans, non videt plagas hasce esse mysticas et



spiritales, non litterales? Quis ergo credat per plagas æstus, pestis, cædis, aliasque litterales, hasce mysticas, non mystice, sed primo et litteraliter significari? Si hic non est sensus mysticus, quis erit? Talia sunt et cætera.

Urget Alcazar assidue acoluthiam, sive consequentiam et connexionem Apocalypseos, quam ipse cohærentem, et continuo filo quasi diductam exhibere se putat, cæteros exhibere non posse. Verum hæc in Prophetis ubique urgenda non est, uti ibidem ostendi, et inferius ostendam. Nam in Apocalypsi quandoque esse hysterologiam, sive perturbatum temporum ordinem Alcazar negare nequit. Res enim ipsa loquitur, ut cap. XIV, vers. 8, dicitur : « Cecidit, cecidit Babylon, » cum tamen postea, cap. XVIII, demum Babylonis casus et excidium describatur. Sic cap. XIV, vers. 14, 16, 19, dicitur factum et peractum esse judicium, demessam terram, reprobos missos in lacum iræ Dei magnum, cum tamen mox cap. XVI, subdat septem plagas orbis judicio prævias; et cap. XVII et XVIII, excidium Babylonis; et cap. XIX, stragem Antichristi, Gog et Magog; et cap. XX, solutionem Satanæ, etc., quæ omnia præibunt diem judicii et consummationem sæculi, uti constat. Ad hæc, acoluthia hæc in sensu communi, quem Alcazar admittit, et quasi grammaticum suo præsupponit, servari nequit, uti ipse contendit; cur ergo servetur in sensu ænigmatico, sive parabolico, qui grammatico inniti, et ex æquo respondere debet? *Tertio*, quæ acoluthia est principium jungere fini, media transilire, atque ab ultimis mundi temporibus comparationem petere, ad explicanda illa quæ primis Ecclesiæ sæculis peracta sunt? *Quarto*, in Apocalypsi non est tanta ordinis perturbatio, atque Ribera et aliqui alii censent. Nam excidium Babylonis, quod describitur cap. XVII et XVIII, suo loco et ordine positum est, uti ostendam cap. XVII, vers. 16. Denique paucas hic esse hysterologias ostendam in chronotaxi, quam dabo in fine Comment.

Porro in hanc sententiam Alcazarem impulit, non adulatio, sed amor et reverentia Romanæ Ecclesiæ et Sedis Apostolicæ, studiumque eam celebrandi, uti ipse ingenue profitetur. Mentem et finem laudo, rem et media multi non laudant. Amor enim veritati, affectus rationi obsequi debet, non ratio affectui. « Honor enim regis judicium diligit. » Habet Ecclesia Romana suas priscas verasque laudes, nostris noviter adinventis, vel commentis non indiget. Non defuerunt tamen Alcazari ad ita sentiendum conjecturæ subtiles et in speciem probabiles. Verum est vetus dictum : « Eruditus errans errat errore erudito. » Quanquam hic proprie error non est, si hæc ejus explicatio, non ut litteralis et primo intenta, sed ut symbolica et mystica, vel accommodatitia, et ingeniose per omnia argumento tam digno et nobili adaptata, accipiatur. Nam et S. Augustinus, Gregorius, Ambrosius aliique Patres sæpe sequuntur symbolicam S. Scripturam interpretandi rationem, eamque varii variam, de qua vide Sixtum Senensem in *Biblioth.* Porro hæc, licet symbolica, a nonnullis tamen vocatur litteralis, sed secundaria, itaque vocari potest, quando nimirum mens Spiritus Sancti ad eam significandam directe, licet secundario, ferebatur, ad eamque primam litteralem uno quasi intuitu et complexu dirigebat. In symbolis enim variæ sunt significationes et allusiones, etiam litterales. Mens enim Spiritus Sancti altissima est et amplissima, ideoque ultima primis, prima mediis, media utrisque facile connectit, eaque inter se prout vult dirigit et componit, uti eum hic fecisse in hac sua expositione opinatur Alcazar. Hæc ad excusationem Patris pii, æque ac eruditi, mihique arcto ejusdem Societatis vinculo astricti, et peramici dicta sint.

Dico ergo argumentum Apocalypseos esse duplex. *Primo* enim, usque ad cap. IV, exhortatur S. Joannes fideles suos, ac corripit corrigitque mores septem Episcoporum et Ecclesiarum Asiæ. Ac proinde verum est quod ait Rupertus : « Apocalypsin continere qualis fuisset, qualis tunc esset, et qualis futurus esset Ecclesiæ status. » Hucusque ergo historica et ethica est Apocalypsis, deinceps vero prophetica. *Secundo* ergo, et longe potiori parte, scilicet a cap. IV usque ad finem libri, prophetat hic S. Joannes de rebus in Ecclesia futuris, maxime sub finem mundi tempore Antichristi. Sicut enim ipse primi adventus Christi fuit annuntiator et Evangelista, ita secundi voluit (Deo ita ordinante) esse Propheta et prænuntius; præsertim quia maxima, gravissima, et partim acerbissima, partim lætissima erunt, quæ in fine mundi contingent.

Scopus et finis quem spectat, est, ut per hæc omnia, et maxime per gloriam Martyrum, Virginum omniumque Beatorum, atque per impiorum et reproborum damnationem, quæ hic sæpius describit et inculcat, ac fuse cap. XX et deinceps enarrat, fideles, tum sui temporis, tum deinceps futuros, excitet ad constantiam in fide et pietate, ac ad martyrium sub Domitiano aliisque persecutoribus fortiter obeundum. Jam enim instabant fidelibus persecutiones Antonini, Aureliani, Decii, Valeriani, Diocletiani, Maximiani et aliorum, quæ numero decem fuerunt, et durarunt per trecentos annos, scilicet usque ad tempora Constantini. Ad hosce ergo omnes corroborandos S. Joannes scripsit Apocalypsin, æque ac ad alios fideles quovis ævo ab infidelibus hæreticis aliisque impiis persecutionem passuros, ac præsertim ad eos, qui in fine mundi ab Antichristo gravissime oppugnabuntur : ut illi ex signis, quæ hic consignat, cognoscant Antichristum, eique usque ad mortem ductu Henoch et Eliæ, sese generose opponant ac de eo triumphent, palmas et coronas æternas mox accepturi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Rursum Joanne exulante in Patmos, in Ecclesiis Asiæ succrescebant nonnullæ hæreses et vitia: utraque his resecat Joannes. Cerinthus enim, Ebion aliique hæretici docebant Christum non esse Deum, nec fuisse ante B. Mariam; sed esse purum hominem, qui nascens ex beata Maria cœperit esse: contra quos Joannes ex professo scripsit Evangelium, ideoque illud orditur dicens: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Contra hos hic cap. I et cap. XXII, inducit Christum dicentem: « Ego sum α et ω, principium et finis, primus et novissimus. » Alii dicebant Ecclesiam pondere tribulationum ante finem mundi opprimendam et desituram, atque pro laboribus suis et tribulationibus post hanc vitam præmium non accepturam: contra hos docet hic Joannes Ecclesiam per tribulationes non desinere, sed proficere, atque pro his bravium gloriæ cœlestis adepturam; quod proinde fuse et graphice depingit, præsertim cap. XXI et XXII.

Hæc est argumenti series, licet in ipso Joanne more prophetico subinde inversa. *Primo*, tribus primis capitibus correptiones, instructiones et monita ad septem Asiæ Episcopos continentur.

Deinde proponitur liber, puta Apocalypsis, septem sigillis signatus, atque ipsa sigilla reserantur continue usque ad caput undecimum. Porro hæc sigilla continent ea quæ usque ad finem mundi futura sunt in Ecclesia, ac præsertim plagas et signa, quæ præibunt, eruntque præambula tam extremo judicio, quam Antichristo.

*Tertio*, a cap. XI usque ad finem libri, apertis jam sigillis, ipsum librum, id est scripta in libro, enarrat, scilicet visiones et prædictiones, quæ spectant Antichristi tempora, contra fideles et sanctos, atque electorum constantiam; Henoch et Eliæ prædicationem, martyrium et resurrectionem; item septem plagas novissimas, stragem Gog et Magog, uti et Antichristi, cum suis asseclis interitum; ac demum cap. XX universale judicium, et duobus ultimis capitibus gloriam Beatorum ad vivum depingit. Vide chronotaxin in fine Commentarii.

Porro Beda, et ex eo Pererius et Viegas, totam Apocalypsis materiam in septem partes sive visiones dividunt. *Prima* est Christi vestiti podere, qui septem Episcopis et Ecclesiis Asiæ scribit, partim ut in fide constantes sint, partim ut vitia sua emendent. *Secunda* est ea, qua a cap. IV ad VIII, videt Agnum inter quatuor animalia et 24 *seniores*, aperire librum septem sigillis signatum. *Tertia*, qua, cap. VIII et IX videt in septimo sigillo septem Angelos septem tubis canentes, in fine mundi magnas clades orbi inducere. *Quarta*, cap. XII, sub figura mulieris amictæ sole parturientis, et draconis eam insequentis, Ecclesiæ persecutiones et victorias, quas de Antichristo referet, describit. *Quinta*, cap. XV et XVI, videt septem Angelos septem phialas et plagas novissimas in orbem effundere. *Sexta*, cap. XVII et XVIII, damnationem et incendium meretricis magnæ, puta Babylonis, id est Romæ, idolis servientis, complectitur, uti et exitium diaboli et Antichristi, omniumque ejus asseclarum cap. XIX, ac judicium extremum cap. XX. *Septima*, cap. XXI et XXII, cœlestis Jerusalem miram speciem, decorem et gloriam exhibet (1).

Quæritur *tertio*, quæ et quanta sit difficultas et obscuritas Apocalypseos, quaque via ac methodo ea superanda sit?

Consentiunt omnes Interpretes Apocalypsin esse librum omnium librorum S. Scripturæ obscurissimum et difficillimum, tum ob ejus sublimitatem, de qua dixi *Quæst.* I; tum quia plena est symbolis et ænigmatibus; tum quia prophetiæ ejus needum impletæ sunt, uti impletæ sunt Prophetiæ Isaiæ, Jeremiæ et aliorum Prophetarum, sed adhuc implendæ restant. Omnis enim prophetia, quamdiu ejus executio pendet, nec reipsa exhibetur et cernitur, obscura est, ait S. Epiphanius.

Hinc Pannonius in Præfatione ait, « Apocalypsin esse opus immensæ difficultatis. » Salmeron *præludio* 4, asserit, « Apocalypsis expositionem esse veluti quadraturam circuli, de qua dici solet: Scibilis est, sed nondum scita. » Pererius, *disp.* 1, ait, « multos opinari absque singulari Dei revelatione Apocalypsin esse prorsus incomprehensibilem. » Ribera, in *proœmio*, Apocalypsin dicit « esse mare magnum plenum procellis et tempestatibus, in quo omnis sapientia humana devoratur. » Idem asserunt Dionysius Alexandrinus, Richardus Victorinus, Joachimus Abbas, Cajetanus, Viegas et alii, quorum verba citat Alcazar, *notat.* 5.

Denique S. Hieronymus, epist. 103 *ad Paulinum*, cap. VII: « Apocalypsis, ait, Joannis tot habet secreta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. » Ac S. Ephrem, lib. *De Pænitentia*: « Cuncta, ait, per parabolam et ænigma locutus est S. Joannes in Apocalypsi. » Quocirca hic nobis dicendum est, quod Aristoteles, lib. III *Rhetor.*, refert Socratem, lecto Heracliti, qui σκοτεινὸς, id est tenebrosus et obscurus vocatus est, libro dixisse: « Laudo quæ intelligo, laudo etiam quæ non intelligo. »

Porro in hac obscuritate facem nobis præbebunt Canones aliquot, qui quasi claves librum hunc signatum aperient, ejusque arcana revelabunt.

(1) Qui varias variorum Auctorum in librum Apocalypseos explanationes, aut saltem varia explanationum systemata, tum a veteribus, tum a recentioribus allata, perspecta habere voluerit, adeat *Bible de Vence*, tom. ult., imprimis autem *l'Esprit de l'Apocalypse* par Mgr Franç. de Bovet, Paris, 1840, pag. 33-106.



# CANONES.

*Primus* canon sit, quem dat S. Augustinus, lib. III *De Doctr. Christiana*, cap. X et XV: Apocalypsis omnisque S. Scriptura ad litteram, uti sonat, accipienda est, quantum fieri potest, nisi videlicet quid ab ea dicatur, quod plane et simpliciter acceptum absurdum sit, ac sanæ fidei bonisque moribus repugnet. Verbi gratia, cum Christus ait: « Si oculus tuus, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, » si ut sonat accipias (uti fecit Origenes, qui tentatus stimulo carnis se castravit, ut castitatem conservaret, zelose quidem, sed imprudenter et illicite), absurdum quid significat, scilicet ut quis seipsum mutilet. Ergo hæc figurate et metaphorice accipienda sunt hoc sensu, *q. d.* Si amici, fratres, parentes, etc., te ad hæresim, vel aliud scelus sollicitant, eorum familiaritatem reseca, et subduc te ab illis, licet charis et necessariis instar oculi vel pedis.

*Secundus.* Prophetæ non servant ordinem temporis ac rei gestæ, vel gerendæ, idque ut scriptura eorum prophetia esse videatur, et non historia; et quia diversis temporibus et occasionibus, prophetias sive revelationes a Deo acceperunt, uti ostendi can. III *in Prophetas*, et in Chronotaxi *Jeremiæ*. In Apocalypsi ergo, visiones propheticæ S. Joanni diversis temporibus, uti videtur, revelatæ, non describuntur ordine temporis, sed sæpe interrumpitur tam earum, quam temporis series et ordo, ita ut prius gesta, aut potius gerenda postponantur, et posterius gerenda præponantur. Itaque in hoc libro subinde sunt anticipationes, recapitulationes, transgressiones, item et regressiones, atque repetitiones earumdem rerum: quin et repentinæ transitiones. Nam ex uno in aliud, vel simile, vel dissimile, ac ex figura ad rem figuratam repente transit aliquando Propheta, atque illis non perfecte declaratis, ad priora redit et resilit.

*Tertius.* Eadem res apud Prophetas per plures et diversas visiones et figuras præfiguratur, idque fit, *primo*, ad prophetiæ et rei futuræ, quam prædicunt, confirmationem et certitudinem. Sic *Genes.* XLI, eadem sterilitas in Ægypto futura præsignificata est Pharaoni per visionem duplicem, spicarum scilicet aridarum et vaccarum macilentarum. *Secundo*, quia una imago et similitudo non potest adæquare totam rei veritatem: quædam ergo rei conditiones et circumstantiæ per unam imaginem et visionem, quædam per aliam significantur.

*Quartus.* Tota Apocalypsis plena est allusionibus ad veteris Testamenti locos, historias et figuras, ac præsertim sæpe alludit ad templum Salomonicum, candelabra, arcam, vestes sacerdotales, altare holocaustorum et thymiamatis, victimas aliaque Mosaica sacra. Ita Alcazar in cap. I, vers. 12. Maxime vero alludit hic Joannes ad visiones Ezechielis et Danielis: hisce enim ejus hic persimiles sunt.

# INTERPRETES.

Interpretes, qui in Apocalypsin scripserunt, fuerunt plurimi: plures centum recenset Alcazar, *notat.* 26, iique extiterunt quovis sæculo, ut notat Pererius. Nam *primo* sæculo, post editam Apocalypsin, in eam scripserunt S. Justinus et Irenæus, teste S. Hieronymo.

*Secundo* sæculo, scripserunt S. Hippolytus, Episcopus Portuensis; Methodius, Melito, Victorinus et Dionysius Alexandrinus, teste eodem S. Hieronymo.

*Tertio*, S. Basilius et Nazianzenus, ut patet ex Comment. Andreæ Cæsariensis et Aretæ. Scripsit item Ticonius Donatista, cujus homiliæ 18 *in Apocal.* extant inter opera S. Augustini, tom. X. Has enim Ticonii esse, non S. Augustini, patet tum ex prologo Primasii *in Apocal.*, tum ex cap. XX *Apocal.*, quod S. Augustinus in lib. XX *De Civit. Dei*, cap. VII et seq., aliter explicat, quam Ticonius hic.

*Quarto* sæculo, scripserunt in Apocalypsin Primasius, anno Christi 440; Cyrillus Alexandrinus et Gennadius, anno Christi 490.

*Quinto*, Cassiodorus, qui floruit anno Christi 577; Andreas, Archiepiscopus Cæsariensis, quem mire laudat noster Peltanus, et commentator qui nomine S. Ambrosii circumfertur. Hunc enim commentarium non esse S. Ambrosii Mediolanensis Archiepiscopi patet, tum ex styli diversitate, tum quia in cap. XVII scribens meminit regni Longobardorum, quod diu post S. Ambrosium cœpit, puta post annum Domini 550. Adde: Ambrosiaster hic multas sententias transcribit ex S. Gregorio; fuit ergo S. Ambrosio ducentis annis posterior.

*Sexto* sæculo, scripserunt Beda sub annum Domini 730, et Albinus sive Alcuinus anno Domini 770, teste Trithemio.

*Septimo*, Rabanus Maurus, anno Domini 855; Aretas et Haymo anno Domini 830.

*Octavo*, Ansbertus anno Domini 890, qui scribens in illa verba cap. XVII: « Ego ostendam tibi, » etc., ait fol. 330, sæpe se instructum fuisse a Christo per internam inspirationem, ut obscura Apocalypseos intelligeret, et ab eo didicisse quod-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

nam futurum sit signum Antichristi, quo suos asseclas ipse consignabit.

*Nono*, Anselmus Cantuariensis, anno Domini 1080.

*Decimo*, Anselmus Laudunensis, auctor Glossæ interlinealis, anno 1110.

*Undecimo*, Rupertus, anno 1120, et Richardus de S. Victore, 1140.

*Duodecimo*, Hugo Cardinalis, anno 1240; Albertus Magnus, anno 1260, et Joachim Abbas, anno 1200, qui jussu Lucii III, Urbani III et Clementis III, Pontificum Romanorum, scripsit in Apocalypsin, atque a multis suo tempore habitus est Propheta, teste Sixto Senensi, lib. II *Biblioth.*, verbo *Joachim*; sed negat id Trithemius, quia, inquit, Joachim prædixit Fredericum Imperatorem hostem fore Ecclesiæ, cujus contrarium experientia nos docuit. Et Alcazar, *notat.* 22, num. 3 : Erravit, ait, Joachim in mysterio SS. Trinitatis, et pro uno Deo tres inducere voluit : quocirca error ejus damnatus est tit. *De summa Trinitate et fide Catholica*, cap. *Damnamus*. Et esto suum errorem ipse agnoverit et revocarit, tamen qua facilitate suo judicio nimis fidens semel illusus et deceptus est, eadem potuit et secundo decipi. Nam prophetiæ ejus potius somnia ac deliria videntur. Quale est illud, quod asserit de duodecim Apostolis in fine mundi mittendis, qui non erunt, inquit, Apostolis Christi inferiores. Atque hoc ille somnium persuadet sibi in litterali Apocalypseos sensu contineri, in numero 24 seniorum. Quocirca D. Thomas in IV, dist. XLIV, art. 3, Quæst. II, ad 3 : « Abbas Joachim, inquit, per conjecturas de futuris aliqua vera prædixit, et in aliquibus deceptus fuit. » Vide quæ de Joachimo annotavi præfatione in *Isaiam*, in fine.

*Decimo tertio*, Petrus Aureolus, anno 1317; Ubertinus de Cassalis, anno 1300. Sub idem tempus scripsit F. Matthias Suecus, præceptor S. Bernardini Senensis et confessarius S. Brigidæ; laudat ipsa ejus commentarium lib. VI *Revel.*, cap. LXXXIX. Totus mysticus est et moralis. Nactus sum eum manuscriptum Romæ. Nicolaus de Lyra, anno 1320.

*Decimo quarto*, Thomas Doctor, non Angelicus, sed Anglicus; Paulus Burgensis, anno 1434; S. Antoninus, qui sequitur Lyranum et Aureolum, anno 1460; Dionysius Carthusianus, anno 1470, et Joannes Annius.

*Decimo quinto*, Claudius a Monte Martyrum, Cœlius Pannonius (qui proprio nomine vocatur F. Gregorius Hungarus, Prior S. Stephani in Cœlio monte Romæ, uti habet meus codex); Seraphinus de Fermo, urbe Italiæ; Petrus Galatinus (qui edidit lib. *De Arcanis fidei mysteriis contra Judæos*). Hic scripsit in Apocalypsin decem libros eosque dedicavit Carolo V Imperatore. Extant manuscripti in Bibliotheca Vaticana, ubi eos legi. Prophetat instar Abbatis Joachim de futuris Ecclesiæ temporibus, persecutionibus, successibus, ac præsertim de Pastore (Pontifice) angelico, qui admirandæ sapientiæ et sanctitatis futurus sit, tantæque humilitatis et modestiæ, ut neminem ad osculum pedum admissurus sit, ac instar Christi habiturus duodecim Apostolos, per quos reformabit et divino amore succendet totam Ecclesiam, ut illa ad primordia sanctitatis suæ sub Apostolis redire videatur. Post illum vero secuturum Antichristum, qui omnia pessumdabit : ac deinde fore finem mundi, judicium et resurrectionem. Rursum, septem spiritus, de quibus *Apocal.* I, 4, censet esse septem Angelos principes, Deo assistentes, qui proxime a Deo illuminentur, eorumque nomina esse hæc : Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Sealtiel, Jehudiel, Barachiel : quæ omnia B. Amadæo a Gabriele revelata esse asseverat, de quibus plura dicam cap. I, vers. 4.

Denique hocce sæculo in Apocalypsin commentati sunt e nostris Franciscus Ribera, qui præ cæteris singulas prophetiæ hujus partes et sententias particulariter, et apposite ad litteram explicat et applicat; Blasius Viegas, succulente et moraliter; Benedictus Pererius in octo prima capita docte et floride; ac Ludovicus Alcazar prolixe, ingeniose, erudite et elaborate, utinam æque genuine et solide ad litteram (1) !

Ergo pro sensu litterali præ cæteris legendi hic sunt Ambrosiaster, Andreas Cæsariensis, quem sequitur Aretas, Ribera et Viegas; pro mystico, Rupertus; pro morali, Viegas, qui tamen subinde liberius suo conceptui indulget, et evagatur, nec satis insistit sensui litterali, qui omnis sensus moralis et mystici appositum æque ac solidum debet esse fundamentum. Qua in re peccant multi Interpretes et Concionatores, qui, dum subtiles et aerios venantur conceptus, solidos, divinos ac genuinos Spiritus Sancti amittunt.

Ex hæreticis scripserunt Beza, Bullingerus, Meyerus, Lambertus Viretus, Pignelius et alii, e quibus suam catenam consarcinavit Marloratus. Scripserunt et nuper nonnulli Anglo-Calvinistæ, qui dum in Pontificem Romanum sua omnia contorquent, livore cæci, mania et cerebro laborare videntur, ac elleboro potius indigere quam calamo. Putant se mathematice demonstrare Pontificem esse Antichristum, cum omnis illorum demonstratio, vel nuda eorum assertione, vel mendaciis, vel calumniis, vel textus depravatione aut contorsione nitatur : sat eis est, si rudibus sive per fas, sive per nefas insanum hoc suum phantasma, et mentis hæreticæ idolum persuadeant. Sua hæc somnia vocant Apocalypses Apocalypseos, cum revera sint Epicalypses et Calyptræ, quibus Apocalypsin magis involvunt, intricant et obscurant, dum spiritu vertiginis acti, in orbem a calce ad caput eunt et redeunt, quibus vere competit illud Psaltis : « Impii in circuitu ambulant. »

(1) Vid. quæ de recentioribus interpretibus huic tomo præposuimus.



Hosce interpretes, præsertim recentiores orthodoxos omnes, ac nominatim totum Alcazarium, a capite ad calcem perlegi, discussi, et in compendium redegi, quod huic commentario sparsim inserui; ut qui eum legerit, totum Alcazarium, cæterosque omnes Interpretes legerit, magno tum librorum, tum temporis, æque ac laboris compendio. Quocirca singulorum sententias ordine methodico recensebo, ac deinde illam quæ magis genuina videtur subtexam, eamque exactius et fusius paulo confirmabo et illustrabo; præsertim ubi illa mea unius erit, et vix alium habebit auctorem, qui eam rite et plene explicet, ut difficultates omnes exhauriat, ac mentem votumque legentium expleat. Ubi simul ostendam qua ratione pleraque quæ ab iis minus vere et congrue pro sensu litterali afferuntur, ac præsertim ab Alcazario, congrue vereque pro sensu vel morali, vel accommodatitio usurpari possint : atque ita et Alcazario aliisque auctoribus, æque ac ipsis lectoribus consulam, faciamque ut opus ejus eruditum et viginti annis elaboratum, magis commodum utileque reddatur. Concludo : Syriaca versio novi Testamenti, quæ extat in Bibliis Regiis, in sola Apocalysi desideratur. Illa Romæ extat in Bibliotheca Vaticana, æque ac versio Arabica : utramque subinde citabo, ubi quid novi affert vel illustre, uti feci in Commentariis Prophetarum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

# CAPUT PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Proponitur libri titulus, et elogium usque ad vers. 4. Deinde subditur epistola seu dedicatio libri a vers. 4 usque ad 8, qua septem Asiæ Ecclesiis, quibus prædicaverat, suam Apocalypsin dedicat, eisque gratiam et pacem apprecatur. Tertio, est prologus, continens narrationem primæ visionis a vers. 8 ad finem. Describit enim speciem gloriosam Christi, quam vidit in medio septem candelabrorum, id est, septem Ecclesiarum Asiæ.*

*Notat Alcazar, in singulis hisce tribus partibus, argumentum totius libri indicari, in titulo breviter, paulo latius in epistola, in prologo seu prima actionis persona distinctius. Christus enim forma sua et specie quasi repræsentat omnia quæ continentur in Apocalypsi, sicut prologus in comœdia totam comœdiam summatim exhibet.*

1. Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet
fieri cito; et significavit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni, 2. qui testimonium
perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit. 3. Beatus qui legit et
audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est.
4. Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis et pax ab eo, qui est, et qui
erat, et qui venturus est; et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt; 5. et a
Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ:
qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. 6. Et fecit nos regnum et
sacerdotes Deo et Patri suo; ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen. 7. Ecce
venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se
super eum omnes tribus terræ. Etiam: Amen. 8. Ego sum A et Ω, principium et finis,
dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens. 9. Ego Joannes
frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu; fui in
insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, et testimonium Jesu. 10. Fui in
spiritu in Dominica die, et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ, 11. dicentis:
Quod vides, scribe in libro; et mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, et
Smyrnæ, et Pergamo, et Thyatiræ, et Sardis, et Philadelphiæ, et Laodiciæ. 12. Et con-
versus sum, ut viderem vocem quæ loquebatur mecum; et conversus vidi septem cande-
labra aurea, 13. et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis,
vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea; 14. caput autem ejus et capilli
erant candidi tanquam lana alba, et tanquam nix, et oculi ejus tanquam flamma ignis;
15. et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti, et vox illius tanquam vox
aquarum multarum; 16. et habebat in dextera sua stellas septem, et de ore ejus gladius
utraque parte acutus exibat; et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. 17. Et cum
vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super
me dicens: Noli timere; ego sum primus et novissimus. 18. Et vivus, et fui mortuus;
et ecce sum vivens in sæcula sæculorum; et habeo claves mortis et inferni. 19. Scribe
ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc. 20. Sacramentum septem
stellarum, quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea: septem stellæ,
Angeli sunt septem Ecclesiarum; et candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.



1. APOCALYPSIS (id est revelatio: nam ἀποκαλύπτω græce idem est quod revelo, velata et arcana detego; καλύπτω enim idem est quod tego, occulto: unde κάλυμμα, id est velum; et καλύπτρα, id est flammeum sponsæ, sive velamen capitis mulierum) JESU CHRISTI (quasi dicat: Hæc est, vel hic incipit prophetia Jesu Christo a Deo Patre, non ænigmatice, sed palam et aperte revelata; Pater enim clare loquitur Christo Filio suo), QUAM DEDIT ILLI (puta Christo, in sua conceptione et incarnatione: ab ea enim Christus plenus fuit omni scientia, sapientia, gratia et virtute) DEUS PALAM FACERE (id est, ut eam palam faceret et revelaret non aperte, sed per ænigmata et symbola) SERVIS SUIS (Christianis: Apocalypsis, inquam, sive revelatio eorum), QUÆ OPORTET FIERI CITO, — hoc est, quæ cito incipient fieri, licet non cito finientur (1). Nam persecutiones Christianorum, quæ hic revelantur, cœperunt sub Trajano, qui post Nervam successit Domitiano, et terminabuntur in fine mundi. Perperam ergo ex hoc loco suspicati sunt nonnulli, cito fore finem mundi et diem judicii quam suspicionem abstergit Christus *Matth.* XXIV, 36, et S. Paulus II *Thessal.* II, 1, uti ibi annotavit S. Thomas et S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.*, LIII. Minus etiam recte alii: Cito, inquiunt, quia mille anni apud Deum sunt sicut dies una. Hæc enim explicatio non est sufficiens consolatio humanæ infirmitati, quæ tot annorum moras non patitur. Secus est in Prophetis virisque divinis, uti dicam vers 7 (2).

Hinc ergo patet Apocalypsin primo revelatam esse animæ Christi in ejus incarnatione, idque clare et perfecte; eique soli, non Prophetis, non etiam Angelis. Fuerunt enim hæc secreta abscondita a sæculis in Deo, ut ait S. Paulus *Ephes.* III, 9. Ad Christi enim solius officium pertinebat præscire et prævidere ea, quæ ejus fidelibus totique Ecclesiæ erant post et per suam mortem eventura, præsertim in fine mundi: ibi enim incipiet gloriosum Christi regnum. Porro Christus per angelum hanc suam Apocalypsin revelavit S. Joanni, qui eam hic describit, omnibusque spectandam proponit; uti in comœdia vel tragœdia, res et colloquia Imperatoris alicujus olim facta, per eum qui ejus personam gerit, quasi propria et quasi jam fierent et ab eo gererentur, recensentur et exhibentur. Ita Alcazar in prœmio *notat.* 3; qui et addit, *notat.* 4, Joannem hic tacite recusare ne libri appellatio præferat ipsius scriptoris nomen: ait enim, Apocalypsis, non Joannis, sed Jesu Christi sicut nostræ Societatis auctor eam Jesu Societatem, non Ignatii, modestiæ causa voluit appellari. Ecclesia tamen merito Joanni eum honorem defert, quem ille rejecerat, vocatque Apocalypsin S. Joannis.

Hic ergo Christus suam Apocalypsin, id est revelationem quam a Patre accepit, non totam, sed partem Ecclesiæ magis profuturam revelat S. Joanni, et per eum fidelibus; tecte tamen et arcane, scilicet per ænigmata, quorum respectu potius est Epicalypsis, quam Apocalypsis. In re ergo est Apocalypsis, sed in modo et phrasi est Epicalypsis, id est occultatio et velamen: ipsi tamen Christo, cui primo clare revelata est, fuit, et quoad rem, et quoad modum, Apocalypsis, non Epicalypsis. Hoc responsum sit Luthero, qui sanctam Scripturam vult omnibus esse claram, ideoque Apocalypsin rejicit, quod obscura sit, et falso dicatur Apocalypsis, id est revelatio. Adde, licet prophetiæ in ea sint obscuræ, multa tamen in ea sunt præcepta vitæ clarissima, et præsertim exhortationes ad perseverantiam et patientiam tempore persecutionum, uti recte Luthero respondet Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, cap. XIX. Alio sensu S. Paulus, I *Corinth.* cap. I, vers. 7, et S. Petrus *epistola* I, cap. I, vers. 7 et 13, Apocalypsin, sive revelationem Jesu Christi, vocant eam quæ ab ipso Christo facienda est in die judicii. Tunc enim se, suamque gloriam, et potestatem judiciariam, æque ac omnium hominum facta, tam bona quam mala, toti mundo pandet et revelabit.

MITTENS (scilicet hanc Apocalypsin, sive prophetiam) PER ANGELUM SUUM SERVO SUO JOANNI. — Deus enim, et Christus solet per angelos docere et illuminare homines. Hoc enim congruus divinæ providentiæ ordo poscit, ut imi per medios dirigantur; hocque est officium angelorum, id est legatorum Dei. Sunt enim ipsi administratorii spiritus in ministerium missi, *Hebr.* I. Pari modo Deus Isaiam, Jeremiam aliosque Prophetas ordinarie, non per se immediate, sed per angelos docuit, eisque suas Prophetias revelavit, uti dixi prœmino *in Prophetas*, Quæst. 1; revelavit ergo hanc Apocalypsin tota Trinitas Christo secundum humanitatem, Christus angelo, angelus Joanni, Joannes Ecclesiæ, prout illam hic eidem scribit et inscribit.

Nota: Tripliciter loqui solet Deus hominibus et Prophetis. *Primo*, per internam locutionem et inspirationem, sive in phantasia factam per angelum (uti communiter accidit), sive in mente factam a solo Deo. Solus enim Deus menti nostræ illabi potest, solus immediate intellectum illuminat, et voluntatem commovet et accendit. *Secundo*, per externam apparitionem et locutionem angeli. *Tertio*, si ipsemet Deus vel Christus appareat et loquatur, uti apparuit S. Paulo eum convertens, *Actor.* IX, 4, et alias aliisque sæpius. Tertius modus nobilior est secundo, et secundus nobilior est primo. Quocirca S. Hieronymus, *Matth.* cap. II, Josephi dignitatem præ Magis colligit, ex eo quod Deus ad Josephum legaverit angelum,

(1) More veterum Prophetarum titulum carmino suo præmittit Auctor, simulque oraculum suum ab argumenti gravitate et utilitate commendat.

(2) Alii *cito* explicant *certissime*, quia vates magnas rerum conversiones *maturas* declarare solent, ut earum *certitudinem* exprimant.

Magos vero docuerit per se in somnis. Verba ejus sunt : « Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt, non per angelum, sed per ipsum Dominum; ut meritorum Joseph privilegium demonstraretur. » Rex enim majore honore afficit subditum, cum ad eum legat principem aliquem e sua aula, quam cum ad eum nudas mittit epistolas : inspirationes enim Dei sunt quasi ejus epistolæ. Ita Alcazar.

2. QUI TESTIMONIUM PERHIBUIT VERBO DEI, ET TESTIMONIUM JESU CHRISTI, — id est de Jesu Christo, qui est Verbum Dei jam dictum : est enim hendiadys et appositio. Idem enim est « Verbo Dei, » quod « Jesu Christi. » Ita Ribera.

*Secundo* et magis genuine, verbum Dei vocat doctrinam a Deo revelatam, qualis est Evangelium omnisque sancta Scriptura : hæc enim passim vocatur verbum Dei. Porro hoc verbum, et hæc doctrina Dei hoc loco non est aliud, quam « testimonium Jesu Christi, » id est Evangelium, sive doctrina evangelica, quam prædicamus, qua testimonium perhibemus Jesu Christo, quod scilicet ipse sit missus a Deo mediator, redemptor et salvator mundi. Hic ergo Joannes suam Apocalypsin et prophetiam vocat evangelium, id est optimum nuntium de instante ob Christi fidem persecutione, et per eam martyrio, ac felicitate et corona æterna, quam suis hic Christus promittit et ostendit. Est enim Evangelium et fides, substantia rerum sperandarum, *Hebr.* XI, 1. Apocalypsis ergo continet Evangelicæ doctrinæ medullam et substantiam.

Hunc esse sensum patet *primo*, ex Græco : ὃς ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, id est, qui testificatus est verbum Dei et testimonium Jesu Christi. Idem est ergo verbum Dei, quod testimonium Jesu Christi, sicut eadem doctrina Dei, et doctrina Christi. Utrumque enim græce ponitur in accusativo, licet Noster unum in dativo, alterum in accusativo verterit claritatis causa. Latine enim clarius dicitur testificari verbo Dei, quam testificari verbum Dei; ex adverso clarius dicitur testificari testimonium Christi, quam testificari testimonio Christi. Testificari enim est perhibere testimonium, ut vertit Noster.

*Secundo*, id patet ex vers. 9, ubi ait : « Fui in insula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, et testimonium Jesu, » *q. d.* Fui relegatus in Patmos, quia prædicabam verbum Dei, eoque testimonium perhibebam Jesu Christo, quod ipse esset Messias : unde liquet idem esse verbum Dei, ac testimonium Jesu, puta Evangelium, sive doctrinam evangelicam, quam Joannes prædicabat.

QUÆCUMQUE VIDIT. — Hæc verba non sunt referenda ad opera et miracula Christi (sive conscripta in Evangelio, ut vult Ambrosiaster, Beda et Rupertus; sive a Joanne prædicata, ut volunt Ribera et Viegas), sed ad ipsius Apocalypseos visiones, in quarum singulis semper ait Joannes : « Et vidi, et vidi, » quod non ait in Evangelio. Atque ita in præsenti re de ipsa visione, quam hic in Apocalypsi accepit, loquitur : alias enim non esset sermo ad rem. Agitur enim de testimonio quod Joannes perhibuit Christo, non in Evangelio, sed hic in Apocalypsi, scribens de eo quodcumque vidit, et audivit a Deo. Ita Alcazar. Idem confirmant sequentia : « Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus, et servat ea.

3. SERVAT EA, QUÆ IN EA SCRIPTA SUNT, — tum ea exequendo, qualia sunt monita, quæ dantur cap. II et III, Episcopis et Ecclesiis Asiæ; tum devote ea in memoria conservando, ut illis ad Dei obsequium, et sanctam vitam, ac patientiam, quin et ad martyrium pro Christo obeundum excitetur : quales sunt visiones quæ cap. IV et deinceps recensentur. Sic de matre Christi dicitur *Lucæ* cap. II, 19 : « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. »

TEMPUS ENIM PROPE EST. — Pro *tempus* græce non est χρόνος, sed καιρός, id est *opportunitas*, *q. d.* Beatus est qui hanc prophetiam legit et servat, quia prope est tempus et opportunitas uberrimum ex ea fructum capiendi. Instat enim occasio promerendi beatitudinem et coronas æternas in cœlis per persecutiones, quas jam fidelibus et athletis Christi imminere prævidi, et hic prædico, nimirum per brevem in iis constantiam et tolerantiam mortis et martyrii, ex quo mox in cœlum beandi evolabunt. Ita Aretas.

Hucusque titulus Apocalypseos, sequitur epistola dedicatoria.

4. JOANNES SEPTEM ECCLESIIS, — quas recenset cap. II et III. Quod his septem scribit, omnibus aliis scribit; sicut Paulus, quod ad Romanos, Corinthios et alios scripsit, hoc ad omnes fidelium gentes scripsit. Hinc mystice S. Chrysostomus, hom. 22 *ex variis in Matthæum* : « Septem, ait, Ecclesiæ sunt omnes, propter septem spiritus. Omnes ergo in quibus abundantior est spiritus sapientiæ, est una Ecclesia; et omnes in quibus abundantior est spiritus consilii, est altera Ecclesia. » Sic et S. Augustinus lib. XVII *De Civit.*, cap. IV; Gregorius, lib. XXIII *Moral.*, cap. I; Isidorus, lib. VIII *Etymol.*, cap. I, dicunt, « ideo septem scribi Ecclesias, ut una Catholica septiformi gratiæ spiritu plena designetur (1). »

GRATIA VOBIS ET PAX. — Hæc est Apostolica salutatio a Christo accepta, qua Dei favorem et omne bonum (hoc enim Hebræis significat pax) suis imprecantur.

(1) Et Verschraege : « Illa *Asia* (Minor) *septem Ecclesias* particulares continens, videtur significare orbem catholicum universum, non solum in sua extensione, sed et in sua duratione, prout universam Christi Ecclesiam ab initio ejus usque ad finem in terris continet. Vox enim *Asia* significat *lutosa* seu *turbida*; talis autem semper potest dici Ecclesia militans, tum propter continuas tribulationes quas patitur, tum propter plurima peccata multorum membrorum suorum : quamvis alio sensu vere sit tota pulchra, et macula in ea nulla reperiatur. *Clara simpliciaque explicationes libri Apocalypseos*, pag. 8.



Notat Tertullianus, lib. V *Contra Marcionem*, cap. V, et ex eo Baronius, anno Christi 45, Judæos, et ex eorum more Christum, pacis nomine salutare consuesse discipulos; quos, ut eodem modo cum in alienas domos introirent, in ea degentes salutarent, admonuit *Lucæ* X, 5. Post Christi vero ascensionem Apostolos in salutatione paci gratiam addidisse, imo præmisisse : quod videlicet tam sublimis gratiæ restitutæ per Christum generationi humanæ essent annuntiatores, et, ut Tertullianus ait, « Evangelizatores bonorum. » Hinc Paulus in suis Epistolis, et S. Petrus suos salutant, dicendo : « Gratia vobis et pax. » Eadem salutatione in suis epistolis usus est S. Ignatius, cæteri que Antiocheni Episcopi. Unde S. Gregorius, epist. 37 *ad Anastasium*, Antiochenum Episcopum, in fine, sic ait : « Amen, gratia : quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, ut de S. Ignatio Beatitudo Vestra cognoscat, quia non solum vester est, sed et noster. » In epistola enim S. Ignatii *ad Ephesios* eadem verba subscripta leguntur, ex cæteris vero excidisse putantur. Utique didicit hoc S. Ignatius a S. Joanne magistro suo.

AB EO QUI EST, ET QUI ERAT, ET QUI VENTURUS EST, — id est a Jehova, puta a Deo. Alludit enim S. Joannes ad illud *Exodi* cap. III, vers. 14 : « Sum qui sum, » et : « Qui est, misit me ad vos. » Ideoque in Græco non est hic solœcismus, ut vult Gagneius; neque sensus est nullus, ut vult Erasmus : sed est mimesis, sive imitatio nominis Hebræi, quod quasi indeclinabile et invariabile sibi indidit Deus, dicens *Exodi* III, אהיה שלחני *eie schelachani*, hoc est, *erit* (id est, qui est, fuit et erit : Hebræi enim per futurum significant rei constantiam et continuam durationem), *misit me*.

Pari enim modo hic, cum ait S. Joannes : ἀπό, supple τοῦ λεγομένου, id est, *qui vocatur*, vel cui nomen est, ὁ ὤν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος, id est *qui est*, *qui erat*, et *qui veniet*, sive venturus est. Verbum enim *sum* sive *est*, et *erat*, vel ut hebraice est, *erit*, significat stabilem æternitatem, quæ omnes temporum, præsentis, præteriti et futuri differentias complectitur. Unde tradunt Hebræi, Hebr. *eie* tria tempora complecti, præsens, præteritum et futurum. Id hic explicat Joannes, dicens : « Ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est. » Hæc ergo tria explicant τὸ *eie*, ac consequenter sunt quasi nomen Dei proprium, puta Jehova, ideoque Joannes in Græco apposuit articulum, ac retinuit nominativum, vel verbum ipsum. Ait enim : Ἀπὸ ὁ ὢν (non ὄντος) καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *q. d.* Gratia vobis et pax ab eo, cujus nomen est eus, et erat, et est venturus. Unde patet articulum ὁ ὤν, et ὁ ἐρχόμενος, non tanquam participiis, neque tanquam nominibus τεχνικοῖς, sive materialiter acceptis, sed tanquam propriis nominibus esse adjunctum : hac etiam de causa ipsa inflexa relicta sunt. Sic S. Augustinus ait se litteras scribere ad *Deogratias*, alii ad *Deusdedit*, quia hæc nomina virorum sunt propria, et indeclinabilia. Vide dicta *Exodi* cap. III et VI, ubi ostendi nomen *Jehova* esse idem cum eo quod dicitur, « qui est, » vel « sum qui sum. » Docte S. Augustinus in *Sententiis*, num. 367 : « Quamvis, ait, natura incommutabilis non accipiat : Fuit et Erit, sed tantum Est (ipse enim veraciter est, quia aliter qui est, esse non potest), tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas, non mendaciter dicimus : Fuit, Est, et Erit, fuit in præterito; est, in præsenti; erit, in futuro. Fuit quippe, quia nunquam desinit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est. Neque enim velut quia jam non sit, cum præteritis occidit, aut cum futuris tanquam non fuerit, orietur. Proinde cum secundum temporum volumina locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, vere dicuntur de illo cujuslibet temporis verba. »

Porro per hæc tria putant aliqui notari tres personas SS. Trinitatis. Alcazar hæc de solo Deo Patre accipit, non de Filio; de eo enim mox subdit : « Et a Jesu Christo; » nec de Spiritu Sancto : de eo enim pariter subdit : « Et a septem spiritibus. » Melius Ribera accipit hæc de Deo indistincte, prout scilicet Deus communis est tribus personis. Tam ergo de Filio et de Spiritu Sancto, quam de Patre hæc omnia et singula accipias. Quod enim sequitur, « a Jesu Christo, » de Christo, non ut Deus, sed ut homo est, accipiendum est. Sequitur enim : « Qui dilexit nos, et lavit nos in sanguine suo. »

Alcazar hic, *notat.* 1, decem rationibus contendit nomen Jehova idem prorsus esse cum eo, « qui est, qui erat, et qui venturus est. » Nomen enim Jehova compositum esse ex quatuor hisce vocibus, יהיה הוה והיה *ihie hoie vehaia*, id est, qui erit, qui est, et qui fuit. Singulas enim litteras nominis Jehova unam ex hisce dictionibus per compendium et crasin significare, ideoque dici hoc nomen ineffabile et tetragrammaton. Sicuti *Machabæi* nomen conflatum est ex initialibus litteris vers. 11 *Exodi* cap. XV : *Mi camocha baelim Jehova*, id est, « quis similis tui in fortibus, Domine? » Sic Latini *spurios* dixere ex eo, quod iis litteris S. P. id est, *sine patre* notarentur, uti testatur Plutarchus in *Quæst. Romanis*. Sic in titulis crucis Christi sæpe scriptum videmus I. N. R. I., id est, *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*. Sic veteres Romani scribebant S. P. Q. R., id est, *Senatus populusque Romanus*.

Verum hoc symbolicum est et cabalisticum, non litterale. Litterale enim nominis *Jehova* significatum est, « qui est, » vel « qui erit. » Deducitur enim a radice היה *haia*, id est *fuit*, uti omnes consentiunt, estque idem cum יהיה *ihie*, id est *erit*, uti ostendi *Exodi* cap. III, 14. Præsertim quia litteræ *Jehova* dictionibus alterius nominis non ex æquo respondent. Nam in *Jehova* sunt quatuor litteræ cum *ihie*, *hoie*, *vehaia*, tantum tres



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tres dictiones, non quatuor. *Vehaia* enim una est dictio, non duæ. Sic quoque hæc tria non respondent ex ordine tribus epithetis S. Joannis. Nam primum est, « qui est; » ultimum, « qui venturus est. » In *ihie* vero, *hoie*, *vehaia* primum est, « qui erit, » ultimum, « qui fuit : » licet ad hoc respondeat Alcazar *notat.* 3, id studio esse factum a S. Joanne, ut significaret Deum, qui Mosi et Prophetis erat futurus, id est venturus, redemptor, jam in lege nova adesse, esseque præsentem. Unde Moses in *Jehova* incipit ab eo « qui erit, » Joannes vero ab eo « qui est. » Verum quæcumque fuerit mutationis causa, hinc saltem liquet hoc nomen non plane idem esse cum nomine *Jehova*. Itaque Jehova, id est, qui est, idem est cum eo, « qui est, et qui erat, et qui venturus est, » non litteris et etymo, sed significatione et sensu. Nam « qui est, » significat eum qui semper est, et qui habet constans, immutabile et æternum esse, hoc est, eum « qui est, qui erat, et qui futurus est. » Favet Arabicus, qui sic vertit, *ab illo qui est, et qui exstitit, et qui futurus est.*

Rursum Alcazar, *notat.* 2, docet nomine Jehova repræsentari mysterium SS. Trinitatis. Tres enim substantiæ per triplicem verbi substantivi repetitionem denotantur; unitas vero essentiæ per conjunctionem copulativam. Itaque τὸ *erit* refert ad Patrem, cui attribuitur potentia et gubernatio, quæ futurum spectat; *fuit* refert ad Spiritum Sanctum, cui attribuitur bonitas, quæ prima omnium fuit ratio, quæ Deum induxit ut se creaturis communicaret; *est* refert ad Filium, cui attribuitur Dei sapientia, quæ futuris et præteritis præsens adest, et omnia in sua æternitate intuetur præsentia. Insuper, sicut in hisce tribus non variatur essentialis significatio : hæc enim tria, « erit, est, fuit, » sicut sunt derivata verbi substantivi *sum* : ita ejusdem essentialem significationem retinent, sed eam tantum per tempora inflectunt et modificant. Ita eadem essentia deitatis est in tribus personis.

Hæc pariter vera sunt, sed symbolica æque ac priora, non litteralia.

*Tertio*, idem, *notat.* 3, notat nomen Jehova, licet significet Dei essentiam et substantiam, posse tamen quoque ad providentiæ ejus opera referri. Nam τὸ *fuit* significat quod Deus suis operibus initium dederit; *est*, quod iisdem det progressum; *erit*, quod iisdem daturus sit perfectionem.

Per hæc ergo tria significatur, Deum fuisse principium Ecclesiæ, et ab eodem esse ejusdem progressum, ac similiter fore consummationem. Hoc est, quod subdit vers. 8 : « Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est. » Hinc moraliter, hoc nomine fideli cuilibet excitanda est spes. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 3 *De Ascensione* : « Fidelis quisque cum jam tanta perceperit, per ea quæ cognoscit præstita; discat sperare promissa; ac Dei sui potentiam, præsentemque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem. »

Et qui venturus est. — Dicit « venturus, » potius quam *futurus*, ut significet venturum Deum ad judicium, idque brevi (unde Syrus vertit, *et qui venit*), quo Domitianum et alios fidelium persecutores puniet et damnabit; fideles vero ipsos et Martyres liberabit, glorificabit et coronabit, ut hac ratione animet eos ad constantiam. Ad illam enim S. Joannes prudenter arbitratus est, hanc memoriam Christi judicaturi utiliorem, quam illam Christi regnaturi sine dubio futuram : cum ex illa sæpe vana præsumptio, ex hac non nisi justa formido oriatur. Unde D. Ambrosius, lib. I *Offic.*, cap. xxvi : « Nihil est, inquit, quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus eum judicem futurum, quem et occulta non fallant, et indecora offendant, et honesta delectent. »

Nota : Τὸ *venturus est* proprie competit Filio : Filius enim proprie venturus est, et judicaturus orbem (unde Patres ex hoc loco contra Arianos probant Filium vere et proprie esse Deum); hic tamen attribuitur Deo in communi, ac consequenter tam Patri et Spiritui Sancto, quam Filio, quia tota Trinitas veniet, ut judicium peragat, judicetque mundum non per se, sed per hominem Christum.

Denique Deo proprie competit τὸ *est*. Ejus enim æternitas semper est præsens, sibique constans; dicitur tamen etiam fuisse, et fore, quia omni tempori præterito et futuro commensuratur, illudque ambit et complectitur. Ita S. Augustinus, lib. *De Vera et falsa Religione*, cap. xlix, et Nazianzenus, *orat.* 42. Quin et Plato in *Timæo* : « Qui erat, inquit, et erit, quia nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ assignamus. Dicimus enim de illa : Est, Erat et Erit; sed revera solum Esse competit. »

Et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. — Quæres qui sint hi septem spiritus? Respondeo *primo*, Aretas, Primasius, Haymo, Beda, Rupertus, Ansbertus et Thomas Anglicus intelligunt septem dona Spiritus Sancti, id est ipsum Spiritum Sanctum, qui est auctor septem donorum. Non enim a septem donis, sed a Spiritu Sancto suis hic pacem et gratiam precatur Joannes. Sic et Eucherius in *Quæst. novi Test.*, Quæst. ultima : « Hi » septem spiritus, inquit, sunt, « quos et propheta Isaias cap. xi, vers. 2, enumerat, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et pietatis, spiritus scientiæ et virtutis, spiritus timoris Dei. » Hic sensus placuit Marlorato et hæreticis. Verum sic potius dixisset Joannes : « Et a Spiritu Sancto. » Adde hunc sensum esse mysticum, ut recte annotavit Petrus Galatinus hic : ut talis ergo admitti potest. Nam ad litteram hosce septem spiritus esse septem angelos, patet tum ex iis quæ mox afferam, tum ex eo quod dicantur « stare ante conspectum Agni, » vel « throni. »



Hoc autem est angelorum, qui sunt administratorii Spiritus Dei, ut patet cap. v, vers. 6; cap. xv, vers. 1 et 6; cap. xvi, vers. 1; cap. xvii, vers. 1; cap. xxi, vers. 9; cap. iii, vers. 1; cap. viii, 2. Unde per spiritus hos intelligunt angelos, Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.*, in fine; Aretas, Lyranus, Pererius, Ribera, Emmanuel Sa, Serarius et alii mox citandi; et ex hæreticis Beza, Tremellius et Junius hic, Franciscus David in defensione suarum thesium apud Faustum Socinum, pag. 45, et ipse Socinus, pag. 46. Unde

*Secundo*, alii passim per hos septem spiritus accipiunt angelos, sed varie. Nam aliqui, ut Lyranus, Hugo et Dionysius per septem spiritus intelligunt omnes angelos; septenarius enim est symbolum universitatis. Alii proprie accipiunt septem angelos præsides septem Ecclesiarum, ad quas scribit hic Joannes. Verum

Dico hosce septem spiritus esse septem primarios angelos, qui assistunt Deo, quasi stipatores ac primores regni ipsius, parati ad omne imperium Dei, vel per se, vel per alios inferiores angelos exequendum, præsertim in cura et administratione hominum. Hi enim vocantur et sunt spiritus administratorii, *ad Hebræos*, cap. i, vers. 14.

Id ita esse patet, *primo*, ex cap. v, vers. 6, ubi iidem septem spiritus vocantur septem Agni cornua, et septem oculi, id est, vigiles æque ac robusti administri Dei : « Qui, ait, sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. » Ergo sunt angeli : horum enim est mitti; imo angelus idem est quod missus, puta nuntius et legatus. Unde *Zachar.* vi, 10, hi septem spiritus vocantur « septem oculi Domini, qui discurrunt in universam terram. »

*Secundo*, ex cap. viii, vers. 2, ubi expresse vocantur angeli. Ait enim : « Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei. » Et cap. vi, vers. 15 : « Exierunt septem angeli habentes septem plagas. »

*Tertio*, quia *Tobiæ* xii, 15, ait Raphael : « Ego sum unus ex septem, qui astamus ante Dominum, » scilicet proxime, quasi primi a rege et summo orbis gubernatore. Nam alioqui millia millium assistunt Deo, ut ait Daniel cap. vii, vers. 10.

*Quarto*, quia similiter septem angelos præpositos esse septem planetis docent Rabbini Hebræorum, et multi Christianorum Philosophi et Theologi. Audi Trithemium initio libri, quem scripsit de septem intelligentiis orbem moventibus et regentibus, *ad Maximilianum I Imperatorem* : « Veterum, ait, sententia est, mundum hunc inferiorem ordinatione primi intellectus, qui est Deus, per secundas intelligentias gubernari : quorum opinioni Conciliator medicorum assentiens, dicit septem planetis septem spiritus a principio cœli et terræ esse præfectos, quorum unusquisque mundum gubernat annis 354. Huic positioni complures viri doctissimi præbuere consensum. » Verum merito subdit Trithemius : « Confiteor quod in his omnibus nihil credo, nihilque admitto, nisi quod credit Ecclesia catholica; cætera ut vana, conficta et superstitiosa refuto. » Multi enim multa addunt, eaque vana et superstitiosa, imo hæretica, quales sunt nugæ Saturnini, apud Epiphanium, *hæresi* 23, qui somniavit mundum et quæ eo continentur, a septem angelis esse producta. Insuper, an septem planetarum angeli cum hisce septem spiritibus iidem sint, valde dubium est. Nam hi missi sunt in omnem terram, illi planetis suis assident, eosque rotant. Sed sicuti ibi sunt septem, ita et in terra quæ planetis hisce subjacet, congruit esse septem angelos præsides.

Confirmatur *primo*, quia Christus stipatus hisce septem angelis clarissimis, subinde corporaliter apparuit Sanctis, uti S. Sebastiano, dum eum animavit ad instans martyrium, ideoque miro splendore eum circumfudit, et pallio candidissimo per septem hosce eum amicivit, uti habent acta S. Sebastiani, fideliter graviterque a notariis Romanis conscripta, quæ citant probantque Ado, Usuardus, Baronius et alii.

Confirmatur *secundo*, quia pariter diabolus, hostis Dei, hisce septem angelis ex adverso opposuit septem dæmones, quos eum septem capitalibus vitiis præfecisse tradit S. Antonius apud Athanasium, et Serenus apud Cassianum, *Collat.* VII, cap. xvii, et ex his Serarius, *Tobiæ* iii, 8, Quæst. VI. Licet id alii negent, putentque quosvis dæmones ad quælibet vitia homines tentare.

*Quinto*, quia reges Persarum totidem habebant principes : nam Assuerus, ut dicitur *Esther.* i, 14, habebat « septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, et primi post eum residere soliti erant. » Hi autem reges in hoc imitati sunt Deum, Deique providentiam. Nam, ut ait Aristoteles (vel quisquis est auctor), lib. *De Mundo ad Alexandrum*, post medium, et ex eo Apuleius, majestas et gubernatio regum Persarum fuit imago divinæ majestatis et providentiæ. Idem docet libellus *De Regio Persarum principatu*, ex adversariis Barnabæ Brissonii, fol. 64 et 65.

Atque hæc est causa, cur in S. Scripturis horum septem angelorum non fiat mentio, nisi postquam Hebræi in captivitate fuerunt, ibique in aula regum Persarum et Medorum hosce septem primos regni principes conspexerunt. Tunc enim eis revelatum fuit, instar illorum esse totidem Dei principes in aula cœlesti. Excipe Tobiam, qui diu fuit ante Cyrum et reges Persarum, ac a Raphaele cap. xii, didicit hosce septem esse in cœlo. Tobias enim a Salmanasar fuit abductus in Assyrios. Non constat autem an Assyrii principes septem viros habuerint in sua regia, uti habuerunt Persæ.

Ab his ergo septem angelis, quasi ab administris Dei, non autem quasi ab auctoribus, gratiam suis postulat S. Joannes : qui enim in aula regis habet gratiam et favorem principum intimorum regi, habet et gratiam ipsius regis. Hinc dicimus : « Maria mater gratiæ, mater misericordiæ; » et :

« Nos culpis solutos, mites fac et castos, » non donando, sed impetrando mansuetudinem et castitatem, æque ac culparum solutionem. Pari modo cum Joannes ait : « Gratia vobis a septem spiritibus, » hoc ipso rogat hosce septem angelos, ut gratiam illis a Deo impetrent. Ergo eos invocat. Sancit ergo hic invocationem Sanctorum contra hæreticos. Quocirca non tantum significat hic hosce septem spiritus assistere Deo, ut vult Beza; sed etiam nobis præesse et succurrere, ac, ut magis ope sua succurrant, eam a nobis esse implorandam. Insuper, eos esse primarios aulæ cœlestis : Deo enim assistunt, uti principes suo regi.

*Sexto*, quia horum septem Archangelorum celebris est memoria in Sicilia, Neapoli, Venetiis, Romæ aliisque Italiæ urbibus, ubi et imagines eorum affabre, quin et opere mosaico expressæ cernuntur. Neapoli de iisdem editus est libellus anno Domini 1594. Panormi, quæ urbs est primaria Siciliæ, extat templum septem principibus angelorum dicatum, in quo anno Domini 1516, vetustæ eorumdem effigies repertæ sunt. Hujus templi rector, Antonius Duca, sacerdos piæ et innocentis vitæ, Dei instinctu crebrius admonitus, Romam venit anno 1527, ut eorumdem cultum ibidem promoveret, iisdemque ecclesiam vel inveniret, vel appararet. Quocirca post multas orationes et jejunia, cœlesti lumine illustratus cognovit Thermas Diocletiani locum esse septem spirituum ante Deum astantium, utpote in quibus fabricandis laborassent tot corporei angeli, puta quadraginta Christianorum, et dena Martyrum millia, ad id damnata : in quibus excelluerunt septem Martyres illustres, nimirum SS. Cyriacus, Largus, Smaragdus, Sisinnius, Saturninus, item S. Marcellus Papa, et S. Thrason, qui Christianos in iis laborantes animabant, suisque opibus alebant. Hujus revelationis, quam biennio post Venetiis primum, postea Romæ anno 1533 typis evulgavit Antonius, mentio fit in ejus sepulcro, quod in hisce Thermis ante summum altare exstat. Purgatis ergo Thermis, locus anno 1551 a Philippo Archinto, Vicario Generali Julii III Pontificis dedicatus est B. Virgini angelorum, sive septem angelis stipatæ et circumdatæ. Cumque per bella rursum locus hic neglectus et profanatus esset, iterum anno 1558, alia visione significatum est divino decreto, Thermas hasce ad honorem septem angelorum, in templum consecrandas esse. Quare Pius IV Pontifex, auditis ejus rationibus et revelationibus, negotium dedit Michaeli Angelo Bonarotæ, nobili architecto, ut formam templi in Thermis hisce delinearet et appararet. Quo facto, Pontifex ipse, indicto Cardinalium cœtu, die 5 augusti, anno 1561, coram Cardinalibus, tota curia et populo romano, pontificalibus indutus, Thermas in honorem S. Mariæ Angelorum solemni prece et ritu dedicavit, illamque ecclesiam titulo cardinalitio ornavit, eoque ex ecclesia S. Crucis in Jerusalem transtulit monasterium Patrum Carthusianorum. Eamdem postea novis privilegiis et ornamentis illustrarunt Pius V et Gregorius XIII. Ita habent chronica illius ecclesiæ, quæ a Patribus Carthusianis accepi et perlegi. Ita pariter rem totam narrat noster P. Antonius Spinellus, tract. *De Festis et templis Deiparæ*, pag. 690, et Octavius Pancirolus in *Thesauris Romæ absconditis*, cap. *de S. Maria Angelorum*, et D. Andreas Victorellus, lib. *De Ministeriis angel.*, cap. XXI, ubi fuse, æque ac docte et pie horum septem angelorum officia persequitur. In iisdem chronicis legi multos energumenos per invocationem horum septem angelorum ibidem a dæmonibus fuisse liberatos. Eorumdem effigies tum alii alibi, tum Antverpiæ Hieronymus Wierix, nobilis sculptor, incidit et excudit, adeoque una imagine totum hunc Apocalypsis locum repræsentavit. Unde et imagini subscriptum est : « Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est. » Quocirca plane congruit, ut Pastores Ecclesiarum et fideles quique, horum, imo S. Joannis, qui a septem hisce spiritibus gratiam et pacem septem Ecclesiis Asiæ efflagitat, exemplum imitantes, hosce septem Archangelos velut principes aulæ cœlestis Ecclesiarum omnium præsides, Dei administros, hominum mediatores et præpositos, peculiari cultu crebro venerentur, colant et invocent.

Denique ita de septem hisce spiritibus, scilicet eos esse septem principes angelorum, censent S. Cyprianus *De Exhort. Martyr.*, et *contra Judæos*; Petrus Galatinus *in Apocal.*, qui manuscriptus extat Romæ in Bibliotheca Vaticana; Salmeron, tom. III, cap. III; Jacobus Suarez, lib. III *in Apocal.*, vers. 8; Joannes Fontana, Episcopus Ferrariensis, discipulus et Vicarius S. Caroli Borromæi, part. 3, auctor. 64. Insuper diserte Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.* : « Septem, ait, sunt quorum maxima est potentia, primogeniti angelorum principes. » Irenæus, et ex eo Aretas, Stephanus Weberus, *De Offic. angel.*, cap. III, num. 8; Fidelis Danielius, lib. I *De Divina provid.*, cap. XX, pag. 195; Laurentius Massellius, lib. III *De B. Virgine*, cap. V; Pineda, lib. V *Salom. prævii*, cap. XIII, num. 17; Ribera, Viegas, Pererius, Maldonatus hic, Gabriel Vasquez, I part., disp. CLXXX, num. 3; Franciscus Mayronis, Doctor Illuminatus, serm. *De creat. animæ B. Virgin.* : « Mater Domini, ait, dicitur habere septem angelos notabiles, qui assistunt ejus throno, de quorum numero dicitur B. Raphael; » et Serarius in *Tobiæ* cap. XII, ubi et officia horum septem angelorum recenset.

*Dices* : Si septem spiritus sunt septem angeli, cur præponuntur Christo ? De eo enim sequitur : « Et a Jesu Christo. » Hoc enim rusticum et indignum videtur. Respondeo : Præponit eos Joannes Christo, quia de Christo homine deinceps continuandus erat sermo. Sic Matthæus Davidem præponit Abrahæ, dicens : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham, » quia Abraham mox repetendus erat, dicendo : « Abraham genuit Isaac, » etc. Porro angeli, cum sint purissimi et nobilissimi spiritus, Christo homine, sive humanitate Christi præstant, eamque naturæ dignitate antecedunt.



Nota, typum et symbolum horum septem Angelorum fuisse septiceps candelabrum Mosis *Exodi* cap. XXV (septem enim habebat calamos), quod symbolice, ait S. Hieronymus, significabat mundum cum septem planetis. Rursum et potius significabat Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem, cui præsunt septem hi spiritus angelici. Deus enim pleraque in mundo distribuit per numerum septenarium : sic in mundo septem sunt planetæ, in hebdomada septem dies; sic et septem dona Spiritus Sancti distribuit, et septem virtutes, puta tres Theologicas, et quatuor Cardinales, quibus præsunt septem hi spiritus, ut per eas homines dirigant ad vitam æternam. Ita Nicolaus Serarius in *Tobiæ* XII, 15, ubi addit aliquos horum septem nomina ita recensere, scilicet *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*, *Uriel* (qui nominatur lib. III et IV *Esdræ*), *Sealtiel* (quem colligunt ex *Genes.* XVI), *Jehudiel* (quem colligunt ex *Exodi* cap. XXIII), *Barachiel* (quem colligunt ex *Genes.* cap. XVIII). Sed ultima quatuor nomina incerta sunt : sola enim tria prima agnoscit et colit Ecclesia, uti asserit Concilium Romanum, cui præfuit Zacharias Pontifex, quod citatur in Vita S. Bonifacii apud Surium, mense junio, fol. 398, et a Baronio, anno Christi 745, fol. 179. Hoc intellige, quod Ecclesia plura angelorum nomina non agnoscat, scilicet quæ ex Scriptura canonica, aut Ecclesiastica traditione certa sint. Nam alioqui Urielis nomen admittit S. Ambrosius, lib. III *De Fide ad Gratianum*, cap. II, Isidorus, lib. VII, cap. V, illudque habetur in Missa Mosarabum, quæ extat tom. IV *Biblioth. SS. Patrum*; Andreas Cæsariensis in cap. XXII *Apoc.*; Albertus Magnus, Bonaventura, Prado, Sixtus Senensis, et alii quos citat Alcazar, *notat.* 4 hic, in fine. Zacharias ergo tantum damnat magica et conficta Angelorum nomina, quæ ab Adelberto hæretico, et, ut videtur, mago in concilio illo producebantur. Unde S. Bonifacius in eo exclamavit, illa dæmonum, non angelorum esse nomina.

Porro nomina septem angelorum jam recensita divinitus fuisse revelata B. Amadæo, viro sanctitate, miraculis et prophetiis illustri, legi in chronicis ecclesiæ S. Mariæ Angelorum paulo ante citatis, idque contigisse sub annum Domini 1460. Idem testatur Petrus Galatinus, lib. II *in Apocalyps.*, cap. VIII. Fuit hic Amadæus illustris familiæ Lusitanæ, qui Dei amore incensus, spretis omnibus opibus et statibus, monitu S. Francisci ejus ordinem amplexus est, illiusque reformationem quæ Amadæorum vocatur, instituit. Unde a Lusitanis B. Amator, ab Italis B. Amadæus vocatus est. Hinc a Sixto IV Pontifice in Confessarium electus et ascitus, ab eo obtinuit montem aureum, vulgo dictum Montorium, ubi crucifixus dicitur S. Petrus, ibique monasterium sui Ordinis exstruxit, de cujus sanctitate et revelationibus multa habent *Chronica Ordinis S. Francisci*, part. III, lib. VI, cap. XXX. Ubi tamen addunt monentque eas non extare puras, sed iis varia a variis esse addita. Ego eas Romæ diligenter quæsivi, inveni, perlegi, itaque esse comperi. Reperi nomina septem angelorum eadem, quæ paulo ante recitavi, sed et ibidem legi nonnulla paradoxa et de falsitate plane suspecta, ut angelos cum cœlo empyreo diu ante cœlum et terram creatos esse; terram initio mundi creatam fuisse materiam primam; lucem initio mundi creatam fuisse solem, ac proinde solem non quarto, ut ait Scriptura *Genes.* I, sed primo mundi die creatum esse; initio creatum esse primum mobile et cœlos planetarum, ac proinde ingens fuisse vacuum intermedium, quod secundo die quo creatum est cœlum crystallinum, impletum sit; corpus Adæ formatum esse a tribus angelis, etc. Adde, opiniones Scoti (qui fuit Minorita, uti et Amadæus) in iis passim inseri quasi oracula, ut non sine causa vir gravis dixerit : « Angelus B. Amadæi fuit Scotista. »

Verum de nominibus hisce parva est difficultas et quæstio, cum de re et personis constet. Angeli enim inter se non habent nomina, cum se invicem videant facie ad faciem, itaque colloquantur; sed ea assumunt pro ratione ministerii quod apud homines obeunt. Sic dicitur *Michael*, id est *quis ut Deus?* quia pro hominibus pugnat contra superbum Luciferum, *Apocal.* XII, 1; *Gabriel*, id est *fortitudo Dei*, quia fortia Dei gesta et bella annuntiavit Danieli, B. Virgini, etc.; *Raphael*, id est *medicina Dei*, quia Tobiæ cæcitatem curavit. Pari modo dicitur *Uriel*, id est *lux*, vel *ignis*, is qui homines Dei cognitione illuminat et amore inflammat; *Sealtiel*, id est *oratio Dei*, qui pro hominibus orat, illosque ad orandum excitat; *Jehudiel*, id est *confessio*, vel *laus Dei*, qui homines ad confessionem et laudem Dei exhortatur; *Barachiel*, id est *benedictio Dei*, qui beneficia Dei nobis procurat, nosque ad Dei benedictionem et gratiarum actionem impellit. Scripsit de septem hisce angelorum Principibus, eorumque muniis et beneficiis, librum noster P. Antonius Spinellus, Provincialis Neapolitanus. Verum morte præventus eum absolvere et edere non potuit : servatur is manuscriptus Neapoli. Porro Salmeron, tom. III, cap. III, hæc eadem septem angelorum nomina recenset et probat, uti et Laurentius Masellius, lib. III *De Beata Virgine*, cap. V; Spinellus, Victorellus et plures alii jam citati. Eadem eorum imaginibus adscripta inventa sunt in templo eorum Panormi, anno Domini 1516, cum proprio cujusque epitheto, hoc modo : « Michael victoriosus, Gabriel nuntius, Raphael medicus, Uriel fortis socius, Jehudiel remunerator, Barachiel adjutor, Sealtiel orator. » Quin et emblemata cuique propria appicta visebantur. *Michael* enim pedibus calcans Luciferum, læva virentem palmam ges-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tabat, dextera lanceam, in cujus summo vexillum candidum, rubra cruce intertexta, se hastæ convolvebat. *Gabriel* faculam laterna inclusam dextera gerebat, sinistra speculum ex viridi jaspide, rubris maculis immixtis. *Raphael* sublata sinistra pyxidem sustinebat, puerum Tobiam dextera manu ducens, piscem ex ore prehensum gestantem. *Barachiel* in sinu pallii albentes ferebat rosas. *Jehudiel* dextera coronam ex auro præferebat, sinistra flagellum tribus nigris funiculis distinctum. *Uriel* dextra eductum gladium stringebat ante pectus transversum, a læva prope pedes flamma collucebat. *Sealtiel*, vultu oculisque demissis, et palmis ad pectus nexis, precantis speciem exhibebat. Eadem septem horum angelorum symbola, hinc ut videtur expressa, exhibet imago Antverpiæ ab Hieronymo Wierix incisa. Quocirca hisce tam priscis septem angelorum pilsque schematibus excitatus, Hector Pignatellus, Comes Montisleonis, Siciliæ nomine Caroli V Imperatoris prorex, templum hoc instaurans ornansque, in eo e Senatu Panormitano, ac plerisque e prima nobilitate civibus, Sodalitium, quod Imperatorium dictum est, septem hisce angelorum Principibus instituit, cujus ipse patrocinium pro Carolo V volens lubensque suscepit, ut eorum ope ac patrocinio fultus Imperator, tum pace, tum bello, Panormitanam urbem, adeoque Siciliam universam bene feliciterque moderaretur. Hæc exacte ex Actis publicis perscrutati nostri Patres Panormitani, fuse ad me perscripserunt.

Jam vero, an hi septem sint ex summo ordine Seraphim, an ex ordine Principatuum, an alio, non constat. Nam Seraphim raro mittuntur : hi autem septem angeli, sive spiritus, dicuntur missi in omnem terram. Seraphim assistendo jugiter laudant Deum : hi septem assistunt Deo, ut excipiant jussa Dei circa Ecclesiam, eaque per se, vel alios inferiores exequantur. Adde : Raphaelem, qui unus fuit e septem, S. Thomas in II *sentent.*, distinct. 10, et alii censent non esse e summis angelis, quia Tobiæ affuit per omnia quasi angelus custos : quanquam de magnis Sanctis nonnullis legamus, quod habuerint Seraphinum aliquem instar angeli custodis a Deo sibi deputatum. Quocirca hosce septem angelos esse Seraphinos, alii affirmant, alii negant. Affirmant jam citati Galatinus, Fontana, Salmeron, Viegas, Pererius et Clemens Alexandrinus, dum eos vocat primogenitos angelorum principes. Sane Michael et Gabriel, qui in hisce septem primi numerantur, Seraphini esse videntur. Negant Gabriel Vasquez, Serarius et alii, quorum aliqui volunt eos esse Archangelos, alii Principatus, alii Cherubinos, præsertim quia quatuor illi primores aulæ et throni Dei, *Ezechiel.* I, Cherubini vocantur, non Seraphini. Vide ibi dicta, et *Daniel.* VII, 10, ubi docui eosdem esse angelos Deo assistentes et ministrantes, omnesque mitti, etiam Seraphinos.

Porro ab hisce septem angelis Deo astantibus, Deique quasi diaconis, Ecclesia militans, quæ imitari solet triumphantem, septem Diaconos instituit *Actor.* VI, 5. Deinde totidem Diaconos Cardinales posterioribus annis auctoravit. Totidem enim Pontifici olim assistere solitos, patet ex lib. *De Roman. Pontificum*, in Vita S. Evaristi, qui quartus a S. Petro sanxit, ut septem Diaconi Pontifici, imo et Episcopo, prædicanti ac celebranti assisterent. Superior horum, et quasi Præpositus, vocabatur Archidiaconus, qualis S. Sixto fuit S. Laurentius. Hic numerus duravit usque ad S. Gregorium Magnum, quando, crescente Ecclesia, alii septem prioribus additi sunt, ac tandem Gregorius III quatuor alios adjunxit, ita ut universim Cardinales Diaconi essent octodecim.

Symbolice, Rupertus, et ex eo Alcazar (licet ipse velit hunc sensum esse litteralem, nec septem angelos cum dictis admittat), per hosce septem spiritus accipit septem Dei virtutes, sive attributa, in quibus consistit integra providentiæ perfectio (spiritus enim significat id quod occultum et intimum est in movendi et gubernandi ratione), nimirum sapientia, fortitudo, beneficentia, justitia, patientia, comminatio et severitas. Hæc enim septem ad exactum et perfectum regimen requiruntur et sufficiunt. Nam ad illud requiruntur quoque minæ et severitas; hæc enim dum unum terret, coercet a malo, vel ipsum, vel alium. Hisce ergo septem dotibus homines regit et stabilit Deus. Porro hæ dotes sunt in Deo, suntque re ipsa ipse Deus : unde ab iis pacem et gratiam suis precatur Joannes. Hæ ergo virtutes in Deo sunt immensæ, nec ullum habent finem aut limitem, ideoque vocantur spiritus : cum angelos Joannes in Apocalypsi passim angelos vocet, non spiritus.

Atque de his septem divinæ providentiæ virtutibus, censet Alcazar agi per ordinem in septem sigillis a cap. V usque ad XI, ideoque illas hic initio, in dedicatoria quasi epistola universim notari et tangi.

Primas quatuor ex hisce virtutibus significant quatuor animalia, quæ stipant currum regis Dei *Ezech.* I. Aquila enim est symbolum sapientiæ divinæ, leo fortitudinis, bos beneficentiæ, homo justitiæ. Sic et Pierius in *Hieroglyph.* lib. XXXII, antiquissimam affert providentiæ Dei picturam, cui in quatuor angulis quatuor hæc nomina inscripta erant : « Virtus, auctoritas, scientia, felicitas. » Ubi enim est virtus, ibi est fortitudo, auctoritas pertinet ad justitiam, scientia est sapientia, felicitas indicat beneficentiam. « Nam «beatius est magis dare, quam accipere,» *Actor.* cap. XX, vers. 35.

De hisce septem fuse agit Alcazar, *notat.* 5, ubi ostendit eas esse non tantum in Deo, sed et in Christo homine, quibus Ecclesiam regit, ut patet vers. 8, atque omnes emicuisse in cruce Christi. Ibi enim apparuit summa Christi sapientia, fortitudo, beneficentia, patientia, etc. Addit Alcazar



eas vocari septem lampades, quia illustres sunt, orbemque æque ac Deum illustrant : ideoque eas apte comparari septem planetis. Per solem enim significari Dei virtutem et fortitudinem; per Jovem æquitatem, per Venerem beneficentiam, per Mercurium sapientiam, per Saturnum patientiam, per Lunam comminationem, per Martem severitatem. Rursum, hisce septem divinæ providentiæ virtutibus diabolum opposuisse septem vitia capitalia, scilicet Dei sapientiæ opposuisse superbiam, fortitudini acediam, beneficentiæ invidiam, æquitati avaritiam, patientiæ iram, comminationi gulam, severitati luxuriam : quæ ingeniosa ejus est speculatio.

Porro hasce septem providentiæ suæ dotes Deus communicat et exercet per angelos, de quibus jam dixi. Itaque hæc expositio priori subservit, eamque complet. Septem enim angeli, septem providentiæ dotes habent, exhibent et repræsentant : et vicissim Deus septem hasce suas virtutes non immediate per se, sed per angelos exercet et ostendit.

5. Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis. — Alludit ad illud *Psal.* LXXXVIII, vers. 38 : « Testis in cœlo fidelis, » quia Christus verum testimonium apud homines reddidit de Patre, ejusque consilio et voluntate circa hominum salutem per fidem in Christum. Græce enim est ὁ μάρτυς ὁ πιστός, id est *testis ille fidelis*, puta ille egregius et eximius, nimirum Martyrum dux et princeps, qui pro veritate, quam constanter prædicabat, scilicet quod ipse esset Messias a Deo missus, orbis redemptor, atrocissimam in cruce mortem fortissime oppetiit. Unde Syrus ter articulum demonstrativum repetens, emphatice ita vertit : *Et a Jesu Christo, illo teste, illo fideli, illo primogenito mortuorum.* Joannes Alba Electorum cap. C : Testis fidelis, inquit, idem est quod princeps æternus. Unde explicans suddit : « Primogenitus mortuorum, » id est, rex mortalium (primogeniti enim olim erant familiæ et gentis principes regesque), « et princeps regum terræ. » Quod enim testis per catachresin vocetur judex et princeps, ostendi *Isaiæ* cap. LV, vers. 4. Verum testem hic proprie sumi patet ex testimonio quod perhibuit verbo Dei vers. 2. Hinc Christus a S. Gregorio Nazianzeno, *orat.* 18, quæ est de S. Cypriano, vocatur « primus Martyr, » et a S. Augustino, serm. 2 *De S. Stephano*, « caput Martyrum. »

Primogenitus mortuorum, — id est primo resurgens a mortuis ad vitam beatam et immortalem, quique fuit causa et exemplar beatæ resurrectionis omnium aliorum. Talis enim est solus Christus : nam qui ante Christum ab Elia, Elisæo et aliis a morte suscitati sunt, resurrexerunt ad vitam mortalem, sive iterum morituri. Ita Ribera et Gagneius.

Addit Christo hunc titulum Joannes, ut Christianos suos animet per hanc resurrectionis cum Christo spem ad persecutiones et tribulationes omnes fortiter cum eo perferendas. Christus enim patiens et resurgens est dux et exemplar Ecclesiæ, et fidelis cujusque patientis, et e passione gloriose emergentis ac resurgentis. Unde ut talem seipsum suis fidelibus proponit vers. 18, dicens : « Fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, » quasi dicat : Sic et vobis, o fideles, sub Domitiano, Trajano, etc., moriendum est; sed sperate et durate, nam vivetis mecum in sæcula. Sic etiam Christi exemplo suos roborat Paulus, *Rom.* VIII, 29, dicens : « Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. » Vide ibi dicta.

Et princeps regum terræ, — *q. d.* Nolite timere Domitianum aliosque reges terræ : Christus enim omnium horum est rex et dominus. Ipse omnes compescere, arctare, imo annihilare potest, ac consequenter faciet vos iis omnibus per patientiam et fortitudinem superiores, ut regum sitis reges, hic per gratiam et robur invictum, in judicio extremo vero per gloriam, judicantes duodecim tribus Israel omnesque mundi principes.

Qui dilexit nos. — En delicias amoris Joannis in Jesum, qui ejus erat cor et amor. Græcus textus hic, uti et alibi, videtur corruptus. Habet enim in dativo : Τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, id est *diligenti nos*; dativus ergo videtur irrepsisse pro nominativo. Ita Ribera.

Conatur tamen eum excusare Erasmus, dicens hunc dativum referri ad τὸ *fidelis*, supple « ei, » Patri scilicet, qui dilexit nos et lavit per sanguinem αὐτοῦ, id est ejus, puta Christi. Verum Noster aptius et planius vertit, *in sanguine suo*, quod ad Patrem referri nequit, sed ad Filium spectat. Sanguis enim Christi est sapo efficacissimus, qui eluit omnia omnium hominum peccata.

Alcazar vero excusat, dicens hæc verba referenda esse ad ea quæ sequuntur : « Ipsi gloria, » *q. d.* Christo diligenti nos sit gloria.

6. Et fecit nos regnum, — In quo scilicet ipse regnet per gratiam, et in futuro per gloriam. *Secundo*, consequenter « fecit nos regnum, » id est reges, qui hic vitiis per virtutes, in futuro morti et miseriis dominemus per beatam immortalitatem. Unde pro *regnum* multi Græci codices legunt βασιλεῖς, id est reges, et ita legit Tertullianus. Quocirca Joannes, cap. V, vers. 10, repetens hanc sententiam, ait : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. » Alludit ad I *Petri* II, 9 : « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. »

Quare inepte Lutherus ex hoc loco contendit probare omnes Christianos esse proprie dictos sacerdotes, non mysticos. Sic enim pariter deberent omnes esse reges proprie dicti. Omnes ergo Dei cultores vocantur hic sacerdotes, sed mystici.

Præclare S. Gregorius, XXVI *Moral.*, XXI, explicans illud *Jobi* XXXVI, 7, *Non aufert a justo ocu-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*los suos, et reges in solio collocat in perpetuum :* «Bene, inquit, viri sancti divinæ Scripturæ testimonio reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frenant, modo æstum avaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestionem livoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. »

Et sacerdotes Deo,—offerentes scilicet Deo spiritales hostias, ut ait S. Petrus, *epist.* I, cap. II, vers. 5, puta orationes, eleemosynas, jejunia aliaque pia opera. *Secundo*, Christus, ait Cajetanus, fecit nos sacerdotes, quia in Christiano populo instituit ordinem sacerdotalem, et sacerdotes, per quos quisque fidelis offert Deo sacram hostiam et sacrificium Eucharistiæ.

Deo et Patri suo. — Loquitur de Christo homine, ut dixi. Christus enim, ut homo, Deum agnoscit ut Deum et creatorem suum (humanitas enim ejus creata est a Deo). Eumdem agnoscit ut Patrem suum, quia ratione unionis humanitatis suæ cum Verbo, non tantum qua Deus, sed et qua homo, est Filius Dei Patris naturalis, uti docent S. Thomas et Theologi.

Ipsi gloria et imperium. — Supple *sit* : est enim optantis hæc vox. Alcazar tamen intelligit *est*; censet enim hanc vocem esse affirmantis, quasi dicat : Ex Apocalypseos revelatione constat, gloriam et imperium tradita esse Christo; quia gloria et imperium æternum Ecclesiæ Christianæ, quod in ea ipse describi putat, ad Christi gloriam et imperium spectat; atque ex Christi gloria et imperio privatur, quod Ecclesia Christi de suis hostibus triumpharit, et in cœlo sit in æternum triumphatura.

7. Ecce venit cum nubibus. — *q. d.* Cito veniet Christus ad judicium, et jam spiritu prophetico eminus video illum venientem : quia mihi in spiritu ad Deum elevato omne hoc tempus quod sub eo fluit usque ad diem judicii, breve videtur, breveque est respectu æternitatis beatæ et miseræ, quam in judicio pro meritis cuique afferet et infliget. Vide II *Petri* III, 8, cur Christus venturus sit in nubibus; et quod nubes sint symbolum æque ac velum gloriæ Dei, explicui *Ezech.* I, 4.

Et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, — in crucifixione, puta qui eum crucifixerunt, uti et illi qui mystice jam eum crucifigunt in suis membris, Christianos ejus discipulos occidendo et crucifigendo. Pro *pupugerunt, Zachar.* XII, 10, hebr. est דקרו *dakeru*, quod non tantum pungere, compungere, sed et perfodere ac transfigere significat, uti noster ibidem vertit.

Hinc videtur quod in Christo judice veniente ad extremum judicium videbuntur crucifixionis insignia et vulnera, id est aperturæ manuum, pedum, lateris, sed gloriosa et splendentia, uti notant S. Ignatius, epist. *ad Smyrnens.*; Cyprianus, serm. *De Ascension.*; Chrysostomus, homil. *De Cruce et Latrone*; S. Hieronymus *ad Heliodorum*, et Suarez, III *part.*, *Quæst.* LIX, art. 6, disp. LVII, sect. 9.

Et plangent se super eum omnes tribus terræ. — Quia scilicet Christo non obedierunt, ideoque damnabuntur plurimi ex qualibet tribu : hinc plangent. Non enim de planctu pœnitentiæ, quo sua peccata planxerunt Judæi et Gentes conversæ ad Christum, hic agi, ut vult Alcazar, sed potius de planctu reproborum et damnatorum, patet, tum quia agit de die judicii, tum quia alludit ad illud *Matth.* XXIV, 30 : « Tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, » ubi clarum est agi de planctu qui erit in die judicii : ille autem erit impiorum, non electorum; tum quia alludit ad illud *Zachar.* XII, 10 : « Aspicient ad me quem confixerunt; et plangent eum planctu, quasi super unigenitum. » Quem locum licet de planctu pœnitentium explicet Alcazar, tamen S. Augustinus, lib. XX *De Civitate Dei*, cap. XXX; Theodoretus, S. Hieronymus, Rupertus, Ribera et alii explicant de planctu impiorum in die judicii.

Etiam, Amen, — *q. d.* Omnino ita erit, vel Amen, Amen. Græce enim est, ναὶ ἀμήν; ναὶ autem, quod Noster vertit *etiam*, Græcis idem est quod Hebræis *amen*.

Quæres : Cur Joannes hic idem exprimit per ναὶ Græcum et per ἀμήν Hebræum, cum scribat Græcis Græce? Respondeo, ut significet tum Græcos, tum Judæos huic judicio fore obnoxios, ac in die judicii confirmaturos id quod ipse hic dicit, cum reipsa videbunt ita fieri uti hic prædicitur, scilicet quod omnes videbunt Christum judicem, et plangent. Per Judæos enim et Græcos, omnes Gentes intelligit. Judæi enim, utpote Deum colentes, reliquas gentes idololatras vocabant Græcos; olim enim Græci erant rerum domini, uti postea Romani. Hinc Paulus ait *Rom.* cap. I : « Judæo primum et Græco, » *q. d.* Fides Christi a nobis annuntianda est primum Judæis, deinde Gentibus. Vide ibi dicta.

8. Ego sum A et Ω. — Quæres primo quis hic loquatur. Alcazar censet loqui Christum, quia S. Nazianzenus, *orat.* 35; S. Athanasius, tract. in illud *Matth.* XI, 27 : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo; » Ruffinus in *Exposit. Symboli*; Idacius Clarus, lib. III *Contra Varimundum*; Phœbadius, sive Sebadius, Agennensis in Gallia Episcopus, lib. III *Contra Arianos*, hæc de Christo accipiunt.

*Secundo*, quia verbum *dicit*, designat eum qui Joanni Apocalypsin misit : hic autem fuit Christus, ut patet vers. 1.

Verum dico loqui Deum, prout communis est tribus personis, scilicet Patri, Filio et Spiritui Sancto. Patet hoc conferenti hunc versum cum vers. 4, ubi de Deo in communi est sermo : hic enim idem Dei epithetum repetit, additque eumdem esse α et ω.



Ad Patres respondeo, eos hunc locum tribuere Filio, non soli, sed quia Filius est Deus, æque ac Pater et Spiritus Sanctus. Adde Patres respicere ad *Apoc.* XXII, 2, ubi de Christo idem expresse dicitur. Ait enim : « Ecce venio cito, ego sum α et ω, principium et finis; » ac mox subjungit : « Ego Iesus, ego radix David. » Rursus ad cap. II, vers. 8, ubi Christus ait : « Ego sum primus et novissimus. » Quocirca Christiani olim vigente Arianismo, ut se orthodoxos, non Arianos profiterentur, in suis sepulcris incidi curabant α et ω, quasi dicerent : Ego credo de Christo, quod ipse de se per Joannem dicit, scilicet ipsum esse α et ω, id est esse vere Deum, uti est Pater. Id notarunt vetustatis scrutatores, uti Ambrosius Morales, lib. XI *Histor.*, cap. XLI.

Nota : Christus si hebraice, vel syriace (ut nonnulli volunt) locutus est S. Joanni, utpote Hebræus Hebræo, dixit : « Ego sum Aleph et Tau. » *Aleph* enim est prima, *Tau* ultima littera Hebræorum. Unde Syrus vertit : *Ego sum Olaph, etiam Tau*. S. Joannes tamen, quia Græcis Græce scribebat, pro Hebræis substituit Græcas litteras α et ω, eaque de causa forte Christus pariter Joanni Græce locutus est, dixitque : « Ego sum α et ω, » quod italice melius dicitur : *Io sono lo Alpha et lo Omega*.

Quæres *secundo* : Quis est sensus : « Ego sum α et ω? » *Primo*, S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, putat idem hic dici cum eo, quod ait Apostolus, *Ephes.* I, 10 : « Instaurare omnia in Christo. » Accedit Tertullianus, lib. *De Monogam.*, qui putat hic sanciri : « Ut Joannis disputatio desinat in Christum, et per Christum omnia ad initium revocentur, et homo revertatur ad paradisum, ubi prius erat. »

*Secundo*, Petrus Damianus putat per α et ω significari summam sapientiam Christi, qua prima et novissima cognoscit.

*Tertio*, Arias Montanus in cap. IV *Zachariæ* exponit, *q. d.* Christus in Ecclesia est α et ω, id est consummatio, decus et perfectio rerum omnium.

*Quarto*, Prado *in Ezech.*, in *Isagog.*, sect. 2 : ego sum α et ω, id est ego sum principium et finis sermonum et oraculorum Dei, *q. d.* Ego sum quem spectant omnes Prophetæ, omnes Apostoli, omnis Scriptura sacra : ego sum scopus et summa Legis et Prophetarum, æque ac Evangelii et Apostolorum; in me adimplentur et consummantur omnes Patriarcharum historiæ, omnes Hebræorum ritus, sacrificia, lustrationes, miracula et oracula; omnes Virginum, Martyrum, Anachoretarum virtutes, certamina et triumphi.

*Quinto*, magis genuine Aretas et alii sic exponunt, « ego sum α et ω, » id est, ut sequitur, « ego sum principium et finis. » Nam, cap. XXII, vers. 13, hæc tria, quasi idem sint, junguntur : « Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis. » Sic Martialis, lib. II, Codrum vocat « alpha penulatorum, » id est inter plebeios et pauperes primum et quasi principem. Jam sensus est : « Ego sum principium et finis. » *Primo*, *q. d.* Ego sum sine principio et fine, id est sum æternus, inquit Aretas : significatur enim hac phrasi Dei æternitas. Itaque sum α et ω, hoc est, ego sum is, ante quem nihil est, imo per quem factum est quidquid factum est, quique, ut omnia intereant, superstes illis omnibus maneo : sicut ergo alpha sese vocat, quod omnium rerum principio sit antiquior : sic omega, quod sit omni fine posterior, ut utrimque illi vere sua constet æternitas. Sic a Græcis Jupiter vocabatur τέρμιος, id est terminalis, παρὰ τὸ πάντων ἀρχὴ καὶ τέρμα εἶναι, eo quod ipse omnium rerum esset principium et terminus. Sicut ergo Apostolus, I *Timoth.* VI, 16, de Deo ait : « Qui solus habet immortalitatem, » ita ejusdem divinitatem, æternitatem et imperium S. Joannes describit hac periphrasi : « Ego sum α et ω, principium et finis, *q. d.* Ego sum qui omnes numeros sæculorum comprehendo; ego sum qui omnia tempora æternitate mea ambio, amplector et prætergredior. Nimirum regnum illius, est « regnum omnium sæculorum, et dominatio illius in generatione et generationem, » *Psalm.* CXLIV, 13.

Rursum et potius active, sum α et ω, id est principium et finis, hoc est, sum causa efficiens et finalis universorum : universa enim a Deo ad Dei gloriam creata sunt. Sic Plato : « Deus, ait, est, qui principium, medium et finem rerum omnium complectitur; » et Virgilius : « Ab Jove principium; » et : « A te principium, tibi desinet. »

Recte notat Alcazar abstracta hic poni pro concretis, idemque dicere Joannem, quod dicit Paulus *ad Hebr.* XII, 2, ubi Christum vocat auctorem et consummatorem; ἀρχὴ enim, id est principium, apud Joannem idem est quod ἀρχηγός, id est auctor, apud Paulum; et τέλος, id est finis, apud Joannem idem est quod τελειωτής, id est finitor et consummator, apud Paulum, *q. d.* Deus est auctor et consummator omnium, Deus est qui incepit et qui perficiet. Alludit *ad Zachar.* IV, 9 : « Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam. » Denique hoc sensu et fine *Psalm.* IV, V, VI, multosque alios inscribi, « in finem, » id est Deo et Christo, qui æque finis est ac principium Ecclesiæ rerumque omnium, fuse docet Alcazar, *Notat.* 8. Ex dictis patet minus recte Theologos aliquos ex hoc loco probare Filium cum Patre esse principium spirans Spiritum Sanctum. Agitur enim hic de principio creaturarum, non Spiritus Sancti.

Quæres *tertio* : Quorsum hæc dicit Joannes? Respondeo, *primo*, ut doceat Deum quasi principium et finem, orbi, Ecclesiæ, omnibusque quæ in ea geruntur, principium et finem dare. Rursum, Deum sicut Ecclesiam Christi oriri fecit, eique dedit principium, ita pariter eam provecturum et promoturum, ac finem, id est perfectionem ultimam, ei daturum. Ac proinde fideles

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non debere timere Domitianos et Decios, quia Deus et ipsis, et ipsorum persecutioni tam principium, quam finem definiet et describet; eamque ita moderabitur, ut non patiatur suos tentari supra vires, sed dabit cum tentatione proventum. Hoc est enim quod dicitur vers. 17 : « Noli timere, ego sum primus et novissimus. » Et cap. II, vers. 8 : « Hæc dicit primus et novissimus : Nihil horum timeas. »

Mystice Pererius : Per α, inquit, quod est principium alphabeti, significatur Christi divinitas; per ω, Christi humanitas. *Primo*, quia ω est ο magnum : ο enim rotundum, mundum significat, et homo est parvus mundus; Christus vero est ω, id est magnus mundus, propter unionem humanitatis et deitatis. Atque etiam hoc forte spectarunt Christiani, cum suis sepulcris inscriberent α et ω, scilicet ut Christi incarnationem et humanitatem, æque ac deitatem contra hæreses tunc grassantes profiterentur. Huc spectat illud S. Ambrosius, lib. *De Institut. Virgin.*, cap. XI : « Vide, inquit, clementiam Christi : ipse est primus et novissimus. Qui primus erat, propter nos se novissimum fecit. Primus, quia per ipsum omnia; novissimus, quia per ipsum resurrectio. Descendit enim et projecit se ut caderet, infra omnes se faciens, ut omnes jacentes levaret. » Idem : Christus, inquit, est « α et ω, primus et ultimus : primus æternitate, ultimus humilitate. »

*Secundo*, α significat unum, ω octingenta; quia Christus homo factus octingentos, id est innumerabiles, sanctos et electos sibi adoptavit in fine sæculorum, eosque octo beatitudinibus, per diversas mansiones in cœlo dispertiendo, remuneratus est, et remunerando dispertitus, inquit Rupertus.

Extat memorabile pentalpha, id est quintuplex alpha, ex quinque angulis pentagoni prosiliens apud Lucianum et Pierium, *Hieroglyph.* 47, pag. 899, cujus hæc est figura.



Ferunt enim Antiochum cognomento Soterem, a quo reliqui Syriæ reges Antiochi sunt dicti, cum adversus Galatas dimicaturus esset, noctu per visionem videre visum astare sibi Alexandrum, qui mandaret ut militibus tesseram daret ὑγίειαν, cujus dicti hieroglyphicum olim jam adinventum erat, triplex triangulus inter se complicitus ex quinque paribus lineis sese invicem in puncto contingentibus, ita ut quinque illorum anguli faciant quinque alpha : quo non cunctanter a se facto, pentagrammoque hujusmodi tum in vexillis imposito, tum et singulis militibus in militaribus indumentis superaddito assutoque, admirabilem mox a Galatis consecutus est victoriam. Exstat Antiochi nummus argenteus, cui hoc pentalpha in pentagono, litteris ὑγίεια, id est *sanitas* vel *salus*, inscriptum. In militia vero imperatorum, qui præcipue Byzantii claruerunt, ordo eorum qui sub illustri viro magistro peditum merebant, et Propugnatores vocabantur, cæruleam parmam præferebant, cujus margo purpureus erat, viridis autem umbilicus intra pentalpha hujusmodi contentus. Merito a tem Propugnatorum nomen eis datum, quorum opera ὑγίεια, id est salus, exercitui comparabatur. Hoc pentalpha est Deus, qui est α et ω, et Christus Salvator; unde hoc pentalpha certe quinque Christi vulneribus, in ipsis eorum locis et membris rite adaptat Pierius *Hieroglyph.* 47, pag. 899, in effigie hominis Christum repræsentantis, quam ibidem exhibet.

9. Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione et regno (*q. d.* Ego Joannes spero uti tribulationis, ita et regni cœlestis vobiscum particeps fieri), et (repete. *particeps in*) patientia in Christo Jesu, — *q. d.* Et particeps patientiæ Christi Jesu, vel patientiæ Christianæ, quæ omnia suffert, affligentibus non indignatur, nec in Deum obmurmurat, sed quidquid ab eo immittitur per quemcumque æquo animo sustinet. *Secundo*, « in Christo, » id est propter Christum, Christique fidem quam prædico. Ita Ribera. Aliqui sic exponunt : « In tribulatione et regno, » quia tribulatio et crux est regnum Christi et Christianorum. Nam regnavit a ligno Deus : itidem regnat in tribulatione patiens. Hoc mysticum est, sed verum et appositum, æque ac pium. Ita Sophronius, vel potius Joannes Moschus, in *Prato Spirit.*, cap. CXII, refert, quod Abbas Leo dixerit et prædixerit : « Habeo regnare. » Ridebant eum sui. Contigit postmodum monachos quosdam a prædonibus et barbaris capi; ut eos redimeret Leo, semetipsum pro eis captivum tradidit. Pergens ergo cum eis, tandem cum viribus deficeret, nec ulterius progredi posset, ab eis occisus est. Cognoverunt tunc sui hoc ejus regnum, de quo dixerat : « Habeo regnare, » fuisse martyrium. Dicit hoc Joannes, quia, ut ait Aretas, solemus fidem facilius illis adhibere, qui nobiscum in iisdem laboribus eadem de causa susceptis communicant, cum aliqua ad eorumdem laborum perpessionem, et speratam mercedem spectantia commemorant.

Fui in insula quæ appellatur Patmos, — quæ sita est in mari Asiatico et Icario, estque una ex Sporadibus non longe distans a Candia, sive Creta (1). Ibi, inquit Ansbertus, Joannes a Domitiano relegatus et damnatus ad metella, quasi vinctus in terra, libere penetravit cœlos et cœlestia. Tradit ex Metaphraste Baronius, omnes insulanos in Patmos a S. Joanne conversos fuisse ad Christum. Ita nunquam otiosa fuit Apostolorum charitas et zelus.

(1) Hodie audit *Patino*, vel *Palmosa*, juxta alios *Subturcia*. Deportatio in insulas frequens pœna eo tempore. Electæ autem ad hoc plerumque insulæ exiguæ et prope desertæ, qualis *Seriphus* et *Gyaros* apud Juvenalem et Tacitum. Cf. Bossuetium, *l'Apocalypse*, h. l. Hodieque in hac insula ostendi speluncam sub monasterio Sancti Joannis, in qua dicitur idem Apostolus scripsisse Apocalypsim, auctor est Verschraege, op. cit. p. 31.



Nota hic providentiam et consilium Dei, qui suaviter et efficaciter ita cuncta disposuit, ut Joannes ab urbe Roma (in qua longe aberat a suis in Asia Ecclesiis) in Patmon relegaretur, quæ Asiæ contermina, atque ipsis septem urbibus ad quas hic scribit, vicina erat, quo facilius inde per litteras cum suis Ecclesiis agere, easque instruere et dirigere posset. Ita diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rursum disce hic, quam Deus suis in exilio et in tribulatione adsit, deique lucem et consolationem : ecce Joannes non alibi, quam in Patmo accipit a Deo suam Apocalypsin. Ita Jacob, cum eum persequeretur Esau, vidit Deum in Bethel, *Genes.* XXVIII et XXXII. Moses fugiens Pharaonem, conspexit Deum in rubo ardente, *Exodi* III. Ezechiel captus in Babylone vidit eumdem in curru Cherubico, cap I. Stephanus in lapidatione vidit Jesum stantem a dextris virtutis Dei, quasi suum hyperaspisten, *Actor.* VII.

10. 10. Fui in spiritu, — fui raptus mente, fui in spirituali visione, vel in exstasi, significat sanctum illum enthusiasmum, quo Prophetæ correpti extra mundum quasi rapiebantur, et peregrinabantur cum Domino.

In Dominica die. — Ergo a tempore Joannis et Apostolorum cultus sabbati fuit translatus in Dominicam, ob honorem resurrectionis Christi, quæ in Dominica contigit.

Et audivi post me vocem magnam. — Quæres : Cur a tergo hæc vox exhibita est Joanni? Respondet *primo* Alcazar, ut Joannes intelligeret se vocari ad bellum, quod jam præterierat, considerandum. Putat enim ipse priori Apocalypsis parte describi bellum, victoriam et excidium Judæorum per Titum, quod jam 25 annis præterierat. Quæ enim præterita sunt, retro et post tergum sunt. Unde ait Apostolus, *Philip.* III, 13 : « Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum. » Sed hoc fundamentum ejus superius subverti ex eo quod Apocalypsis sit prophetia futurorum, non historia præteritorum.

*Secundo* ergo et melius respondet Ambrosius, Thomas Anglicus et Ribera, Joannem hic a tergo audisse vocem, quia auditurus erat ea quæ erant ignota Ecclesiæ. Quod enim post nos est, quia videri nequit, nobis ignotum censetur.

*Tertio*, Anselmus, Richardus et Rupertus censent hoc situ vocis Joannem, qui contemplationi rerum divinarum vacabat, ad humana, puta ad aliorum correctionem et instructionem revocari.

*Quarto*, Glossa et Albertus putant hac voce a tergo significari symbolice, quod hæc mysteria, quæ Joanni hic revelantur, in lege et Prophetis continebantur quasi in typo et figura.

*Quinto* et optime, vox hæc a tergo audita est, ut significaretur *primo*, revelationem hanc esse Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus non videtur ab hominibus, ideoque dum se iis doctorem et monitorem exhibet, videtur facere, « ut aures audiant verba post tergum monentis, » ut ait Isaias, cap. XXX, vers. 21. *Secundo*, quod Deus hic loquens Joanni, clare per faciem in hac vita videre nequit. Unde Moysi dixit, *Exodi* XXXIII : « Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. » *Tertio*, quod persecutiones hic a Joanne auditæ et prophetatæ, proxime S. Joannem secuturæ erant sub Trajano, Adriano, Antonio, etc. Porro vox hæc a Deo per angelos de more efformata videtur.

Mystice, significatur hic singulare præsidium Dei, Joannem et fideles suos inter tot persecutiones et pericula protegentis et dirigentis. Recte enim Christi providentia post nos esse describitur, quia cum ipsam non cernamus, ipsa tamen nos cernit, semperque ante oculos habet, tuetur et protegit. Ita Origenes et S. Hieronymus in *Ezech.* III, 12.

Tropologice monentur hic fideles, ut a terrenis avertantur, et convertantur ad Deum et cœlestia. Servi enim fugitivi sumus, atque ut nos revocet, a tergo clamat Christus. Ita Ambrosius et Lyranus.

Tanquam tubæ. — Ergo hæc vox fuit non tantum ingens et contenta, sed et tubalis, sive sonitum tubæ referens et exprimens : vox enim *tanquam*, non tam comparationem hic notat, quam rei veritatem. Unde videtur hæc vox Dei fuisse diversa a voce Christi hominis, de qua dicit vers. 15 : « Et vox illius tanquam vox aquarum multarum. » Voce enim divina et tubali excitus Joannes respexit, viditque Christum inter septem candelabra, voce grandi instar aquarum multarum resonantem, ac dicentem : « Noli timere, ego sum primus et novissimus. »

Aliter Alcazar : censet enim utramque vocem, scilicet tubæ et aquarum multarum, fuisse Christi, qui prius vocem tubalem edidit, deinde vocem aquarum multarum : utramque bellicam, ut priore significaret bellum illatum Ecclesiæ a Judæis; posteriore, bellum eidem illatum ab omnibus Gentibus; sed in utroque patientia et virtute sua de utrisque triumphavit Christus, scilicet Judæorum tubæ bellicæ opposuit, non arma, sed septem tubas, uti olim contra Jericho, de quibus cap. VI. Judæorum enim plagæ per has tubas significantur. Aquis vero multis, id est tumultui Gentium contra Ecclesiam conspirantium, opposuit septem phialas cap. XV, vers. 7, quasi ad gentium impetum retundendum satis sit, ut cœlum septem phialas aquæ effundat : quasi aquæ tantum guttis contra maris furorem pugnetur. « Nam qui habitat in cœlis irridebit eos, » *Psalm.* II, 4. Hac ergo tuba et voce bellica significari, quod, sicut olim bellicis tubis jubilei sive redemptionis annus promulgabatur : ita ex tubis Judæorum et Gentium contra Ecclesiam insurgentibus fideles jubilæum

consequerentur, id est, egregium redemptionis fructum, atque eam libertatem, quæ in pacis mundanæ, divitiarum ac vitæ despicientia consistit. Hæc ingeniose et pie dicuntur; at non satis germane et genuine, uti superius ostendi, et inferius ostendam.

11. Philadelphiæ. — Urbs est sita in Mysia juxta Lydiam, ita dicta ab Attalo Philadelpho conditore. Alia est Philadelphia Syriæ, quæ in Scriptura vocatur *Rabbat filiorum Ammon.* De cæteris urbibus dicam suis quibusque locis (1).

12. Et conversus sum, ut viderem vocem, — puta auctorem vocis, sive ipsum vocantem et loquentem; vel « viderem, » id est, cognoscerem et perspicerem. Sic *Exodi* xx, 18, dicitur : « Cunctus populus videbat, » id est audiebat, « voces : » visus enim, quia certissimus, pro quolibet sensu, sensatione et cognitione sumitur : præsertim, quia intellectualis erat hæc vox, ideoque erat ipsa visio. Unde Prophetæ suas prophetias jam « verbum, » jam « visionem » vocant, quia in mente et spiritu idem sunt videre et audire. Ita Aretas et Haymo. Vide Can. 1 *in Prophetas.*

Et conversus vidi septem candelabra aurea. — Candelabra hæc erant similia illi, quod fecit Moses in tabernaculo; et illis decem, quæ fecit Salomon in templo. Ad hæc enim alludit : unde et vidit Christum vestitum podere, quasi sacerdotem : sacerdotum enim legis veteris vestis erat poderis. Sic et Zacharias cap. iii, vers. 4, vidit sacerdotem Jesum mutatoriis vestitum, id est podere, ut vertunt Septuaginta; et mox cap. iv, vers. 2, vidit « candelabrum aureum, et septem lucernas super illud. » Erant ergo hæc candelabra instar illorum veterum heptalychna, id est septem lucernas habentia : quodque enim candelabrum erat septiceps, scilicet habens septem scapos sive calamos, qui singuli in culmine habebant lucernam, uti dixi *Exodi* xxv, 31.

Porro per candelabrum tam Joannes, quam Moses, significat et repræsentavit Ecclesiam : ita enim ait S. Joannes vers. 20 : « Candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt. » Idque apposite. Nam *primo*, Ecclesia est visibilis et conspicua instar candelabri. *Secundo*, quia lucem mundi, puta Christum Christique doctrinam mundo præfert. *Tertio*, quia erecta est ad res divinas et cœlestes. *Quarto*, est aurea propter charitatem, et quia quasi aurum igne et malleis persecutionum probatur, extenditur, formatur. « Est ergo Ecclesia quasi candelabrum (inquit Pererius) per doctrinam Scripturarum lucida, per fulgorem virtutum splendida, per gravitatem morum ponderosa, per obedientiam ductilis, per prædicationem sonora, per perseverantiam extensa, per spem erecta, per fidem in Deo fundata, per charitatem Deo astricta, » imo in eum quasi transformata. Plura de candelabro hoc, ejusque figura et significatione dixi *Exodi* xxv, 31.

(1) Notat Wetstenius ad h. l. has urbes nobilissimas eodem ordine hic enumerari, quo ex Patmo insula adiri debebant.

13. Et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, — hoc est hominem, Christum scilicet. Homo enim homini est similis, et Christus in similitudinem hominum factus est, dum habitu inventus est ut homo. Phrasi enim Hebraica similitudo veritatem rei significat : ita Gagneius, et patet ex sequentibus. Ribera tamen putat non fuisse ipsum Christum, sed angelum qui personam Christi gerebat. Adde dici similem, quia per omnia non erat hominis similitudo; habebat enim pedes ex aurichalco.

Quæres an Joannes revera viderit hic Christum Dominum in seipso? Respondeo : Probabile est vidisse, sed in alio habitu, quam sit in cœlo. Corpus enim gloriosum potest apparere tali forma et habitu, quali vult beatus. Probabilius est tamen contrarium, scilicet Joannem revera non vidisse Christum ipsum. *Primo*, quia erat in spiritu; unde hæc omnia coram eo symbolice gerebantur, ut patet ex sequent. Deinde, quia similiter cap. v, ait se vidisse sedentem in throno : certum est autem ibi eum non vidisse Deum, sed symbolum aliquod, aut speciem quæ Deum repræsentaret. Pari ergo modo et hic eidem contigit, scilicet species Christi phantasiæ ejus impressa et objecta fuit, non ipse Christus, idque ex more Dei factum est per angelum, atque hoc sensu vera est sententia Riberæ.

Porro quod ait : « In medio septem candelabrorum, » intellige non consistentem, sed ambulantem; sic enim ait cap. ii, vers. 1 : « Qui ambulat in medio candelabrorum. » Ambulat autem in medio illorum, ut ea foveat oleo, accendat et emungat. Alludit enim ad officium candelabra curandi, quo sacerdos hebdomadarius in templo Salomonis fungebatur. Hac de causa persona quam vidit Joannes, vestita erat podere, id est tunica linea, quam induebant sacerdotes sacras has functiones obituri. Ita Alcazar.

Moraliter : Notat S. Thomas τὸ *in medio* significare Christum singulis Ecclesiis exhibere se communem, a nemine recedere longius, ad neminem accedere propius; sed omnibus æqualiter adesse ac prodesse, ut doceat Episcopos in Ecclesia, rectores in collegio, patres in familia, se exhibere omnibus indifferentes, æquos et æquabiles, ad arcendam invidiam et promovendam omnium unionem et charitatem. Vulgo quæritur cur ad Pontificatum electus sit, non Joannes Christo charissimus, sed Petrus? Hanc quæstionem S. Hieronymus, lib. 1 *Adversus Jovinianum*, duplici responsione decidit. Una : « Ne adhuc adolescens, inquit, ac pene puer, progressæ ætatis hominibus præferretur; » altera : « Ne magister, inquit, bonus, qui occasionem jurgii debuerat auferre discipulis, in adolescente, quem dilexerat, causam præbere videretur invidiæ. »



Huc alludit et hoc repræsentat Pontifex Romanus, dum ipse solus solemniter celebrans circum se in altari habet septem candelabra (quod nulli episcoporum concessum est) : ipse enim est Vicarius Christi, qui hic visus est Joanni inter septem candelabra quasi summus Pontifex, et moderator septem, id est omnium, Episcoporum et Ecclesiarum tam Græciæ, quam totius orbis. Christus ergo est qui Ecclesiæ suum communicat splendorem, vim ac virtutem, juxta illud *Matth.* xviii, 20 : « Ibi sum in medio eorum. » Quocirca Isaias, cap. xii, vers. 6, Ecclesiam ad gratias agendas et ad jubilum excitat, dicens : « Quia magnus in medio tui Sanctus Israel. »

Hac de causa Christus alia forma et specie apparuit quam habeat in cœlo, nimirum vestitus podere, canus, cinctus zona aurea, habens pedes ardentes; ut per hæc repræsentarentur res admirandæ (de quibus mox dicam), quas Christus in Ecclesia et suis fidelibus (quorum speciem et quasi personam hic induit) operatur, juxta illud *Psalm.* lxvii, 36 : « Mirabilis Deus in sanctis suis; » hoc est, quod ait Paulus *Galat.* ii, 20 : « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus : » vide ibi dicta. Sic *Cant.* v, a vers. 10 ad finem capitis, describitur Christi species et figura, non solum prout ipse in se est, sed etiam prout in suis præclara et illustria operatur, uti docent ibidem Gregorius Nyssenus, Paulinus, Ambrosius, Gregorius, Philo Carpathius et Honorius.

Vestitum podere. — Quæres cur hoc habitu vestitus apparuerit Joanni Christus? *Primo*, Irenæus, lib. IV, cap. xxxvii, censet hanc figuram ad sacerdotalem dignitatem et gloriosum Christi adventum pertinere. Sic et Stunica in *Zachariæ* cap. iv, putat hic describi Christi habitum, quatenus judex est, et ut judex judicabit orbem in fine mundi.

*Secundo*, Luisius Legionensis, lib. *De Nominibus Christi*, opinatur totum hoc ænigma ad Christi ardentem charitatem referri debere.

*Tertio*, Pannonius asserit hanc imaginem cuilibet justo convenire, quia Christus et Ecclesia sunt unum; Christusque hic suorum habitu se vestit, ut indicet se in illis vivere, operari et loqui, uti paulo ante dixi.

*Quarto*, alii putant hic depingi Christum, qua ratione est perfectissimus legislator. Unde Ribera censet hoc ænigma ad justorum consolationem et errorem impiorum spectare.

*Quinto*, Pererius censet in hoc Christi schemate depingi providentiam, qua Christus regit, curat et gubernat suam Ecclesiam; et in hoc ipso proponi ideam gubernationis Ecclesiasticæ, quam Episcopi et Pastores imitari debeant. Sic et multi alii putant hic singulariter exprimi Christi providentiam erga septem Asiæ Ecclesias, quibus præerat, quibusque hæc scribebat Joannes.

*Sexto*, Alcazar censet hanc primam Apocalypseos personam prologum agere, et summam totius spectaculi (puta totius Apocalypseos) perstringere. Unde et vestitus poderis respondet vestibus albis, quibus seniores sunt amicti, cap. iv, et byssino quo se induit Agni sponsa, cap. xix. Sicut poderis byssina et zona aurea respiciunt angelorum vestitum, qui phialas effundunt, cap. xvi; canities respicit canitiem seniorum, cap. iv; oculorum flammæ eædem sunt cum illis, de quibus dicitur cap. xix : « Oculi ejus sunt flamma ignis. » Pedes ex aurichalco ardenti, iidem sunt cum illis qui dantur angelo, cap. x, vers. 1 : « Pedes ejus tanquam columna ignis. » Ignis ipse idem est cum eo qui postea Babylonem comburit; septem stellæ respondent stellis quibus amicta est mulier, cap. xii. De morte, inferno et clavibus sæpe inferius agetur. Ita ipse. Quæ omnia apposite et vere dicuntur.

Proprie tamen hæc spectant septem candelabra : Christus enim hic eam speciem assumit, quæ repræsentet nobis ejus officium pontificale circa hasce Ecclesias, et alias quasvis, quas corripit, docet, monet, perficit, ut patebit cap. ii et iii. Hæc enim omnia usque ad cap. iv, pertinent ad primam Apocalypseos partem, quæ est de correptione et instructione septem Ecclesiarum et Episcoporum Asiæ. Unde cap. v, ubi incipit altera, scilicet prophetica Apocalypseos pars alia visio et alia species Christi, scilicet quasi Agni occisi, proponitur.

Secundario tamen hæc quoque ad caput quintum, totamque Apocalypsin pertinent. Christus enim hic eam speciem gerit, qua repræsentat suam in fideles curam, protectionem et glorificationem : in impios vero, præsertim in Antichristum ejusque asseclas, terrorem et vindictam, quod est argumentum et scopus totius Apocalypseos.

Porro quod Alcazar, pag. 94, hæc omnia trahit ad suam de argumento Apocalypseos opinionem, scilicet hoc schemate Christi repræsentari victoriam et triumphum tam de Judæis et judaismo quam de Gentibus et gentilismo, superius minus probabile esse ostendi.

Jam quod ad verba textus attinet, nota, « vestitum podere, » hoc est, veste sive tunica talari. Dicta est poderis ἀπὸ τοῦ ποδὸς καὶ ἄρω, quod ad pedes usque adaptetur et descendat; vel, ut Erasmus, ἀπὸ τοῦ ποδὸς, id est pes, καὶ ἔρω, quod in compositione *remum* significat. Deducitur enim ab ἐρέσσω, id est remigo; inde dicitur trieris, dieris : quasi poderis sit vestis quæ pedibus remigatur et ventilatur.

Nota : Pontifex duplicem habebat tunicam, unam lineam, quæ heb. כתונת *ketonet*, græce χιτὼν vocabatur, qua semper in sacris utebantur omnes sacerdotes; secundam hyacinthinam, quæ hebraice מעיל *meil* dicebatur, eratque propria pontifici, ab eaque dependebant mala punica et tintinnabula, de qua dicitur *Sap.* xviii, 24 : « In veste poderis totus erat orbis terrarum, » ut scilicet significaretur pontificem podere indutum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipse mediatorem cœli et terræ, Dei et hominum, ac pro toto mundo supplicare.

Quæres utram tunicam hic intelligat Joannes per poderem? Alcazar, Ribera et Pererius intelligunt lineam. Hanc enim Josephus, lib. III *Antiq.*, cap. VIII, et S. Hieronymus, *epist.* 128, vocant poderem. Quin et Septuaginta *Ezech.* IX, 2, ubi nos legimus : « Vir vestitus lineis, » vertunt *vestitus podere*. Accedit quod persona hæc apparuit inter candelabra, et quasi de illis curam gerens, quod non erat summi pontificis munus ; atque ita non satis apte cohæret, ut sacerdos hyacinthina vestitus inter candelabra apparuerit. Porro per hanc lineam tunicam censent significari, *primo*, Christi sacerdotium ; *secundo*, mundissimam et pulcherrimam ejus carnem ; *tertio*, inæstimabilem ejus innocentiam et puritatem ; *quarto*, patientiam : linum enim varie carminatur, tunditur, maceratur, etc., et « semper injuria fit melius, » ait Plinius.

Verum verius videtur poderem esse tunicam hyacinthinam, *primo*, quia ita vertunt et explicant Septuaginta, *Exod.* XXVIII, 31, ubi distincte de utraque pontificis tunica agitur, et quæque suo nomine ab alia discriminatur. *Secundo*, quia sola hyacinthina, propria pontifici, significat pontificatum proprium Christo. Christus enim hic non quasi sacerdos minor, sed quasi pontifex inducitur, qui septem angelos, id est Episcopos, septem Ecclesiarum docet et corrigit. Unde et cingitur zona aurea ; hæc enim pontificem designat, non sacerdotem. Sacerdos enim zona byssina tantum cingebatur ; pontifex vero præter byssinam habebat zonam polymitam, quia hyacinthinam, quin et Ephod cum Rationali succingebat, cui respondet hic zona aurea, quam Joannes dat Christo. *Tertio*, quia tunica linea « tantum usque ad crura descendebat, » ait S. Hieronymus, epist. 128 *ad Fabiolam*, de vestibus sacerdotum ; hyacinthina vero usque ad talos. Hæc ergo proprie est poderis, id est talaris, non illa, licet a S. Hieronymo et Josepho illa quoque subinde vocetur poderis, quod ad pedes, id est ad tibias et crura, descenderet. *Quarto*, quia per poderem intelligit tunicam hyacinthinam, *Sapient.* XVIII, 24, verbis jam citatis, et *Eccli.* cap. XLV, 10 ; ubi enim nos legimus « circum pedes ; » græce est *poderis*, et manifeste loquitur de hyacinthina.

Podere ergo, sive tunica hyacinthina significatur summus Christi pontificatus, quo Christus præest septem, id est omnibus Ecclesiis et Episcopis ; ac consequenter Christi in nos amor commendatur, ut eum redamemus, nec in persecutionibus etiam morte proposita ab ejus amore recedamus. Sic enim Christus Pontifex noster seipsum pro nobis in victimam mortemque crucis obtulit. Hinc hyacinthina hæc tunica symbolum est, *primo*, veræ religionis, sanctitatis, et cultus divini, in quibus excelluit Christus. *Secundo*, conversationis cœlestis : hyacinthus enim est coloris violacei, id est aerei et cœlestis. Hinc ab hac tunica pontificis dependebant aurea tintinnabula et mala punica : illa significabant ardentem prædicationem, hæc miracula Christi. Vide dicta *Exodi* XXVIII, 33, et *Exodi* XXV, 4.

ET PRÆCINCTUM AD MAMILLAS ZONA AUREA. — Alludit *primo*, ad cingulum veterum sacerdotum et pontificum : hoc enim adeo alte succingebant se, ut Josephus, lib. III *Antiq.*, cap. X, asserat lineam vestem accingi solitam circa pectus paulo axillis inferius. Et S. Hieronymus, *epist.* 128 : « Balteo, ait, cingebatur tunica linea inter umbilicum et pectus. » Unde Turnebus, lib. XV *Adversar.*, cap. ult., et Sigonius, lib. III *De Judiciis*, cap. XIX, notant morem alte se cingendi proprium fuisse sacerdotum, ut per hoc significaretur eos præ cæteris promptos et paratos esse ad omne Dei obsequium. Rursum, zona aurea erat pontificum veterum ; nam sacerdotes minores cingebant se zona ex bysso polymita, id est cocco, purpura et hyacintho intertexta, absque auro ; pontificis vero zona erat ex bysso polymita auro intertexta.

Quæres quidnam significet zona hæc aurea Christi? Respondent *primo* aliqui, significare ejus clementiam, qua cohibet iram. Ita Andreas et Aretas. *Secundo*, ejus dignitatem regiam. Ita Rupertus et Beremus. *Tertio*, ejus sapientiam. Ita Albertus. Addunt aliqui justitiam, juxta illud *Isa.* cap. XI, vers. 5 : « Justitia cingulum lumborum ejus. » *Quarto*, ejus pietatem et reverentiam. Ita Abbas Joachim et Dionysius. *Quinto*, ejus castitatem. Ita S. Chrysostomus, Gregorius, Haymo, Anselmus et multi alii. *Sexto*, ejus charitatem. Ita Ribera et Thomas Anglicus. *Septimo*, ejus præparationem et promptitudinem ad Dei obsequium, ad quod eum excitat Dei amor ; hunc enim significat aurum ; unde alte accingitur, ut præ aliis promptior et paratior significetur. Ita Alcazar. *Octavo*, proprie zona constringens vestes et corpus, illudque firmans et roborans, significat disciplinam sanctam, quæ Christi et Christianorum mentem, phantasiam, corpus motusque omnes componit, a vitiis restringit, Deo Deique legi astringit. Est aurea, quia id facit non per timorem, sed per amorem Dei. Hinc charitas ab Apostolo *Coloss.* III, vers. 14, vocatur *vinculum perfectionis*. Rursum II *Corinth.* V, vers. 14 : « Charitas, ait, Christi urget nos. » Christus enim ad auream charitatis legem, sive zonam, suas omnes leges revocavit. Plura moralia de zona hac Christi et fidelium dixi *Ephes.* VI, 4 ; *Jerem.* XIII, 1 ; *Exodi* XXVIII, 39.

Porro multi hæc adaptant Ecclesiæ et fidelibus ; horum enim personam et speciem sustinere hic Christum, ideoque visum a Joanne inter candelabra, quæ Ecclesias significant ; hanc ergo zonam Christi esse eam qua Sancti præcincti sunt. Ita Alcazar et alii. Imo multi volunt hanc zonam Christi esse ipsam Ecclesiam. Ita Victorinus, Ticonius, Primasius, Beda ; vel aliquam Ecclesiæ partem, verbi gratia, chorum Patriarcharum, ut vult



Ambrosius. Censent enim per hanc zonam auream innui ingens incrementum charitatis, quod Ecclesia accepit in persecutionibus, nempe in sigillo secundo, cap. VI, et in thuribulo, cap. VIII.

Quæres, cur ad mamillas cingitur Christus? Respondet *primo* S. Chrysostomus, per zonam in lumbis significari legem veterem, per zonam ad mamillas Evangelium. Nam, ut ait S. Gregorius, loco mox citando, aurea zona ad mamillas refrenatur non tantum operis, sed et cordis luxuria, hanc enim Christus damnat *Matth.* cap. V, vers. 28.

*Secundo*, quia Christus, æque ac Christiani alacriores, paratiores et ardentiores sunt, aut esse debent, ad Dei obsequium, quam Moses et Judæi.

*Tertio*, quia cor Christi, quod est inter mamillas, plenum est charitate.

*Quarto*, symbolice Viegas per duas mamillas duo universalia Dei attributa, puta misericordiam in pios, et justitiam in impios accipit. Ex dextra sugitur lac indulgentiæ, ex sinistra lac correptionis. Hoc durius, illud suavius, utrumque infantibus salutare. Unde et Rupertus per zonam auream accipit auctoritatem Christi regiam, ab omni miseria et mortalitate liberam.

Melius Pererius : Duæ mamillæ, ait, sunt mens et voluntas ; hæc cincta est auro sapientiæ, illa charitatis ; utraque lac præbent tum doctrinæ per prædicationem, tum gratiæ per Sacramentorum administrationem. Unde S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.*, cap. VIII : « Zonam, inquit, auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus, per solius amoris vincula restringere. » Addit ibidem S. Gregorius, aurum quinque res in Scriptura significare : *primo*, claritatem divinitatis ; *secundo*, splendorem cœlestis civitatis ; *tertio*, charitatem, uti hic ; *quarto*, nitorem gloriæ sæcularis ; *quinto*, pulchritudinem sanctitatis.

Denique Alcazar hic, *notat.* 12, pag. 223, notat auro significari charitatis perfectionem. Nam, ut lib. XXXIII, cap. I et seq., docet Plinius in auro novem sunt consideranda, mira « generatio, splendor, pondus, facilitas materiæ, constantia, munditia, medicina, miracula, pretium : » quæ singula ipse ordine fuse et docte prosequitur, et charitati adaptat.

14. CAPUT AUTEM (divinitas quæ est caput Christi) EJUS ET CAPILLI (*et* significat *id est*, *q. d. Caput*, id est *capilli* capitis ; Alcazar tamen per capillos capitis, accipit pilos, tam barbæ quam capitis ; sed pili barbæ proprie non vocantur capilli) ERANT CANDIDI, TANQUAM LANA ALBA ET TANQUAM NIX, — quæ non tantum candorem habet, sed et pulchritudinem et splendorem. « Candidi, » nimirum canitie : qua significatur Christi æternitas, et, ut Augustinus ait, « antiquitas veritatis. » Sic de Patre æterno dicitur *Daniel.* VII : « Antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda, » id est cani, splendidi, juxta illud :

Et facies multo splendeat alba pilo.

Nota : Aretas per capillos candidos accipit candidam et puram humanitatem Christi ; et Viegas, puritatem vitæ Christi. *Secundo*, Rupertus accipit SS. Prophetas ; hi enim quasi multi capilli unius capitis Christi sunt. Pari modo S. Augustinus, lib. *De Essentia divinitatis*, initio, accipit quoslibet Sanctos. *Tertio*, S. Augustinus, tract. 57 *in Joannem*, accipit Christi Sacramenta, quæ multa et varia unius Christi sunt. *Quarto*, Joachim Abbas judicia Christi mundissima et justissima. *Quinto* et optime, uti dixi, capilli sive candidi, sive cani significant Christi æternitatem, ac consequenter omniscientiam, omniprudentiam, omniprovidentiam : cani enim, sive senes, quia calor in iis subsidit, hinc non habent fervores et impetus turbidos, qui rationem perturbant, sed plane sedati liberum et sincerum habent judicium, maximeque in eis viget prudentia et sapientia.

Unde notat Alcazar per poderem significari sanctitatem et religionem Christi, ejusque fidelium ; per zonam auream charitatem, per canos sapientiam, quæ mire increvit in persecutionibus iis, de quibus agitur hoc libro : per illas enim Christus docuit suam Ecclesiam Christianæ philosophiæ fastigium.

Porro inter hæc tria congruus servatur ordo ; quia prius est mundari a peccato, et sanctificari ; mox virtutum perfectionem in fervore charitatis amplecti ; et demum alios docere et instruere per sapientiam. Unde in Ecclesia Christiana sapientia fuit matura et cana, quæ in Synagoga Judæorum erat germinans et infans. Hinc comparatur nivi, non tantum nitenti, sed et splendenti. Nix ergo significat splendorem et gloriam sapientiæ Christi et Christianorum.

Addunt aliqui canos significare antiquitatem religionis Christianæ, tum quia fuit prior judaismo in mente et intentione Dei (unde voluit Deus illam per ritus et sacrificia Judaica significari et repræsentari) ; tum quia prisci Patriarchæ et Prophetæ, quoad fidem, spiritum, mores et vitam Christiani potius erant, quam Judæi et Mosaici, uti docet S. Augustinus lib. III *Contra duas epist. Pelag.*, cap. IV, et D. Thomas I II, *Quæst.* CVII, art. 1.

ET OCULI EJUS TANQUAM FLAMMA IGNIS. — His oculis significatur omniscia mens Christi, justis lucens, reprobos incendens, ait Gagneius.

*Secundo* et melius Ribera : Oculi, inquit, Christi flammantes significant Christi iram et vindictam in persecutores Christianorum aliosque impios. Id ita esse patet ex cap. XIX, vers. 12, et cap. II, vers. 18, et cap. XI, vers. 19, ubi horribiles bestiæ depinguntur : « Ira plenæ, vaporem igneum spirantes, horrendas ab oculis scintillas emittentes. » Cur in ira flammescant oculi, causam dat Aristo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

teles, *Problem.* III, sect. 31, quod calor a natura in eam partem tanquam violatam transmittatur, quæ et sensu et motu facilior est. Oculi enim violati censentur hoc ipso, quod quis coram ipsis indignum et injurium quid patrarit, nec faciem et oculos ejus sit reveritus. Adde phantasiam, quæ in capite est supra oculos, ira concitatam, advocare ad se spiritus vitales, eosque accendere, ut fumos naribus, ignem oculis efflare videatur. Sic de Achille irato ait Homerus, *Iliade* XIX : « Dentes ejus stridebant, oculi vero splendebant ut flamma ignis. » Et Virgilius, lib. VII, de Alecto : « Flammea torquens lumina. » Et Cicero *in Verrem* : « Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat (1). »

Addit Alcazar flammas oculorum Christi significare, ab ejus ira neminem se posse abscondere. Quæ enim tenebræ impediant perspicientiam ei, cui oculi jaculantur claram lucem? juxta illud *Jeremiæ* XXXII, vers. 19 : « Oculi ejus aperti sunt, ut reddat filiis Adam secundum fructum adinventionum eorum. »

15. ET PEDES EJUS SIMILES AURICHALCO SICUT IN CAMINO ARDENTI. — Hinc patet Joannem non vidisse verum hominem, sed hominis imaginem, sive spectrum : habebat enim pedes ex aurichalco. Licet enim dicat : « Similes aurichalco, » tamen τὸ *similes* potius spectat hominem, sive spectrum hominis, quam aurichalcum, *q. d.* Hoc hominis spectrum pedes videbatur habere similes statuæ factæ ex aurichalco, quoad cætera vero simile erat homini. Alludit ad *Ezech.* I, 27, ubi Ezechiel ait se vidisse speciem Dei sedentis in curru Cherubim : « Quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus ejus per circuitum ; a lumbis ejus et desuper, et a lumbis ejus usque deorsum, quasi speciem ignis splendentis in circuitu. » Vide ibi dicta. Pro *aurichalcum* græce est χαλκολίβανον, quod Suidas putat esse genus electri auro pretiosius. Antonius Nebrissensis in *Quinquagena*, cap. IV, vertit thus æneum, id est forte, masculum, puta potentissimum et fragrantissimum ; לבונה *lebona* enim hebraice, unde idem sumpserunt Græci, significat thus, eo quod sit album (לבן *laban* enim significat album), et ita sumitur hoc nomen apud Orpheum, cum ait : « Chalcolibanus in Apollinem, in Latonam, » id est masculum thus, vel masculini thuris sacrificium in Apollinem, in Latonam. Pedes ergo Christi similes sunt thuri masculo, quia quasi thus incensum et fragrantissimum, jucundissimum odorem spargunt.

Verum noster Interpres, et alii passim, χαλκολίβανον vertunt *aurichalcum*. Unde et Plinius, lib. XXXIV, cap. II, ait chalcolibanum esse genus æris, olim habitum in pretio. Porro vocatur aurichalcum æs, quod colorem habet aureum, inquit Sextus Pompeius. Idem dicitur aurichalcum, ab ὄρος, id est mons, et χαλκός, id est æs, quod e montibus eruatur ; unde et dicitur χαλκολίβανον, quasi æs Libani, eo quod e Libano eruatur, ait Aretas et Thesaurus linguæ Græcæ. Unde Syrus vertit, *pedes ejus similes æri Libanitico, quod inflammatum est tanquam in fornace* ; Arabicus, *pedes ejus sicut æs conflatum in igne.* Porro fulgidum fuisse aurichalcum docet Hesiodus, dum illud φαεινὸν vocat in *Herculis scuto.* Aurichalcum ergo, sive chalcolibanum, erat æs laudatissimum.

Sensus ergo est : Pedes Christi similes erant aurichalco, non frigido, non etiam liquefacto, sed calenti, candenti et coruscanti « in camino ardenti » (legit noster Interpres in Græco, πεπυρωμένῳ id est *ardenti* ; jam legunt πεπυρωμένοι, id est *ardentes*, scilicet pedes), hoc est, pedes Christi erant splendidissimi, puta humanitas Christi (quæ per pedes significatur, uti deitas per caput) per caminum passionis et crucis facta est splendidissima et fortissima ad conculcandum Domitianum suosque hostes, et ad eos comburendum. Ita Nazianzenus apud Andream, et Damascenus apud Riberam, Rupertus, Pannonius aliique, qui omnes per pedes intelligunt humanam naturam in Christo. Paulo aliter Dionysius Carthusianus per pedes accipit extremos annos vitæ Christi, quibus passus est et crucifixus. Pedes Christi, ait Rupertus, dicuntur similes aurichalco : « Quia sicut aurichalcum multis ignium impendiis ex ære perducitur ad colorem auri, ita et illa humanitas per multas tribulationes passionis et mortis perducta est ad gloriam majestatis. » Quocirca pie S. Bernardus, serm. 17 in Psalm. *Qui habitat* : « Bonum, ait, mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari : bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habitare te mecum, quam esse sine te, vel in cœlo. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Aurum probat fornax, et viros justos tentatio tribulationis. Ibi, ibi cum eis es, Domine, ibi in tuo nomine congregatis adstas medius, sicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam Ethnico apparere, ut diceret : Quia species quarti est similis Filio Dei. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione : si Deus nobiscum, quis contra nos? »

Mystice Haymo, Beda, Ambrosius, Anselmus : Pedes, inquiunt, Christi sunt fideles, qui vivent in fine mundi tempore Antichristi, durabuntque in igne persecutionis, quasi in camino, fortes et constantes.

*Secundo*, Victorinus Ticonius, Andreas, Aretas, Pererius et Alcazar : Pedes, inquiunt, Christi sunt Apostoli, qui nomen Christi quasi per totum orbem deportarunt. Hi similes sunt aurichalco, quia sua sapientia splenduerunt ut aurum, suaque constantia expresserunt firmitudinem æris. Unde de his dicitur *Isaiæ* LII, 7, et *Roman.* X, 15 : « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! » Et *Cant.* VII, 1 : « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! » Visi sunt ardentes, quia orbem accenderunt igne illo, de quo ait Christus *Lucæ* XII, 49 : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » Denique in chalcolibano, sive ære Libani, alluditur ad altare holocaustorum, quod ex hoc ære factum erat. Respicit enim Joannes ad ignem holocaustorum, quo significat pedes illos, qui adeo Deo placent intendere et contendere, ut veræ religionis ignem Deique cultum toto orbe accendant, quod et fecerunt. Hic enim est ignis iste, quo exusta est Babylon, ait Alcazar. Unde et Irenæus, lib. IV, cap. 37, chalcolibanum refert ad fortitudinem fidei, et ad perseverantiam in tot adversis, ærumnis et persecutionibus, quas præcones Dei, amore Dei tolerarunt usque ad mortem et martyrium, itaque orbem Dei fide et amore succenderunt. De hoc igne vide dicta *Levit.* IX, in fine.

*Tertio* Ribera : Pedes Christi, ait, sunt hostes Christi a Christo calcandi, et igne gehennæ cruciandi, aut, ut Alcazar, Christo subigendi et ad eum convertendi, juxta illud *Josue* I, 3 : « Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam ; » et *Psalm.* LIX, 10 : « In Idumæam extendam calceamentum meum. »

ET VOX ILLIUS TANQUAM VOX AQUARUM MULTARUM. — *Primo*, aliqui hæc exponunt de aquis baptismi. Ita Victorinus.

*Secundo*, alii de concordia Scripturarum, quæ sunt quasi aquæ et fluvii multi. Ita Rupertus et Pererius.

*Tertio*, alii de cœlestis virtutis cursu, quæ variis modis in omnes influit. Ita Arias Montanus.

*Quarto*, Alcazar putat hanc vocem significare persecutionem Romani imperii, quasi aquæ multæ sint multæ gentes frementes et furentes in Christianos : sed hæc vox est Christi, non gentium frementium.

Nota : Alludit Joannes ad *Ezech.* XLIII, initio ; sicut enim ibi dicitur : « Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem ; et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus, » sic hic ait Joannes : « Vox illius tanquam vox aquarum multarum ; facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. » Sensus ergo est, *q. d.* Vox Christi erat valde fortis, sonora, penetrans et efficax, qualis esse solet aquarum multarum cum impetu defluentium ; ad hoc enim significandum hac aquarum similitudine sæpe utitur Scriptura. Hæc vox, ait S. Gregorius, Ticonius, Haymo, Seraphinus et Pererius, est prædicatio Evangelii, ita sonora et potens, ut in omnem terram exiverit sonus ejus. Quis maris fremitus cautibus illisi, quæ fluminum rapidissimorum confluges, quæ Nili catadupa tam longe personarunt? Fuit ergo hæc vox « quasi aquarum multarum, » *primo*, quia instar aquæ restinxit sitim rerum temporalium, et refrigeravit æstum concupiscentiæ. *Secundo*, quia abluit maculas peccatorum. *Tertio*, quia fecundavit terram cordium humanorum, ut fructus virtutum proferant. *Quarto*, quia multas, imo omnes gentes ad Christum convertit, fecitque ut quique sua voce communiter invocent et laudent Deum : hæc enim est musica non octo, sed centum millium vocum, in auribus Dei uti sonora, ita gratissima. Hinc cap. XVII, vers. 15, dicitur : « Aquæ multæ populi sunt, et gentes, et linguæ. » Ita Primasius, Ambrosius, Beda, Anselmus, Richardus, Rupertus, Dionysius et Pannonius. Potest quoque per hanc vocem, cum Ribera intelligi condemnatio impiorum, puta vox Christi condemnantis impios in die judicii. Sed quia hæc significatur per gladium, qui sequitur, hinc melius per hanc vocem accipitur ipsa prædicatio Evangelii (1). Unde et sequitur narratio de septem Ecclesiis hac voce conversis.

16. ET HABEBAT IN DEXTERA SUA STELLAS SEPTEM. — *Primo*, multi putant idem esse septem stellas, quod septem candelabra, puta septem angelos, vers. 20, per quos putant septem Ecclesias ipsis commissas significari. Ita Victorinus, Ticonius, Ambrosius, Haymo, Beda.

*Secundo*, per septem stellas, non septem Episcopos, sed proprie septem angelos, sive spiritus cœlestes accipiunt Origenes, homil. 20 *in Num.*; Hilarius, in *Psalm.* CXXIV ; Nazianzenus, *orat.* 32 ; Hieronymus in *Matth.* XVIII, Andreas et alii ; quin et Maldonatus in *Matth.* XVIII.

*Tertio*, per septem stellas et angelos, accipiunt septem dona Spiritus Sancti, sive Spiritum Sanctum septiformem, Victorinus, Seraphinus et Arias Montanus, qui aiunt has septem stellas esse septem spiritus in divina essentia constantes.

*Quarto*, Andreas per septem stellas accipit septem rerum gradus, sive res omnes quæ in mundo sunt, totamque mundi gubernationem, quæ in manu et dextera Christi est.

*Quinto*, Abbas Joachim per septem stellas accipit, non fixas, sed septem planetas, et singulis accommodat virum aliquem virtute præstantem, qui quolibet sæculo orbi præluxit, v. g. ut *prima* stella sit Adam ; *secunda*, Noe ; *tertia*, Abraham ; *quarta*, Moses ; *quinta*, David ; *sexta*, Joannes Baptista ; *septima*, Elias, in fine mundi : ita ipse hic ad vers. 20 ; sed hæc omnia vel parerga, vel accommodatitia sunt.

Itaque dico : Certum est has septem stellas esse septem angelos, uti ait S. Joannes, vers. ult. Porro angeli hi sunt Episcopi, ut ibidem patebit. Ubi nota : Angeli, id est Episcopi, in Ecclesia debent esse quasi stellæ. *Primo*, ut quasi stellæ, non errantes et planetæ, sed fixæ, perpetuum et ordi-

(1) Notum est illud Suetonii de Augusto : « Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam existimari voluit inesse quiddam divini vigoris ; gaudebatque, si quis sibi acrius intuenti, quasi ad fulgorem solis, vultum submitteret. »

(1) Τὸ *et vox ejus*, etc., universe pertinet ad descriptionem majestatis Jesu.



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

natum habeant motum, morumque omnium debitam compositionem. *Secundo*, ut sua claritate alios illuminent; hoc est quod ait Paulus *Philipp.* cap. II, vers. 15 : « In medio nationis pravæ et perversæ lucetis sicut luminaria in mundo. » *Tertio*, ut suo calore alios foveant et vivificent. *Quarto*, ut suis influentiis conservent et vegetent mundum. *Quinto*, stellæ fixæ parvæ videntur et humiles, sed tamen majores sunt tota terra : talis sit Episcopus et Pastor. *Sexto*, stellæ lucent noctu in medio tenebrarum, sic luceat et Episcopus, præsertim noctu, id est tempore persecutionum et hæresum, uti lucebant hi septem constantes tempore persecutionis Domitiani. Hoc est, quod ait S. Augustinus, lib. I *De Sermone Domini in monte*, cap. VI : « Calcari non potest nisi inferior; sed inferior non est qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cœlo est. » Vide dicta *Gen.* cap. XV, vers. 15, et *Daniel.* cap. XII, vers. 3 et 4. Hac ratione illud bravium a *Daniele* XII, 3, sanctis doctoribus promissum accipient : « Qui docti fuerint, fulgebunt ut splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Denique stella vigilantiæ et providentiæ, quæ prima Episcoporum est dos, typum gerit. Hinc in veteri numismate Pertinacis Imperatoris simulacrum cernitur, manibus versus ingentem stellam in cœlum sublatis, holemmate, « Providentia Deorum (1). »

Porro Alcazar hasce septem stellas concipit ut septem gemmas instar stellarum annulis totidem infixas, vel insculptas. Hoc enim congruentius et elegantius videtur; gemmæ enim stellarum splendorem referunt, et insuper magnas habent virtutes et energias. Sic ait Virgilius, *Æneid.* IV :

Stellatus jaspide fulvo ensis erat.

Et Rhodiginus, lib. VI, cap XII : « Scribit, ait, Damis, sapientum Indorum principem Jarcham tam scite, tamque docte annulos septem compegisse, qui et stellarum septem nominibus essent præsignes, ut Appolonium Tyanæum dono acceptos singulis diebus singulos juxta dierum nomina eis distinguentem, gestasse proditum sit. » Idem refert Philostratus, lib II, cap. XIII.

Pari modo, ait, hæ septem stellæ erant septem annuli cum totidem gemmis sive stellis : singulæ autem gemmæ habebant stemma aliquod, sive insigne insculptum, verbi gratia, crucem (quæ signum est Dei vivi, ut dicitur cap. VII, vers. 2; aut quatuor animalia, quæ sunt divinæ providentiæ sigillum. Veteres enim annulorum gemmis pro sigillis utebantur : neque ulla erat gemma, quæ figura aliqua, seu charactere non esset insignata. Christus enim Episcopos hic maximo honore afficit, dum eos vocat dexteræ suæ annulos, vel annulorum gemmas. Hinc de Joachim rege, ait Jeremias, cap. XXII, vers. 24 : « Si fuerit Jechonias annulus in dextera mea. » Et *Eccli.* cap. XLIII, vers. 13 : « Zorobabel quasi signum in dextera manu : sic et Jesus, filius Josedec. » Et *Aggæi* II, 24 : « Ponam te quasi signaculum. » Sunt in dextera Christi, quia sunt Christi instrumenta in regimine animarum, æque ac ornamenta, præsertim si suo munere egregie perfungantur.

Addit Alcazar Christum habere in manu stellas fixas; sed tamen alludi hic ad septem planetas, ut per eas significetur discrimen, quod erat inter ipsos Episcopos Asiæ. Smyrnensis enim se habebat ut Sol, qui omnia sua virtute superat; Philadelphensis ut Jupiter, ob prosperam fortunam; Sardensis ut Mars, propter audaciam; Laodicensis ut Saturnus, ob ignaviam et pigritiam; Ephesinus ut Mercurius, quia licet prudens esset, erat tamen remissi ardoris; Pergamenus ut Luna, propter morum inæqualitatem; Thyatirensis ut Venus, propter imprudentem fervorem. Licet Christi intentio sit, ut omnes instar solis effulgeant.

Hæc sunt commenta ejus ingeniosa, et erudita magis, quam solida et genuina. Transformant enim stellas in gemmas, imo in annulos, quorum hic nulla est mentio. In his ergo, et magis in aliis ingenium ejus laudo, sed solidius et planius subinde de littera sacræ Scripturæ judicium multi requirunt. Itaque simplicius et significantius septem stellas hic proprie accipiemus. Stellarum enim lux fulgentior est, quam gemmarum; eaque apte respondet septem lucernis candelabri, quibus præsunt hæ septem stellæ. Rursum, stellas proprie id est fixas, non planetas accipio, uti et alii Interpretes passim.

Moraliter, non soli Episcopi, ait Haymo, sed quivis insignes Evangelii præcones sunt stellæ, uti fuit S. Dominicus, cui proinde in fronte visa est stella. Hinc *Apocalyps.* XII, 1, mulier, id est Ecclesia, dicitur in capite habere coronam stellarum duodecim, puta duodecim Apostolorum, qui Evangelium toto orbe prædicarunt. Hi ergo fuerunt quasi stellæ primæ magnitudinis, de quibus mystice dicitur *Psalm.* XVIII, 1 : « Cœli enarrant gloriam Dei; » et illud Poetæ : « Solemque novum, nova sidera portant. »

Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. — *Primo*, Ambrosius per gladium accipit fideles validos et electos, qui in fine mundi contra Antichristum pugnabunt. *Secundo*, Ticonius, Primasius, Aretas, Haymo, Anselmus, Richardus Victorinus et Alcazar per gladium accipiunt verbum Dei, quod Christus per suos prædicatores loquitur, eoque ferit et sauciat corda audientium, de quo Apostolus ait, *Ephes.* VI, 17 : « Assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei. » Et *Hebr.* IV, 12 : « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum. » Et *Psalm.* CXLIX, 6 : « Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, etc. » gloria hæc est omnibus sanctis ejus. » Concionatores ergo sunt gladii Christi, per quos Christus pugnat et trucidat vitia. Agunt enim ipsi virtute et efficacia non sua, sed Christi, qui vim dat verbis eorum, ut animas convertant.

(1) « *Septem stellæ* septem Angelos seu Episcopos septem Ecclesiarum significant, et quidem, uti nos omnino putamus, præfigurant omnes totius Ecclesiæ Catholicæ summos Pontifices, ac simul indirecte etiam particularium Ecclesiarum omnium Episcopos, ad ostendendam quanta cura Christus Dominus custodiat, foveat et dirigat illos, qui in Ecclesia militante ejus locum tenent et pro eo funguntur officio, sive in supremo, sive in inferiori aliquo gradu dignitatis. Nam *dextera* Domini teneri, vel simpliciter *ad dexteram* ejus collocari, est valde specialiter ab eo foveri ac protegi. » Hæc apposite Verbarge ad h. l.



Verum, quia Joannes hoc verbum Dei intellexit per vocem aquarum multarum jam dictam, hinc aptius per gladium hunc Christi accipiemus sententiam condemnationis, ipsamque condemnationem et punitionem æternam, qua Christus impios in die judicii efficacissime et dirissime feriet, adigetque in gehennam, sive in mortem secundam. Ita Andreas, Aretas, Rupertus, Beda, Lyranus, Seraphinus et Ribera : ac probatur ex cap. II, vers. 12 : « Hæc dicit qui habet rhomphæam utraque parte acutam. » Et vers. 16 : « Pugnabo cum illis (Nicolaitis) in gladio oris mei. » Minatur enim impuris hæreticis pœnam et gehennam. Et cap. XIX, vers. 15 : « Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes; et ipse reget eas in virga ferrea. » Agit enim de strage gentium infidelium et hostilium, quam Christus faciet in fine mundi; unde ad earum carnes devorandas invitat aves, dicens vers. 17 : « Venite ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes regum, tribunorum et fortium, » etc.

Sic Joannes Bohemus, *De Gentili ritu in Asia*, scribit principem, cum primum accepto diademate rex inauguratur, dicere solitum : « Oris mei sermo, de cætero gladius meus erit. » Sic etiamnum rex Hungariæ, cum inauguratur, insidens equo gladium fulgentem vibrat, ac circumducit per quatuor mundi plagas, quasi protestans se eo contra quoslibet regni hostes quaquaversum depugnaturum. Gladius enim a clade dicitur quasi *cladius*, quod cladem inferat hostibus, ait Varro. Hinc gladius symbolum est principis, judicis (« non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit, » ait S. Paulus, *Rom.* XIII, 4) et vindicis.

Hinc consequenter priscis gladius erat symbolum et omen mortis. Ita Helvidio Pertinaci accidit, qui ante triduum quam occideretur, visus est sibi videre hominem a quo gladio infestaretur. Eodem significato formidabilis minitabundusque Galba, cognita Neronis nece, susceptaque Cæsaris appellatione, iter ingressus est paludatus, pugione ante pectus e cervicibus dependente, usu togæ non prius recuperato, quam omnes qui res novas moliebantur, oppressisset. Testis est Suetonius in *Galba*, cap. XI. Quid vero libelli duo, qui reperti sunt in secretis Caii Caligulæ post ejus necem, in quibus notæ nominaque continebantur morti destinatorum? Prescripti enim erant diverso titulo, alterique gladius, alteri pugio nomen erat : per hunc eos, qui clam opprimendi erant, intelligebat; per gladium, quos palam cædere destinasset; moliebatur enim princeps carnificinæ deditus electissimum quemque utriusque ordinis interimere, mox Antium, inde Alexandriam commigrare. Ita Suetonius in *Caligula*, cap. XLIX. Hinc et priscis maximum omnium fuit juramentum, « Ventum et acinacem attestari » (acinaces enim Medorum gladii sunt) : per hunc quidem interitum aut salutem (in eo enim salutis suæ præsidia statuebant); per ventum autem animam, hoc est vitam, interpretantes, quod scilicet tamdiu vivamus, quamdiu halitum et auram vitalem haurimus. Ita Lucianus in *Toxari*, et ex eo Pierius, *hierogl.* 42.

Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua, — cum scilicet omnem suam virtutem, id est vim et efficaciam (hanc enim significat Hebraice כח *coach*, et Græcum δύναμις, scilicet virtutem, non moralem, sed naturalem, id est vim, robur et energiam) exerit, *q. d.* Cum sol maxime viget et lucet. Alludit ad *Ezech.* XLIII, 2 : « Et terra splendebat a majestate ejus. » Jam *primo*, Primasius et Ticonius censent Christum hic assimilari soli, quia natus est, et passus, et resurrexit, sicut sol oritur, occidit, et rursum oritur.

*Secundo*, Andreas, Aretas et Lyranus : Christus, aiunt, est sol, id est spiritualis lux mundi.

*Tertio*, Anselmus et Thomas Anglicus censent Christum hic sustinere personam fidelium; hos enim comparari soli, ob claritatem gratiæ, qua a Deo dotati sunt.

*Quarto*, Joachim quasi Propheta hæc exponit de magna claritate Ecclesiæ, qua ait frituram Ecclesiam in sexta ætate. Hinc contendit ipse, etiam faciem Mosis, quæ cornuta apparuit, similem fuisse lunæ, Christi vero faciem similem esse soli.

*Quinto*, Seraphinus censet hoc fulgore Christi repræsentari mirum splendorem Apocalypseos, quæ humanæ menti videtur esse ob obscura quasi nox et caligo. Huic accedit Antoninus, qui hunc fulgorem accipit de fulgore Evangelii et mysteriorum fidei.

*Sexto*, Alcazar censet hunc fulgorem vultus Christi non aliud significare, quam gloriam Romanæ Ecclesiæ, scilicet religionis ejus decus, imperii majestatem, Doctorum sapientiæ claritatem, Religionum regularium institutionem, et quidquid denique ad Ecclesiæ Romanæ magnitudinem atque præstantiam attinet : qualia sunt tot Martyrum, tot Virginum, tot Apostolorum et Sanctorum triumphi ac trophæa, quæ Romæ visuntur, idque ut hac gloria recompenset Deus eorum tormenta et probra, quæ Romæ a Gentilibus Imperatoribus subierunt.

*Septimo* et genuine, significatur hic gloria corporis Christi gloriosi, qua instar solis splendet

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nunc Christus in cœlo, et qua redimitus apparebit in die judicii : unde in transfiguratione resplenduit facies ejus sicut sol. Ita Ribera. Rursum, significatur hic gloria Sanctorum Christianorum, qua in resurrectione « justi fulgebunt ut sol, in regno Patris, » *Matth.* XIII, 43. Christus enim hic in prologo quasi præfert schema et argumentum libri. Nam in Apocalypsi, cap. VII et cap. XXI et cap. XXII, et alibi sæpe, describitur gloria Beatorum; eam enim certantibus quasi bravium ostentat hic Deus. Ita Ticonius, Ambrosius, Haymo, Rupertus, Pererius et alii. Quocirca Joannes, *Apocal.* XVIII, 1, de Christi angelo, parta jam de impiis victoria plena, per eorum stragem in fine mundi, ait : « Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam; et terra illuminata est a gloria ejus, et exclamavit in fortitudine dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna. » Ubi angelus hanc eamdem gloriam habitu suo præfert.

Denique notat Ambrosius per hæc octo Christi symbola significari octo status justorum : *primo*, per poderem significari sanctos et electos ab Adamo usque ad diluvium; *secundo*, per zonam significari sanctos post diluvium; *tertio*, per canitiem sanctos veteris Testamenti; *quarto*, oculos esse Prophetas; *quinto*, pedes esse Apostolos; *sexto*, vox aquarum, inquit, est multitudo Gentium conversarum ad Christum; *septimo*, gladius erunt electi in fine mundi; *octavo*, sol erunt Sancti et Beati in cœlo. Verum hoc non litterale est, sed mysticum, aut potius symbolicum.

Symbolice, sol est hieroglyphicum Dei et Christi gloriosi. *Primo*, quia nullum est eorum quæ aspectu sentiuntur, præclarius, admirabilius et illustrius divinæ virtutis, gloriæ et magnificentiæ speculum, quam sol.

*Secundo*, Deus est immensus, uti sol est maximus; terræ enim marisque globum in sua magnitudine continet centies et sexagies : longe ergo et stellas omnes quantitate superat. Hæc autem magnitudo ei congruit propter ingentem lucem, quam toti terræ, aquæ, aeri cœlisque omnibus communicat. Ejus enim est ubique tenebras fugare, omniaque suis radiis collustrare; quocirca omnia sidera simul juncta tantam lucem non efficiunt, quantam unus sol; quin et omnia luce solis perstringuntur et occultantur. Talis est natura Dei, ac gratia Christi, scilicet maxima et immensa, ideoque obscurans omnem gratiam omnium angelorum et hominum.

*Tertio*, quia sol cum luce simul et calorem producit, quo omnia calefacit, fecundat, vivificat. Quocirca ab *Eccli.*, cap. XLIII, vers. 2, sol vocatur « vas admirabile Excelsi; » causam subdit : « In meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris; tripliciter sol exurens montes, » *q. d.* Est qui insufflat fornacem et accendit, ad urenda opera et vasa conflatoria : at sol triplo magis montes calefacit et adurit, « radios igneos exsufflans, » emittens, ejaculans, « et refulgens radiis suis obcæcat oculos. Magnus Dominus qui fecit illum. »

*Quarto*, sol dicitur, quod unus et solus sit in mundo, vel quod solus cum est exortus, obscuratis omnibus aliis astris, appareat, ait Cicero, lib. II *De Natura Deorum*. Ita unus est Deus in mundo, unus Christus in Ecclesia.

*Quinto*, sicut sol lunam aliasque stellas illuminat : ita et Christus Ecclesiam omnesque fideles, præsertim Episcopos : unde hic dicitur in dextera habere septem stellas, id est septem Episcopos, quos docet et regit.

*Sexto*, sol est pulcherrimus, sive jubar, sive rotunditatem, sive molem, sive motum, sive alia species, ac videtur esse oculus mundi, qui sine eo esset plane cæcus et tenebrosus. Sic et Deus, ait Poeta, est *ἥλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει*, est *sol qui omnia videt, et omnia audit.*

*Septimo*, sol velocissime, puta 24 horis, totum cœli circulum conficit et circumcurrit; et qualibet hora tantum spatii obit, ac si avis septies totam terram circumvolaret. Hic quotidie omnes mundi plagas lustrat, illustrat, calefacit et vegetat. Unde a Poetis vocatur almus, aureus, auricomus, candidus, flammeus : ita et velocissimus est Deus et Christus, qui celerrime per Apostolos totum orbem lustravit et convertit. Quocirca de eo canit Psaltes, *Psalm.* XVIII : « In sole posuit tabernaculum suum (unde Manichæi solem adorarunt, putantes eum esse tabernaculum, imo corpus Christi); et ipse tanquam sponsus (sol enim mane exoriens, roseus procedit et pulcher, quasi sponsus) procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam; a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus. » Christus enim quasi sol oriens ex alto, mundum celerrime illuminavit, et Dei amore calefecit; unde quasi gigas de cœlo descendit et cucurrit, quia natus est, crevit, docuit : mox passus est, resurrexit, ascendit, ait S. Augustinus ibidem, misit Spiritum Sanctum, convertit orbem. Thalamus ejus fuit uterus B. Virginis, ait S. Chrysostomus, tabernaculum est Ecclesia.

*Octavo*, sol in medio est planetarum et mundi; unde « medius operum sol » vocatur a Statio, lib. V *Thebaid.* :

> Sol medius operum summo librabat Olympo
> Lucentes, ceu staret, equos.

Ita et Christus ait se esse in medio fidelium et Ecclesiæ.

*Nono*, sol facit diem, menses et annos, eosque suo motu describit. Unde Virgilius, III *Æneidos* :

> Magnum sol circumvolvitur annum.
> Hinc sol decedens crescentes duplicat umbras,

ait idem *Eclog.* 2.



Hinc rursum, sol lætitiæ et felicitatis est symbolum et causa, unde ait Poeta :

> Dulces et candidi soles fulsere mihi,

id est fortunatus fui, ideoque lætus. Et Martialis, lib. X :

> Felices, quibus una dedit spectare coruscam
> Solibus Arctois sideribusque ducem.

Ita Christus sua gratia parit menti diem, lætitiam, felicitatem et beatitudinem æternam.

*Decimo*, sol, solisque radii purissimi sunt, de quibus Martialis, lib. VIII :

> Hybernis objecta Notis specularia puros
> Admittunt soles, et sine fæce diem.

Ita Deus est ipsa per essentiam puritas, et Christus qua homo purissimus est, utpote natus ex Virgine, et conceptus de Spiritu Sancto.

*Undecimo*, apud Veteres celebris fuit solis mensa. Erat is locus in Æthiopia, apparatis epulis semper refertus; et quia ut libet (inquit Pomponius) vesci volentibus licet, solis mensam appellant : et quæ passim apposita sunt, affirmant nasci subinde divinitus. Ad quem locum Severus Imperator cum venisset Alexandriam, rei fama permotus, profectus est. Verum hæc mensa vel fabulosa est, vel symbolica. Quocirca Rhodiginus, lib. XXIX, cap. IV, ait solis mensam adagio dici divitum hominum domos, omni rerum copia affluentes, quæ inopum necessitatibus et alimentis patent, et exponuntur. Talem mensam vere proponit nobis Christus in Eucharistia, ac Deus in tot beneficiis, quibus singulis momentis nos afficit, pascit, vegetat, tutatur, omniaque sua dona elargitur. Quocirca S. Dionysius Areopagita, lib. *De Divin. Nomin.*, cap. II, solem facit evidentem et expressam divinæ bonitatis imaginem, tum quia sol non cogitatione aut electione, sed eo ipso quod est, illuminat omnia, quæ pro modo suo participationem lucis admittunt : ita divinum bonum ipsa sua substantia, omnibus quæ sunt, pro captu cujusque, suæ bonitatis injicit radios. Et cap. V, tradit causam : Quia sicut sol unus cum sit, sensibilium tamen rerum substantias et qualitates, uniformem infundendo lucem, renovat, nutrit, servat, perficit, discriminat, conjungit, refovet, fecundat, cum aliis plurimis admirabilibus operationibus, quas ibi commemorat : sic Deus operatur omnia in omnibus. Porro solis magnitudinem ac perfectionem admirantes homines, divino honore ac cultu eum adoraverunt, quales fuerunt Ægyptii ac Phœnices, qui lapidem nigrum concavum habebant, superius angustum, inferius vero amplum, ut dicit Herodotus, quem e cœlo se accepisse jactabant, ac veram solis imaginem esse affirmabant. Megarenses autem, ut de eis scripsit Alexander Neapolitanus, quamdam rotundam petram, sed planam, in alto baculo figebant, quam tanquam solis imaginem adorabant. Apud Persas etiam sol pro magno Deo habebatur, cujus status caput leonis habebat, ut significaret majorem vim habere in signo leonis, quam in aliis totius Zodiaci. Talibus enim cæci, et a veritate alieni, homines honoribus creaturam illam admirabilem afficiebant. Quod dum populo suo præcavendum desiderat ipse Deus, ne in errorem similem incidant, advertendum per Moysen curavit : « Ne forte, inquit, elevatis oculis ad cœlum, videas solem, lunam et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea et colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. »

17. CECIDI AD PEDES EJUS TANQUAM MORTUUS, — non tam ex reverentia, ut volunt Ambrosius, Joachim et Pannonius, quam ex ingenti pavore, quasi exanimatus, ob tam augustam et terribilem visionem Christi gladium ore vibrantis, et voce horribili detonantis. Idem contigit Danieli, cap. X, vers. 9, et Apostolis in transfiguratione Christi, *Matth.* XVII, 6. Unde occurrens et erigens eum Christus, ait : « Noli timere : » ita Andreas, Aretas, Rupertus et alii.

Mystice, significabatur hoc Joannis casu acerbitas persecutionum, quas in Apocalypsi Christus Joanni revelavit, quæ tantæ fuerunt, ut fideles viribus et animo in iis defecissent, nisi Christus eos corroborasset.

ET POSUIT DEXTERAM SUAM SUPER ME, — *q. d.* Erexit me præ timore et stupore collabentem, roboravit et confirmavit. Sic Daniel, cap. VIII, vers. 18 : « Collapsus sum, inquit, et tetigit me, et statuit me in gradu meo. »

DICENS : NOLI TIMERE, EGO SUM PRIMUS ET NOVISSIMUS, — *q. d.* Ego sum Deus et homo; qua homo enim, fuit Christus novissimus virorum, ut ait Isaias, cap. 53. Ita Aretas, Rupertus et Pannonius. *Secundo*, Richardus, Thomas et Ribera, τὸ *novissimus* exponunt, *q. d.* Ego sum judex futurus in novissimo mundi die.

Verum dico hæc duo esse epithetum Dei, *q. d.* Ego sum α et ω, sum principium et finis. Id ita esse patet, tum ex dictis vers. 8, tum ex Isaiæ cap. XLIV, vers. 6, et cap. XLVIII, vers. 12, unde hæc verba sumpsit Joannes. Deus enim apud Isaiam probat et asseverat suam deitatem, eamque idolis adimit dicendo : « Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus. »

Quocirca recte ex hoc loco Christi divinitatem probat S. Athanasius et alii scribentes contra Arianos. Unde Ambrosius exponit : Propterea dicitur primus, quia est auctor omnium, et propterea novissimus, quod omnia concludat. Rursum, Christus dum ait : « Ego sum primus et novissimus, » significat se opus Ecclesiæ a se inchoatum, per quascumque tribulationes et persecutiones, quales jam erant Domitiani, promoturum et perfecturum; ut fideles in iis non animo cadere, sed magnanimi et constantes esse debeant, utpote securi quod Christus, qui est primus et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

novissimus, eis tam finem, quam initium definiet et dabit; Ecclesiæ vero, quasi templo suo, sicuti dedit initium, ita et daturus sit culmen et consummationem. Ad hunc enim sensum verba hæc usurpat Isaias, cap. XLVIII, dicens : « Ecce ego excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis; propter me faciam ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo; ego ipse primus, et ego novissimus. » Unde Ambrosius exponit : « Primus, quia per ipsum omnia; novissimus, quia per ipsum resurrectio (1). » Hinc subdit :

18. FUI MORTUUS, ET ECCE SUM VIVENS, — *q. d.* Sicut ego ex morte gloriosus surrexi, ita faciam ut Ecclesia ex tribulationibus, quibus videtur obrui et sepeliri, gloriosa resurgat, triumphet, crescat, et longe lateque dominetur. Hoc enim mea morte merui, ideoque hujus rei typum et specimen in mea morte et resurrectione orbi exhibui. Hujus rei pulchram figuram exhibuit Deus Moysi, dum ei apparuit in rubo, qui ardebat, sed non comburebatur. Sic enim persecutionibus ardet Ecclesia, sed non comburitur, quia Deus in ea latens, eam servat et protegit. Vide ibi dicta.

ET HABEO CLAVES MORTIS ET INFERNI. — *Primo*, aliqui sic exponunt, *q. d.* Habeo potestatem dimittendi peccata, sicque hominem liberandi a morte et inferno, eaque obstruendi, atque hanc potestatem communicavi Ecclesiæ. Ita Ticonius, Primasius, Beda et Rupertus.

*Secundo*, alii, *q. d.* Habeo potestatem hostes meos et Ecclesiæ, morte et gehenna puniendi, eosque, æque ac diabolum in morte et inferno concludendi, uti eos concludam in fine mundi. Ita Andreas et Richardus Victorinus.

*Tertio*, alii, *q. d.* Habeo potestatem a morte excitandi, et ex inferno liberandi. Ita Lyranus et Ribera. Rursum, habeo potestatem vitæ et mortis, vivificandi et occidendi. Ita Aretas et Pererius.

*Quarto*, alii, *q. d.* Habeo potestatem diabolum, qui est auctor et præses mortis et inferni, judicandi et condemnandi. Ita Primasius.

*Quinto*, alii, *q. d.* Possum vitam gratiæ conferre, mortem peccatis inferendo. Vice versa, possum homines sempiternæ morti et inferno addicere. Ita Viegas.

*Sexto*, alii, *q. d.* Possum morti, id est dæmoni ad tentandum homines habenas laxare, vel contrahere; possum cohibere eum ejusque ministros, ut tentatio non sit major, quam ut fideles possint sustinere; imo possum facere, et reipsa faciam ut ipsa vestra tentatio et tribulatio sit medium ad majorem Ecclesiæ et cujusque vestrum gloriam et sublimitatem. Ita Haymo, Anselmus et Alcazar.

*Septimo* et aptissime, Christo, non ut Deus, sed ut homo est, dantur claves mortis et inferni. Hæc enim duo quasi valla Christianis objiciebant Judæi et Gentiles, ut eorum fidem in Christum expugnarent, nimirum minabantur quod traderent eos morti, et per mortem mitterent eos in infernum, nisi fidem Christi abnegarent. Hisce ergo occurrit et succurrit Christus, dicens se non tantum posse illa dejicere, indeque liberare, sed utriusque esse herum et dominum; se enim habere plenum imperium et dominatum in mortem et infernum, illaque Christo quasi domino suo per omnia obsequi, nec quemquam invadere, nisi ex Christi nutu et imperio : ac vicissim reddere eos, quos captos tenent, ac vitæ restituere mox ut Christus jusserit. Hoc est enim quod dicitur cap. XX, vers. 13 : « Mors et infernus dederunt mortuos suos. » Ubi nota *secundo*, mortem et infernum in Apocalypsi per prosopopœiam, quasi duas personas in comœdiam induci, quæ Ecclesiæ et Christianis necem et excidium minabantur. Mors enim inducitur quasi prævia, et occidens; infernus vero subsequens, et devorans eos quos mors occidit : unde mors inducitur quasi sagittas vibrans, infernus quasi fauces hiantes pandens, et occisos deglutiens. Nam eorum corpora in sepulcris, animas vero in imis terræ visceribus constrictas detinet. Hinc ait Sapiens, *Proverb.* I, 12 : « Deglutiamus eum, sicut infernus. » Et Isaias, cap. V, vers. 14 : « Dilatavit infernus animam suam, » quasi Cerberus triceps tres fauces et tria guttura pandens. Hic est enim Gentilium Pluto, mortuorum devorator. Sensus ergo est, quasi dicat : Domitianus et Gentiles tyranni, æque ac Judæi, minantur vobis, o Christiani, ob fidem in me, necem, quodque per eam e vita vos exturbabunt, et ad inferos mittent : minantur, quin et reipsa faciunt; at nec ipsos, nec ipsa metuite : ego enim habeo claves mortis et inferni, ego sum plenus eorum Dominus; ac proinde sicut ego a morte et inferno triumphans resurrexi, ita quoque possum, cui volo, vitam dare et reddere, vel eripere; ac præsertim mortuos et occisos pro me meaque fide possum resuscitare, et de facto resuscitabo ad gloriam et vitam beatam. Quinimo faciam ut mors et infernus, quæ obiter ad horam vos perstringunt, quasi ministri mei convertantur et grassentur in vestros persecutores, eisque veram et æternam mortem ac gehennam inferant. Christianorum enim, præsertim Martyrum, mors, potius est transitus ad vitam : impiorum vero mors est transitus ad mortem æternam, ejusque exordium et inchoatio. Ita Pannonius, Alcazar et alii.

19. SCRIBE ERGO QUÆ VIDISTI (hoc cap. I), ET QUÆ SUNT (quæ scilicet nunc fiunt in Ecclesia, puta (20 SACRAMENTUM, græce μυστήριον, id est arcanam significationem : est metonymia) SEPTEM STELLARUM. — Ita Ambrosius, Rupertus, Anselmus, Ribera et Pererius, *q. d.* Scribe visionem hujus capitis et ejus explicationem. In hac enim quasi in

(1) Novum, sed suavem h. l. dat sensum Eichhornius, colon scil. ponendo post ἐγώ εἰμι, *ego sum* (Matth. XIV, 27. Germanice, *ich bin's, c'est moi*), hoc est, ego qui te alloquor, is sum, ad cujus olim pectus toties accubuisti, etc.



prologo summatim continetur et repræsentatur tota Apocalypsis, puta « quæ sunt, » id est præsens status Ecclesiæ, « et quæ oportet fieri post hæc, » tum statim sub Trajano aliisque Imperatoribus persecutoris Ecclesiam, tum maxime sub finem mundi.

Nota : Alia ratione visiones ænigmaticæ et symbolycæ, alia Sacramenta novæ legis vocantur mysteria, sive sacramenta. Illa enim vocantur mysteria et Sacramenta, quia res sacras supernaturales et mysticas arcane significant : sunt enim ipsa quasi imagines, quarum totum esse est significare et repræsentare res ipsas, sicut imago Cæsaris non est aliud, quam pictura vel similitudo repræsentans Cæsarem. Hæc vero ita vocantur, quia res sacras et significant, et simul exhibent; non enim sunt inania, uti vetera, sed efficacia, utpote Christi. Cum enim in baptismo dicit sacerdos : « Ego te baptizo, » non tantum dicit, quod baptizando corpus significet se baptizare, id est abluere, animam; sed quod, sicut hoc significat, ita et reipsa efficiat. Sic in Eucharistia cum in persona Christi ait : « Hoc est corpus meum, » significat sub speciebus panis et vini non tantum repræsentari, sed et vere adesse ac latere corpus Christi, sicut per fumum significatur latens ignis sub fumo.

21. SEPTEM STELLÆ, ANGELI SUNT SEPTEM ECCLESIARUM. — « Angeli, » id est Episcopi, ut patet cap. seq., vers. 1, 8, 12, 18. Ibi enim scribit Angelo, id est Episcopo, Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, etc., eosque muneris Episcopalis neglecti arguit, monet et instruit.

Perperam ergo Origenes, homil. 20 *in Numer.*, et homil. 35 *in Lucam*, ac ex eo S. Hieronymus in cap. VI *Michææ*, sub initium, proprie hic angelos accipiunt. Angeli enim, inquiunt, versantur in periculo, et nisi nos bene custodiant, non videbunt faciem Patris. Sed hæc est hæresis Origenis, cujus verba transcribere solet S. Hieronymus, etiam si ipse ea improbet, uti ipse se purgat Apolog. I *Contra Rufinum*. Præmittit ergo Joannes Apocalypsi suæ, septem epistolas ad septem Episcopos et Ecclesias Asiæ suæ, ut ex iis discant quem fructum ex Apocalypsi capere, quid in moribus suis corrigere, quid perficere debeant; ac vicissim epistolis subjungit suam Apocalypsin, ut ex ea ipsos incitet ad mores suos corrigendum et perficiendum. Ita Alcazar.

Nota : ex Apocalypsi Ecclesia Romana accepit multos ritus et cæremonias. Ita ex hoc loco accepisse videtur olim septem Cardinales Episcopos in basilica Lateranensi, cujus Episcopus proprius et germanus est Pontifex Romanus. Docet id diserte B. Petrus Damianus, cujus verba recitavi *Zachar.* III, vers. 9. Quisque horum septem Episcoporum, suo die per septimanam, jugiter Missam celebrabat in altari majori basilicæ Lateranensis, uti habent Annales Romani.

Porro Episcopi dicuntur Angeli, *primo*, quia sunt internuntii Dei ad populum. Unde *Malachiæ* II, 7, dicitur : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia angelus Domini exercituum est. »

*Secundo*, quia ut angeli debent homines purgare, illuminare et perficere : hoc enim est eorum officium. S. Dionysius, cap. IV *Cœlestis Hierarch.*, docet cœlestes illos spiritus appellari angelos, « eo quod eis primo insit divina illustratio, ac per eos ad nos veniat. » Quod mirifice quadrat in sacerdotes et Episcopos; nam, ut ait S. Hieronymus in illud *Malach.*, cap. II : *Angelus Domini exercituum est*, « Angelus, id est nuntius, sacerdos Dei verissime dicitur, quia Dei et hominum sequester est, ejusque ad populum nuntiat voluntatem. » Talis erat ille angelus, qui dicebat II *Cor.* cap. V, 19 : « Posuit in nobis verbum reconciliationis : pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. » Sunt ergo sacerdotes quasi annuli Dei signatorii, qui quam in se figuram suis moribus expressam continent, eamdem quasi in mollissima cera populo imprimunt, juxta illud *Jerem.* XXII, 24 : « Annulus in manu dextera mea. » Quocirca castissimi et purissimi debent esse instar angelorum, ut eamdem puritatem in fideles transfundant. Idem censuerunt Gentiles. Quærit Plutarchus in *Problem. Rom.* cap. CXI, cur sacerdotes non modo caprea abstinere, sed ne eam quidem contingere juberentur : causamque affert, ut horrorem in libidinem, cujus symbolum est caprea, indicarent. Magis mirum est quod scribit Gellius, lib. X, cap. XV, nefas fuisse sacerdoti tangere imo nominare hederam, quia scilicet hedera arcto illo complexu, nescio quid lasciviæ præ se fert. Vide Tiraquellum, leg. XV *Connubiali*, num. 118. Hinc *Exodi* XXVIII, 17, smaragdo qui erat in Rationali Pontificis, fuisse inscriptum nomen et tribum Levi, quæ sacerdotalis erat, ad repræsentandum ejus pudicitiam, cujus symbolum est smaragdus, censet ibidem Abulensis; licet verius sit smaragdo inscriptum fuisse nomen Judæ, ut ibidem dixi.

*Tertio*, quia caste, sancte et angelice vivere, et quasi angeli inter homines, imo inter bruta versari debent, uti ait S. Chrysostomus. Vide S. Dionysium, *Eccles. Hierar.*, cap. XII, et Alcazar, *Apoc.* cap. IV, ubi per Seraphim, quos vidit Isaias VI, ad litteram intelligit Apostolos et Episcopos; licet verius sit eos tropologice tantum intelligi, uti ostendi *Isaiæ*, cap. VI.

Talis angelus fuit S. Willibaldus, primus Episcopus Eystettensis, qui « neglector exstitit suæ quietis, refuga propriæ voluntatis, appetitor laboris; patiens objectionis, impatiens honoris; pauper in pecunia, dives in conscientia; humilis ad merita, superbus ad vitia. » Ita habet ejus Vita scripta a Philippo, Episcopo Eystettensi, quam edidit noster Gretserus, cap XXXVI, ubi et de eodem subdit : « Nulla sibi ex omnibus propensior cura, quam ut Deo in lectione atque ser-

mone, aut cum Deo in oratione loqueretur : qui maceratum corpus continuis jejuniis habens, studebat de persecutore generis humani inimico longo triumphare martyrio ; ut de eo dici possit illud S. Ambrosii : Plus currit in certamine confessor iste sustinens, quam martyr ictum sufferens, mucrone fundens sanguinem.» Sancte mortuus est anno Domini 781, cum 36 annis quasi Episcopus rexisset Ecclesiam Eystettensem, quam ipse fundavit.

Nota : Illi angeli sunt in dextera Christi. *Primo*, quia in digniore gradu in Christi Ecclesia ab eo sunt constituti. Ita Anselmus et Aretas. *Secundo*, quia a Deo præ cæteris proteguntur, conservantur et foventur. Vide dicta vers. 16; ideoque habent angelum altioris ordinis, a Deo sibi ad Ecclesiæ regimen destinatum. Vere et prudenter nuper Episcopus Atrebatensis in Belgio, cuidam petenti quamdam dispensationem, allegantique se consuluisse Doctores, illosque asserere Episcopum posse in hoc casu cum eo dispensare, respondit : « Doctores habent angelum Doctoralem, ego habeo angelum Episcopalem. Hic mihi dictat, esto possim dispensare, non tamen debere, nec decere. Ergo non dispensabo. » Nimirum « divinatio in ore regis (Episcopi), in judicio non errabit os ejus. »

Moraliter, disce hic quanta sit dignitas et sublimitas status Episcopalis. Episcopi enim hic vocantur « Stellæ, et angeli dexteræ Christi. » Rursum, vocantur « Principes Dei, et principes sanctuarii. » Ita enim vocantur 24 pontifices, sacerdotibus Aaronicis præpositi, qui erant typi et forma Episcoporum, 1 *Paral.* XXIV, 5 et 18. *Tertio*, Episcopis proprie dicitur illud 1 *Petri* II, 9 : « Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. » Et illud *Psalm.* LXXXI, 6 : « Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes. » *Quarto*, Concilium Tridentinum ait, Episcopatum esse « munus angelicis humeris formidabile. » Rursum, sicut S. Petro succedit Summus Pontifex, ita aliis Apostolis succedunt Episcopi. Ipsi ergo nunc in Ecclesia sunt Apostoli Christi; Apostolicam ergo Apostolorum vitam, doctrinam et zelum imitentur. *Quinto*, S. Ignatius *ad Philadelph.*, hac gradatione hierarchiam in Ecclesia docet : « Principes obediunt Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris sacrorum præfectis; Presbyteri, Diaconi et reliquus Clerus una cum populo universo, militibus, Principibus et Cæsare, ipsi Episcopo pareant, Episcopus Christo, et Christus Patri. » Idem *ad Smyrnenses* : « Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Patrem. » Et inferius : « Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri. » Et rursum : « Quomodo ultionem evadere poterit, qui præter Episcopum (contra Episcopi voluntatem et jussa, invito Episcopo) aliquid egerit? Sacerdotium enim est summa omnium bonorum, quæ in hominibus consistunt, quod si quis inhonoraverit, Deum inhonorat, et Dominum Jesum Christum primogenitum totius creaturæ, et solum naturæ principem, ac sacerdotem Dei. »

Hinc *secundo*, discant Episcopi quanta sit eorum obligatio, tum ut sanctitate Ecclesiæ præluceant, tum ut sua vigilantia et prudentia mores improborum corrigant, et probos in virtute promoveant. Audiant S. Chrysostomum, hom. 38 *in Matth.* : « Si stomachus sanus est, totum corpus validum est : ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, tota Ecclesia marcida est. Cum ergo videris populum indisciplinatum et irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum. » Hinc Chromatius in cap. VI *Matth.* : « Episcopus, ait, est quasi oculus Ecclesiæ corpus illuminans : si ergo lumen, quod in te est, o Ecclesia, tenebræ sint, tenebræ corporis quantæ erunt? » Et S. Hieronymus, *Contra Lucifer.* : « Ut sal, inquit, omnem cibum condit, ita mundi et Ecclesiæ totius condimentum est Episcopus : qui si infirmatus fuerit per hæresim, libidinem, etc., a quo alio poterit condiri, cum ipse fuerit omnium condimentum? » Idem *epist.* 43 : « Tanta, ait, debet esse conversatio et eruditio Pontificis, ut omnes motus, gressus, et universa ejus opera notabilia sint, veritatem mente concipiat, et eam toto habitu resonet et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum. » Idem *ad Heliodorum Episcopum*, monens eum ne nimis lugeat mortem Nepotiani nepotis sui : « In te, ait, omnium oculi diriguntur; domus tua et conversatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ; quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Cave ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere. » Idem ad eumdem : « Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, jam cum Christo regnantium; ne forte veniat angelus, qui scindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moveat. »

S. Gregorius in *Pastorali* : « Ab imperitis, inquit, pastorale magisterium quanta temeritate suscipitur, cum sit ars artium regimen animarum! et tantum debet populi actionem actio transcendere Præsulis, quantum distat a grege vita pastoris. » Rursum : « Lux gregis est flamma pastoris. »

Legant Episcopi et Pastores vitam S. Martini, Nicolai, Ambrosii, Augustini, Basilii, Chrysostomi, Borromæi et aliorum Ecclesiæ Præsulum. Nihil enim ita spiritum illuminat, delectat, movet et excitat ad vitam sanctam, et in suo gradu perfectam, atque similium Sanctorum vitæ et exempla, uti reipsa multa, et multorum experientia didici, et in dies disco.



# CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Joannes jussu Christi scribit, primo, Angelo Ephesi, ut primam charitatem collapsam reparet : ni faciat, minatur quod amovebit candelabrum ejus; si faciat, promittit ei lignum vitæ. Secundo, vers. 8, Angelo Smyrnæ, ut sit constans in fide et virtute usque ad mortem, promittens ei coronam vitæ. Tertio, vers. 12, Angelo Pergami, ut fortiter se opponat Nicolaitis, minans eis gladium, et promittens ei manna absconditum, et calculum candidum. Quarto, vers. 18, Angelo Thyatiræ, ut resistat Jezabeli docenti fornicari et vesci idolothytis, promittens ei potestatem super gentes, et stellam matutinam.*

1. Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe : Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum : 2. Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos; et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, et non sunt, et invenisti eos mendaces. 3. Et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. 4. Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. 5. Memor esto itaque unde excideris; et age pœnitentiam, et prima opera fac : sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. 6. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaïtarum, quæ et ego odi. 7. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. 8. Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit primus, et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit : 9. Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam; sed dives es : et blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. 10. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini; et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. 11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit, non lædetur a morte secunda. 12. Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe : Hæc dicit, qui habet rhomphæam utraque parte acutam : 13. Scio ubi habitas, ubi est sedes Satanæ; et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat. 14. Sed habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari. 15. Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaïtarum. 16. Similiter pœnitentiam age, si quo minus veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. 17. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum; et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. 18. Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, et pedes ejus similes aurichalco : 19. Novi opera tua, et fidem, et charitatem tuam, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura prioribus. 20. Sed habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis. 21. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret; et non vult pœnitere a fornicatione sua. 22. Ecce mittam eam in lectum; et qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint. 23. Et filios ejus interficiam in morte, et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda; et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico, 24. et cæteris qui Thyatiræ estis : Quicumque non habent doctrinam hanc, et qui non cognoverunt altitudines Satanæ,

mone, aut cum Deo in oratione loqueretur : qui maceratum corpus continuis jejuniis habens, studebat de persecutore generis humani inimico longo triumphare martyrio; ut de eo dici possit illud S. Ambrosii : Plus currit in certamine confessor iste sustinens, quam martyr ictum sufferens, mucrone fundens sanguinem.» Sancte mortuus est anno Domini 781, cum 36 annis quasi Episcopus rexisset Ecclesiam Eystettensem, quam ipse fundavit.

Nota : Illi angeli sunt in dextera Christi. *Primo*, quia in digniore gradu in Christi Ecclesia ab eo sunt constituti. Ita Anselmus et Aretas. *Secundo*, quia a Deo præ cæteris proteguntur, conservantur et foventur. Vide dicta vers. 16; ideoque habent angelum altioris ordinis, a Deo sibi ad Ecclesiæ regimen destinatum. Vere et prudenter nuper Episcopus Atrebatensis in Belgio, cuidam petenti quamdam dispensationem, allegantique se consuluisse Doctores, illosque asserere Episcopum posse in hoc casu cum eo dispensare, respondit : « Doctores habent angelum Doctoralem, ego habeo angelum Episcopalem. Hic mihi dictat, esto possim dispensare, non tamen debere, nec decere. Ergo non dispensabo. » Nimirum « divinatio in ore regis (Episcopi), in judicio non errabit os ejus. »

Moraliter, disce hic quanta sit dignitas et sublimitas status Episcopalis. Episcopi enim hic vocantur « Stellæ, et angeli dexteræ Christi. » Rursum, vocantur « Principes Dei, et principes sanctuarii. » Ita enim vocantur 24 pontifices, sacerdotibus Aaronicis præpositi, qui erant typi et forma Episcoporum, I *Paral.* XXIV, 5 et 18. *Tertio*, Episcopis proprie dicitur illud I *Petri* II, 9 : « Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. » Et illud *Psalm.* LXXXI, 6 : « Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes. » *Quarto*, Concilium Tridentinum ait, Episcopatum esse « munus angelicis humeris formidabile. » Rursum, sicut S. Petro succedit Summus Pontifex, ita aliis Apostolis succedunt Episcopi. Ipsi ergo nunc in Ecclesia sunt Apostoli Christi; Apostolicam ergo Apostolorum vitam, doctrinam et zelum imitentur. *Quinto*, S. Ignatius *ad Philadelph.*, hac gradatione hierarchiam in Ecclesia docet : « Principes obediunt Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris sacrorum præfectis; Presbyteri, Diaconi et reliquus Clerus una cum populo universo, militibus, Principibus et Cæsare, ipsi Episcopo pareant, Episcopus Christo, et Christus Patri. » Idem *ad Smyrnenses* : « Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Patrem. » Et inferius : « Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri. » Et rursum : « Quomodo ultionem evadere poterit, qui præter Episcopum (contra Episcopi voluntatem et jussa, invito Episcopo) aliquid egerit? Sacerdotium enim est summa omnium bonorum, quæ in hominibus consistunt, quod si quis inhonoraverit, Deum inhonorat, et Dominum Jesum Christum primogenitum totius creaturæ, et solum naturæ principem, ac sacerdotem Dei. »

Hinc *secundo*, discant Episcopi quanta sit eorum obligatio, tum ut sanctitate Ecclesiæ præluceant, tum ut sua vigilantia et prudentia mores improborum corrigant, et probos in virtute promoveant. Audiant S. Chrysostomum, hom. 38 *in Matth.* : « Si stomachus sanus est, totum corpus validum est : ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, tota Ecclesia marcida est. Cum ergo videris populum indisciplinatum et irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum. » Hinc Chromatius in cap. VI *Matth.* : « Episcopus, ait, est quasi oculus Ecclesiæ corpus illuminans : si ergo lumen, quod in te est, o Ecclesia, tenebræ sint, tenebræ corporis quantæ erunt? » Et S. Hieronymus, *Contra Lucifer.* : « Ut sal, inquit, omnem cibum condit, ita mundi et Ecclesiæ totius condimentum est Episcopus : qui si infirmatus fuerit per hæresim, libidinem, etc., a quo alio poterit condiri, cum ipse fuerit omnium condimentum? » Idem *epist.* 43 : « Tanta, ait, debet esse conversatio et eruditio Pontificis, ut omnes motus, gressus, et universa ejus opera notabilia sint, veritatem mente concipiat, et eam toto habitu resonet et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum. » Idem *ad Heliodorum Episcopum*, monens eum ne nimis lugeat mortem Nepotiani nepotis sui : « In te, ait, omnium oculi diriguntur; domus tua et conversatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ; quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Cave ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere. » Idem ad eumdem : « Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, jam cum Christo regnantium; ne forte veniat angelus, qui scindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moveat. »

S. Gregorius in *Pastorali* : « Ab imperitis, inquit, pastorale magisterium quanta temeritate suscipitur, cum sit ars artium regimen animarum! et tantum debet populi actionem actio transcendere Præsulis, quantum distat a grege vita pastoris. » Rursum : « Lux gregis est flamma pastoris. »

Legant Episcopi et Pastores vitam S. Martini, Nicolai, Ambrosii, Augustini, Basilii, Chrysostomi, Borromæi et aliorum Ecclesiæ Præsulum. Nihil enim ita spiritum illuminat, delectat, movet et excitat ad vitam sanctam, et in suo gradu perfectam, atque similium Sanctorum vitæ et exempla, uti reipsa multa, et multorum experientia didici, et in dies disco.



# CAPUT SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Joannes jussu Christi scribit, primo, Angelo Ephesi, ut primam charitatem collapsam reparet : ni faciat, minatur quod amovebit candelabrum ejus; si faciat, promittit ei lignum vitæ. Secundo, vers. 8, Angelo Smyrnæ, ut sit constans in fide et virtute usque ad mortem, promittens ei coronam vitæ. Tertio, vers. 12, Angelo Pergami, ut fortiter se opponat Nicolaitis, minans eis gladium, et promittens ei manna absconditum, et calculum candidum. Quarto, vers. 18, Angelo Thyatiræ, ut resistat Jezabeli docenti fornicari et vesci idolothytis, promittens ei potestatem super gentes, et stellam matutinam.*

1. Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe : Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum : 2. Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos; et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, et non sunt, et invenisti eos mendaces. 3. Et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. 4. Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. 5. Memor esto itaque unde excideris; et age pœnitentiam, et prima opera fac : sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. 6. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaïtarum, quæ et ego odi. 7. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. 8. Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit primus, et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit : 9. Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam; sed dives es : et blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. 10. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini; et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. 11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit, non lædetur a morte secunda. 12. Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe : Hæc dicit, qui habet rhomphæam utraque parte acutam : 13. Scio ubi habitas, ubi est sedes Satanæ; et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat. 14. Sed habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari. 15. Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaïtarum. 16. Similiter pœnitentiam age, si quo minus veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. 17. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum; et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. 18. Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, et pedes ejus similes aurichalco : 19. Novi opera tua, et fidem, et charitatem tuam, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura prioribus. 20. Sed habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis. 21. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret; et non vult pœnitere a fornicatione sua. 22. Ecce mittam eam in lectum; et qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint. 23. Et filios ejus interficiam in morte, et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda; et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico, 24. et cæteris qui Thyatiræ estis : Quicumque non habent doctrinam hanc, et qui non cognoverunt altitudines Satanæ,

quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus; 25. tamen id, quod habetis, tenete donec veniam. 26. Et qui vicerit, et custoderit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, 27. et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, 28. sicut et ego accepi a Patre meo; et dabo illi stellam matutinam. 29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

1. Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. — « Angelo, » id est Episcopo, uti dixi cap. i, vers. 20.

Ephesus, nobile emporium et metropolis Asiæ minoris, Amazonum fuit opus. Ab iis enim conditam esse tradit Justinus, lib. II, et Plinius, lib. V, cap. xxix, licet Pherecydes, et ex eo Strabo, ab Antiocho, Codri Atheniensium regis filio, extructam tradant. In hac celeberrimum fuit Dianæ templum, a tota Asia ducentis annis ædificatum. Ephesi prædicavit Paulus ibique Timotheum Episcopum constituit. Unde et ejus ad Ephesios exstat epistola, scripta 38 annis ante hanc Apocalypseos.

Nota : Hæc est prima Christi epistola, quam Episcopo Ephesi, et per Episcopum scribit toti Ecclesiæ, ut patet cap. i, vers. 7, 11, 17, 24, ubi dicitur : « Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. » Hinc moraliter Alcazar censet in hisce septem Episcopis notari septem conscientiarum genera inter Episcopos, aliosque fideles quoslibet. *Primum* genus, est improborum, qui audacter in scelera ruunt. *Secundum*, tepidorum. *Tertium*, eorum qui probatæ sunt virtutis. *Quartum*, eorum qui in virtute imbecilles sunt, sed a Deo proteguntur, ac a tentationibus liberantur. *Quintum*, lassorum, eorum scilicet, qui ob lassitudinem in via Dei nonnihil retrocedunt. *Sextum*, timidorum. *Septimum*, imprudentium. Unde hos septem Episcopos comparat septem planetis. Sardensis enim erat ut Mars, audax et præceps ad malum. Laodicenus ut Saturnus, piger ac segnis. Smyrnensis velut Sol, virtutis eximiæ, et omnia nubila superantis. Philadelphius imbecillior, sed prosperioris fortunæ, ut Jupiter. Ephesinus erat velut Mercurius, bonus et prudens, sed lassus, indeque remissi ardoris. Pergamenus ut Luna, timidior : nam luna timorem creditur indere iis quibus dominatur. Thyatirensis sicut Venus, imprudenter fervidus.

Itaque has septem Epistolas esse velut septem Christi Pontificis summi decretales, quibus totum cœleste Jus Canonicum, doctrinæ scilicet ad mores spectantis, summa comprehenditur, per quam hominum conscientiæ informentur, et in vera sanctitate proficiant. Hos ergo septem Episcopos Deum, quasi septem specula fidelibus constituisse, ut in iis quisque suam conscientiam et vitæ rationem possit contemplari, eamque vel corrigere, dirigere et perficere. Symbolice et prophetice, Petrus Galatinus hic censet hisce septem Christi epistolis significari septem status et vicissitudines Ecclesiæ sibi invicem ex ordine successuras, quas ipse enarrat.

Quæres quis fuerit hic Angelus, id est Episcopus, Ephesi? Respondet Lyranus communem esse sententiam, fuisse S. Timotheum, ad quem S. Paulus scripsit duas epistolas. Negat tamen id Ribera, ut et ipse Lyranus : Quia, inquiunt, Timotheus fuit vir sanctissimus : hic autem Episcopus Ephesi valde a Christo redarguitur. Verum idipsum asserunt Aureolus, Viegas, Alcazar, Pererius hic, Magalianus proœmio in *epistol. ad Timotheum*, et Baronius. Idque satis ex Chronologia evinci potest; nam hoc tempore non alius fuit Episcopus Ephesi quam S. Timotheus : nam S. Paulus scripsit epistolam ad Timotheum, quasi ad Episcopum Ephesi, anno Christi 57; hæc autem scripsit Joannes anno Christi 97. Timotheus vero obiit Episcopus Ephesi, anno Christi 109, qui fuit decimus Trajani. Tunc enim successit ei in episcopatu Ephesino Onesimus, quem Philemoni scribens commendat S. Paulus. Unde eodem anno Christi 109, scribens ad Ephesios S. Ignatius, post Timotheum meminit Onesimi, tanquam jam recentis eorum Episcopi. Errant ergo, qui ex Metaphraste contendunt Timotheum ante hæc tempora sub Domitiano occisum esse. Nam post hæc tempora S. Dionysius Areopagita plerosque suos libros scripsit, et inscripsit huic Timotheo. Ad argumentum Riberæ respondebo vers. 4.

Hæc dicit qui tenet septem stellas. — De quibus dixi cap. i, vers. ult. Hinc incipit epistola Christi ad Episcopum Ephesinum, et sub ejus persona ad quemvis Pastorem et Prælatum, imo ad quemcumque fidelem, qui in pristino charitatis ardore refrixit. Unde ut eum excitet et inflammet, initio ei in memoriam revocat vocationem et celsitudinem gradus sui, *q. d.* Memento te vocatum esse a Christo, ut sis stella et lux mundi; cura ergo ut splendore et fervore tuo mundo præluceas, memento te esse in dextera Christi, Christum in te jugiter oculum intendere, velle te uti, quasi instrumento et face ad illuminandam Ecclesiam, ac convertendum Gentes. Vide ergo ne opus Christi impedias, vide ne Ecclesiæ fulgorem obscures, vide ne sis causa, cur multæ animæ per te salvandæ, tua tepiditate et segnitie pereant; has enim a te reposcet Christus. Quocirca ita age, ita vive, ita ferve, ut per te omnes glorificent Patrem qui in cœlis est, ut infideles et impios ad Christum traducas, tepidos accendas, strenuos et fervidos magis inflammes. Imitare Paulum dicentem : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? » II *Corinth* cap. xi, vers. 29.



2. Scio opera tua et laborem. — Vide laudes hujus Episcopi apud Pererium, disp. 3 et 4.

Moraliter suo exemplo docet nos Christus, ut reprehensionem villi laude virtutis temperemus, ne nimis acerba accidat; sicut medici pilulas circumliniunt sacharo. Audi Rupertum hic : « Notanda, inquit, dispositio sermonis quam artificiosa sit. Et priusquam emitteret auctoritatem reprehensionis, quæ laudanda erant, collaudavit; et post, ubi corripuit atque minas intentavit, rursus quod laudandum erat, laudavit. Ita reprehensionis amaritudinem, ne nimis offenderet atque exterreret, collaudationis dulcedine circumlinivit. » Eamdem moderationem tenuit Christus Dominus in femina illa Samaritana arguenda. Nam imprimis ejus in loquendo veritatem commendavit : « Bene dixisti, inquit, quia non habeo virum, » *Joan.* iv, 18. Deinde ejus in vivendo intemperantiam reprehendit : « Quinque viros, inquit, habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir. » Tandem quasi non satis fuerit ejus veritatem semel commendasse, iterum commendat : « Hoc vere dixisti. » Subdit Rupertus : « Magnum hoc, inquit, et digne imitandum est magisterium spiritus Dei : corripere quidem ea, quæ emendatione indigent; sed inter corripiendum, et prius, et posterius collaudare, si qua bene dicta sunt, vel acta ab eo qui in aliis corripitur : quatenus quoad fieri potest, teneatur benevolus; et non refugiat confusus, aut exterritus, audire non sustinens peccatoris animas. »

Et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, et non sunt, — examinasti, explorasti et redarguisti eos qui mentiuntur se esse Apostolos, cum sunt pseudoapostoli.

3. Et sustinuisti propter nomen meum (persecutiones et varias tribulationes), et non defecisti. — Græce οὐκ ἐκοπίασας; κοπιάω enim significat et laborare simpliciter, et in actu perfecto ita laborare, ut in labore deficias et succumbas. Priori modo accipitur versu præcedenti : « Scio opera tua et laborem, » græce κόπον; posteriori modo capitur hoc loco. Quanquam Petrus Faber, lib. II *Agonist.*, cap. viii, probabiliter suspicetur in Græco hic esse mendum, et pro ἐκοπίασας legendum κέκμηκας. Non enim videtur Apostolus κοπιᾶν aliter hoc versu, aliter versu præcedenti accipere. Unde et Aldinus codex novi Testamenti editus Venetiis anno 1518, et Roberti Stephani editus Parisiis anno 1546, et Basileensis anno 1565, et Lugdunensis anno 1571, sic legunt : καὶ διὰ τὸ ὄνομά μου κεκοπίακας καὶ οὐ κέκμηκας, id est, et propter nomen meum laborasti, vel lassatus es et fatigatus, sed non defecisti.

4. Sed habeo adversum te pauca. Te pauca delent Romana et Græca, ac Syrus, qui vertit : *Sed habeo contra te propter tuum illud primum quod reliquisti*; vel, ut Arabicus : *Dimisisti abs te.*

Quod charitatem tuam primam reliquisti. — Ambrosius et Haymo censent hunc Episcopum charitatem amisisse, et fuisse in statu peccati mortalis.

Verum quis credat hoc de S. Timotheo? Præsertim cum hic ejus patientia, zelus et illustria opera non tantum præterita, sed et præsentia commendentur? Melius ergo Ribera, Pererius, Alcazar et alii exponunt, *q. d.* « Primam charitatem, » id est primum illum charitatis fervorem « reliquisti. » Ea enim est humana infirmitas, ut qui magno spiritu cœperunt servire Deo, sensim de ejus contentione remittant, languescant, lassescant, tepescant.

Videtur ergo S. Timotheus, qui per 40 annos jam fuerat Episcopus Ephesi (fuit enim Episcopus anno Christi 57, et jam agebatur annus Christi 97, ut dixi vers. 1 : ergo jam ab episcopatus exordio effluxerant 40 anni), nonnihil intepuisse in prædicando verbo Dei, in labore convertendi Ephesios : eo quod videret Judæos et Gentiles Dianæ Ephesiæ cultores sibi pertinaciter obsistere; unde partim ex pusillanimitate et tepore, partim ex prudentia humana, suggerente quod pacis causa oporteret remissius agere, ne nimio zelo magis rem Christianam turbaret, et infideles contra se suosque concitaret (uti Ephesi olim S. Paulo contigisse, turba contra eum conclamante : « Magna Diana Ephesiorum, » *Actor.* xix, 34 memorat), de pristino evangelizandi ardore nonnihil remisit, fuitque hoc ejus peccatum veniale, non lethale. Sæpe enim Prælati magis peccant per remissionem, quæ specie prudentiæ obrepit, quam per imprudentiam, quæ sub specie zeli. Utrumque tamen vitium est, utrumque hic reprehenditur a Christo, prius in Episcopo Ephesino, posterius in Thyatirensi, inquit Alcazar.

Monitus ergo hic a Christo per S. Joannem Timotheus, remissionem suam correxit, et primum fervorem prædicationis resumpsit, fervideque reprehendit cultores Dianæ, ideoque ab iis martyrio est affectus anno Christi 109, die 24 januarii, quo die ejus memoria tabulis sacris adscripta in Ecclesia quotannis recolitur.

Adde hæc non dici soli Episcopo, sed et ejus Ecclesiæ Ephesinæ, ut dixi initio capitis. Fideles ergo Ephesii hic teporis arguuntur in suo, et per suum Episcopum, utpote in quem quasi in caput et pastorem omnis subditorum culpa, nota et reprehensio redundat. Vulgo dicimus : « Non est peccatum in collegio, quod non faciat Rector. » Sic non est peccatum in parochia et diœcesi, quod non faciat Pastor et Episcopus : ita Pererius, qui tamen non recte censet nullam hic fuisse Timothei culpam; sed omnem, quæ hic arguitur, fuisse Ecclesiæ et fidelium. Proprie enim et primo culpatur hic Episcopus; atque tepor et culpa fidelium fere sine tepore et culpa Episcopi esse nequit, uti docet S. Chrysostomus, hom. 38 *in Matth.*

Moraliter nota : Facile homo, etiam sanctus et perfectus, a primo fervore tepescit. *Primo*, quia animi est mobilis, mollis et inconstantis. *Secundo*, quia difficile est et violentum tot difficultatibus et tentationibus, quot in dies occurrunt, resistere.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Tertio*, quia gratia in nobis est quasi in loco alieno, non naturali; unde natura nostra, nisi vis continua adhibeatur, ad se et naturalia sua desideria redit. *Quarto*, quia habemus innatam concupiscentiam, quæ gratiæ et bono semper reluctatur, contra quam pugnare, et quasi adverso flumine, imo fluctu remigare debemus.

Memorabile est dictum S. Bernardi, epist. 56 *ad Richardum Fontanensem Abbatem* : « Multo facilius, ait, reperias multos sæculares converti ad bonum, quam unum quempiam de Religiosis transire ad melius. Rara avis in terris est, qui de gradu quem in Religione forte semel attigerit, vel parum ascendat. » Et S. Bonaventuræ : « Vidi multos, qui a sæculo transeuntes ad Religionem profecerint, vitamque mutarint : vix vidi, qui in religione post novitiatum ferventiores et perfectiores evaserint. » Quocirca ipse in Vita S. Francisci de eo quasi quid rarum et mirum scribit cap. XIV *Vitæ ipsius*, quod appropinquans ad finem vitæ, Christo per sacra stigmata « confixus cruci tam carne quam spiritu, non solum Seraphico amore ardebat in Deum, verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem salvandorum, ideoque se suumque corpus emortuum per civitates et castra faciebat circumvehi, ut ad crucem ferendam ceteros animaret. » Fratribus quoque dicebat : « Incipiamus, fratres, servire Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus. Flagrabat etiam desiderio ad humilitatis redire primordia, ut leprosis sicut a principio ministraret, corpusque jam præ labore collapsum revocaret ad pristinam servitutem. Proponebat, Christo duce, se facturum ingentia, et fatiscentibus membris, spiritu fortis et fervidus, novo sperabat certamine et hoste triumphum. Neque enim languor, vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget. Tanta autem erat in eo carnis ad spiritum concordia, tanta obedientiæ promptitudo, quod cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertingere, ipsa non solum non repugnaret, sed præcurrere niteretur. »

Itaque contra teporem hunc, hosque ejus fontes, crebro et assidue, ac præsertim initio septimanæ, mensis et anni, æque ac in majoribus festis homo spiritum suum languescentem suscitare, ac pristina sua vota et proposita renovare debet. « Cogita, inquit S. Bernardus, *epist.* 91, in scala Jacob angelos omnes vel ascendere, vel descendere, neminem stare. Et tu ergo si non proficis, deficis, et ubi incipis nolle fieri melior, desinis esse bonus. » Unde *Psalm.* LXXXIII, dicitur : « Ibunt de virtute in virtutem. » Et *Proverb.* IV : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. » Et *Cant.* VI : « Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens? » Quocirca Abbas Agatho in *Vitis Pat.* lib. V, cap. de discretione, cuidam Religiosam vitam ambienti hoc præceptum dedit : « Sicut in prima die quando ingredieris ad fratres, ita custodi peregrinationem tuam omnibus diebus vitæ tuæ, nec assumas fiduciam, » *q. d.* Fervorem, reverentiam et verecundiam novitiatus, toto tempore Religionis conserva, ac cave ne successu temporis fias liber et audax in loquendo, carpendo, murmurando, otiando, etc. Vide dicta *Philipp.* III, 13, et *Ephes.* IV, 22, et *Rom.* XII, 2.

Speciatim vero Episcopum non debere tepescere in concionando, si pauci aut nulli convertantur, docet S. Chrysostomus, hom. 1 *De Lazaro*, *primo*, exemplo fontium, qui semper scaturiunt, licet nemo inde hauriat : *secundo*, exemplo Jeremiæ, cap. XX, vers. 7, qui irrisus a Judæis, jubetur tamen a Deo iis concionari; *tertio*, exemplo Christi, qui Judam, licet obstinatum, admonuit; *quarto*, quia qui boni sunt, saltem fiunt meliores, et qui jam non convertuntur, forte postea convertentur. Unde eidem Timotheo S. Paulus, *epistol.* II, cap. IV, præcipit dicens : « Prædica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia. »

5. SIN AUTEM, VENIO TIBI, ET MOVEBO (Syrus, *moveo*, scilicet illico et subito) CANDELABRUM TUUM DE LOCO SUO, — *q. d.* « Candelabrum, » id est Ecclesiam, a te auferam, ne sis ejus caput et Episcopus, eamque in alterius manu collocabo. Nam cap. I, vers. ult., candelabra exposuit Ecclesias. Hæ autem dicuntur moveri de loco, id est de statu suo, cum ab uno capite, puta Episcopo, ad alium transferuntur, et in ejus manu gubernandæ collocantur. Sic regna dicuntur moveri, mutari, et de gente in gentem transferri, cum rex et imperator mutatur, et ex alia gente suscitatur : tam enim corpus est in capite, quam caput in corpore; tam regnum est in rege, quam rex in regno; tam Ecclesia est in Episcopo, quam Episcopus in Ecclesia. Moto ergo et mutato capite, movetur et mutatur corpus; mutato rege, mutatur respublica; mutato Episcopo, mutatur Ecclesia.

Sic monarchia Chaldæorum dicitur mutata et translata ad Persas, cum monarcha factus est Cyrus; Persarum ad Græcos, cum monarcha factus est Alexander; Græcorum ad Romanos, cum monarcha factus est Augustus. Ita Rupertus, Hugo, Richardus Victorinus.

Unde posset rursum hæc phrasis per hypallagen explicari hoc modo, *q. d.* Movebo candelabrum tuum de loco suo, hoc est, movebo te de loco candelabri tui, id est, amovebo te ab Episcopatu Ecclesiæ, auferam tibi dignitatem æque ac gratiam, et dona Episcopalia, quibus præsides et præfulges Ecclesiæ tuæ. Simili hypallage de dæmonibus dicitur *Apoc.* XII, 8 : « Neque locus inventus est amplius eorum in cœlo, » *q. d.* Ipsi non sunt amplius inventi in loco suo in cœlo. Aut potius « candelabrum » per metonymiam ponitur pro ipsa *lucerna*, seu candela quæ in candelabro est sita. Hæc enim similis est regi in solio, et Episcopo in cathedra sedenti. Unde in Scriptura lucerna significat regnum, et consequenter sacer-



dotium; hoc enim est regnum sacerdotale, et sacerdotium regale. Hinc *Psalm.* CXXXI, 17, dicitur : « Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. » III *Reg.* XI, 36 : « Filio autem ejus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David. » Movebo ergo candelabrum, id est lucernam, hoc est episcopatum tuum, « de loco suo, » puta a te, in quo jam consistit : ita Delrio, *Adagio* 112.

*Secundo*, Haymo, Thomas Anglicus, Dionysius et Ribera censent aliter hic accipi candelabrum, quam cap. I, scilicet pro ipsa dignitate et gratia Episcopali, *q. d.* Auferam a te candelabrum, id est episcopatum tuum, quo præfulges Ecclesiæ. Sic Elias et Henoch cap. XI, vers. 4, vocantur « duo candelabra » in conspectu Dei.

Hanc expositionem, licet in re cum prima coincidat, recte impugnat Alcazar, quod in his septem Episcopis semper ad visionem cap. I habeatur respectus; ergo coactum est hic aliter accipere candelabrum quam cap. I, præsertim cum in hac ipsa epistola expressa fiat septem candelabrorum cap. I, mentio vers. 1.

*Tertio*, Andreas Cæsariensis exponit, *q. d.* Candelabrum, id est sedem Pontificiam Epheso auferam et transferam eam in civitatem regiam, v. g. Byzantium, sive Constantinopolim.

*Quarto*, Ambrosius et Beda exponunt, *q. d.* Privabo te mercede, quæ Episcopo et Rectori Ecclesiæ pro sua cura et labore promissa est a Deo.

*Quinto*, Victorinus Martyr : « Movebo, inquit, candelabrum, id est, dispergam plebem tuam; » et Lyranus : « Obedientiæ, ait, tuæ subtraham subditos tuos; » et Andreas Cæsariensis : « Nudabo plebem tuam gratia et protectione mea, eamque in fluctus et tempestates conjiciam. » Sic et Alcazar censet hic Deum minari Episcopo pacis publicæ perturbationem (1).

Propria enim et congrua, inquit, remissionis pœna est, ut qua ratione existimabat aliquis se quiete et tranquillitate fruiturum, remittendo scilicet aliquid de fervore et zelo, eadem res devolvatur in majorem civium seditionem et fidelium perturbationem : tum quia Deus juste quemque punit in eo in quo peccat : tum quia inter homines solet ex remissione ducis oriri perturbatio militum : sicut ex adverso disciplina et severitate multo melius conservatur et augetur pax et obedientia. Ita fit ut Prælatus, dum parat quietem, inquietem pariat, et dispergatur plebs, et subditi a Prælati obedientia se subtrahant. Vulgo dicitur : « Ubi rigor, ibi vigor; ubi severitas, ibi auctoritas. » Sensus ergo est, *q. d.* Ex humana prudentia putabas te per remissionem difficultates et perturbationes effugiturum, et adepturum pacem et quietem; at ego te puniam, inducendo te in ipsam tentationem, quam per viam non bonam fugiebas; plectam enim tuam negligentiam seditione et commotione civium tuorum, quam certissime effugisses, si non prudentiam humanam, sed mea consilia secutus, zelum exercuisses et spiritalem fervorem. Hic sensus valde moralis, prudens, et in praxi perutilis est. Sed primus sensus, uti simplicissimus et planissimus, ita maxime genuinus videtur. Non enim Ecclesiæ, sed ipsi Episcopo peccanti punitionem hanc intentat. Hoc est enim quod ait : « Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum. »

6. ODISTI FACTA NICOLAITARUM. — Quorum hæresis erat licere fornicari, et promiscue uti feminis, etiam conjugatis. Vide S. Augustinum, *hæresi* 5, et Clementem Alexandrinum, lib. III *Strom.*, qui excusant Nicolaum, unum e septem primis Diaconis (a quo hæresis nomen et originem accepit), sed accusant eos, qui ejus dicta sinistre intellexerunt. « Iste, ait S. Augustinus, cum de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causa permisisse fertur, ut eam, qui vellet, haberet. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, qua probatur usus indifferens feminarum. » Ex hisce orti sunt Gnostici, hæretici spurcissimi. Nicolaum tamen accusat turpitudinis Epiphanius, lib. 1, *hæresi* 25; Philastrius, *Hæres. Nicolaitarum*; S. Hieronymus, epist. *ad Heliodorum*, quod scilicet cum ordinatus Diaconus, ab uxore quam pulchram habebat, sese continuisset; postea tamen superatus concupiscentia, ad eam reversus sit; cumque ea de causa carperetur ab Apostolis, turpem hæresim excogitarit, scilicet necessarium esse ad salutem libidini operam dare. Nicolaum quoque accusant Irenæus, Tertullianus, Hilarius et alii, quos citat Baronius, tom V, anno Christi 68. Recruduit Nicolaitarum hæresis et spurcities sub Ludovico Pio Imperatore, filio Caroli Magni; cui quia Ludovicus non tam strenue quam par erat, restitit, hinc post mortem pœnas dedit in Purgatorio per triginta annos, quibus exactis apparuit filio pariter Ludovico Imperatore opem et preces ab eo efflagitans, uti ex *Annal. Francisc.* narrat Cardinalis Baronius, tom. X, anno Christi 874 inchoante (2).

7. QUID SPIRITUS DICAT ECCLESIIS. — Quod enim dicit Episcopo Ephesino, hoc dicit ejus Ecclesiæ, et per eam cæteris omnibus. « Quod vobis dico, omnibus dico, » ait suis Apostolis Christus.

VINCENTI DABO EDERE DE LIGNO VITÆ. — « Vincenti, » scilicet Nicolaitas hæreticos : item Paganos et tyrannos. Rursum « vincenti » mundum, carnem, dæmonem, quomodo vicerunt et vincunt Martyres, Doctores, Virgines et Religiosi. Est enim generalis hæc sententia, inquit Pererius.

(1) Bossuetius et Allioli : A te amovebo Ecclesiæ nomen, lucemque Evangeli ad alias gentes transferam. Christiana enim fides cum alicubi lucere desinit, non ideo exstinguitur, sed infertur alio.

(2) Wetstenio Nicolai nomen hic videtur græce positum pro Hebraico *Bileam*, quo designatur falsus doctor, qui in clerum Domini dominatur, et spurcas voluptates sectatur, populumque decipit. Nam Νικόλαος est ὁ νικῶν τὸν λαόν, et hebr. nomen בלעם a verbo בלע, *penitus absorpsit perdidit*, et עם, *populus*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ita nec Christi verba pulchre adaptat B. Petrus Damianus S. Victori Confessori, prima septembris : « Ipse enim, ait, nomen ex opere sortitus, ante vicit, quam vincere nosset, nec quemlibet hostem, sed illum, de quo rara, et nunquam secura victoria, » etc.

Ita vitam alterius S. Victoris Confessoris, 26 februarii, describens S. Bernardus : « Pugnavit, ait, fortiter, viriliter superavit, et sic demum gloria et honore coronatur. Quomodo nempe inglorius remansisset bellator fortis, humilis Victor? Mirer et stupeo infantem adhuc in utero, paveri fuisse pavendis dæmonibus, quippe ab ipsis præcognitum, et jam tunc ex nomine designatum : nec vacuum nomen, ubi hostium fuga, et extorta confessio, victoriam concessit infantulo. » *Et inferius* : « Æmulemur in viro sobrium victum, devotum affectum : æmulemur mansuetudinem spiritus, castitatem corporis, oris custodiam, animi puritatem, ponere frenum iræ et modum linguæ, dormire parcius, orare frequentius, commonere nosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, diebus jungere noctes, et divinis laudibus occupare. » Hæ enim fuerunt victoriæ S. Victoris, quæ nos pariter victores efficient et coronabunt.

Tales Vincentes et Victores apud Græcos fuerunt S. Nicetæ, Nicandri, Nicanores, Nicetii, Nicones, qui victoriam, nomine quasi omine prætulerunt; νίκη enim Græcis est victoria, νικητὴς, etc., est victor. Talis fuit S. Nicæas Martyr Antiochiæ, 29 augusti. Talis S. Nicander Martyr Melitinæ sub Diocletiano, 7 novembris. Talis Nicanor Martyr in Ægypto sub Maximino, 5 aprilis. Talis S. Nicephorus Martyr in Ægypto sub Numeriano Imperatore, 25 februarii. Talis S. Nicetas Martyr in Lycia, 24 julii. Talis S. Nicetas Gothus Martyr sub Athanarico, 15 septembris. Talis S. Nicetius, episcopus Viennensis, 5 maii. Talis S. Nicostratus tribunus cum suis militibus, Martyr Cæsareæ, 21 maii. Talis S. Nicomedes Martyr Romæ, 15 septembris. Talis S. Nicon Martyr Antiochiæ, 28 septembris. Tales multi alii hisce cognomines, et in palma consimiles, quos videre est in *Martyrol.* indice apud Baronium. Ac imprimis SS. Victor et Corona, Martyres illustres, 22 maii, de quibus eleganter ita canit Poeta Christianus :

> Quam bene cum sancto quadrat Victore Corona!
> Quam sua Victori jure Corona datur!

Talis denique fuit S. Ursula, quæ non unam, sed undecim millia coronarum meruit, quia totidem virgines ad virginitatis et martyrii gemmatas coronas provexit; de quibus præclare idem Poeta :

> Ursula nectendis pro teque tuisque corollis,
> Crediderim angelicas delituisse manus.

His addendæ S. Digna et Emerita, virgines et martyres, 24 septembris, de quibus idem Poeta :

> Quam bene conveniunt rebus sua nomina! palmam
> Ferre hac Emerita est; altera Digna fuit.

*Secundo*, proprie ad rem propositam : « Vincenti » scilicet suam remissionem et torporem per veram pœnitentiam, ac seriam deliberationem resumendi pristina opera, et pristinum charitatis fervorem; in hoc enim culpaverat hunc Episcopum Christus, et ad hoc eum excitat proposito præmio apposito, scilicet ligno vitæ, *q. d.* Si lassitudinem et torporem excutias, dabo tibi lignum vitæ, quo et primas vires recuperes, easque ita corrobores et confirmes, ut deinceps tibi in iis lassitudo, vetustas et torpor non obrepant. Hoc enim fecisset lignum vitæ in Paradiso. Ita Rupertus et Alcazar.

Quæres quodnam sit hoc lignum vitæ, quod hic promittit Christus? Respondent aliqui esse Christum, qui in Ecclesiæ Paradiso omnibus fruendus proponitur : ita Victorinus et Beda; idque in Eucharistia, ait Rupertus et Anastasius Sinaita, lib. 1 *Hexameron*, tom. I *Biblioth. SS. Patrum*; Paschasius, lib. I *De Corpore Christi*, cap. VII et VIII, et Alcazar, qui addit Christum promittere hic suam operam et præsidium per Eucharistiam, iis qui fortiter apud se statuerint pristina sua vota ac desideria instaurare, et antiquum studium et contentionem repetere, nec in virtutum exercitatione languescere; hosce enim Eucharistia, quæ est panis vitæ, uti docet Christus, *Joan.* VI, instar ligni vitæ corroborat, eisque animi vires confirmat, nec pristinum vigorem hebescere patitur, facitque hominem spiritualiter quasi immortalem, alacrem semper et vegetum. Ad hoc enim in hac naturæ corruptione, infirmitate et languore, Eucharistiam nobis dedit et reliquit Christus : quinimo virtute Eucharistiæ resurgemus ad vitam immortalem. Resurrectio enim et immortalitas est effectus Eucharistiæ, uti fuisset effectus ligni vitæ in Paradiso. Hoc est enim quod ait Christus, *Joan.* VI, 58 : « Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. »

Porro, licet omnibus digne communicantibus idipsum præstet Eucharistia, proprie tamen, et longe amplius id præstat iis, qui cum hoc serio fervoris renovandi proposito ad eam accedunt. Cujus ratio est, quod sicut manna saporem suum juxta cujusque desiderium convertebat, *Sap.* XVI, 21, ut qui in manna gustare vellet panem, panem saperet, non carnem; qui carnem vellet, carnem saperet, non pisces; qui pisces vellet, pisces saperet, non ova : ita pariter in Eucharistia qui humilitatem petit, humilitatem accipit; qui charitatem, charitatem; qui serium fervoris renovandi propositum, idipsum quod petit consequitur : ita Alcazar.

Hoc est quod ait Psaltes, *Psalm.* XXII, 5 : « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. » Quem locum de Eucharistia accipiunt Theodoretus et alii passim, ac præsertim S. Chrysostomus ibidem dicens : « Qui sunt qui vos tribulant? Suggestiones inimici, cupiditates, delectationes sæculi, honores; sed cum venimus ad mensam potentis, tribulationes efficiuntur consolationes, et ex mensa præparata proficimus adversus eos qui tribulant nos. » Hac de causa ad frequentem Eucharistiæ sumptionem Christianos hortatur S. Ignatius, scribens *ad Ephesios* : « Date operam ut crebrius congregemini ad Eucharistiam, etc., frangentes panem unum, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Jesum Christum, medicamentum purgans vitia, et omnia pellens mala. » Quocirca olim usque ad tempora S. Hieronymi, Romæ et in Hispania fideles quotidie communicabant, uti ipse testatur scribens ad Lucinium, *epist.* 28, et *epist.* 50. Hac etiam de causa tempore persecutionis in carcere apud Martyres Missas celebrabant; quin et fideles Eucharistiæ particulas domum deferebant, ut durante persecutione, ne sensim ex diuturnitate temporis, molestiarum et tormentorum, in fide tepescerent, frequenti ejus sumptione vires repararent, constantiam solidarent, ac majori ardore ad novos agones et tormenta, ipsumque martyrium se compararent. Atque hinc, scilicet ex crebra et quotidiana communione, manavit illa S. Laurentii, Agnetis, Vincentii, Sebastiani et aliorum, equuleos, ignes et tyrannos irridentium fortitudo, æque ac pro Christo moriendi zelus et desiderium. Ita, ut alios taceam, S. Catharina Senensis quotidiana pene communione vires tam corporis quam animi reparabat, et ex ea fere sola vivebat, vix cibos corporales comedens. Tantus vero ejus in Eucharistiam erat ardor, tanta fames, ut, si quo die non communicasset, videretur animam exhalatura; mox vero ut communicarat, et spiritu, et corpore evadebat ita valida, ut ingentes subiret labores et pœnitentias, ac cibos omnes humanos fastidiret, imo ad mensam quasi ad equuleum, ad alimenta quasi ad tormenta accederet.

*Secundo*, magis genuine et plane, lignum hoc vitæ est fruitio Dei et beatitudo, indeque consequens immortalitas. Hæc enim est immarcescibilis vitæ et gloriæ corona, quam suis fidelibus Christus promittit, *q. d.* « Vincenti dabo edere, » per contemplationem et fruitionem, « de ligno vitæ, » id est de divinitate beante, et dante gloriam immortalem, uti inchoate faciebat lignum, id est arbor vitæ in paradiso, quæ erat hujus figura et typus. Hunc esse sensum clare patebit cap. XXII, vers. 2, ubi per lignum vitæ accipit hanc beatitudinem et gloriam immortalem. De ligno vitæ dixi *Gen.* II, 9.

8. ET ANGELO SMYRNÆ ECCLESIÆ SCRIBE. — Est hæc secunda Christi epistola ad Episcopum Smyrnensem, et sub ejus persona ad quosvis Episcopos et Christianos probatæ et perfectæ virtutis : ita Alcazar.

Porro Smyrna urbs est Ioniæ in Asia, de qua Strabo, lib. XIV : « Cum Lydi, ait, evertissent Smyrnam, circiter annos quadringentos in vici modum mansit habitata; postmodum Antigonus eam suscitavit, deinde Lysimachus, et nunc omnium pulcherrima est : ejus pars in monte sita est, pars maxima in campo. Habet etiam bibliothecam et Homerium, porticum scilicet quadratam cum Homeri templo et statua. Nam et hi maxime hunc Poetam sibi vindicant : unde et nummus quidam æneus apud eos *Homerus* vocatur. Urbis mœnia Melas amnis præterfluit : ad ceteram structuram, etiam portum clausum habet. » Hucusque Strabo. Smyrna etiam a Græcis myrrha dicitur. Smyrna ergo idem est, quod myrrha, scilicet passionis et tribulationis, ob cujus patientiam hic ejus Angelus laudatur.

Quæres : quis fuit hic Angelus, id est Episcopus, Smyrnæ? Respondeo : Valde verisimile est fuisse S. Polycarpum. Hic enim hoc tempore vixit spectatæ virtutis, atque a S. Joanne ordinatus fuit Episcopus Smyrnæ, uti refert S. Hieronymus. Ita sentiunt Aureolus, Ribera, Pererius, Alcazar et Lyranus, qui ait hanc esse communem sententiam. Favet Chronologia et temporis ratio. S. Polycarpus enim occisus est martyrque occubuit anno Christi 169, cum jam Christo servisset, ut ipse moriens præsidi asseruit, annos 86. Ad Christum ergo conversus fuit anno Christi 83. Quare hoc anno Christi 97, quo hæc scripsit Joannes, jam quatuordecim annos fuerat Christianus : poterat ergo jam esse Episcopus; imo fuisse suadet quod a S. Joanne sit consecratus, S. Joannes autem post scriptam Apocalypsin, rediens ab exilio, utpote plane senex, ad vicinam Ephesum se contulerit, ibique scripserit Evangelium, ac paulo post ibidem sit mortuus. Unde non videtur Smyrnæ post hæc tempora fuisse, ut ibi crearet Episcopum. Adde quod hæ persecutiones et odia Judæorum, quæ hic recenset S. Joannes, valde congruant S. Polycarpo, ejusque tempori, quo multi Martyres effecti sunt, ut narrat Eusebius, lib. IV *Hist.*, cap. XV. Porro quam solidæ et perfectæ sanctitatis fuerit S. Polycarpus, ut merito hæ Christi laudes ei competant, patet tum ex epistola Smyrnensium, quam ipsi de eo ejusque martyrio circularem scripserunt, quæ exstat apud Eusebium loco citato; tum ex ipsa S. Polycarpi epistola ad Philippenses, quæ exstat tom. III *Biblioth. SS. Patrum*, in qua mulieres, viduas, juvenes, Diaconos, ceterosque pro suo gradu et statu candide et sancte ad perfectionem vitæ Christianæ instituit, ac tandem inter cetera ait : « Imitatores efficiamur tolerantiæ ejus (Christi), et si passi fuerimus pro nomine ejus, glorificemus eum : hoc enim judicium posuit de seipso, et nos hoc credimus. Rogo vos omnes insistere verbo justitiæ et patientiæ, quam oculata fide vidistis, non solum in beatissimis illis, Ignatio scilicet, Zozymo et Rufo; sed in aliis, qui ex vobis sunt; et in Paulo et in ceteris Apostolis confidentes, quia hi omnes non in vacuum cucurrerunt, sed in fide, et justitia, et ad debitum sibi locum, cum Domino, cui et compassi sunt, abierunt; quia

non hoc sæculum dilexerunt, sed eum, qui pro ipsis et pro nobis mortuus est, et a Domino resuscitatus. Cum potestis benefacere, nolite deficere. » Et infra : « Deus autem et Pater Domini nostri Jesu Christi, ipse sempiternus pontifex, Dei Filius, Christus Jesus ædificet vos in fide et veritate, et omni mansuetudine, et sine iracundia, in patientia, et longanimitate, et tolerantia, et castitate, et det vobis sortem et partem inter Sanctos suos, et nobis vobiscum, et cum omnibus qui sunt sub cœlo, qui credituri sunt in Dominum Jesum Christum. » En cœleste pectus, cœlestia exhalans virtutum aromata.

Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit. — Vide de his ea quæ dixi cap. I, vers. 18. Refricat hæc S. Polycarpo, *q. d.* Scio te tribulari, agi ad mortem et martyrium ; sed constans esto, intuere me quasi speculum : en occisus sum, et resurrexi, ita et tu occideris, mecumque ingenti gloria resurges.

9. Scio tribulationem tuam (quam pateris a persecutoribus infidelibus), et paupertatem tuam. — Aliqui intelligunt paupertatem spiritus, de qua dicitur *Matth.* v : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » *Secundo*, alii intelligunt inopiam et penuriam rerum temporalium, humanorumque præsidiorum. Olim enim Episcopi erant pauperes : needum enim episcopatus erant dotati. *Tertio* et optime, per paupertatem accipe eam, ad quam redigebatur expoliatione et amissione suarum facultatum. Hanc enim fideles tunc passos esse patet ex S. Paulo, *Hebr.* x, 34 : « Rapinam bonorum universorum cum gaudio suscepistis. » Hæc enim paupertas jungitur tribulationi, id est persecutioni ; ergo ad eam spectat ; ita Richardus, Primasius, Aretas, Rupertus, Ticonius, Beda et alii.

Sed dives es — in Deo, Dei confidentia, præsidio et providentia. Rursum, « dives es » gratia et bonis spiritualibus. Sic S. Jacobus, cap. II, vers. 5, ait : « Divites in fide ; » *Eccles.* XLIV, 6 : « Homines divites in virtute ; » et I *Timoth.* VI, 18 : « Divites in bonis operibus. »

Adde : « Dives est cui nihil deest, » qui est αὐτάρκης, et sua paupertate contentus, imo lætus.

Vere Seneca, *epist.* 2 : « Honesta, inquit, res est læta paupertas. Illa vero non est paupertas, si læta est : cui enim cum paupertate bene convenit, dives est ; non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. » Et *epist.* 17 : « Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. » Et *epist.* 16, laudat illud Epicuri dictum : « Si ad naturam vives, nunquam eris pauper ; si ad opiniones, nunquam eris dives : exiguum natura desiderat, opinio immensum. » Et *epist.* 18 : « Nemo est Deo dignus, quam qui opes contempsit, quarum possessione tibi non interdico, sed efficere volo ut illas intrepide possideas. » Vide dicta I *Timoth.* VI, 6.

Denique pauper es in terra, sed dives in cœlo : ibi enim multas habes repositas opes. Pulchre S. Augustinus, et ex eo Beda in illud II *Corinth.* cap. VIII, *Christus propter nos egenus factus est* : « Omnes ergo, inquit, boni fideles divites sunt ; nemo se contemnat, pauper in cella, dives in conscientia securior dormit in terra, quam auro dives in purpura. » Et S. Hieronymus *ad Heliodorum* : « Affatim dives est, qui cum Christo pauper est. » Et *ad Pammachium* : « Plus debet præstare Christi discipulus, quam mundi Philosophus, gloriæ animal, et popularis auræ, atque rumorum venale mancipium ; » ut Crates et alii, qui opes in mare abjecerunt, ut liberius philosopharentur. Christiano philosopho, id est Religioso, « Christus sit omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, et libera possit voce proclamare : Pars mea Dominus. » Sic S. Hilarion, ait idem Hieronymus, « accensus fiducia pauperis conscientiæ lætabatur in eo, quod nihil haberet sæculi, et quod ab accolis mendicus putaretur. »

Vere et pathetice S. Hieronymus historiam S. Pauli primi Eremitæ pauperis et seminudi, in nuda eremo viventis et morientis, ita concludit : « Libet in fine opusculi eos interrogare, qui sua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui uno filo villarum insuunt prædia : huic seni nudo, quid unquam defuit ? Vos gemma bibitis, ille naturæ concavis manibus satisfecit. Vos in tunicis aurum texitis, ille ne vilissimum quidem indumentum habuit mancipii vestri. Sed e contrario illi quidem pauperculo paradisus patet, vos avaros gehenna suscipiet. Ille vestem Christi, nudus licet, tamen servavit : vos vestiti sericis, indumentum Christi perdidistis. Paulus vilissimo pulvere coopertus jacet resurrecturus in gloriam : vos operosa saxi sepulcra premunt, cum vestris opibus arsuros. Parcite, quæso, vobis : parcite saltem divitiis, quas amastis. Cur et mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus ? Cur ambitio inter luctus lacrymasque non cessat ? An cadavera divitum nisi in serico putrescere nesciunt ? Obsecro, quicumque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris ; cui si Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quam regum purpuram cum pœnis suis. » Idem sensit et suasit S. Augustinus, lib. I *De Civitate*, cap. x : « Da, ait, temporalia, accipe æterna ; da terram, accipe cœlum. »

Blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt. — Βλασφημία idem est quod δυσφημία, id est infamia, vituperium, probrum ; sed usu Ecclesiastico sumitur pro convicio jactato in Deum vel Sanctos : subinde tamen in Scriptura generatim capitur in propria significatione, ut blasphemare sit idem quod infamare, conviciari, calumniari. Sic Paulus ait *ad Titum* III, 2 : « Admone illos, etc., neminem blasphemare. » Et I *Cor.* IV, 13 : « Blasphemamur et obsecramus. » Sic Goliath dicitur blasphemasse Israel, I *Paralip.* XX, 7. Sic Deus ait se audisse « opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon, qui exprobraverunt populo, » *Ezech.* v, 15. Et *Isaiæ* LI, 7 : « Nolite, ait, timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. » Communiter tamen accipitur pro convicio in Deum vel Sanctos. Sic Justinianus Imperator in *Authenticis Constit.* 77, ait : « Fames, terræ motus ac pestilentias ab irato propter blasphemias Deo immitti, hasque ultimo supplicio extirpandas. » Unde S. Ludovicus, rex Galliæ, sanxit ut blasphemantis lingua ferro candente adureretur. Utroque modo hic capitur. Sensus ergo est, *q. d.* « Blasphemaris, » id est injuria lacesseris, et non fidelis et pius, sed quasi legis et Judaismi hostis, utpote Christi associa, impius et execrandus existimaris ac diceris a Judæis, qui se veros esse religionis Deique cultores mentiuntur. Hi enim non sunt veri Judæi, id est Deum confitentes et colentes, uti fuerunt Judas, a quo dicti sunt Judæi, aliique patres eorum, quia hi Christum persequuntur. Nam, ut ait Apostolus, *Rom.* II, 28 : « Non qui in manifesto, Judæus est ; sed qui in abscondito, Judæus est. » Hic scilicet verus Judæus, Deique cultor et confessor est, « cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. » Prima enim Christianorum persecutio a Judæis, et per Judæos, qui Gentiles contra Christianos accendebant, est suscitata. Unde toties in *Actis Apostolorum* Judæi Paulum persecuti leguntur.

Præclare S. Augustinus in *Sententiis*, num. 32 : « Omnes, ait, qui in Christo pie volunt vivere, necesse est ut ab impiis et dissimilibus patiantur opprobria, et despiciantur tanquam stulti et insani, quia præsentia bona perdunt, et invisibilia sibi profutura promittunt. Sed hæc despectio et irrisio in impios retorquebitur, cum et abundantia eorum in egestatem, et superbia transierit in confusionem. »

10. Missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem. — Ex his fuit Germanicus Martyr, qui feris et bestiis objectus, imo ultro objecit seipsum ; Pionius, qui clavis confixus est ; Polycarpus, qui igni traditus ; et alii plures, de quibus Ecclesia Smyrnensis circularem scripsit epistolam lectu dignissimam, quæ exstat apud Eusebium, lib. IV *Histor.*, cap. XV, in qua describentes constantiam Martyrum in perferendis doloribus, inter alia dicunt : « Stupebant circumstantes flagris eos ad intimas usque venas et arterias dilaceratos, ita ut secretiora illa corporum penetralia, viscera et membra patefacta viserentur ; deinde et conchas marinas et acutos quosdam obeliscos Martyribus substratos, et omne genus suppliciorum et tormentorum illatum, ac tandem eos bestiis ad devorandum traditos cernentes. »

Ut tentemini, — id est, variis ærumnis et cruciatibus probemini. Vere S. Gregorius, hom. 9 *in Ezech.* : « Abel, ait, fieri non valet, quem Cain malitia non exercet. » Et S. Augustinus, in *Psal.* LIV : « Non putetis, ait, gratis malos esse in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum : omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur ; aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. »

Et habebitis tribulationem diebus decem. — « Decem, » id est, omnibus diebus vitæ. « Neque enim gaudii locus est, ubi vita hominis tota est tentatio : » ita Primasius, Beda et Rupertus. Denarius enim in Decalogo et alibi significat universitatem, capiturque pro omnibus.

*Secundo*, Andreas Cæsariensis, Aretas et Alcazar : « Decem, » id est paucis, « diebus. » Simili enim modo decem pro paucis capitur *Numer.* XI, 19, licet alias, ob circumstantiam, decem sumatur pro multis (1).

*Tertio*, Beda, Haymo, Lyranus et Joachim putant hic significari decem persecutiones Christianorum per Romanos Imperatores excitatas, quæ numerantur a Nerone usque ad Diocletianum.

*Quarto*, Lyranus, *q. d.* « Decem diebus, » id est, perfectam habebitis tribulationem : denarius enim est symbolum perfectionis.

*Quinto*, idem Lyranus : « Decem diebus, » id est, inquit, decem annis.

*Sexto*, S. Ambrosius : « Decem diebus, » quia, inquit, licet ista tribulatio pluribus diebus et mensibus duret, decem tamen diebus erit atrocissima.

*Septimo* et optime, Pererius et Ribera : « Decem, » id est multis, « diebus. » Sic Job ait cap. XIX, vers. 3 : « En decies, » id est sæpe, « confunditis me. » *Numer.* XIV, 22 : « Tentaverunt me jam per decem, id est per multas, « vices. » I *Reg.* cap. I, vers. VIII : « Numquid non ego melior tibi sum, quam decem, » id est multi, « filii ? » et passim alibi.

Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. — Æterna felicitas dicitur corona. *Primo*, quia datur certantibus et vincentibus. Alludit enim ad pugiles, athletas aliosque luctantes in stadio vel agone, v. g. Olympico, ut dixi I *Cor.* cap. IX, vers. 25. Ita Augustinus, lib. I *De Agone Christiano*. In cujus rei typum voluit Deus Hebræos armatos per acies et turmas in terram promissam procedere. Unde *Cantic.* VII, hæc Ecclesiæ et fidelium corona et gloria assimilatur palmæ. « Statura, inquit, tua assimilata est palmæ ; » idque ob tres causas, ait ibidem Beda. *Primo*, quia palma quo magis premitur, eo magis assurgit : ita et athleta Christi. *Secundo*, quia palma inferius aspera est, superius pulchra, et fructibus suavis : ita et pugil Christi. *Tertio*, quia palma manus victricis ornamentum est.

*Secundo*, quia corona rotunda significat perfectionem et complexum bonorum omnium et gaudiorum, principio et fine carentem instar circuli et coronæ.

*Tertio*, quia pretiosissima est instar corona

(1) Ita Bossuetius et Rosenmullerus, qui ait : Est consolatio ex brevitate temporis.

gemmis exornatæ, juxta illud *Psalm.* xx : « Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. » Hujus coronæ duodecim gemmas e sacris Litteris recenset Viegas *Comment. secundo*. Pulchra de hac corona dixi *Isaiæ* cap. LXI, vers. 10, et cap. LXII, vers. 3.

Porro vocatur corona *vitæ*, ut significetur Sanctos, qui pro Christo vitam posuerunt, et occisi sunt, non amisisse vitam, sed eam in meliorem commutasse; aptissime enim respondet morti pro Christo toleratæ, veræ vitæ præmium : ita Richardus Victorinus et Abbas Joachim, cujus hæc sunt verba : « Corona vitæ promittitur, quia ii qui donant vitam Deo, cum triumpho pretiosæ mortis perveniunt ad veram vitam; quoniam ut eam servare possent in regno, eam in exilio perdiderunt, juxta illud *Joannis* XII : Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. »

*Secundo*, « vitæ, » quia gloria eorum et gaudium semper vivet, ipsique semper vigebunt, et florebunt in æternum, nunquam senescent, nunquam deficient, nunquam fatigabuntur. Unde hæc vita et gloria a S. Petro, *epistola* I, cap. VI, vocatur « immarcescibilis; » et a S. Paulo, I *Cor.* IX, 25, « incorrupta. »

*Tertio*, quia vita includit delicias, gloriam, sapientiam et omne bonum : hoc enim ex hac vita promanat. Hanc ergo coronam vitalem immensam et æternam suorum oculis objicit Christus, ut jugiter in eam intuentes generose et constanter superent quævis acerba et adversa, atque in ejus amore fideles maneant usque ad mortem et crucem. Inter alios hac in re illustris fuit S. Agatha virgo et martyr, quæ miris modis tentata, coronæ avida, fidelis mansit Christo sponso suo usque ad mortem. Erat ipsa nobilissima, ditissima, honestissima et pulcherrima, ita ut Præses Quintianus ejus amore captus non tam judicem ageret, quam amasium; sed frustra. Quocirca tradidit eam Aphrodisiæ, ut eam suis lenociniis flecteret : cumque illa quasi Siren nocte et die Agathæ voluptates et delicias occineret, Sancta quasi surda mentem totam in Christo defigebat. At cum illa finem sollicitandi non faceret, respondit tandem Agatha : « Tuas voces tuamque linguam, non ut tuam, sed ut cacodæmonis, qui hæc tibi suggerit, organum et linguam accipio. Sed scito te tempus et operam perdere, ac surdo canere. Ego enim ita defixa et firmata sum in amore Domini mei Jesu Christi, tamque constans in voto virginitatis quod ei nuncupavi, ut per ipsius gratiam plane confidam, quod prius sol perdet suos radios, ignis calorem, nix candorem, quam ego mutem meam voluntatem et propositum. Præparet Quintianus leones, succendat rogum, distendat equuleos, aperiat portas inferorum, si potest, omnemque dæmonum vim et tormenta contra me concitet, libens et læta omnia excipiam, ut moriar Christiana et virgo. Nullam Quintiani violentiam timeo, quia scio me Deo, cui corpus et animam consecravi, cordi esse et curæ. » Quocirca Aphrodisia renuntians dicta gestaque Præsidi : « Facilius, ait, est lapides mollire, aut ferrum in plumbum convertere, quam Agathæ mentem a Christi amore et castitate dimovere. Ego enim et filiæ meæ ipsos triginta dies, noctu diuque assidue ejus animum pulsavimus, nunc blandiendo, nunc minando, nunc terrendo, nunc promittendo; sed illa immobilis manet ut adamas. Omnia enim quæ sub cœlo sunt, propter Christum, non pluris facit quam pulverem terræ quem pedibus calcat, imo perdia et pernox non aliud cogitat, non aliud somniat, quam ut moriatur pro Christo. » Quintianus ergo Agatham accersens, omnes adhibuit artes, omnes machinas, ut eam flecteret. Cui Sancta : « Ego extra Christum nec vitam, nec salutem, nec quid aliud opto aut desidero. Non est quod speres, o Quintiane, me tua sævitia percellere. Scio enim non esse cervam, quantumvis anhelam et sitibundam, quæ ita desiderat aquam limpidam, uti ego desidero et sitio tua tormenta, ut per ea Christo uniar eumque amplectar. Ergo stringere si lubet in me ferrum, ecce collum meum; si flagella, ecce humeros; si ignem, en totum meum corpus, excrucia uti mavis. Ure, seca, liga, stringe, diffringe, lacera, transfige, macta : quanto in me crudelius sævies, tanto majus in me beneficium conferes, tanto gratior et gloriosior ero dulci meo sponso. Quid tardas? quid moraris? Expedi flagra, gladios, cruces, catastas, ignes, leones. Sitienti animo omnis hora nimis longa est mora. » Dixit et præstitit. Nam mamillæ torturam et præcisionem, testas, ignes, ardentes laminas aliaque dira tormenta generose quasi ludibunda sustinuit, moriensque martyr in cœlum evolavit. Tanti dux femina facti.

Simili modo Christus hanc coronam vitæ proposuit S. Vitali Martyri, de quo S. Ambrosius, qui ejus et S. Agricolæ reliquias Bononiæ invenit, ita scribit *epist.* 55 : « S. Vitalis (ita dictus, quasi per istius vitæ contemptum, aliam vitam quæ æterna est, sibi compararet) cum a persecutoribus ut Christum negaret, impeteretur, et ille constantius confiteretur, adeo omni tormentorum genere cruciatus est, ut nullus in corpore ejus sine vulnere esset locus. Quare hanc ad Dominum orationem effudit, dicens : Domine Jesu Christe, salvator meus et Deus meus, jube suscipi spiritum meum, quia jam desidero accipere coronam, quam sanctus angelus tuus mihi ostendit. Et, completa oratione, emisit spiritum. »

11. QUI VICERIT, NON LÆDETUR A MORTE SECUNDA, — id est, a peccato, quod animam separat a sua vita, id est, a gratia Dei : ita Rupertus et Albertus Magnus. Secundo et genuine, mors prima est, qua corpus in hac vita moritur, de qua paulo ante dixi : « Esto fidelis usque ad mortem. » Mors secunda est, qua anima et corpus semper moriuntur in inferno, ubi sunt dolores majores,



quam in morte corporali; et tamen nunquam sunt mortua. Id ita esse patet ex cap. XX et XXI, ubi dicitur : « Pars illorum erit in stagno ardenti, igne et sulphure, quod est mors secunda. » Ita Victorinus, Andreas, Beda, Lyranus et Haymo, qui tamen mortem primam putat vocari non mortem corporis, sed animæ per peccatum. Idem ergo hic dicit Christus, quod *Matth.* X, 28 : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. » Mors ergo prima est corporis, mors secunda est gehennæ (1). Hinc mortis stimulus est efficax ad certamen et victoriam; unde eo usus est Xenophon, dum Græcos, ut contra Persas fortiter dimicarent, incitaret : « Qui suos, inquit, videre cupit, strenuum se præbeat; qui vivendi cupiditate tenetur, is vincere contendat : victori enim hostium cædes et spolia, victo mors est proposita. » Ita refert ipse lib. III *De Expeditionibus*.

ET ANGELO PERGAMI SCRIBE. — Pergamus, vel pergamum, clarissima fuit urbs Asiæ vel Troadis, quam Silenus fluvius interméat, a qua Claudius Galenus medicorum princeps ortum duxit. Hæc eadem urbs Troja vocatur. Unde Virgilius, lib. II *Æneid.* : « Trojam incensam, et prolapsa videntem Pergama. » Mortuus est Pergami P. Scipio, vir nobilissimus, teste Cicerone, orat. *pro Flacco*. Inde Lavinia Pergama in Italia, de quibus Silius, lib. XIII.

> Jam Phryx condebat Lavinia Pergama victor,
> Armaque Laurenti figebat Troica luco.

Sic vocat Lavinium oppidum in Latio ab Ænea conditum.

Pergami rex fuit Attalus, qui a populo Romano donatus eo regno, cum liberos non haberet, populum Romanum hæredem fecit. Membranæ quoque repertæ sunt Pergami, ait Varro, quæ inde dictæ sunt Pergamenæ, quibus olim pro papyro et charta utebantur.

Est hæc tertia Christi epistola ad Episcopum Pergamenum, et sub ejus persona ad fideles alioqui laudabiles, sed in eo reprehensibiles, quod spiritualem pugnam reformident, ait Alcazar.

Quæres : Quis fuit Angelus, id est Episcopus, Pergami? Respondent Aureolus et Lyranus fuisse S. Carpum. Hunc enim constat fuisse Episcopum, et Pergami martyrio coronatum sub Antonio imperatore, ut patet ex Eusebio, lib. IV *Histor.*, XV. Verum Eusebius ibi tantum asserit Carpum occisum Pergami, non autem ibidem fuisse Episcopum. Rursum Martyrologium Roman. 13 aprilis, S. Carpum Martyrem vocat Episcopum Thyatiræ, non Pergami. Ergo quis fuerit hic Episcopus non liquet. Ita Pererius, Alcazar et alii.

HÆC DICIT QUI HABET RHOMPHÆAM, — id est gladium, de quo dixi cap. I, vers. 16. Hoc symbolo significat, *primo*, timendum esse, non Cæsarem persecutorem, sed Christum, qui animam et corpus sua rhomphæa dissecare et perdere potest. *Secundo*, Episcopum imitare debere Christum, ut animose et audacter rhomphæam verbi Dei contra Nicolaitas, vers. 15, aliosque hæreticos vibret, illisque bellum acre inferat : ita Joachim, Alcazar et alii (2).

Notat Pannonius in hoc gladio Christi respici et alludi ad angelum, qui evaginato gladio contra Balaam stetit, eumque voluit occidere, *Num.* XXII, 23; unde subdit : « Habes tenentes doctrinam Balaam. »

13. SCIO UBI HABITAS, UBI SEDES (græce θρόνος) EST SATANÆ. — Ubi scilicet Satanas partim per gentes, partim per Nicolaitas dominatur. » Pergamus, inquit Aretas, idololatriæ dedita erat supra cæteram Asiam (3). » Unde in ea magna fuit persecutio Christianorum, ut patet ex martyrio Antipæ, de quo sequitur, et ex Eusebio loco citato. Atque hæc fuit causa timoris et pusillanimitatis Episcopi Pergamensis, ut Nicolaitis se opponere non auderet, de qua reprehenditur a Christo vers. 15.

ET IN DIEBUS ILLIS (fuit et claruit) ANTIPAS TESTIS MEUS FIDELIS, QUI OCCISUS EST APUD VOS. — Laudat Episcopi Pergamensis in fide constantiam, *q. d.* Tu, o Episcope, ne hoc quidem crudeli spectaculo et martyrio Antipæ in fide et constantia nutasti; sed potius fortior et solidior evasisti.

Antipas, sæviente in Christianos Domitiano, Episcopus Pergameni, publice Christum prædicabat, dæmonesque fateri coegit, quod a se per Christi nomen invocatum fugarentur. Hinc a Præfecto urbis captus, tractusque ad Dianæ templum, et in bovem æneum multo igne candentem conjectus, laudans et gratias agens Deo quod se hoc agone et laurea martyrii dignatus esset, in cœlum Martyr evolavit sub annum Christi 93, Domitiani decimum : quando et S. Joannes captus in Asia, Romamque ductus, in fervens oleum demissus, cum salvus et illæsus evasisset, in exilium relegatus est : ita Aretas, Metaphrastes, Baronius et Pererius. Vide martyrium Antipæ apud Surium, die 11 aprilis. Porro bos æneus in quo crematus fuit Antipas, Pergamo translatus est Constantinopolim, et collocatus in templo Apostolorum, ait ex Cedreno Baronius, anno Christi 330.

14. HABES ILLIC TENENTES DOCTRINAM BALAAM. — Nota : Balaam ariolus vocatus a Balac, rege Moab,

(1) *Mortis secundæ* mentio sæpe fit apud Chaldæum Paraphrasten et Rabbinos. *Targum Hierosol.* in *Deut.* XXXIII, 6 : « Vivat Ruben in hoc sæculo, et non moriatur *morte secunda*, qua moriuntur impii in mundo futuro. » Multa loca alia similia collegit Wetstenius.

(2) *Tertio* et potius, describitur hic Christus tanquam is, qui omnium, etiam intimorum in homine exactissimam facit dissectionem, et omnia rimatur.

(3) Regnavit ibi Satanas imprimis in idolo Æsculapii. Tacitus, *Annal.* III, 63 : « Apud Pergamum Æsculapii compertum asylum. »

et malediceret Hebræis ex Ægypto tendentibus in Chanaan per finem Moabitidis, cum Deo prohibente id facere non posset, quin potius eis benedicere cogeretur, suggessit Balac regi, ut ad castra Hebræorum submitteret speciosas puellas Moabitides, quæ eos ad fornicandum invitarent, eo pretio et conditione, ut Hebræi prius ederent idolothyta, id est carnes idolis immolatas, atque Camos aliaque eorum idola venerarentur. Id fecit Balaam eo consilio, ut Hebræos a Deo ad libidinem et ad idola averteret; itaque Hebræi vicissim a Deo suo offenso et irato derelicti a se maledici, et a Balac vinci possent. Indeque fuit illa clades Hebræorum colentium Beelphegor, *Num.* xxv, 3. Vide ibi dicta. Porro Balaam hoc consilium dedisse, clare liquet ex *Num.* xxxi, 16. Ergo Nicolaitas comparat Balaamo, quia instar illius docebant licere indulgere ventri et veneri, edere laute quidvis, etiamsi esset idolothytum, vetitum lege Apostolica, *Actor.* xv, ut gula hæc esset fomentum luxuriæ: convivia ergo hæc ad luxuriam comparata erant quasi idolothyta eorum « quorum Deus venter erat: » ita Alcazar. Nam alioqui in historiis non legimus, quod Nicolaitæ diserte docuerint licere idolothytis vesci.

Symbolice et tropologice, B. Petrus Damianus hæresin Nicolaitarum ait esse concubinatum sacerdotum, contra quem suo sæculo, id est anno Domini 980, grassantem ipse acerrime decertavit. Audi eum epist. 6 *ad Nicolaum* II Romanum Pontificem: « Non expavescis, o infelix Episcope (concubinarium, alloquitur per apostrophen, non Nicolaum Pontificem castum), quia dum in luxuriæ voraginem corruis, Nicolaitarum hæresin incurristi? Nicolaus quippe, unus ex his quos Petrus Apostolus Diaconos consecraverat, dogmatizabat clericos cujuslibet ordinis nuptialibus fœderandos esse conjugiis. Quod ergo ille docebat verbis, ad hoc tu in cathedra pestilentiæ sedens, multo deterius invitas exemplis. De quo videlicet scelere, Angelo Ephesinæ Ecclesiæ divina vox ait: Odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. » Hinc eo sæculo hic sacerdotum concubinatus vocatus est hæresis Nicolaitarum.

16. Similiter (ac Ephesino Episcopo edixi et præscripsi pœnitentiam vers. 5: ita Ambrosius et Primasius. Quare perperam quidam putant hic esse mendum, ac in Græco pro ὃ μισῶ, id est *quod odi*, irrepsisse ὁμοίως, id est *similiter*) pœnitentiam age, — timorem depelle, animos sume, et audacter contra Nicolaitas decerta, eosque pro viribus extirpa.

Si quo minus (id est, sin minus, alioqui), veniam tibi cito, — te castigando et illos. Rursum « cito, » quia omnis potentatus et prælatura est vita brevis. Id videmus Romæ in Cardinalibus et Summis Pontificibus. B. Petrus Damianus rogatus ab Alexandro II Pontifice, cur nemo Pontificum attigerit annos S. Petri, imo plerique vix quatuor aut quinque annis Ecclesiæ præsideant? Respondet *epist.* 17 ad eumdem: « Idcirco hoc cœlestis judicii ordo disponit, ut humano generi metum mortis incutiat; et quam despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu evidenter ostendat: quatenus dum præcipuus hominum tam angusti temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiam provocetur; et arbor humani generis, dum cacumen et verticem suum tam facile corruisse considerat, flatu concussa formidinis, in suis undique ramusculis contremiscat. » Nam Papa est quasi sol mundi, cujus eclipsim omnes dum vident, percelluntur.

Et pugnabo cum illis in gladio oris mei, — jussu scilicet, sententia et decreto efficacis ultionis, *q. d.* Feram in illos sententiam mortis, eamque re ipsa per angelos aliosque administros meos eis inferam, eosque trucidabo et occidam morte tam præsenti, quam æterna.

Aliter Alcazar: ipse enim per hunc gladium accipit verbum Dei, quod per infimam plebem Deus prædicans Nicolaitis, eos erat conversurus. Accusaverat, inquit ipse, Christus Episcopum de ignavia, quod armatus gladio verbi Dei, cum Nicolaitis tamen confligere non auderet: ad quod nulla valuit opportunior addi comminatio et supplicium, quam futurum esse ut ex infima plebe Deus aliquos suscitaret, qui cum Nicolaitis confligerent, eos vincerent, ac veritati subjugarent: quasi expeditionem hanc et coronam Deus ad alios transferat, et Episcopum pudore suffusum et confusum derelinquat. Hic enim pudor ei ingens futura erat pœna. Et hoc est quod cap. iii, vers. 11, dicitur Episcopo Philadelphensi: « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. » Verum hæc explicatio partim aliena, partim mystica videtur.

17. Vincenti, — tum facta Nicolaitarum, fœdasque carnis voluptates, tum potius suam pusillanimitatem, quam ego Christus in te, o Episcope Pergami, coargui. Nam in hisce Christi epistolis vincens vocatur Episcopus, qui, id quod Christus in iis ei jubet, opere præstat, ac in ea re tam seipsum, quam difficultates in re ipsa occurrentes generose superat et transcendit: ita Alcazar.

Hujus pii pro castitate certaminis et victoriæ nobile dedit exemplum nomine et re Victoria virgo et martyr, cujus fortem agonem et gloriosum triumphum ita paucis complectitur Ado, Episcopus Trevirensis, in *Martyrol.* 23 decembris: « Romæ natalis sanctæ Victoriæ virginis et martyris, in persecutione Decii Cæsaris. Hæc desponsata Eugenio viro pagano, rogante Tito Aurelio, qui sponsam Anatoliam virginem habebat, ad suadendam eam, ut ei nuberet, porrexit; cui et dixit: Audi me, domina soror Anatolia; et ego Christiana sum, et novi quia Deus nuptias non condemnat. Prophetæ et Patriarchæ conjuges habuerunt, et posteritas eorum a Deo benedicta est.



Nunc ergo audi me, et accipe virum, qui te non prodat, quod sis Christiana; sed per maritalem copulam fiat, ut ipse Christianis consentiat. Hæc dicenti Victoriæ virgo Anatolia respondit: O Victoria, vince diabolum, et esto vera Victoria. Tunc quando tota terra vacua erat, dixit Deus hominibus: Crescite et multiplicamini, et replete terram. Nunc plena terra, postquam Filius Dei de cœlo descendit, quotidie clamat: Crescite in fide, multiplicamini in charitate, et replete cœlos; quia appropinquavit regnum cœlorum. Iterum inter alia et post alia, S. Anatolia intulit: Ego, die qua explicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Christi, vidi per visum juvenem aureo diademate splendidum, in vestibus purpureis atque gemmatis, qui grata facie et læto vultu me inspiciens, ait: O virginitas, quæ non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris? Hæc ego audiens, evigilavi et cœpi flere; et projiciens me in pavimento, rogavi Dominum, ut is, qui mihi loquebatur dulcissimos sermones, iterum prosequeretur. Sic mihi oranti et prostratæ, idem qui ante loquebatur, talia mihi subsequitur: Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis fit eminentior. Virginitas gemma est pretiosa. Virginitas thesaurus est regis immensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu evigilans sollicite custodi, quantumque te plus habere cognoscis, instantius custodi, ne perdas. His et similibus verbis et factis incitata Victoria, omne pretium ornamentorum suorum et ipsa distraxit pauperibus. » Addit inde Martyr: « Sicque factum est ut, agentibus sponsis earum Aurelio et Eugenio, quia nubere illis virgines Christi noluerunt, a Decio imperatore urbe Roma pulsæ, ad prædia sponsorum ducerentur. Ubi fame et inedia ita afflictæ sunt, ut vix ad vesperum medius panis cibarius eis daretur: nulloque pacto efficere sponsi potuerunt, ut vel ad nubendum, vel ad sacrificandum animi illarum inclinarentur. Beata igitur Victoria in virginitatis proposito invincibiliter persistens, post multa facta miracula, inter quæ plurimas virgines Domino aggregaverat, percussa est gladio in corde a carnifice Taliarcho, quem rogatu Eugenii sponsi sui Julianus, pontifex Capitolii et comes templorum, ad hoc opus direxerat. Passa est autem decimo Calendas januarii. Corpus ejus cum omni reverentia curatum. Taliarchus vero percussor ejus, leprosus factus, intra sex dies consumptus a vermibus, expiravit. »

Quocirca S. Victoriam merito ita celebrat poeta Christianus:

> De geminis geminas retulit Victoria palmas
> Hostibus: hunc pudor, hunc vicit aperta fides.

Maluit enim mori quam nubere vel sacrificare. Idem Victoriæ certamen carmine descripsit S. Althelmus Episcopus, lib. II *De Virginitate.*

Dabo manna absconditum. — Hoc manna notat ingentem suavitatem et delicias; sed quam et quas?

*Primo*, manna hoc est Eucharistia, ait Ticonius, Beda, Rupertus, Aretas: manna enim ob saporem aliasque causas quas recensui *Exodi* cap. xvi, et hic recenset Viegas, *sect.* 4, typus fuit Eucharistiæ, in qua Christus est absconditus. Notant Beda et Rupertus illud « vincenti, » scilicet gulam et libidines, referendum esse ad castitatem et puritatem mentis et corporis, cui adversabantur Nicolaitæ: hanc enim necessariam esse dispositionem ad sacram communionem.

*Secundo*, Richardus de S. Victore censet manna hoc esse arcana divinitatis et æternam felicitatem. Hæc enim, inquit Pererius, notatur per tria optatissima bona; manna enim denotat inenarrabilem felicitatis dulcedinem: calculus, ejusdem opes et pretium: nomen, famæ et gloriæ claritatem.

*Tertio*, Primasius et Ambrosius accipiunt Christum, qui fuit absconditus, primo in lege, secundo in carne, tertio in Eucharistia. Hinc dicitur *Isaiæ* xlv, 15: « Vere tu es Deus absconditus. »

*Quarto*, S. Bernardus, lib. *De Convers. ad Cleric.*, cap xxi: Manna hoc, ait, est dulcedo, quæ in rerum cœlestium contemplatione percipitur. « Suavitas, inquit, Domini est: nisi gustaveris, non videbis: gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Manna absconditum est; nomen novum est, quod nemo sit nisi qui accipit: non illud eruditio, sed unctio docet; nec scientia, sed conscientia comprehendit. »

*Quinto* et optime, manna hoc sunt consolationes spirituales, quæ quasi congrua merces a Deo datur vincenti tum delicias, tentationes et concupiscentias carnales, tum suum metum et pusillanimitatem, qualis erat hæc Episcopi Pergameni. Hunc enim apposite excitat, proponendo ei in bello, quod contra Nicolaitas ex Christi jussu ei suscipiendum erat, non fore illum horrorem, et eas difficultates tam amaras, quas ipse apprehendebat et reformidabat: eo quod Deus illi non tantum adesset, sed et tantam animi serenitatem, tantam consolationem et gaudiorum spiritualium copiam infunderet, ut in mediis etiam hostibus et periculis exultaret: quales jam experiuntur viri Apostolici, qui inter Indos, Hollandos et Anglos versantur, præsertim dum celebrant et S. Eucharistiam sumunt. Hoc enim vere et proprie est manna absconditum, quod exterius non videtur, sed interius in anima fidelis Deoque devoti sentitur et gustatur. Unde S. Paulus ait *Coloss.* iii, 3: « Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. » Porro hæ consolationes vocantur manna, quia miræ sunt et ingentes, ut qui eas recipiunt, mirentur et stupeant, dicantque *man hu*, quid est hoc? « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! » *Psalm.* xxx, 20. Est enim hæc consolatio prægustus quidam æternæ beatitudinis, in qua perfectissimum erit hoc manna (1).

(1) Vocat autem hoc manna κεκρυμμένον, *absconditum*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nota : Qui cupiunt hoc manna, debent suas concupiscentias, æque ac metus et passiones vincere; vincenti enim promittitur. Unde solet secuturæ consolationis tentatio præcedens esse signum. Nam tentatione probatis cœlestis promittitur, et promissa datur consolatio. Experientia constat neminem vincere heroice aliquam tentationem, infirmitatem, pusillanimitatem, contemptum, quin mox sentiat miram animi voluptatem et gaudium, quod longe tristitiam adversam, æque ac delicias concupiscentiæ superat. Experiatur quisque in se, et sentiet ita esse. Ita S. Bernardus, procemio in psalm. *Qui habitat*, recensens Religiosorum suorum mortificationes, jejunia, vigilias, labores, sudores, tentationes, subdit : « Quod igitur remedium? ut retineatur labor, et tamen hic labor dulcescat divina dulcedine. Quoniam si abundat tribulatio vestra pro eo, abundabit consolatio vestra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in his renuit consolari. Apud ipsum namque ipsa quoque tribulatio magna quædam consolatio poterit inveniri. Nonne enim certum est, supra vires humanas, ultra naturam, contra consuetudinem esse quæ sustinetis? Alius igitur portat ista : ille sine dubio, qui secundum Apostolum portat omnia verbo virtutis suæ. » Et *ad Clericos*, cap. XXX. « Non sunt, ait, condignæ passiones hujus temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur : non ad præsentem consolationem, quæ immittitur : non ad futuram gloriam, quæ promittitur. Denique nulla tanta est amaritudo, quam non prophetica farina dulcoret, quam non sapidam reddat sapientia lignum vitæ. » Hoc manna sapiebat regius Psaltes, cum regni opes et delicias transcendens, Deoque inhærens, Vincenti psalmos suos inscribens, caneret *Psalm.* XXXIV : « Anima mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo; omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi? » Et *Psalm.* XXXV : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Et *Psal.* LXXXIII : « Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Et S. Paulus dicens : « Gloriamur in tribulationibus; si Deus pro nobis, quis contra nos? quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, etc. Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. *Rom.* cap. VIII. Et S. Jacobus cap. I, vers. 2 : « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. »

Vis Confessores? Abbas Joannes apud Cassianum, *Collat.* XIX, IV, mundana omnia vincens, et in cœlum mente conscendens, tanta perfundi solebat interiori dulcedine, ut ne id quidem recordaretur, an pridie comedisset.

S. Ephrem delectationes omnes terrenas fastidiens tanta gestiebat lætitia, ut ejus præcordia rumpi viderentur. Quocirca exclamabat : « Recede a me, Domine, parumper, quoniam vasis hujus infirmitas ferre non potest. »

S. Bernardus, gulæ et illecebrarum omnium victor, ita cœlestibus gaudiis absorbebatur, ut toto die lacui obequitans, nunquam eum viderit; et toto anno una in cella degens, adhuc ignoraret an illa cella testudinem haberet.

Noster S. Pater Ignatius ita dulcium lacrymarum affluebat copia, ut pene oculos perderet : et sane perdidisset, nisi medicorum monitu, et suorum impulsu a Deo impetrasset potestatem eas pro arbitrio vel laxandi, vel restringendi.

S. Xaverius in cœlum defixus, ita consolationibus divinis perfundebatur, ut exclamaret : « Satis est, Domine, satis est. » In Japone pedes iter faciens, ita in Deum absorbebatur, ut sæpe de via deflectens, in vepres, dumeta et saxa impingeret, nec adverteret : quocirca semper ei plantæ et tibiæ sanguine fluebant, cum tamen ille ne sentiret quidem.

S. Catharina Senensis, sensibilium omnium victrix : « Tantum, ait, gaudium obtinet mentem meam, ut valde admirer posse durare animam in corpore; » addebatque : « Tantum ardorem sentio in anima mea, ut ignis materialis mihi frigere videatur, potius quam urere. Ex hoc autem ardore existit in anima mea quædam renovatio puritatis et humilitatis, ita ut videar mihi redisse ad ætatem quatuor vel quinque annorum; tantus quoque inde in me accenditur amor fraternus, ut non solum libenter, sed et hilariter pro quocumque proximo velim mortem oppetere. » Inde a Deo donum accepit apathiæ et constantiæ, ut quidquid illi accideret, illa prorsus immota permaneret.

Vis Martyres? S. Adelphardus ab imperatore Ludovico, eo quod eum liberius de peccatis arguisset, in exilium relegatus, ita gaudebat, sibique gratulabatur, ut exilium reputaret paradisum, diceretque se ibidem pristinam in Christo libertatem recipere. Ita habet ejus Vita, quam scripsit Paschasius Ratbertus, Abbas Corbeiensis.

S. Tiburtius Martyr super prunas candentes nudis pedibus incedens : « Mihi, ait, hæ prunæ rosæ videntur; nam creatura Creatoris famulatur imperio. »

S. Clemens Ancyranus Episcopus et Martyr, arduum et longum, continuumque per viginti annos obiit martyrium, ea constantia et lætitia, ut a Præside et tyranno beneficium ingens accipere se diceret, æque ac honorem, eo quod per ejus sævitiam consors fieret passionis Christi, æque ac coronæ SS. Martyrum.

Theodorus Martyr sub Maximiano dirissime excarnificatus, eo quod idolorum templum incendisset, dum costæ nudarentur, ita exultabat, ut caneret : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, » uti legimus in officio Ecclesiæ, 9 novembris.

S. Andreas ad crucem ductus, eam eminus videns, ex interno mentis jubilo ita eam salutavit : « O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. » S. Sisinnius Diaconus, a Maximiano damnatus ad lapides et arenam comportanda in fabrica thermarum Diocletiani, in longo hoc duroque martyrio ita animo gestiebat, ut non tantum suum pondus et pensum, sed et Saturnini senis imbecillis in suos humeros continue susciperet, atque interim assidue hymnos et laudes caneret Deo. Quare fremens Maximianus, eum cum Saturnino in equuleo distentum flagris dirissime laniari, atque faculis aduri præcepit; sed in his tormentis utriusque non alia erat vox, quam : « Gloria tibi, Christe, qui nos tuæ passionis participes facere dignaris. » Ita habet Vita S. Saturnini, 29 novembris.

ET DABO ILLI CALCULUM CANDIDUM (Arabicus, *certum*, verum, absolutum, in quo non est falsitas vel obscuritas), ET IN CALCULO NOMEN NOVUM SCRIPTUM, QUOD NEMO SCIT, NISI QUI ACCIPIT. — *Primo*, Victorinus : Calculus candidus, ait, est gemma alba, puta adoptio hominis in filium Dei, in quo scriptum est nomen novum, id est nomen Christiani.

*Secundo*, Beda : Calculus candidus, ait, est corpus in baptismo candidatum, postea vero resurrectionis gloria refulgens. Nomen novum est nomen Filii Dei.

*Tertio*, Aretas : Calculus candidus est claritas nominis.

*Quarto*, Haymo et S. Hieronymus, epistol. 143 *ad Damasum*, quæ incipit *Septuaginta* : Calculus candidus, inquiunt, vocatur carbunculus, eo quod in tenebris quasi carbo ignitus fulgeat : hic est Verbum caro factum, sive ipse Christus. Verum carbunculus proprie græce dicitur ἄνθραξ, hic autem est ψῆφος.

*Quinto*, Ambrosius : Calculus, ait, qui lapis est parvus, et a calcando dictus, est Evangelium Christi in quo scriptum est nomen ejus, scilicet illud a quo orsus est Joannes, dicens : « In principio erat Verbum. » Calculus ergo candidus est Christi doctrina pura et candida.

*Sexto*, Rupertus et Hugo : Calculus candidus, inquiunt, erit gloria corporum in cœlo. Per duritiem calculi, ait Cardinalis Hugo, significatur dos impassibilitatis, per candorem claritas, per nomen novum plena obedientia et subjectio corporis ad animam, quæ modo non est, ex qua nascetur agilitas et subtilitas. Rursum, nomen novum, ait Hugo, erit *Jesuani*, sive *Jesuitæ* id est salvati, quo omnes in cœlo vocabuntur.

*Septimo*, Ansbertus : Calculus hic est charitas quæ candorem habet, quia vestis est; et ignem, quia amor est.

*Octavo*, Hugo rursum : Calculus candidus est Christus in Eucharistia, de quo multa Viegas hic, *sect.* 6.

*Nono*, Pererius : « Calculus, ait, candidus incomparabilem divitiarum, id est rerum pretiosarum copiam denotat. »

*Decimo*, Alcazar per calculum candidum accipit gradum perfectissimum, ac summi apud Deum pretii, ad quem perventurus sit Episcopus Pergami, si pro Evangelio acriter cum hostibus dimicaverit. Gradus hic est altissima Christi imitatio, et maxima apud eum gratia, qua facile possit quamlibet superare difficultatem, dicens cum S. Paulo : « Omnia possum in eo qui me confortat. » Christus enim pro Dei gloria totum se devovit, ac pro ea usque ad mortem contra omnes ejus hostes decertavit; qui in eo Christum imitatur, ille in alto virtutum heroicarum et Christianarum culmine consistit, ac donatur a Christo pretioso imitationis suæ calculo, id est carbunculo, quo summe dives ac lætus, omnique metu depulso animosus et gloriosus, quasi Seraphinus remanebit. Putat enim Alcazar alludi hic ad visionem Seraphim *Isaiæ* VI, atque calculum, tam hic Episcopo Pergami promissum, quam illum Isaiæ labris admotum, fuisse carbunculum, qui utrumque inflammaret amore Dei, et quasi Seraphinum efficeret. Jam, quia hæc gemma, inquit, datur Christi imitatori, ut Christi virtute potens et fortis reddatur ad omnia per Christi imitationem, hinc consequenter nomen novum in ea scriptum, est nomen JESU, quo appellandus est is cui hæc gemma tribuitur; quo significat, eum Christi JESU virtute ac nomine posse egregia quæque facinora aggredi et perficere, ut ea præstet regis annulo ac sigillo, qui regi sit valde charus, et multum apud eum gratia valeat, et cui rex jubeat regia auctoritate ad ea quæ velit uti; unde addit : « Quod nemo scit, nisi qui accipit. » Multi enim de Christi imitatione speculative multa et magna loquuntur; sed nemo ejus vim sentit et experitur, nisi qui gemmam hanc accipit, quæ omnes inflammat, locupletat et omnipotentes reddit. Ita Alcazar pie et erudite, nisi quod calculum hunc in carbunculum, imo in adamantem transformet. Censet enim ipse, *notat.* 6, quosdam carbunculos esse candidos et adamantinos, scilicet in quibus liquidissimus quidam ignis apparet, ignis, inquam, non in rubro colore, sed in candido et liquido. Certe hi non sunt ψῆφοι, id est calculi; calculus enim proprie dicitur lapis brevis, terræ admixtus : sic dictus, quod sine molestia sui brevitate calcetur, ait Servius in illud Virgilii, *Georgic.* II :

Judæi enim statuunt arcam cum urna, quæ manna continebat, imminente urbis expugnatione per Nabuchodonosor, absconditam, et tempore demum Messiæ reperiendam esse, *Tanchuma*. p. 83, 2. Hæc est una e tribus rebus, quas Elias Israelitis restituet, nempe urnam mannæ, vasculum olei unctionis, et vasculum aquæ. Huc alludit epitheton *absconditum*. Ita Allioli.

Tenuis uti argilla, et dumosis calculus ar-



007597

Sine de ludo scachorum, sive latrunculorum, Ovidius, lib. *ad Pisonem* :

> Callidiore modo tabula variatur aperta
> Calculus, et vitreo peraguntur milite bella,
> Ut niveus nigros nunc, et niger alliget albos.

Idem alibi :

> Sive latrocinii sub imagine calculus ibit,
> Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

*Undecimo* et optime, calculus candidus est sententia felicitatis, quam Christus proferet in vincentes, ipsaque æterna felicitas, qua Deus vincentes donabit. Calculus enim candidus veteribus symbolum erat, *primo*, rei festæ et felicitatis. Unde dicitur dies felix, « niveo signanda lapillo. » *Secundo*, absolutionis in judicio, sicuti calculo atro notabatur condemnatio. Unde Ovidius, lib. XV *Metamorph.*, sub initium :

> Mos erat antiquis niveis atrisque lapillis
> His damnare reos, illos absolvere culpa.

Et :

> Calculus immitem demittitur ater in urnam.

Et Plinius in *Panegyr. ad Trajanum* : « Quotannis, ait, diis ipsis tanquam judicibus calculum de te permittis, an dignus sis incolumitate. » *Tertio*, victoriæ, inquit Sixtus Senensis, lib. II, in voce *calculus*. Nam athletæ in agone certanti et vincenti dabatur calculus candidus, ait Aretas. Calculus enim subinde capitur pro difficultatibus, quas vincere oportet. Unde Plinius, lib. II, cap. XIX : « Omnes, ait, quos ego novi in utraque parte calculos pone : » *calculos*, id est difficultates et rationes. Unde calculos hos vincenti apte datur calculus candidus. *Quarto*, in comitiis, et ferendis suffragiis pro creatione magistratuum, cui suffragabantur, ejus nomine signatus calculus candidus dabatur. Hæc omnia conveniunt electis et Beatis ; loquitur enim Joannes recens conversis ex gentilismo. Unde alludit ad eorum calculos in ferendis suffragiis, et hos proprie significat Græcum ψῆφος. Addunt aliqui, calculis supputari debita et soluta, ideoque iis hic significari præmia meritis vincentium ex æquo respondentia. Unde Syrus et Arabicus pro *calculum*, vertunt, *computum*, vel *supputationem*. Verum τὸ *candidum* innuit hic agi de calculo judiciali, non supputatorio (1).

Porro, « nomen novum » est, ut sit et dicatur filius et hæres Dei. Hunc calculum adhuc vivens recepit S. Franciscus, cum in exstasi suæ prædestinationis revelationem accepit ; unde sibi redditus exclamavit : « Laudetur Dominus Deus meus, ipsi gloria et honor sine fine. » Quin et proximos octo dies sic transegit, ut nec de alia re loqui, nec Horas canonicas recitare posset, sed hoc solum in ore haberet, idque semper repeteret : « Laudetur Dominus. »

Denique S. Bernardus in *Declamat.*, sub finem, per « nomen novum » metonymice accipit rem novam, donum novum et inauditum. Quocirca hoc esse centuplum a Christo promissum renuntiantibus mundo, et se sequentibus, *Matth.* XIX, 29, puta esse gaudium in Spiritu Sancto et cœlestium bonorum et consolationum affluentiam, de qua *Psalm.* XXX : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! » « Hoc ergo centuplum, ait S. Bernardus, adoptio filiorum est, libertas et primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est, non utique esca vel potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto ; gaudium sane, non modo in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis quem voluit Christus vehementer accendi. Hæc virtus ex alto, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc illa pax quam suis reliquit Christus, quando dedit et suam. Siquidem donum et pax est electis Dei, pax utique præsentis, et donum futuræ. Illa superat omnem sensum, sed et huic quidquid sub sole placet, quidquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hæc gratia devotionis, et unctio docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat : quoniam nemo scit, nisi qui accipit. »

18. Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe. — Thyatira urbs est ultima Mysorum, colonia Macedonum, ad Austrum Pergami, cujus item erat jurisdictionis. Olim dicta fuit Thyatira, eo quod Mysis urbem condituris respondit Deus « ibi condendam, ubi cervus ictus et currens appareret, » διὰ τὸ θεῖν καὶ τροχάζειν τὸν ἔλαφον. Ita aliqui. Verum Strabo, lib. XIII, Plinius, lib. V, cap. IX, et alii passim, tradunt eam primitus nuncupatam a Seleuco filio Nicatoris θυγάτειρα, ob lætum nuntium natæ sibi filiæ, inde nomen Thyatiræ. Hujus civis fuit Lydia purpuraria, quam S. Paulus ad Christum convertit, *Actor.* cap. XVI, vers. 14. Thyatira ergo græce significat filiam ; quod apte competit Jezabeli illici, quæ hic arguitur. Alii Thyatiram exponunt, quasi significet odorem vel sacrificium laboris vel contritionis. Sed ex dictis patet hoc non esse ejus originale etymon.

(1) Respicitur ad eos, qui in certaminibus evaserant victores. Hi enim, quando solenni cum pompa urbem patriam ingrediebantur, simul honoris *tesseras* accipiebant, quibus jus iis datum est epuli publici ad perpetuam vitæ sustentationem. Cf. Pindarus, *Olymp.* VII, 159. Hæc tessera dicitur λευκή, quo epitheto res omnes lætiferæ, cœlestes ornantur, veluti vestes cœlicolarum *candidæ* dicuntur.

*Ὄνομα καινόν, nomen eximium et præclarum*, intelligunt plurimi nomen filiorum Dei ; alii rectius ὄνομα Θεοῦ καὶ ἀρνίου (XIV, 1), quod dicitur καινόν respectu habito ad pristinos Dei cultores, Deo quidem, non autem Agno consecratos. Titulus tesseræ inscriptus, ὁ ἅγιος τῷ Θεῷ καὶ τῷ ἀρνίῳ, significat eum qui illam teneat manu, pertinere ad cultores Dei et Jesu Christi, quibus jus convictus cœlestis merito debeatur.



Est hæc quarta Christi epistola ad Angelum, id est Episcopum, Thyatiræ, et sub ejus nomine ad fideles in Dei obsequio fervidos, sed per imprudentiam deceptos, ait Alcazar. Episcopus enim hic zelosus erat et diligens, sed per imprudentiam decipiebatur, putans se, si cum Jezabele conniveret, hac via eam ad frugem traducturum, non advertens cum quanto fidelium periculo id fieret, et quam exigua, vel nulla ejus convertendæ esset spes.

Quæres : Quis fuit hic Episcopus ? Aureolus putat fuisse S. Irenæum, qui Polycarpi discipulus, et egregius doctor et martyr, primo fuit Episcopus Thyatirensis, postea Lugdunensis. Dices : Irenæus fuit posterior S. Joanne. Respondet Aureolus Joannem scribere ad Episcopum non præsentem, sed futurum. Unde et Epiphanius, *hæres.* 51, putat, cum hæc scriberet Joannes, nullam fuisse Ecclesiam Thyatiræ, sed Joannem prævidisse eam multis post annis futuram (1). Verum Joannes, ut patet ex ejus verbis, præsentem Episcopum Thyatiræ, uti et cæteros Episcopos aliarum Ecclesiarum alloquitur. Adde : nullus veterum tradidit S. Irenæum fuisse Thyatiræ Episcopum, sed tantum Lugduni. Denique Irenæus post centum annos vixit ; Joannes enim scribit hæc anno Christi 97. Irenæus autem martyr obiit anno Christi 204. Verisimilius quis asserat hunc angelum fuisse B. Carpum ; hunc enim prædicasse Thyatiræ, ibique sub hæc tempora fuisse Episcopum, patet ex dictis vers. 12. Idemque asserit *Martyrol. Rom.* 13 aprilis, qua die illustre S. Carpi martyrium videre est apud Lipomanum et Surium. Unde etiam patet tunc fuisse Ecclesiam Thyatiræ.

Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis et pedes ejus similes aurichalco. — *Primo*, Christus habet oculos igneos, quia acutissime, inquit Richardus Victorinus, videt scelera et libidines Jezabelis : sciant fornicantes cum ea, se in occulto a Christo videri, et in camino gehennæ quasi aurichalcum excoquendos. *Secundo*, ut Episcopus imitetur Christum, ac prævideat hæc scelera, in eisque corrigendis habeat fortitudinem et zelum, instar aurichalci. *Tertio*, Rupertus : Christus, ait, in cœlum ascendit, et inde quasi flammeis oculis in terram aspexit, misitque Spiritum Sanctum, quo Apostolos flammeos et fortes quasi aurichalcum effecit. *Quarto*, Joachim : Episcopus, inquit, debet habere vitam contemplativam in oculis, activam in pedibus. Rursum, Episcopus debet habere oculos, ut videat quæ geruntur ; et pedes, id est sollicitam et seriam executionem eorum, quæ corrigenda vel agenda præviderit.

Per oculos arguitur tacite imprudentia Episcopi Thyatireni, quod Jezabelis hypocrisim et scelera, in quæ multos illiciebat, non prævideret, nec redargueret. Addit Alcazar Jezabelem esse Judæos, et Judaizantes. Ergo, inquit, monetur hic Episcopus, ut relictis Judæis obstinatis, in quibus perdit operam, ad Gentium conversionem se transferat ; utque ob eminens sibi et fidelibus a Judæis discrimen, Thyatira discedant, et per vicina oppida dispersi, Christi fidem Gentibus prædicent. Verum quæ fuerit hæc Jezabel, jam discutiam.

20. Permittis mulierem Jezabel. — Jezabel fuit filia regis Tyri, uxor Achab, quæ ex Tyro Baal et Baalitas induxit in Judæam, et persecuta est Eliam aliosque Dei cultores.

Quæres : Quænam fuit hæc Jezabel ? Aliqui putant fuisse uxorem Episcopi Thyatirensis. Unde Græca Regia et Aretas legunt, *permittis mulierem*, vel *uxorem tuam* ; sed τὸ *tuam* alii passim non legunt, estque hæc sententia nova et improbabilis.

*Secundo*, Epiphanius, *hæres.* 51, hæc refert ad mulieres Montani, scilicet Priscillam, Maximillam et Quintillam, quæ docebant Montanum esse Paracletum. Sed hæ castitatem simulabant, ideoque damnabant secundas nuptias. Hæc autem Jezabel docebat fornicari.

*Tertio*, Aretas : Jezabel, inquit, dicuntur Nicolaitæ, propter suas libidines et impietates. Unde Ticonius, Primasius et Rupertus : Jezabel, inquiunt, sunt hæretici effeminati, et libidini servientes.

*Quarto*, Alcazar per Jezabel accipit Synagogam, id est, Judæos qui inexpiabili odio prosequebantur Apostolos et Christianos (sicut Jezabel prosequebatur Eliam et Dei cultores), eosque vel in mortem, vel in suam hæresim adigebant, contendentes, ut saltem Christiani legem Mosis observarent, itaque judaismum cum Christianismo miscerent, unde multos seducebant. Ideoque arguitur hic Episcopus, quod cum iis conniveret, falso et frustra sperans eorum conversionem. Huic enim expositioni apte convenit illud vers. 24 : « Non mittam super vos aliud pondus. » Iisdem enim verbis utuntur Apostoli abrogantes usum legalium, dicentes, *Actor.* XV, 28 : « Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris. » Itaque censet ipse per Jezabelem significari hic Synagogam, sicut per Babylonem, cap. XVII, significatur Roma gentilis. Utraque, ait, oppugnavit Christi Ecclesiam, sed utraque ab ea victa colla ei subdidit. Ita ipse omnia ad suum scopum quem præconcepit, rapit. Jezabel ergo juxta eum erant Judaizantes, quos

(1) Hoc præcipue argumento nititur Dupuisius, *Origine de tous les cultes*, ut auctori Joanni Apostolo Apocalypsim abjudicet, verum autem hujus libri auctorem asserat hominem quemdam e Montanistarum secta. At Ferdinandus Stoch, in *Antiquitatibus Ecclesiæ Thyatirensis*, non modo hunc Epiphanii locum a Dupuisio et aliis male esse intellectum, sed etiam fuisse Ecclesiam Thyatiræ tum temporis, plane evincit. Quod postremum ipse probat Ewaldus, *Commentar. in Apocalypsin*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Paulus sæpe insectatur, vocatque pseudoapostolos. Verum juxta hanc expositionem, et Jezabelem, et ejus fornicationem, et ejus idolothyta, etc., oportet mystice explicare : unde ipse per idolothytorum esum, accipit familiaritatem nimiam Christianorum cum Judæis; per fornicationem, illicitam legalium observationem. Hæc enim erat spiritualis quædam fornicatio; nam erat illicita consociatio cum meretrice, puta cum Synagoga judaizante : quæ omnia mystica sunt.

*Quinto* et optime, ad litteram hæc Jezabel fuit nobilis et potens aliqua mulier hæretica, quæ prophetissam se mentiendo propagavit sectam Nicolaitarum, docens licere fornicari et edere idolothyta (hæc enim fuit hæresis Nicolaitarum, uti audivimus vers. 15), sicut Jezabel propagavit cultum Baal. Ita Beda, Rupertus, Primasius, Parerius (1). Sic S. Hieronymus, epist. *ad Ctesiphontem*, notat omnes hæreses propagatas esse per mulieres. Citavi ejus verba II *ad Timoth.*, III, 6.

Jam Ambrosius, Pererius et Viegas, fornicationem hic non corporalem, sed spiritualem, puta hæresim vel idololatriam, intelligunt. Verum simplicius Ribera et alii proprie fornicationem accipiunt. Nota : Τὸ *fornicari et manducare de idolothytis*, referendum est ad τὸ *docere*.

Merito monet hunc Episcopum de imprudentia, quod tolerarit Jezabelem : quid enim potentius ad propagandam hæresim carnalem, quam mulier, eaque nobilis et potens? Serpens per Evam perdidit Adamum, omnesque posteros. Est ergo mulier organum diaboli, fax litium, incentivum libidinis. Hæc vero iynx, quia illex, quia nobilis, quia prophetis, triplex erat Veneris æque ac hæresis incentivum. Aristippus mulierem parvam, sed pulchram conspicatus : « Parvum quidem pulchrum, inquit, sed magnum malum. »

Democritus rogatus cur, cum magnus esset, parvam duxisset uxorem : « Ego, inquit, in malo eligendo, quod minimum erat, elegi. » Idem dixit B. Thomas Morus.

Socrates tribus suis malis recensitis, scilicet grammatica, paupertate et uxore, aiebat « Se duo prima effugisse, perniciosam vero uxorem minime. Ut nemo sentit qua parte stringat calceus, nisi qui eo indutus est : ita nemo novit ingenium mulieris, nisi qui duxit uxorem, » ait Plutarchus in *Moral.*

« Femina nil pestilentius, » ait Homerus.

« Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem, » ait Menander. « Qui non litigat, cœlebs est, » ait S. Hieronymus, *q. d.* Rixosa est mulier, ideoque rixosum est conjugium. Vulgo dicitur : *Ignis, mare, mulier, tria mala*. Disputarunt tres Hebræi juvenes in aula regis Persarum, quidnam esset fortissimum : primus dixit esse « vinum; » secundus, esse « regem; » tertius, scilicet Zorobabel, dixit « fortiores esse mulieres, sed fortissimum omnium esse veritatem, » hicque bravium et præmium a Dario rege tulit, lib. III *Esdræ*, cap. IV.

Hugo Victorinus, lib. *De Vitiis et mulieribus vitandis* : « In favo mellis, ait, duo sunt, mel et cera : in facie meretricis sunt similiter duo, scilicet decor et gratia, » id est, « pulchritudo oris et sermonis. Cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem : sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento lenocinantis sermonis subvertit mentem. Stillat mel ex cera, dum meretrix verba sua mollit, et facit dulcia. »

Manducare de idolothytis. — Nota : Idolothytis per se vesci licet; sed non licebat, *primo*, ob scandalum; *secundo*, ob præceptum Apostolorum, *Actor.* XV; *tertio*, ob quod maxime hic in illa invehitur Joannes, erat periculum idololatriæ; facile enim Gentes per ea ad sua idola relapsi fuissent. Vide dicta I *Corinth.* VIII, initio.

22. Ecce mittam eam in lectum, — id est in infernum, ait Rupertus, Beda, Richardus Victorinus; ibi enim Jezabel, id est hæretici, non quiescent, sed cruciabuntur. De quo Isaias, cap. XIV, ait : « Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. »

*Secundo*, Ansbertus et Primasius : Lectus, inquiunt, est securitas et impunitas peccandi, in qua peccator quasi in mollissimo lecto quiescens, ex uno scelere in aliud, et tandem in damnationem, ruit. Hæc ergo impunitas signum est reprobationis : sicut e contrario signum est electionis, si cujus peccata hic a Deo castigentur, uti docet S. Gregorius, lib. VII *Moral.*, cap. VII. Nam ut dicitur *Apoc.* cap. III : « Ego quos amo, arguo et castigo. »

*Tertio*, Alcazar : Hæc, ait, lecti comminatio denotat gravissimas ægritudines, id est bellorum tempestates et excidii procellas, contra Judæos a Romanis excitandas, eo quod Christum ejusque Evangelium repulerint.

*Quarto* et optime, Aretas et Pannonius : « Mittam eam in lectum, » id est, inquiunt, percutiam eam morbo et ægritudine, ut quæ modo in voluptatum et peccatorum suorum lecto quiescit, decumbat in lecto ægritudinis, indeque transeat ad lectum gehennæ, in quo cubant damnati.

23. Interficiam in morte, — id est morte. Est hebraismus : Hebræi enim *bet*, id est *in*, utuntur, cum instrumentum, modum et rationem significant; sic aiunt : « Percussit eos in ore gladii, » hoc est *ore*, puta acie, *gladii* (2).

Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda, — id est abditissima cordis Jezabelis arcana, ejusque cogitationes secretissimas; horum enim symbolum sunt renes. Meretrices enim et hypocritæ simulantes se prophetissas, ac hæreticæ, qualis erat hæc Jezabel, mira arte et vafritie tegunt sua consilia, ut specie pietatis et honesti incautos fidelium animos illiciant et decipiant. Hinc patet Christi divinitas; solus enim Deus est cardiognostes, id est scrutans renes et corda.

Vobis autem dico, et cæteris. — « Et » significat, *id est*. Unde Græca non habent τὸ *et*; convertit enim Joannes hic sermonem a Jezabele cum suis ad alios veri Dei cultores, qui erant Thyatiræ.

Aliter Alcazar : Christus, ait, hic admonitionem suam ad cæteros omnes Christianos extendit. Thyatira enim idem est quod illuminata, teste S. Hieronymo; omnes autem qui in Ecclesia Christi sunt, sunt in mystica Thyatira, id est in civitate a Deo illuminata. Verum hæc expositio mystica est, non litteralis.

24. Quicumque non habent (non accipiunt, non tenent) doctrinam hanc — Jezabelis et Nicolaitarum, quod licitum sit fornicari et idolothytis vesci.

Qui non cognoverunt (id est, non approbarunt, inquit Beda, Rupertus, Primasius, Richardus) altitudines Satanæ. — Hæc altitudo est superbia, ait Rupertus, qua Satan dixit olim, *Isaiæ* XIV : « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo, » et etiam nunc dicit, quando videlicet sibi in idolis vult sacrificia offerri a Thyatirensibus, qui in honorem idolorum idolothyta manducant. Ita Rupertus, Haymo, Beda, Primasius. Verum, pro *altitudines* græce est βάθη, id est *profunditatem*. Sic sæpe altum vocamus profundum, ut cum dicimus : Puteus altus est, id est profundus.

Unde *secundo*, alii sic exponunt : « Qui non cognoverunt profunditates Satanæ, » id est, qui non pepigerunt fœdus cum inferno, puta cum Satana non sunt confœderati.

*Tertio*, Gagneius : Altitudo Satanæ, ait, est immensum pelagus scelerum; quia impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit, et semper profundius ruit.

*Quarto*, profunditates Satanæ sunt profundæ fraudes, inquit Andreas Cæsariensis, doli et astutiæ Satanæ, quos justi non cognoscunt, id est non approbant, de quibus S. Gregorius, hom. 12 *in Ezech.*

*Quinto*, Ambrosius : Altitudo Satanæ est lex Moysi carnaliter accepta, et observata simul cum Evangelio; hæc enim profunde demergit et involvit observantes sui in judaismum. Unde sequitur : « Non mittam super vos aliud pondus, » *q. d.* Non onerabo vos observantia legis Mosaicæ, præter pauca quæ vobis præceperunt Apostoli, ut abstinentis a fornicatione, et a suffocato, et a sanguine, et ab idolothytis. Huc accedit Alcazar inquiens : Cum dicit : Qui non habet doctrinam hanc Jezabelis, notat cautos et prudentes; cum autem dicit : Qui non cognoverunt altitudines Satanæ, quemadmodum dicunt, notat imprudentes a Jezabele, id est a Judaizantibus, deceptos; hi enim cum erroris arguerentur, excusabant se dicentes se non cognovisse altitudines, id est altas fraudes et calliditates Satanæ, quibus se transfigurans in angelum lucis, per Jezabelem, id est Judæos, eos deceperat, ut legalia miscerent cum Evangelio.

*Sexto* et melius, Lyranus : Non cognoverunt 5
altitudinem Satanæ, id est, non approbarunt hæresim Ebionis et Cerinthi, qui superbe restiterunt Christo, negantes ejus divinitatem et æternitatem.

*Septimo* et optime, hæc verba : « Altitudines Satanæ quemadmodum dicunt, » referenda sunt ad 6
hæreticos Thyatirenses, Nicolaitarum et Jezabelis sectatores; hæretici enim suam doctrinam vocare solent altissimam, profundissimam, et nulli alii, quam sibi suisque discipulis comprehensibilem, uti docent Vincentius Lirinensis in aureo suo contra hæreses libello, S. Gregorius, lib. V *Moral.*, cap. XVIII. Unde subdit : « Quemadmodum dicunt, » id est, sicuti loqui et jactare solent hæretici, scilicet sua dogmata esse altitudinem Dei, quæ revera est Satanæ, uti interpretatur hic Joannes. Ita Ribera. Adde tamen cum Lyrano, hic perstringi hæresim Ebionis et Cerinthi, qui circumcisionem et legalia volebant miscere cum Evangelio. Hanc ergo hæresim inter alias plures docuisse videtur Jezabel, et Nicolaitæ. Hoc enim insinuant sequentia; subdit enim : « Non mittam super vos aliud pondus. » Ita Valentinus (quem forte in spiritu mox hæresiarcham futurum prævidens S. Joannes hic perstringit) triginta æones et deos confinxit, quæ revera nominum et criminum erant portenta potius, quam numinum : inter quos primum statuit βάθος (quod idem est cum eo, quod S. Joannes hic ait βάθη, id est *profunditates*), id est profundum. Ex Bytho enim et Sige (id est silentio) ortos esse νοῦν (id est mentem) et veritatem, qui sermonem et vitam procrearint : ex his deinde prognatum esse hominem, et Ecclesiam. Ita refert Tertullianus, lib. *Contra Valentinum*, cap. VII.

Non mittam super vos aliud pondus. — « Pondus, » id est onus grave Gentibus fornicationi et libertati carnis assuetis in gentilismo, erat post conversionem ad Christum abstinere ab ea, suamque concupiscentiam refrenare. Rursum, pondus grave iis erat abstinere ab idolothytis, cum inter idololatras assidue versarentur, quorum cibi sæpe non erant alii, quam idolothyta. Hoc sciens Jezabel, urgebat Thyatirenses, ut pondus hoc tam durum, unaque jugum et legem Christi excuterent. Hinc occurrit Joannes hisce verbis, *q. d.* Fateor quidem vobis hoc esse pondus aliquod, sed plura vobis olim imposuerunt idola, sive dii vestri, eorumque sacerdotes : plures etiam suis imponunt Judæi, et Judaizantes. Ergo Apostoli, *Actor.* XV, vetantes fornicationem et idolothyta, pondus qui-

(1) Jezabel igitur h. l. per antanaclasim est talis mulier, quæ turpia et impia facta illius reginæ imitatur; et comparatur falsi Scioticorum, vel hujus generis hominum, doctrina seductioni Jezabelis, quemadmodum in capite præced. doctrinæ Balaami fuerat comparata. Certam tamen hujus nominis mulierem christianam censent aliqui.

(2) *Filios ejus*, id est adulterinam ejus sobolem, seu horum seductorum discipulos. Etiam hæc imago ex historia Achabi et Jezabelis desumpta est, IV Reg. I, 4, 10, 14.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dem aliquod, sed longe minus quam sit Gentilium et Judæorum, vobis imposuerunt. Quocirca hoc minus servate, ne majore gravemini. Ego enim vobis promitto et edico : « Non mittam super vos aliud pondus : tamen (tantum) id quod habetis (puta decretum hoc Apostolorum), tenete donec veniam, » ad judicium, quando vos pro patientia et obedientia remunerans, omni prorsus pondere liberabo et exonerabo.

Alludit enim plane S. Joannes ad *Actor.* xv, 28, ubi Apostoli contra Cerinthum definiunt, dicentes : « Visum est Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. » Ubi pro *oneris*, græce est idem nomen βάρος, quod Noster hic *pondus* vertit. Tacite ergo perstringit hic hæresin Cerinthi tunc grassantem, *q. d.* Nolo vobis imponere pondus importabile legis veteris, uti vult Cerinthus; sed tantum tria præcepta vobis impono, quæ sanxerunt Apostoli, *Actor.* xv. Ita Victorinus, Ambrosius, Primasius, Rupertus, Beda, Haymo, Joachim, Lyranus, Ansbertus, Hugo et Pannonius (1).

Aliter exponit Ticonius, *q. d.* « Non mittam super vos aliud pondus, » id est alias tribulationes, eo quod Jezabelis errores et sordes spreveritis (2). Sic enim Isaias, Nahum aliique Prophetæ vocant onus Babylonis, Edom, Ninive, etc., pondus pœnarum et afflictionum ex Dei decreto imminens et quasi incumbens Babyloniis, Idumæis, Ninivitis aliisque gentibus.

26. QUI VICERIT, ET CUSTODIERIT USQUE IN FINEM OPERA MEA, DABO ILLI POTESTATEM SUPER GENTES, ET REGET EAS IN VIRGA FERREA. — *Primo*, Beda, Primasius et Ansbertus censent hic promitti Ecclesiæ ejusque Prælatis conversionem et subjectionem Gentium, quæ a Deo Patre promissa est Christo, *Psalm.* II : « Dabo, inquit, tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Unde Alcazar sic exponit, *q. d.* « Qui vicerit, et custodierit, » græce ὁ τηρῶν, id est, qui observaverit opera mea (scilicet Christi) » in finem, » ut scilicet oculos ac mentem jugiter intendat in opera a Christo patrata, et in ipsius perseverantiam, ut eum utraque in re imitetur : « dabo illi potestatem super Gentes, » id est magnam vim et efficaciam in Gentium conversione et sanctificatione. Unde eamdem mox vocat virgam ferream dicens : « Et reget eas in virga ferrea. » Illud enim : « Usque in finem, » potest accipi non solum de fine vitæ, sed etiam de fine et perfectione singulorum operum, uti est difficilem quamque rem semel susceptam ad finem urgere et perducere. Pergit Alcazar, aitque Evangelicam perfectionem sub durissimi imperii et virgæ ferreæ specie adumbrari; quia jubet frenare cupiditates, mortificare carnem jejuniis et ciliciis, pro Christo mori, etc. : itaque hanc virgam ferream potissimum cerni in vita Religiosa. Denique virgam ferream symbolum esse optimi regiminis, quo utitur Dei providentia, ac notare septem ejus attributa, scilicet fortitudinem, beneficentiam, æquitatem, sapientiam, patientiam, comminationem et punitionem, quæ fuse prosequitur Alcazar, *notat.* 7 et 8. Ubi ostendit virgam ferream si magneti applicetur, ab eo accipere duplicem vim, scilicet *primo*, judicandi populum mundi, omnesque orbis plagas; *secundo*, attrahendi aliud ferrum. Itaque virgam hanc ferream, sive acum nauticum esse sapientiæ et gubernationis symbolum, præsertim quia magnes undique ferro rite munitus, centuplo majus pondus attrahit, v. g., si magnes nudus, et sine ferro attrahat unciam ferri, ferro munitus et quasi armatus attrahet centum uncias, uti ipse se expertum profitetur : sic enim Rector debet habere vim attrahendi ad se omnes subditos, ut recte eos gubernet.

Tria enim Rectoris et Episcopi munia sunt *primum*, infideles et infirmos ad Christum allicere; *secundum*, probos dirigere; *tertium*, improbos castigare. Hoc repræsentat pedum Episcopale, sive virga eorum Pastoralis, quæ sursum curva est, quasi uncus attrahens in medio recta, in imo instar cuspidis acuminata, quæ tria carmine expressit Poeta :

Curva trahit, quos recta regit, pars infima pungit.

Rector ergo duros et difficiles pungat, sed et ungat.

*Secundo*, Richardus, Anselmus et S. Thomas per virgam ferream accipiunt severitatem legum et disciplinæ in legum observatione ab omnibus exigenda, ac puniendis iis qui contra eas delinquunt. Ex quo fit, ut alii castigati coerceantur et convertantur, alii recalcitrantes, ultimo supplicio damnentur. Hinc noster Viegas censet hic promitti iis qui vicerint, id est, qui strenue Jezabeli, aliisque hæreticis et impiis restiterint, altiorem dignitatis gradum, ut in eo constituti regant alios in virga ferrea, id est inflexibili et æquissima, rebelles vero confringant. Unde colligunt hi Doctores, gubernandi curam non nisi ei qui vicerit, id est viro probo, æquo, forti, magnanimo, invicto, qui nullis cedat molestiis, murmurationibus, minis, periculis, committendam esse.

Rursum hinc colligunt, quod qui vincit in seipso vitia, hic facile eadem vincet et extirpabit in alio; ut, si vincas in te superbiam, facile eamdem vinces in alio : quo fit, ut reipsa tales vincentes sæpe Gentes sua mortificatione et sanctitate convertant ad Christum et sui imitationem. Unde S. Hilarius, S. Augustinus, Theodoretus, Beda et Euthymius in *Psalm.* II, illud *Psalm.* II : « Tanquam vas figuli confringes eos; » sic exponunt, *q. d.*

(1) Τὸ ἀγαῖον βάρος habet et Plato, XI *de Legibus*.

(2) Tum sensus esset : *Alienum* peccatum vobis non imputabo; vel, ut Allioli, non alias luctas ac tribulationes vobis immittam, quam eas quæ in tuenda Christiana fide vulgo reperiuntur.



Conteres idololatriam, libidinem aliaque vitia ex animis Gentium, et reformabis eos, ut fiant alii novique homines, sancti, casti verique Christiani. Sicuti Jeremias, cap. XVIII, ex molli luto factum fictumque vas confregit, aliudque inde reformavit. Verum hæc mystica sunt.

*Tertio* ergo et genuine loquitur hic S. Joannes de die judicii, in quo sancti victores, et Dei mandata custodientes usque in finem vitæ, creabuntur a Deo judices orbis, et cum Christo Gentes impias condemnabunt, ut confringantur, id est irreparabiliter in æternam mortem et gehennam præcipitentur. Hoc enim significat τὸ « custodierit usque in finem opera mea (a me præcepta, meoque exemplo firmata). » Et : « Reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur. »

Alludit enim ad *Psalm.* II, 9, ut patet utrinque verba conferenti, ubi pro *reges eos*, hebr. non est תרעם *tirem*, id est pasces eos; sed תרועם *teroem*, id est conteres, et, ut S. Hieronymus vertit, *franges eos*, scilicet incredulos et rebelles tibi. Franges, inquam, eos, tum in hac vita, ut fregisti Diocletianum, Maximianum, Maxentium, Licinium et alios, per Constantinum, Theodosium et alios, tum omnes franges in die judicii, cum eos tua sententia, quasi fulmine adiges in tartara. Ita Victorinus, Andreas, Aretas, Lyranus, Ribera et alii.

Hoc est quod suis promisit Christus, *Matth.* XIX, 28, et *Lucæ* XXII, 30 : « In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel; » et *Sapient.* III, 8 : « Judicabunt » Sancti « nationes, et dominabuntur populis; » et *Malach.* IV, 3 : « Calcabitis impios; » et *Psalm.* CXLIX, 6 : « Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus. »

Nota, regna et potentiam mundi similem esse vasis figulinis, quia terrea est, et cito rei durioris objectu dissilit et diffringitur, juxta illud : « Fortuna vitrea est; cum splendet, frangitur. » Regnum vero Christi et Dei æternum est, omniaque hostilia confringit et subigit. Unde notat S. Athanasius quod virga ferrea sit potestas Christi, aut crucis Christi, cujus materia lignea est, sed vis et virtus ferrea.

28. DABO ILLI STELLAM MATUTINAM. — Hæc stella matutina est Venus, sive Lucifer. Jam Lucifer hic est diabolus, inquit Andreas Cæsariensis, de quo dicitur *Isaiæ* XIV : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? » hunc enim Deus Sanctis dat calcandum, uti dicitur *Rom.* cap. ult. : « Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris. »

*Secundo*, stella hæc, sive Lucifer, est ille, qui, ut ait S. Petrus, cap. I, *epist.* I, oritur in cordibus nostris, puta est lux cœlestis a Deo immissa animæ. Ita idem Andreas Cæsariensis.

*Tertio*, Lucifer hic est Joannes Baptista et Elias, quorum ille primum, hic secundum Christi adventum quasi Lucifer antecedet, *q. d.* Faciam eum socium et consortem gloriæ Eliæ et Joannis Baptistæ; faciam eum quasi alterum Joannem, alterum Eliam. Ita idem Andreas Cæsariensis.

*Quarto*, Joachim : Stella matutina, ait, est fides et scientiæ donum, qua præcognoscimus ea quæ in cœlo visuri sumus; et, ut Gagneius, est clara rerum divinarum intelligentia, præsertim S. Scripturæ : hinc stella duxit Magos ad Christum.

*Quinto*, stella hæc est gratia justificans, ait Richardus Victorinus, et Maldonatus in *Notis Manuscriptis* : ἀστέρα, ait, πρωϊνόν, id est stellam matutinam, vocat præcipuum quemdam angelum, qualis est Lucifer inter reliquas stellas, qui eum custodiat; aut, *q. d.* Dabo ei in cœlo illustrissimum locum. Sic legimus in Vitis Sanctorum, illustribus Sanctis, qualis fuit S. Francisca Romana, in virtutibus heroicis strenue progredientibus, illustriores pro custodia datos fuisse angelos. Hoc verius est in Prælatis et principibus, qui sæpe pro custodia tum sui, tum suæ Ecclesiæ aut reipublicæ habent non angelum, sed archangelum, aut alium e superiori ordine. Unde ille dicebat se habere angelum non Doctoralem, sed Episcopalem.

*Sexto*, stella hæc est angelus custos, ait Dionysius Carthusianus.

*Septimo*, Ribera per stellam accipit invisibilem, et aliquando visibilem Christi apparitionem, qua Sanctos suos animam agentes consolatur.

*Octavo*, Alcazar : Christus, ait, dicitur stella matutina, id est Lucifer, quia in ipsis ardentissimis persecutionibus suos consolatur certissima spe solis orituri, id est prosperitatis brevi subsecuturæ. Alludit enim ad *Ecclesiastici* cap. L, vers. 6, ubi de Simone justo et illustri pontifice (qui fuit typus Christi) dicitur : « Quasi stella matutina in medio nebulæ, » quasi dicat : Sicut Simon populum nube calamitatis obductum et afflictum, quasi stella recreavit, et quasi Lucifer certam eis dedit spem solis, id est prosperitatis, mox oritur : ita faciet et suis in afflictione et persecutione constitutis Christus, eritque eis quasi Lucifer, instantis felicitatis prænuntius.

*Nono*, Lyranus : Stella hæc, ait, est corpus gloriosum, claritatis dote quasi stella refulgens.

*Decimo* et optime : Stella matutina est Christus, qui ait cap. XXII, vers. 16 : « Ego sum stella splendida et matutina; » de quo dicitur *Numerorum* cap. XXIV : « Orietur stella ex Jacob. » Christus enim vincentibus promittit seipsum, suæque claritatis visionem. Dicitur Christus stella matutina, hoc est Lucifer : *primo*, quia in hac vita dispulit tenebras infidelitatis, et in futura dispellet tenebras mortalitatis; *secundo*, quia uti Lucifer noctis finem, diei initium præbet : ita Christus peccato et ignorantiæ finem, fidei et salutis initium attulit; *tertio*, est matutina, « quia dum in seipso resurrectionis exemplum nobis præbuit, quæ lux sequatur indicavit, » ait S. Gregorius, XXIX *Moral.*, cap. XXX, in illa verba *Job* XXXVIII : « Numquid

produces Luciferum in tempore suo? » Et Beda : « Christus, inquit, est stella matutina, quia transacta nocte sæculi, lumen vitæ Sanctis promittit et pandit æternæ. » Et Rupertus : « Pro labore quo Episcopus in hac vita quasi nocte laborat, pervigil in animarum sibi commissarum custodia, manifestabo ei meipsum, qui sum stella splendida et matutina. » Et Haymo : « Christus, inquit, est stella matutina, id est Lucifer, qui in resurrectione pulsis mortalitatis tenebris quasi Lucifer apparebit, et perfectum æternitatis diem demonstrabit. » Ita quoque Pererius, Viegas et Ribera.

Rursum, plenius ac clarius : Stella matutina est lumen gloriæ et clara visio Dei, quam anima victrix per Christi gratiam adipiscitur post mortem : hæc dicitur stella, propter claritatem contemplationis. « Domine, inquit Psaltes, in lumine tuo videbimus lumen. » Dicitur matutina, *primo*, quia post noctem hujus vitæ et sæculi illucescet; *secundo*, propter inchoationem beatitudinis, quæ complebitur in resurrectione corporum, quando stella hæc matutina mutabitur quasi in solem meridianum, cum scilicet anima gloriam suam diffundet in corpus. Utrumque hunc sensum, scilicet de Christo, et de gloria animæ beatæ, habet Richardus Victorinus, Primasius et Aretas.

Alludit ad illud *Daniel.* XII, 3 : « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates : » vide ibi dicta. Vult enim Christus hunc Episcopum docere veram fidem, et expugnare Jezabelem et hæreticos, eique ut doctori promittit hanc stellam. Philippus, rex Macedonius, cum puer esset, solebat de nocte desilientes stellas sagittis impetere, ex quo Diognetus vates conjecit eum dominaturum multis, uti refert Ptolemæus Hephæst., et ex eo Nicolaus Caussin., lib. IV *Parab. histor.*, cap. LVI. Ita venantur stellas magnanimi, qui supra terram et terrena mentem attollentes, ad beatarum mentium domicilium aspirant, ideoque cœlestem et heroicam ineunt vitam :

Pauci quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

Ptolemæus, auctor *Almagesti*, tempore Antonini Imperatoris nobilis Astrologus, hoc sepulcri elogium ipse sibi posuit :

Mortalem quamvis norim me sorte creatum,
Dum tamen astrorum scrutor in orbe vias,
Sum pedibus tellure procul, juxtaque Tonantem
Assideo divus, pascor et ambrosia.

Quid jam dicant S. Episcopi et Doctores, quorum dum viverent, conversatio fuit in cœlis, qui jam in cœlum translati, domestici Dei, cives Sanctorum, stellas non eminus, ut Ptolemæus, sed cominus intuentur, pedibus premunt et possident? Denique decem analogias stellæ et viri sancti recensui *Genes.* I, in fine operis quartæ diei, in tertia editione.

Nota : « Coronam vitæ, » quam Christus promittit angelo Smyrnæ vers. 10; eamdem, vers. 7, promittit angelo Ephesi, et vocat « lignum vitæ; » eamdem promittit angelo Pergami, et vocat « calculum candidum, » vers. 17; eamdem rursum promittit hic angelo Thyatiræ, et vocat « stellam matutinam; » eamdem, cap. III, promittit angelo Sardensi, et vocat « librum vitæ, » vers. 5; et angelo Philadelphiæ, vers. 12, vocans eam « columnam in templo Dei; » et angelo Laodiciæ, vers. 21, vocans eam « sessionem in throno Christi. » Ubi adverte : Hæc gloria mutat sua nomina, ut insinuet dotes et excellentias varias quas includit, quasque ipsa nomina significant : has enim dabit cuique apposite et proportionate ad suam luctam et victoriam. Ephesio enim, quia senio fractus a primo fervore discesserat, si eum resumat, promittitur hæc gloria sub nomine ligni vitæ, quod vires senio fatiscentes reparabat, et pristino vigori restituebat. Smyrnensi vero, quia probatæ et perfectæ erat virtutis, hæc gloria datur et vocatur corona, quæ est circulus plenus, ac gemmis, rosis, liliis, etc., undique circumseptus et clausus. Pergameno luctandum erat contra timiditatem : hinc, si vincat, promittitur illi eadem gloria sub nomine calculi candidi. Calculus enim, quia solidus, et candor, quia tenebras dissipat, recte opponuntur timiditati, quæ vacillat, et tenebras animo offundit. Thyatirensi luctandum erat contra imprudentiam : hinc, si eam vincat, promittitur eadem gloria sub nomine stellæ claræ et omnia collustrantis. Sardensis mortuus erat spiritualiter : unde, si ad vitam gratiæ resurgat, promittitur ei liber vitæ. Philadelphensis imbecillis erat, et modicæ virtutis : hinc, si hæc evincat, promittitur ei columna in cœlo. Laodicenus segnis erat et deses : hinc, si exurgat et strenue laboret, promittitur ei sessio in throno Christi. Ita Alcazar more suo fuse, quæ ego presse et breviter.



# CAPUT TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Scribit Episcopo Sardensi quod dicatur vivere, sed mortuus sit : ni pœniteat, minatur quod veniet ei sicut fur in nocte; sin resipiscat, et vincat, promittit ei vestes albas, quodque scribet eum in libro vitæ. Secundo, vers. 7, Episcopo Philadelphensi modicæ virtutis suadet :* Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. *Quod si fecerit, promittit quod faciet eum columnam in templo Dei, et scribet in eo nomen Dei et novæ Jerusalem. Tertio, vers. 14, exprobrat Episcopo Laodicensi, quod neque calidus sit, neque frigidus, sed tepidus, quem proinde Deus ore suo sit evomiturus. Suadet ei ergo ut emat aurum ignitum, vestesque albas induat, et collyrio ungat oculos; quod si fecerit, vincenti promittit sessionem in throno suo.*

1. Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe : Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei, et septem
stellas : Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es. 2. Esto vigilans,
et confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo
meo. 3. In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris, et serva, et pœnitentiam age.
Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te.
4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua; et ambulabunt
mecum in albis, quia digni sunt. 5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus. 6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. 7. Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David : qui aperit, et
nemo claudit : claudit, et nemo aperit : 8. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere; quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum,
et non negasti nomen meum. 9. Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui dicunt se Judæos esse,
et non sunt, sed mentiuntur : ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos; et
scient quia ego dilexi te. 10. Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te
ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra.
11. Ecce venio cito : tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. 12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius; et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de
cœlo a Deo meo, et nomen meum novum. 13. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat
Ecclesiis. 14. Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Amen, testis fidelis, et verus,
qui est principium creaturæ Dei. 15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus;
utinam frigidus esses, aut calidus! 16. Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus,
incipiam te evomere ex ore meo. 17. Quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. 18. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.
19. Ego quos amo, arguo et castigo. Æmulare ergo, et pœnitentiam age. 20. Ecce sto ad
ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad
illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. 21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno
meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. 22. Qui habet aurem, audiat
quid Spiritus dicat Ecclesiis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

produces Luciferum in tempore suo? » Et Beda : « Christus, inquit, est stella matutina, quia transacta nocte sæculi, lumen vitæ Sanctis promittit et pandit æternæ. » Et Rupertus : « Pro labore quo Episcopus in hac vita quasi nocte laborat, pervigil in animarum sibi commissarum custodia, manifestabo ei meipsum, qui sum stella splendida et matutina. » Et Haymo : « Christus, inquit, est stella matutina, id est Lucifer, qui in resurrectione pulsis mortalitatis tenebris quasi Lucifer apparebit, et perfectum æternitatis diem demonstrabit. » Ita quoque Pererius, Viegas et Ribera.

Rursum, plenius ac clarius : Stella matutina est lumen gloriæ et clara visio Dei, quam anima victrix per Christi gratiam adipiscitur post mortem : hæc dicitur stella, propter claritatem contemplationis. « Domine, inquit Psaltes, in lumine tuo videbimus lumen. » Dicitur matutina, *primo*, quia post noctem hujus vitæ et sæculi illucescet; *secundo*, propter inchoationem beatitudinis, quæ complebitur in resurrectione corporum, quando stella hæc matutina mutabitur quasi in solem meridianum, cum scilicet anima gloriam suam diffundet in corpus. Utrumque hunc sensum, scilicet de Christo, et de gloria animæ beatæ, habet Richardus Victorinus, Primasius et Aretas.

Alludit ad illud *Daniel.* XII, 3 : « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates : » vide ibi dicta. Vult enim Christus hunc Episcopum docere veram fidem, et expugnare Jezabelem et hæreticos, eique ut doctori promittit hanc stellam. Philippus, rex Macedonius, cum puer esset, solebat de nocte desilientes stellas sagittis impetere, ex quo Diognetus vates conjecit eum dominaturum multis, uti refert Ptolemæus Hephæst., et ex eo Nicolaus Caussin., lib. IV *Parab. histor.*, cap. LVI. Ita venantur stellas magnanimi, qui supra terram et terrena mentem attollentes, ad beatarum mentium domicilium aspirant, ideoque cœlestem et heroicam ineunt vitam :

> Pauci quos æquus amavit
> Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

Ptolemæus, auctor *Almagesti*, tempore Antonini Imperatoris nobilis Astrologus, hoc sepulcri elogium ipse sibi posuit :

> Mortalem quamvis norim me sorte creatum,
> Dum tamen astrorum scrutor in orbe vias,
> Sum pedibus tellure procul, juxtaque Tonantem
> Assideo divus, pascor et ambrosia.

Quid jam dicant S. Episcopi et Doctores, quorum dum viverent, conversatio fuit in cœlis, qui jam in cœlum translati, domestici Dei, cives Sanctorum, stellas non eminus, ut Ptolemæus, sed cominus intuentur, pedibus premunt et possident? Denique decem analogias stellæ et viri sancti recensui *Genes.* I, in fine operis quartæ diei, in tertia editione.

Nota : « Coronam vitæ, » quam Christus promittit angelo Smyrnæ vers. 10; eamdem, vers. 7, promittit angelo Ephesi, et vocat « lignum vitæ; » eamdem promittit angelo Pergami, et vocat « calculum candidum, » vers. 17; eamdem rursum promittit hic angelo Thyatiræ, et vocat « stellam matutinam; » eamdem, cap. III, promittit angelo Sardensi, et vocat « librum vitæ, » vers. 5; et angelo Philadelphiæ, vers. 12, vocans eam « columnam in templo Dei; » et angelo Laodiciæ, vers. 21, vocans eam « sessionem in throno Christi. » Ubi adverte : Hæc gloria mutat sua nomina, ut insinuet dotes et excellentias varias quas includit, quasque ipsa nomina significant : has enim dabit cuique apposite et proportionate ad suam luctam et victoriam. Ephesio enim, quia senio fractus a primo fervore discesserat, si eum resumat, promittitur hæc gloria sub nomine ligni vitæ, quod vires senio fatiscentes reparabat, et pristino vigori restituebat. Smyrnensi vero, quia probatæ et perfectæ erat virtutis, hæc gloria datur et vocatur corona, quæ est circulus plenus, ac gemmis, rosis, liliis, etc., undique circumseptus et clausus. Pergameno luctandum erat contra timiditatem : hinc, si vincat, promittitur illi eadem gloria sub nomine calculi candidi. Calculus enim, quia solidus, et candor, quia tenebras dissipat, recte opponuntur timiditati, quæ vacillat, et tenebras animo offundit. Thyatirensi luctandum erat contra imprudentiam : hinc, si eam vincat, promittitur eadem gloria sub nomine stellæ claræ et omnia collustrantis. Sardensis mortuus erat spiritualiter : unde, si ad vitam gratiæ resurgat, promittitur ei liber vitæ. Philadelphensis imbecillis erat, et modicæ virtutis : hinc, si hæc evincat, promittitur ei columna in cœlo. Laodicenus segnis erat et deses : hinc, si exurgat et strenue laboret, promittitur ei sessio in throno Christi. Ita Alcazar more suo fuse, quæ ego presse et breviter.



# CAPUT TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Scribit Episcopo Sardensi quod dicatur vivere, sed mortuus sit : ni pœniteat, minatur quod veniet ei sicut fur in nocte; sin resipiscat, et vincat, promittit ei vestes albas, quodque scribet eum in libro vitæ. Secundo, vers. 7, Episcopo Philadelphensi modicæ virtutis suadet :* Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. *Quod si fecerit, promittit quod faciet eum columnam in templo Dei, et scribet in eo nomen Dei et novæ Jerusalem. Tertio, vers. 14, exprobrat Episcopo Laodicensi, quod neque calidus sit, neque frigidus, sed tepidus, quem proinde Deus ore suo sit evomiturus. Suadet ei ergo ut emat aurum ignitum, vestesque albas induat, et collyrio ungat oculos; quod si fecerit, vincenti promittit sessionem in throno suo.*

1. Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe : Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei, et septem
stellas : Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es. 2. Esto vigilans,
et confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo
meo. 3. In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris, et serva, et pœnitentiam age.
Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te.
4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua; et ambulabunt
mecum in albis, quia digni sunt. 5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non de-
lebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram ange-
lis ejus. 6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. 7. Et Angelo Philadel-
phiæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David : qui aperit, et
nemo claudit : claudit, et nemo aperit : 8. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium aper-
tum, quod nemo potest claudere; quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum,
et non negasti nomen meum. 9. Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui dicunt se Judæos esse,
et non sunt, sed mentiuntur : ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos; et
scient quia ego dilexi te. 10. Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te
ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra.
11. Ecce venio cito : tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. 12. Qui vicerit, fa-
ciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius; et scribam su-
per eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de
cœlo a Deo meo, et nomen meum novum. 13. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat
Ecclesiis. 14. Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Amen, testis fidelis, et verus,
qui est principium creaturæ Dei. 15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus;
utinam frigidus esses, aut calidus! 16. Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus,
incipiam te evomere ex ore meo. 17. Quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nul-
lius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. 18. Sua-
deo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis indua-
ris, et non appareat confusio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.
19. Ego quos amo, arguo et castigo. Æmulare ergo, et pœnitentiam age. 20. Ecce sto ad
ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad
illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. 21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno
meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. 22. Qui habet aurem, audiat
quid Spiritus dicat Ecclesiis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

1. ET ANGELO ECCLESIÆ SARDIS SCRIBE. — Hæc eſt quinta Chriſti epiſtola ad Epiſcopum Sardenſem : in quo corripit fideles omnes in peccatum mortale prolapſos, eoſque ut inde per pœnitentiam reſurgant, tam minis quam promiſſis excitat et urget. Porro Sardis fuit urbs Lydiæ magna, ad latus Tmoli montis, maxime celebris, fuitque regia Crœſi, Lydorum regis. Unde Horatius, lib. I, *epist.* 11 :

Quid concinna Samos, quid Crœſi regia Sardis?

Quæres : Quis fuit hic Angelus, id eſt Epiſcopus, Sardenſis? Reſpondet Aureolus, et Antiochus Bronchus Sardus, qui in tria prima capita Apocalypſeos commentarium edidit, fuiſſe S. Melitonem. Hunc enim paulo poſt hæc tempora fuiſſe Epiſcopum Sardenſem, et anno Chriſti 172 apologiam ſcripſiſſe ad Antoninum Imperatorem pro Chriſtianis, docet ex Euſebio in *Chron.* Baronius. Eumdem Euſebium, lib. IV, cap. XXVI, laudat a doctrina, caſtitate et ſanctitate, atque eum Sardis requieſcere. Addit Aureolus eum fuiſſe Martyrem, ſed hoc non habet Euſebius. Verum B. Melitoni non convenit, quod ait hic Joannes : « Nomen habes quod vivas, et mortuus es. » Rurſum Joannes ſcribit hic Epiſcopis præſentibus, non futuris. Melito autem ſeptuaginta annis vixit poſt S. Joannem, ſcilicet anno Chriſti 172. Ita Lyranus, Pererius et Alcazar. Incertum ergo eſt quis fuerit hic Epiſcopus.

Nonnulli cum Eraſmo hæc adaptant Lucifero Sardo, Calaritano Epiſcopo (Eraſmus enim in *Notis* ad dialogum S. Hieronymi *Contra Luciferanos* cenſet Luciferum non Calaris, ſed Smyrnæ Epiſcopum, fuiſſe auctorem Luciferianorum, ſed errat), qui cum SS. Athanaſio et Hilario generoſiſſime reſtitit Conſtantio Imperatori et Arianis ; ſed tandem ſchiſma fecit ab Eccleſia, eo quod illa Epiſcopos Arianos pœnitentes reciperet, quos ipſe nimis rigidus cenſebat non recipiendos. Quocirca ei convenit, quod hic dicitur : « Nomen habes quod vivas, et mortuus es. » Imo in morte hac et ſchiſmate eum obiiſſe tradit Rufinus, et ex eo Baronius. Verum Luciferum reſipuiſſe, et ad Eccleſiam rediiſſe, et in ſancta ejus pace obiiſſe multis rationibus ſatis nervoſis probare contendit Antiochus Bronchus, Sardus et ipſe ac Calaritanus, ſcribens in cap. II *Apoc.*, diſp. 11, quæſt. II, ac præſertim ex eo quod S. Hieronymus, Nazianzenus, Hilarius et alii Patres eum beatum nominent, magniſque laudibus celebrent. Rurſum quod Sardi et Vercellenſes publice eum ut Sanctum colant et invocent, ac in ejus honorem baſilicam juxta Calarim erexerint, quæ etiamnum extat. *Adaptant* dico : nam certum eſt ad litteram Joannem hic non loqui de Lucifero ; fuit enim Lucifer Sardus, id eſt in Sardinia Calaris urbis Epiſcopus : Joannes autem loquitur Epiſcopo urbis Sardis quæ erat in Aſia. Rurſum Lucifer ducentis annis vixit poſt S. Joannem.

HÆC DICIT QUI HABET SEPTEM SPIRITUS DEI, ET SEPTEM STELLAS. — « Spiritus, » id eſt angelos Eccleſiæ rectores, uti dixi cap. I, vers. 4 : « ſtellas, » id eſt Epiſcopos, *q. d.* Verſaris, o Epiſcope Sardenſis, inter ſanctos Angelos et Epiſcopos, pudeat ergo te unum non ſancte vivere, pudeat te officium Epiſcopale, in quo alii aut fervent, aut ſeri ſunt, negligere ; pudeat te degere in morte animæ, qui alios vivificare debueras.

Aliter Alcazar : ipſe enim per ſeptem ſpiritus accipit ſeptem virtutes ad regimen neceſſarias, quas habet Chriſtus, quaſque ſuis Epiſcopis imitandas proponit, ſcilicet beneficentiam, æquitatem, ſapientiam, patientiam, fortitudinem, comminationem et ſeveritatem. In ſingulis horum deficiebat Epiſcopus Sardenſis, in regimine ſuorum fidelium. Ergo monetur hic, ut Chriſtum Chriſtique hoſce ſpiritus intueatur, ſeque in ipſis conſideret, quam longe ab iis abſit ; ac proinde ſe corrigat, et ſpiritus, id eſt virtutes haſce, reſumat. Vide dicta cap. I, vers. 4 (1).

SCIO OPERA TUA, QUIA NOMEN HABES QUOD VIVAS, ET MORTUUS ES. — Ergo fuit hic Epiſcopus in ſtatu peccati mortalis, *q. d.* Scio, et non curo, non æſtimo opera tua bona quæ facis : quia, eſto nomen habeas quod vivas, revera tamen coram Deo mortuus es : ita Alcazar. *Secundo* et ſimplicius, *q. d.* Scio opera tua tam bona, quam mala, ſcio mores, ſcio ſtatum tuum, quod ſcilicet videaris vivere, et multa bona operari, cum revera ſis mortuus, et opera tua ſint mortua, non viva. Vide hic, quam judicia Dei diſcrepent a judiciis hominum.

*Nota,* « mortuus es, » id eſt vita gratiæ excidiſti per peccatum. Nam, ut ait S. Auguſtinus, et ex eo Iſidorus, lib. I *De Summo bono* : « Vita corporis anima, vita animæ Deus ; et ſicut corpus mortuum eſt ſine anima, ita anima mortua eſt ſine Deo. »

Quæres : Quodnam fuit hujus Epiſcopi peccatum? *Primo,* Rupertus cenſet hoc peccatum fuiſſe carnale, occultæ libidinis, ideoque taceri hic a S. Joanne. Hæc mera eſt ſuſpicio non habens ſufficiens in textu fundamentum.

*Secundo,* Lyranus cenſet fuiſſe hypocriſin, qua ſanctitatis ſpecie, occulta peccata tegebat.

*Tertio* et optime, Primaſius, Beda et Alcazar docent hoc peccatum fuiſſe negligentiam in paſtorali et Epiſcopali munere, puta eum negligentem fuiſſe in docendo, monendo et corrigendo populo, in debilibus confirmandis, in ſcandalis avertendis, in hæreſibus reprimendis, etc. Multi enim ſunt, qui ſibi boni ſunt, non aliis ; multi boni ſunt fideles, ſed non boni Epiſcopi ; multi ſunt bonæ oves, ſed non boni Paſtores. Multi rurſum exterius videntur benigni, gratioſi, inſignes, eo quod externum Eccleſiæ cultum, altarium ornatum, fabricæ ſplendorem, largas eleemoſynas, etc., egregie curent, ſed interna, puta ſuorum vitia, ignorantiam, pericula ſalutis negligunt, cum hoc ſit potiſſimum Epiſcopi officium. Hi proinde hominibus externa ſpectantibus videntur eſſe vivi, laudabiles et ſancti, cum coram Deo ſint mortui. Talis erat hic Sardenſis. Id ita eſſe patet ex verbis textus : corrigens enim hunc ejus defectum Chriſtus ait : « Eſto vigilans : » deficiebat ergo in vigilantia curæ paſtoralis ; « et confirma cætera, quæ moritura erant : » deficiebat ergo in ſuorum cura, quod per ejus negligentiam multi ſpiritualiter eſſent mortui. « Si ergo non vigilaveris, veniam ad te. » Ecce hæc omnia arguunt Epiſcopi defectum fuiſſe deſidiam et incuriam in paſcendo gregi ſibi commiſſo (1).

(1) « Qui habet ſeptem, » etc., id eſt qui ſumma regit poteſtate altiſſimos ſpiritus, qui cap. I, 4, Dei thronum circumdare dicuntur ; et Paſtores Eccleſiæ, I, 20.

O quanta in Epiſcopo vigilantia requiritur, qui quaſi Argus non unam, ſed tot millenas animas cuſtodire, curare, paſcere et ſalvare debet, æque ac ſuam! O quam multi Prælati pereunt, non quod ſcelerate vixerint, ſed quod aliorum ſibi creditorum ſcelera non correxerint!

Plinius ad Veſpaſianum : « Vita, ait, mortalium vigilia, » imo « vita Paſtorum vigilia, vita Epiſcoporum vigilia. » Apollonius Tyanæus cum Veſpaſianum nondum Imperatorem diluculo ad tractanda negotia ſurgere comperiſſet, dixiſſe fertur, ἀνὴρ ἄρξει, hic vir imperabit. Ita Philoſtratus in *Apollon.* Hinc illud Veſpaſiani emblema : « Imperatorem decet ſtantem mori. » Id ſenſit Annibal, de quo Silius, lib. II :

Fœnus ut ad ſomnos vix totam curſibus actæ
Indulſit paſſi noctem, vigil ille, nec ullam
Ad requiem facilis, credenſque abſcedere vitæ
Quod ſopor eripiat tempus.

Hujus vigilantiæ ſymbolum eſt delphinus, qui teſte Æliano, lib. XI, cap. XXII, perpetuo movetur, etiam cum dormit : tunc enim ex ſumma aqua in profundum deſcendit, donec terræ fundum attingat, cujus pulſu ex ſomno excitatur : ita nunquam a motu quieſcit. Ejuſdem ſymbolum eſt leo, qui apertis oculis dormit : unde ante fores templorum et palatiorum ſculpere ſolent leones, quaſi cuſtodes pervigiles. Ejuſdem ſymbolum eſt ſol ſculptus in ſepulcro Joſue ; cum enim Joſue, dux vigilantiſſimus et fortiſſimus, proſecuturus victoriam contra Chananæos, ſolem imperio ſuo ſtitiſſet, Hebræi in tanti viri et miraculi memoriam, ſtatuam ſolis in ejus tumulo collocarunt. Vide P. Serarium in cap. XXIV Joſue. Vulgatum eſt iſtud :

Vigili ſtant bella magiſtro.

Memorabile eſt dictum Joannis d'Avila, quem a ſanctitate et concionandi efficacia celebrat Hiſpania : Tot, ait, tantæque ſunt Paſtorum obligationes, ut qui vel tertiam earum partem reipſa impleret, ſanctus ab hominibus æſtimaretur, cum tamen eo ſolo contentus, gehennam non eſſet evaſurus. Quin et S. Chryſoſtomus ſcribens in *Acta Apoſtolorum*, magno cum animi ſenſu aſſerit paucos ex Epiſcopis ſalvari, eo quod difficillimum ſit tot animarum eis creditarum bonam rationem reddere. Similia dicunt alii Patres, quos citavi I *Timoth.* cap. III, vers. 1.

(1) Recte vult Boſſuetius, hæc omnia non de ſolo Epiſcopo, ſed de illo tanquam unito Eccleſiæ ſuæ, intelligi, ita quidem ut fieri poſſet quod Epiſcopus ipſe eſſet innocens, ſeu irreprehenſibilis, dum propter vitia populi ejus, gravia illi [illegible]; quamvis utique probabile ſit Epiſcopum non eſſe ab omni culpa immunem.

Quocirca Pius V Pontifex dicere ſolebat Papatum non eſſe rem deſiderabilem, ſeque in eo tot moleſtias et labores experiri, ut cum iis paupertas, diſciplina et labores omnes quos in vita Religioſa ſubierat, nullo modo eſſent comparandi. Quare quoties Religionis recordabatur, ſuſpirabat aſſerebatque ſe nunquam et nuſquam niſi in illa inveniſſe quietem. Imo addebat ſe æſtimare Papatum eſſe impedimentum ſalutis æternæ. Unde mox ut creatus fuit Pontifex, expalleſcens et quaſi horrore perfuſus : « Ego, inquit, quamdiu fui Religioſus, bene ſperavi de mea ſalute, factus Cardinalis cœpi timere, jam creatus Pontifex pene de ea deſpero. » Hæc vere Pius, qui, ſi ullus hoc ſæculo, eo gradu fuit dignus, cumque prudentia, fortitudine, ſanctitate et miraculis illuſtravit, ut merito fideles preces et vota ad ejus ſepulcrum nuncupent, atque de eo canonizando hic Romæ tractetur.

Hoc domeſticum exemplum ſecutus Cardinalis Alexandrinus, Pii V nepos, jam moriturus, « Quam, inquit, in hac hora optarem totam vitam in Religione mea (fuerat enim Dominicanus, æque ac Pius V) tranſegiſſe! Sane jam mallem me tota vita ſerviſſe coco monaſterii mei, quam Cardinalem egiſſe. »

Nicolaus IV, ex Franciſcano creatus Pontifex, aiebat ſe malle eſſe Fratrum cocum, quam Cardinalem.

Paulus III Pontifex animam agens : « Mallem, ait, me ſubjeciſſe coco familiæ Capucinorum, quam hanc Deo proximam, ſex et decem annorum curriculo dignitatem ſuſtinuiſſe. » Ita refert P. Jovius in ejus Vita.

Similia plures in illo articulo dixerunt. Nimirum ille aperit homini oculos, dum tranſacta omnia vana æque ac oneroſa fuiſſe oſtendit, ac pandit inſtans iter ad judicium. Verum, dum vivimus et valemus, honor et voluptas mentem ad ſe rapiunt, ut futura etiam brevi non cogitemus.

Macrobius in *Saturnal.*, auctor eſt, quod tempore Trajani Imperatoris fuerit quidam Romæ multis debitis obligatus, qui nihilominus in utramque aurem placide dormiebat. Cum igitur mortuus eſſet, et ejus bona ſub haſta venderentur, juſſit Imperator ut ſibi culcitra in qua ille dormire ſolebat, emeretur. Rogatus, cur? Reſpondit, fieri non poſſe, quin ea culcitra ad ſomnum capeſſendum magnam vim haberet. Nimirum hæc



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicto sugillavit et irrisit incuriam defuncti. Quam multi hodie Pastores tot tantisque obligationibus Deo et Ecclesiæ obstricti, nihilominus adeo secure dormiunt, ac si cum Pastoratu nullam suscepissent curam, nullam obligationem! Ex adverso sancti et sapientes Episcopi hoc onus ita pensarunt et ponderarunt, ut plures ex iis illud horrescentes Episcopatu se abdicarint.

Ita nimirum fecit S. Gregorius Nazianzenus, qui relicto Constantinopolitano Patriarchatu, rus concessit, ibique monachi vitam egit, ut habet ejus Vita. Idem fecit S. Adelbertus, Pragensis Episcopus, inde monachus et martyr. Idem prorsus præstitere Luridus Ficoclensis, Bonitus Arvernensis, Gaudentius Apsarensis, Martyrius Antiochenus, Justus Lugdunensis, Petrus Ravennas, Sergius Damascenus, Farulphus Gisternensis, Hildulphus Trevirensis, Deodatus item Trevirensis, Gondebertus Senonensis, Lambertus Florentinus Episcopi, qui omnes sanctitate, multi etiam miraculis fuerunt illustres, uti fusius enarrat B. Petrus Damianus, epist. 9 ad *Nicolaum II* Pontificem, ubi ab eodem licentiam petit idem faciendi, ut relicto Cardinalatu et Episcopatu Ostiensi, liceat sibi ad monasterium regredi. Addiditque duorum illustrium Episcoporum exempla, quæ, quia rara sunt, hic attexam. Prior est B. Nonnus, qui S. Pelagiam, antea meretricem, convertit; de eo sic ait: « B. Nonnus, qui et Hippolytus, postquam triginta millia Sarracenorum ad Christi fidem efficacissima prædicatione convertit; postquam S. Pelagiam de lupanaribus ad Ecclesiæ pudicitiam provocavit, postquam denique nonnullos sanctarum expositionum libros luculenter explicuit, tandem Episcopatum deseruit, de Antiochenis partibus, unde erat oriundus, Romanos fines appetiit. Cumque B. Aurea apud Ostiam civitatem, saxo cervicibus alligato, in marinis fluctibus martyrium consummasset, B. Nonnus sanctum cadaver pro devotione collegit, et cum omni diligentia tumulavit. Quem mox idem persecutor, qui dicebatur Ulpius, juxta Tiberis alveum in foveam aquis plenam mergi præcepit; cujus postmodum corpus consummato triumphali martyrio, in civitate quæ dicitur Portus, Christiana devotio sepelivit; illico audita est vox velut infantium per unam fere horam clamantium: Deo gratias. » Censet ergo B. Petrus Damianus, B. Nonnum, qui S. Pelagiam convertit, fuisse S. Hippolytum Portuensem Episcopum et Martyrem, qui ab Ulpiano Jurisconsulto et Præside martyrio affectus est sub Alexandro Severo, anno Domini 229, cujus memoriam celebrat Ecclesia quotannis 21 augusti, eique statua marmorea erecta est, cui incisi sunt sedecim ejus cycli Paschales, quæ exstat in Bibliotheca Vaticana: fuit enim vir admodum eruditus, qui multa scripsit. Verum hoc recte refellit Baronius in *Martyrologio*, octobris 8, ubi docet Pelagiam et Nonnum vixisse sub Theodosio Juniore, Hippolytum vero longe anterius sub Numeriano et Alexandro, vigente persecutione.

Alter est S. Arnulphus, Pipini pater et Caroli Magni avus. Hic relicto Ducatu Lotharingiæ, ex spiritus fervore monasterium juxta Mosellam iniit: inde abstractus, creatus est Metensis Episcopus; sed suæ salutis et perfectionis stimulis agitatus, in Episcopatu successorem sibi deligens, rursus eremum petiit, ibique usque ad felicem obitum vixit. Horum exempla imitari satagens B. Petrus Damianus, ita epistolam concludit: « Horum igitur aliorumque Patrum auctoritate suffultus, Episcopatui simul et monasteriis in sanctis manibus vestris irretractabiliter abrenuntio; et quia pro innumeris peccatis meis, non sum dignus in Ecclesiastica dignitate persistere, det mihi divina misericordia per orationes vestras, venerabilis Pater, eo ipso vitæ quod restat, in luctu et pœnitentia permanere. Confiteor enim, quia criminosus simul et vitiosus ad honorem hunc, et non sine reprehensione perveni, et in eo reprehensibiliter vixi; ideoque mihi tutum visum est, ut ipse me potius sponte deponerem, quam ante tribunal tremendi judicis, in conspectu omnium angelorum et hominum, depositionis sententiam sub æterna damnatione subirem. » Omitto Cœlestinum Summum Pontificem, qui fuit fundator Cœlestinorum, ac resignato Papatu, inaudito a sæculis exemplo, ad eos se recepit, atque miraculis clarus Sanctorum catalogo ascribi meruit. Et B. Petrum Damianum qui, abdicato Cardinalatu et Episcopatu Ostiensi, ad suos Camaldulenses se recepit. Nostro sæculo Alfonsus Ramirius Vergara, celebris Hispaniæ Doctor, morti proximus duo aiebat sibi a Deo præbita æternæ salutis pignora: unum, quod non sivisset Episcopum fieri; alterum, quod animæ suæ magistrum P. Villanovam dedisset, quem angelum Custodem suum nuncupabat. Ita P. Sacchinus in *Annal. Societatis Jesu*, ad annum Domini 1557, num. 135.

Nomen habes quod vivas, — id est viventis. Hinc putant aliqui nomen hujus Episcopi fuisse Zozimus, id est vivus, *q. d.* Falso vocaris Zozimus, id est vivus; revera enim es mortuus. Sic ait Noemi *Ruth.* I, 20: « Ne vocetis me *Noemi*, id est pulchram; sed vocate me *Mara*, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. »

Verum hæc mea est conjectura, ideoque incerta: illud certum, hunc Episcopum vulgo bene audisse, et habuisse bonum nomen et famam, quasi qui pie et sancte viveret. Ita Lyranus.

Negat tamen hoc Alcazar. Quomodo enim, inquit, sanctitatis famam habere potuit is, qui tam erat socors et in officio Pastorali negligens, ut coram Deo esset mortuus? Respondeo, quia homines externa et splendida considerant; interna et quæ Dei sunt, ac propriæ obligationis Episcopalis, non penetrant, uti paulo ante dixi.

Rursum Alcazar censet hic alludi ad nomen stellæ, *q. d.* Elegi, et vocavi te stellam, posuique



te unam inter septem illustres Asiæ, ut esses stella, id est lux viva et semper fulgens. Et tu tua desidia tuam stellam exstinxisti, eamque fecisti quasi mortuam, quæ nullam exempli ac doctrinæ lucem emittit.

Hæc apta satis est allusio, non tamen genuinus sensus. Sic enim potius dixisset: Habes nomen stellæ lucentis, sed es stella exstincta. Nomen enim lucis et caliginis potius competit stellæ, quam nomen vitæ et mortis. Nomen ergo significat famam, uti dixi.

2. Esto vigilans, — ad cognitionem defectuum tuorum et gregis tui. Alludit ad nomen stellæ semper lucentis, et noctu quasi semper vigilantis et excubantis, atque ad nomen Episcopi; Episcopus enim græce idem est, quod inspector. Ergo ejus proprium munus est jugiter vigilare, et totam Ecclesiam suam inspicere et circumspicere, ut per omnia ei provideat, lapsa restauret, stantia perficiat et exornet. Unde S. Paulus II *ad Timoth.* cap. IV, 5: « Tu vero, ait, vigila. » Porro vigilare Episcopi idem est, quod sui gregis curam habere, eique de omnibus providere, ait Primasius et Beda. Nam Pastoris dormitantia, æque ac canis somnus gregem manifesto luporum et mortis discrimini exponit. Pastorum ergo et principum est excubare et vigilare. Præclare Parmenio, cum Græci ægre ferrent Philippum Macedonum regem per diem nonnihil interquiescere, ideoque se ad ejus colloquium non admitti, excusans eum ait: « Ne miremini, si nunc dormit Philippus: nam cum vos dormitis, ipse vigilat. » Ita Plutarchus in *Apophthegm.*

Tangit hic duo Episcopi officia, quæ in hoc Episcopo desiderabantur, scilicet vigilare et confirmare, de quo subdit: « Confirma cætera, quæ moritura erant, » hoc est, bona opera quæ inchoata erant non omitte, sed prosequere, quoad consummentur. Si enim omissa fuerint, indubie morientur, desinent et evanescent, tam opera, quam operum merita. Ita S. Gregorius, III part. *Pastor.*, admon. 35, et Andreas Cæsariensis. His favent Græca Regia, quæ sic habent: ἃ ἤμελλες ἀποβάλλειν, id est *quæ futurum erat ut amitteres; quæ*, scilicet opera et merita. Verum noster interpres legit: ἃ μέλλει ἀποθανεῖν, id est *quæ moritura erant.* Audi S. Gregorium: « Si quod videtur gerendum, sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum, decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi navis est, contra vim fluminis connitens, quæ uno in loco nequaquam stare permittitur: quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Hinc est enim quod per Salomonem dicitur: Qui mollis et dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis. Quia videlicet qui bona cœpta districte non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hinc Sardis Ecclesiæ angelo dicitur: Esto vigilans, et confirma cætera, quæ moritura erant: non invenio opera tua plena coram Deo meo. Quia ergo plena coram Deo ejus opera inventa non fuerant, moritura reliqua etiam quæ erant gesta, prædicebat. Si enim quod mortuum in nobis est, ad vitam non accenditur, hoc etiam extinguitur, quod quasi adhuc vivum tenetur. » Hoc mysticum est, sed verum.

*Secundo*, Ambrosius: Moritura, inquit, sunt opera etiam optima, nisi per charitatem vivificata et confirmata fuerint. Notat Rupertus τὸ *confirma cætera* innuere non omnia in hoc Episcopo fuisse mortua, sed aliqua viva. Vivebat enim in eo, licet languide, Pastoralis cura, prædicatio verbi Dei, administratio Sacramentorum. Vivebat vicissim plebis erga illum reverentia et obedientia. Verum hæc quoque moritura erant, id est illi auferenda, si ipso pœnitentiam non agente Deus peccatum ejus publicaret, itaque Episcopatu indignum demonstraret.

*Tertio*, Haymo explicat dupliciter. *Primo*, « confirma cætera, quæ moritura erant, » *q. d.* Si vis vivere, cave ne tuorum operum laudem ab hominibus requiras, « ne intentionem operis elatio vitiet favoris. » *Secundo*, si vis ut opera bona, quæ in peccato existens fecisti, vivant, fac pœnitentiam: per hanc enim opera bona in peccato facta vivificantur. Sed hic est error. Illa enim opera fuerunt et sunt mortua, ergo per pœnitentiam vivificari non possunt.

Melius Pererius ex hoc loco evincit, opera bona per peccatum sequens mortificata, reviviscere per pœnitentiam. Nam hic Episcopus erat per peccatum mortuus. Unde opera ejus bona præcedentia per peccatum sequens mortificata erant, planeque moritura, nisi ipse per pœnitentiam ea vivificaret et confirmaret.

*Quarto*, optime et plane genuine Primasius, Beda, Lyranus, Pererius et Alcazar, hæc non ad opera Episcopi, sed ad ejus gregem et subditos referunt. « Cætera » ergo, id est cæteros. Dicit tamen *cætera* in genere neutro, tum quia scribens græce respicit ad πρόβατα, id est *oves*, quod græce est neutrum; tum quia Scriptura genere neutro solet significare universitatem tam personarum quam rerum, puta omnes. Sensus ergo est, *q. d.* Multi tui subditi ob tuam dormitationem et incuriam spiritualiter sunt mortui; cæteri pariter morientur, nisi tu illis invigiles, eosque in fide et virtute confirmes. Hoc est quod Christus jussit Petro, et in eo omnibus Pastoribus: « Confirma fratres tuos, *Lucæ* XXII, 32. Porro confirmatio sequitur ex vigilia. Vigilante enim Episcopo, confirmantur subditi per Episcopi inspectionem, exhortationem, providentiam, etc. Hinc Deus incurios Pastores increpat per *Ezech.* dicens cap. XXXIV, vers. 4: « Quod infirmum fuit, non consolidastis. » Unde iis se quasi bonum Pastorem opponens dicit vers. 16: « Quod infirmum fuerat, consolidabo. » Nota: non dicit: « Quæ moritura sunt, » sed, « Quæ moritura erant, » ut significet se sperare et plane confidere Episcopum hac Christi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

monitione se correcturum, facturumque ut non moriantur, quæ alias moritura erant.

Disce hic salutem et prædestinationem, æque ac perditionem et damnationem subditorum pendere sæpe a cura vel incuria Pastorum. Eorum enim salus æterna sæpe per eorum curam procuratur, per incuriam evertitur, ut damnentur, quos salvare poterant et debebant.

NON INVENIO OPERA TUA PLENA CORAM DEO MEO. — « Plena, » id est perfecta, idque *primo*, quia, ut arbor florida, sed infructuosa, pietatis habes speciem, non fructus et opera; *secundo*, ut Andreas, quia non est constans, nec perseverans in bono agendo; *tertio*, Ambrosius : Opera, inquit, illius « non erant plena, » sed inania, quia non replebantur charitate; *quarto*, Haymo : Opera ejus, licet in se bona, « non erant plena, » quia non bona intentione ab eo fiebant, sed ex appetitu inanis laudis et gloriæ, inquit Joachim. Rursum, quia mixta et contaminata erant aliis malis operibus; *quinto*, Dionysius Carthusianus : « Non erant plena, » quia tepida et remissa; *sexto*, « non plena, » quia Prælato non satis est esse bonum sibi, sed bonus etiam aliis sit oportet, ut eos instruat et perficiat. Ita Beda. Rursum, « non plena, » quia non ad omnes, etiam inimicos, juxta exigentiam charitatis, hæc ejus opera se extendunt. Proprie ergo hujus Episcopi opera non erant plena, sed vacua et inania, *primo*, quia carebant charitate, in qua consistit operum plenitudo. Erat enim ipse per peccatum mortuus : opera ergo hæc illius non plena erant, sed vacua charitate, et consequenter merito; *secundo*, quia hic Episcopus hypocrita erat : ergo opera illius speciosa exterius, et vento gloriæ tumida erant, sed intus vacua pietate, spiritu et merito; *tertio* et maxime genuine, « non erant plena, » quia dormitans in cura gregis non vigilabat, nec confirmabat moritura, uti paulo ante dixit; itaque non explebat ea, quæ erant sui muneris et officii. Hoc est quod Timotheo præcipit Paulus : « Ministerium tuum imple, » II *Timoth.* IV, 5. Huc spectat dictum d'Avila, quod citavi vers. 1, post medium, et illud S. Hieronymi *ad Paulinum* : « Nihil in te mediocre esse contentus sum : totum summum, totum perfectum desidero. » Quare perperam nonnulli Scholastici per opera non plena intelligunt opera remissa, et minus intensa ipso habitu; hincque probant ea non mereri augmentum sui habitus. Hoc enim subtilius est, et parergon hoc loco; hic enim Episcopus mortuus erat, ac proinde carens habitu gratiæ et charitatis, quæ omnis meriti est fundamentum. Erat ergo extra statum merendi. Ita Gabriel Vasquez I II, tract. *De Merito*.

Moraliter, opera patientiæ plena non sunt, quando quis vult pati hanc contumeliam, non illam; ab hoc, non ab illo; hunc morbum et calamitatem, non illam; hanc crucem, non aliam. Perfecta enim patientia opus perfectum habet, omnesque cruces, morbos et contumelias indifferenter amplectitur, a quocumque inferantur. Patientia plena et perfecta est, « quæ facit ut sit insensibilis ad injuriam sicut lapis, » uti Ammoni Abbati per Dei gratiam eventurum prædixit S. Antonius in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. IX. Perfecte patiens est, qui cum Davide dicit in adversis æque ac prosperis : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. » Et cum S. Job : « Dominus dedit, Dominus abstulit : sit nomen Domini benedictum. » Et cum S. Servulo pressus paupertate et morbo jugiter psallit Deo nocte æque ac die, de quo S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XIV.

Humilitas plena non est, cum quis honorem non ambit, sed se despici non patitur ; cum quis cupit audire vilis et abjectus, sed non parvi cerebri, imprudens, indoctus, superbus. Humilitas plena est, ait Abbas Motois in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XIII, « quæ nec irascitur, nec alios irasci permittit. » Rursus, « quæ indulget priusquam rogetur. » Ad hæc, « quæ imperturbabilis est. » Denique, « quæ benedicit eis, qui sibi maledicunt; » quæque se subdit non tantum superiori et æquali, sed et inferiori cuilibet, uti Christus Joanni Baptistæ, dum ab eo baptizaretur, dicens : « Sic nos decet implere omnem justitiam. »

Obedientia plena non est, cum quis huic Prælato vult obedire, non illi; cum quis jussa sibi grata et placentia læte amplectitur, non ingrata et displicentia; cum quis voluntatem Superiori submittit, non judicium. Obedientia plena est, quæ ad omnia imperata, vel permissa a Deo dicit cum Psalmista : « Factus sum tanquam surdus non audiens, et sicut mutus non aperiens os suum; » quæ nihil discernit, nihil dijudicat, ex his quæ ei fuerint præcepta, ait Cassianus, lib. IV *Instit.*, XII, quæ dicit et sentit : « Ut jumentum factus sum apud te. »

Charitas plena non est, quæ hunc amat, non illum; amicum, non inimicum; civem, non exterum. Charitas plena est, quæ proximi cujuslibet onera portat ut sua, imo quæ proximum quemlibet sibi præfert; quæ proximi opus perficit, et suum relinquit imperfectum, ut faciebat Sanctus ille in *Vitis Patrum*, lib. V, cap. XVI. Denique quæ omnia dura pro Dei gloria, proque proximorum salute lubens suscipit et amplectitur, quæ opere diligit, non ore; quæ plus provocat exemplo, quam verbo. Præclare S. Hieronymus Nepotianum sacerdotem docet : « Non confundant, ait, opera tua sermonem tuum, ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent. »

3. IN MENTE ERGO HABE QUALITER ACCEPERIS, ET AUDIERIS. — « Acceperis » id est institutus et eruditus sis. Hebr. enim לקח *lecach*, id est acceptio,



significat doctrinam a præceptore acceptam. Pro *qualiter* græce est πῶς, id est *quomodo*; sed πῶς ponitur pro ποῖα, id est *qualia*. Imitatur S. Joannes Septuaginta, qui ita sæpe vertunt Hebræum אשר *ascer*, quasi esset כאשר *caascer*. Sic Terentius ait : « Ita est homo, » pro *talis est*. Plinius, lib. VIII, cap. XLVIII : « Antiquis, ait, torus e stramento erat, qualiter (id est *qualis*) tunc etiam in castris gausape. »

SI NON VIGILAVERIS, VENIAM AD TE TANQUAM FUR. — Solent desides et dormientes in suis vitiis proponere et polliceri sibi pœnitentiam in fine vitæ. Hisce minatur Christus, se ex improviso venturum, quasi furem, eosque morte, tum præsenti, tum æterna obruturum. Hæc enim congrua est pœna, hoc justum Dei judicium, ut qui, cum pœnitere possent, et noluerunt, pœnitere non possint dum volunt; ut tempus pœnitendi eis negetur, qui tempus a Deo datum neglexerunt; ut somnus peccatorum somno mortis et gehennæ puniatur; itaque æternum dormiant in gehennæ ignibus, qui hic dormitarunt in acediæ lectulis. Idem minatur Christus, *Matth.* XXIV, 43; *Apocal.* XVI, 15; I *Thessal.* V, 2. Præclare S. Hilarius, can. 26 *in Matth.*, in fine : « Paratos, ait, nos esse convenit, quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ exspectationis exagitat. » Quocirca Ægyptii, ait Horus Apollo, lib. II, *hierogl.* 24, volentes significare mortem, pingebant nycticoracem. Sicut enim hic derepente pullos cornicum noctu, sic et mors homines nec opinantes invadit atque obruit.

4. SED HABES PAUCA NOMINA, — id est paucos Christianos vere fideles, pauca capita nominatim recensita. Ita ὀνόματα sunt ἄνθρωποι apud Senecam, lib. V *De Benefic.*, cap. XXII, et alios. Hinc illud Tibulli in *Eleg.* : « Nec fidum femina nomen. » Et Horatius : « Pater o relictum filiæ nomen. » Sic Dei nomen vocatur ipse Deus nominatus, ut *Deuter.* XVIII, 5 : « Ipsum elegit Dominus Deus tuus, ut stet et ministret nomini Domini; » *Psalm.* V, 12 : « Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum; » *Jerem.* XXV, 26 : « Juravi in nomine meo magno, ait Dominus. » *Nomina*, inquit Ambrosius, dixit pro viris nominatis et famosis ob eximiam virtutem, qualis est inter malos esse bonum, et innocentiam baptismalem conservare, idque suo studio sine pastoris cura, imo in tanta ejus incuria. Sic *Exodi* XXXIII, dixit Deus Mosi viro perfectissimo : « Novi te ex nomine. » Unde explicans subdit Joannes : « Qui non inquinaverunt vestimenta sua. »

« Pauca ergo nomina » vocat paucos fideles et sanctos, quorum Deo nota sunt nomina, id est quos novit et amat, quorumque nomina scripsit in libro vitæ. Ita Beda, Ambrosius, Haymo, Alcazar et alii.

Alludit ad milites, qui nomen dant militiæ; horum enim nomina a duce catalogo militum inscribuntur. Rursum ad Pastores et Episcopos, qui nomina fidelium dum baptizantur, catalogo Christianorum inscribunt. Denique alludit ad librum vitæ, cui Deus eos inscripsit inchoate per gratiam, et perfecte inscribet per gloriam, si in gratia usque ad finem vitæ perseverent. Addit Alcazar, recte Christianos appellari *nomina*, quia in baptismo dantes nomen Christo, testati et professi sunt se debitores esse imitationis Christi. Nomina enim sæpe apud Græcos et Latinos significant debita et debitores. Hoc subtilius est, quam solidius.

QUI NON INQUINAVERUNT VESTIMENTA SUA, — id est, qui luxuriæ sordibus non inquinaverunt corpora sua, quæ sunt quasi vestimenta animæ, ait Aretas.

*Secundo*, Alcazar per vestimentum accipit conscientiam. Hæc enim mundatur et inquinatur.

*Tertio* et aptius, vestem vocat puritatem et innocentiam, quam cum veste candida in baptismo acceperunt et conservarunt, vel certe peccato inquinatam per pœnitentiam repararunt. Ita Ambrosius, Haymo, Beda et Ribera. Innocentia enim et puritas est quasi vestis et stola animæ, ejus nuditatem tegens, eamque mire exornans; unde propter eam promittit ei vestes splendidas gloriæ cœlestis : « Qui vicerit, inquit, sic vestietur vestimentis albis. » Alludit ad vestem candidam quam accipiebant in baptismo certo ritu et formula, qua monebantur eam conservare, ut illibatam eam proferrent Christo venienti ad judicium, de qua dixi *Rom.* VI, 3 et 4. Huc facit illud *Eccles.* IX, 8 : « Omni tempore vestimenta tua sint candida. » Hinc in monasteriis multis monacho dum vestitur, datur vestis candida, moneturque ut eam non inquinet, sed candidam conservet. Quocirca apte S. Paulinus *De Celso puero*, pauperes et abjectos spe futuræ gloriæ his verbis consolatur :

Jamque expeditis sarcinis egentibus,
Laxate vinculis pedes;
Ut copiosa luce vestiamini,
Estote nudi sæculo.

Verum, cur horum candidatorum Episcopo memoriam refricat? Respondet Alcazar, ut significet se propter paucorum illorum merita et orationes Episcopum non abjicere; sed ejus curam gerere, ideoque eum exhortari ad pœnitentiam. Rursum Episcopo proponit illustre subditorum exemplum, ut erubescat se ab illis sanctitate superari, et pravos mores emendare studeat.

ET AMBULABUNT MECUM IN ALBIS, — id est in purissima et splendidissima felicitate, in stola immortalitatis, claritatis et gloriæ. Sic enim de Beatis quasi albatis et gloriosis ait, cap. VII, vers. 9 : « Amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. » Aliter Alcazar : Promittit, inquit, Christus eis vestes albas, id est, maximam bonæ conscientiæ jucunditatem, qua fruuntur justi in hac vita.

5. QUI VICERIT (peccatum, et statum peccati in quo versatur : in eo enim degebat hic Episcopus Deo mortuus. Hic status alter est, quia tristis, mi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ser et funestius : unde si eum vicerit, et a peccato resurrexerit per pœnitentiam, promittit ei quod) VESTIETUR ALBIS, — scilicet stola gloriæ jam dicta. « Non est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina, » ait S. Ambrosius in *Offic.*

ET NON DELEBO NOMEN EJUS DE LIBRO VITÆ, — id est, dabo ei donum perseverantiæ, nec sinam eum labi in mortale peccatum, quo justitiam amittat. Ita Pererius.

*Secundo*, Ambrosius et alii : Liber, inquiunt, vitæ est immutabilis, et qui semel in eo scriptus est, deleri non potest : delentur tamen aliqui non secundum veritatem, sed secundum existimationem hominum, qui putabant eos esse sanctos et scriptos in libro vitæ, cum revera scripti non essent, quasi dicat : « Non delebo eum, » id est, declarabo eum non fuisse deletum de libro vitæ. Sic et Augustinus in *Psalm.* LXVIII, 29 : « Deleantur de libro viventium. » *Deleantur*, inquit, non revera, sed secundum opinionem et spem ipsorum. Cum enim præter spem videbunt se esse de numero damnatorum, quasi deleti esse videbuntur de libro vitæ. Objicit huic expositioni S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* XXIV, art. 3, non deleri de libro vitæ promitti hic Sanctis quasi mercedem a Deo ; hæc autem merces non est sita in opinione hominum. Respondet Pererius esse miosin : per negationem enim significari affirmationem, quasi dicat : Palam faciam eum esse de numero Sanctorum, canonizabo illum. Hæc enim ingens est merces, laus et gloria Sanctorum.

*Tertio*, Ribera : « Non delebo, » id est, ait, non damnabo eum, sed perpetua gloria vivere faciam. Est metonymia; ponitur enim objectum pro potentia vel actu, scilicet liber pro gloria, ad quam quis in libro conscriptus est. Proprie enim de libro vitæ nemo deleri potest.

*Quarto* et optime, S. Thomas, I p., *Quæst.* XXIV, art. 3 : Dupliciter, ait, scribuntur Sancti in libro vitæ : *Primo*, inchoate quoad præsentem justitiam, quomodo omnes Christiani in baptismo scribuntur in libro vitæ. Unde iis ait Paulus, *Ephes.* II, 19 : « Estis cives Sanctorum, et domestici Dei. » *Secundo*, complete quoad perseverantiam et gloriam. Primi deleri possunt; unde *Psalm.* LXVIII dicitur : « Deleantur de libro viventium. » Vide *canon.* 13 in S. Paulum. De talibus hic agit Christus, q. d. Qui vicerit et in victoria hac persisterit et perrexerit, non delebo, sed pergam eum scribere in libro vitæ, sicut eum ab initio victoriæ in eo conscripsi, ut si vincere pergat ad finem usque, reipsa adipiscatur gloriam, ad quam conscriptus est. Est enim miosis, uti recte notavit Pererius. Vide de libro vitæ ea quæ dixi *Philipp.* cap. IV, vers. 3 (1).

ET CONFITEBOR NOMEN EJUS CORAM PATRE MEO, ET CORAM ANGELIS EJUS, — agnoscam eum pro servo meo, ideoque faciam, ut non erubescat ob peccata præterita, quia ea per pœnitentiam delevit; sed potius eum pœnitentem, moresque corrigentem, et in emendatione ferventem, gloriosum efficiam, ejusque nomen celebrabo coram Deo et angelis.

7. ET ANGELO PHILADELPHIÆ ECCLESIÆ SCRIBE. — Hæc est sexta Christi epistola ad Episcopum Philadelphensem, in quo erudiuntur et monentur a Christo fideles, pietatis et Dei cultus studiosi, qui modicæ adhuc sunt virtutis, sed a Deo protectæ et felicibus eventibus auctæ : quales sunt novitii tum in fide, tum in Religione, ait Alcazar. Quocirca hæc ad Philadelphensem epistola, uti et illa ad Smyrnensem, nihil reprehensionis continet. *Primo* ergo, laudatur hic Episcopus. *Secundo*, prædicationis ei gratia et efficacia, qua etiam adversarios convertat, promittitur. *Tertio*, pollicetur ei Christus in tribulatione præsidium : unde ad constantiam et perseverantiam eum excitat.

*Quæres* : Quisnam fuerit hic Episcopus? Respondent Aureolus et Lyranus (qui ait hanc esse communem Interpretum sententiam) fuisse S. Quadratum, qui fuit doctus et celebris Martyr sub Adriano Imperatore, cui et librum, sive apologiam pro Christianis obtulit, quo et Adriani animum flexit, ut persecutionem in Christianos cœptam sisteret et inhiberet, teste Eusebio, lib. IV *Hist.*, III. Favet ratio temporis. S. Quadratus enim floruit sub annum Christi 125, id est, 28 annis post scriptam Apocalypsin. Verum obstat, quod S. Hieronymus et alii tradunt S. Quadratum fuisse Episcopum Atheniensem, non Philadelphensem. Unde Pererius, Alcazar et alii negant hunc Episcopum fuisse S. Quadratum, asseruntque incertum esse quis fuerit hic Episcopus.

HÆC DICIT SANCTUS (id est auctor et amator sanctitatis) ET VERUS, — id est verax et fidelis (hoc enim est Hebraice נאמן *neeman*, vel *amen*) in præstandis promissis, quæ pro veritate et sanctitate certantibus et vincentibus promisit. Ita Ribera.

*Secundo*, Alcazar : « Verus, » ait, id est perfectus : ut Philadelphius videat in Christo se necdum esse verum, id est perfectum, ac in eo consideret quantum a perfectione absit. Hinc græce est ὁ ἅγιος, ὁ ἀληθινός, id est *ille sanctus, ille verus*, scilicet antonomastice per excellentiam et principatum. Addit Alcazar, non duo, sed unum tantum hoc esse epithetum, scilicet, « Sanctus verus, » id est, qui habet veram sanctitatem, veram, id est, perfectam. Sic enim sæpe in Scriptura verum non opponitur falso, sed imperfecto, ut cum de Nathanaele ait Christus, *Joannis* I, 47 : « Ecce vere Israelita; » et de se : « Ego sum vitis vera, » *Joannis* XV, 1. Sic Eucharistiam vocat « panem de cœlo verum, » *Joannis* VI, 32; et cap. IV, vers. 23 : « Veri adoratores. » Et I *Timoth.* VI, 19 : « Ut apprehendant veram vitam. » Hic sensus aptior est, quia arctior est, magisque stringit. Proponit enim Christus Philadelphio, qui erat modicæ virtutis, suam sanctitatem perfectam quasi speculum et quasi scopum, ut ad eam aspiret et contendat.

(1) Similitudo hæc sumpta videtur a more civitatum, apud quas cives inscribebantur albo, et ex eo eradebantur, si indigni essent civium.



QUI HABET CLAVEM DAVID : QUI APERIT, ET NEMO CLAUDIT : CLAUDIT ET NEMO APERIT. — *Primo*, Rupertus, Ambrosius, Anselmus, Richardus, Lyranus, Joachim, Thomas, Pannonius et Viegas : Clavis David, inquiunt, est reseratio et intelligentia S. Scripturæ et omnium Prophetarum, inter quos David genere, gestis, regno, vaticinio eminuit, et ad vivum mysteria Christi expressit; ut, qui Davidem intelligat, cæteros Prophetas facile intelligere possit. Sic enim, *Lucæ* XI, 52, dicit Christus Scribis : « Tulisti clavem scientiæ. »

*Secundo*, Primasius accipit potestatem regiam Christi. Hæc enim dicitur clavis David, quia de Davidis stirpe natus est Christus, et quia David rex fuit typus Christi regis. Sicut enim David rex super carnalem Israel regnavit, sic Christus regnat super spiritualem, id est fideles (1).

*Tertio*, Ausbertus : Clavis hæc est Christus; unde non ait *quæ*, sed *qui*, scilicet Christus, « aperit. » Christus ergo est ostium, *Joannis* XX : « Ego sum ostium ; » et est clavis, et est claviger ipse qui aperit. Itaque Christus aperit intellectum ad credendum, voluntatem ad diligendum; aperit cœlum piis, claudit impiis.

*Quarto*, clavis quæ aperit paradisum est crux, ait Hugo et Albertus. S. Chrysostomus, homil. 4 *De Cruce*, et Alcazar : Crux, ait, Christi est veluti clavis, qua ipse cœlum aperuit, et velut instrumentum omnipotentiæ Christi, quod est clavis regia, qua omnes res claudi et aperiri possunt.

*Quinto*, clavis hæc cœli est pœnitentia, ait idem Hugo.

*Sexto*, S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XVII, art. 1, ad 2, hunc locum intelligit de clave et clausura, qua Christus resurgens limbum patrum clausit, ne quis ultra illuc descendat, quinque cœlum Adæ peccato clausum, sua morte nobis aperuit. Rursum, in responsione ad 3 : Clavis, inquit, inferni, qua ipse aperitur et clauditur, est potestas conferendi gratiam, per quam homini aperitur infernus, ut scilicet exeat a peccato, quod est porta inferni. Clauditur vero infernus præservando hominem, ne ultra in peccatum relabatur.

*Septimo* et optime : clavis hæc est templi Davidis et Salomonis, id est, est clavis Ecclesiæ, cujus typus erat vetus Judæorum templum. Clavis ergo hæc significat Christum habere summam potestatem in Ecclesia, ut illam aperiat iis quos per suam gratiam ad eamdem vocat; claudat vero, id est excludat ab ea quos habere noluerit, puta infideles, qui resistunt fidei et gratiæ Christi. Loquitur de Ecclesia quasi de una domo, puta templo, cujus claves habet Christus. Unde sequitur : « Ecce dedi coram te ostium apertum, » ut scilicet te prædicante, multi per gratiam meam ad fidem veniant, et Ecclesiam intrent, quos nec Domitianus, nec minæ, nec pœnæ prohibere poterunt; ostium enim apertum significat occasionem, opportunitatem, facultatem æque ac copiam conversionis hominum ad Ecclesiam. Christus enim ut homo (de eo enim hic agitur) est summus Dei in Ecclesia minister, Pontifex et Rex, imo Rex regum, et Dominus dominantium. Quocirca clavis hæc Christi ad aperiendum et claudendum regnum cœlorum, sine dubio includit potestatem excellentiæ ad remittendas non solum pœnas, sed etiam culpas; cujus participationem communicavit Apostolis, ait Franciscus Suarez, tract. *De Pœnitentia*, disput. XVI, sect. 2; unde recte ipse infert : Ergo Petrus et Apostoli habent potestatem absolvendi a peccatis, itaque aperiendi; ac ea retinendi, itaque claudendi cœlum. Ita in vita S. Joannis Chrysostomi legimus S. Petrum ei apparuisse, ac dedisse duas claves, dicendo : « Ego sum, qui confessus sum Filium Dei; habeto potestatem remittendi peccata : istæ claves sunto signum tuæ jurisdictionis. » Rursus hac clavi innuitur potestas et imperium Christi in mortem et infernum, de qua dixit, cap. I : « Ego habeo claves mortis et inferni. » Alludit enim ad persecutiones Ecclesiæ imminentes, *q. d.* Instant Ecclesiis graves vexationes; sed ego te, o Philadelphie, qui modicæ es virtutis, ab iis servabo immunem et indemnem : habeo enim claves tam Ecclesiæ, quam mortis et inferni, omnium supremus sum Dominus. Ita Alcazar. Sic Christus, *Matth.* XVI, 19, promittit Petro, quasi Principi Ecclesiæ, claves regni cœlorum; principibus enim dantur claves urbium, ut eas aperiant et claudant quibus voluerint. Sic, cap. IX, vers. 1 : « Vidi, ait, stellam, et data est ei clavis putei abyssi, et aperuit puteum. » Et cap. XX, vers. 1, vidit Joannes angelum habentem clavem abyssi. Alludit ad *Isaiæ* XXII, 22, ubi de Eliacim filio Helciæ, quem amoto Sobna in pontificatu veteri Deus substituit, dicens : « Dabo clavem domus David super humerum ejus : et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat. » Ubi Eliacim promittitur summa potestas in domo et aula regia, ut primus sit a rege; vel potius, ut Hieronymus et Hebræi summa et pontificia potestas in templo; hoc enim dicitur domus David, quia David Salomoni totam ideam et fabricam templi delineavit et præparavit. Sensus ergo Isaiæ est : *q. d.* Dabo Eliacim pontificatum, ut sit præses templi, illudque claudat et aperiat ad libitum. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, D. Thomas, Lyranus, Dionysius ibidem, ac Ticonius, Primasius, Andreas, Aretas, Beda, Anselmus, Ribera, Pererius, Alcazar hic.

8. ECCE DEDI CORAM TE OSTIUM (prædicationis

(1) Ita Allioli; atque hæc sententia mihi præplacet : nam clavis potentiæ symbolum est, regnum autem Israeliticum typus fuit Ecclesiæ Dei.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conversionis Gentium) APERTUM, QUIA MODICAM HABES VIRTUTEM. — Græce δύναμιν, id est *potentiam*, *q. d.* Quia ex te infirmus es et debilis, hinc ego dedi ostium tibi apertum, ut scilicet non tuis, sed meis viribus, et me aperiente, non tantum Gentes, sed et Judæos, adducas et inducas in Ecclesiam. Hoc est enim quod subdit : « Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt : ecce faciam illos, ut veniant et adorent ante pedes tuos. »

Joachim Abbas hanc prophetiam Angeli Philadelphiæ intelligit de Ordine quodam novo futuro in Ecclesia, quem, ait, designat Jesus, qui præ multis aliis præclarus erit et amabilis, et tempore novissimo multiplicandus et dilatandus. Multi suspicati sunt eum designasse Societatem nostram, ut refert fuse hic Viegas, sect. 3, quod in ea sit Philadelphia, id est amor fraternus. *Secundo*, quod ei dicat hæc « Sanctus et Verus, » quia contra infideles et hæreticos, æque ac malos Christianos Societas hæc pro fidei veritate et sanctitate depugnat. *Tertio*, quod Deus ei deducit ostium apertum ad conversionem Gentium. Verum hæc obscura et incerta sunt ; adeoque Trithemius censet Joachimum in Apocalypsi non tam prophetizasse, quam divinasse et conjectasse ex S. Scriptura. Et clarum est hanc ejus explicationem non esse litteralem, sed mysticam.

QUIA MODICAM HABES VIRTUTEM. — *Primo*, Joachim, Lyranus et Dionysius exponunt, *q. d.* Non accepisti donum magna, id est miracula, patrandi. Unde et Ticonius exponit, *q. d.* Modica tua est fides. Magna enim fides requiritur ad miracula, juxta illud : « Si habueritis fidem sicut granum sinapis. »

*Secundo*, Ambrosius et Victorinus, *q. d.* Non accepisti magnam scientiam et intelligentiam S. Scripturæ.

*Tertio*, Richardus, *q. d.* Imbecillo es corpore et modicas habes vires. Alii hæc tria jungunt, *q. d.* Modica tibi est sanitas, modica sanctitas, modica sapientia. Vide ergo quam sis modicus, et quam modice de te sentire debeas.

*Quarto*, Ribera, *q. d.* Parva polles gratia et potentia sæculari ; paucos potentes habes amicos, qui te ab inimicorum injuriis tueantur (unde notat Andreas urbem Philadelphensem exiguam fuisse, et ambitu et civium numero) ; magnas tamen vires habes patientiæ et virtutum, quia, ut sequitur, « servasti verbum meum, et non negasti nomen meum. »

*Quinto*, Primasius, Haymo, Beda et Thomas : « Modicam, » id est humilem et modestam, *q. d.* Agnoscis te parum posse, parvas habere vires ; quia non in iis, sed in Deo spem reponis.

*Sexto*, Albertus : « Modicam habes virtutem, » respective, scilicet respectu ostii clausi Evangelicæ prædicationi, quod tibi operiendum est ; aut, ut Thomas, « modicam, » respectu magnarum virium quas habebis in cœlo.

*Septimo* et optime, quasi dicat : Modicas habes vires ad conversionem infidelium, præsertim Judæorum ; unde eas ego ipse supplebo, et augebo, faciamque ut eos superes et convertas. Hoc est enim quod paulo ante dixit : « Ecce dedi coram te ostium apertum. » Unde et subdit : « Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur : Ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos. » Deus enim sæpe ad res magnas, qualis est conversio animarum, utitur hominibus infirmis, indoctis, infacundis, teste Apostolo, I *Corinth.* I, ut ostendat non ipsorum, sed suæ virtutis esse hoc opus. Unde recte colligit Alcazar, prædicatores minus sanctos sæpe plures convertere, quam convertant ii qui sanctiores sunt ; uti S. Jacobus vivens et in Hispania prædicans, paucos admodum convertit. Sic Judæorum conversionem promittit hic Christus Philadelphio, quam negavit, cap. II, vers. 8, Smyrnensi, qui erat probatæ et selectæ virtutis. Hic verum est illud Apostoli, II *Corinth.* XII, 9 : « Virtus Dei in infirmitate nostra perficitur. » Vide ibi dicta. Ait ergo : « Modicam habes virtutem, » quia ad Judæorum conversionem magnæ requirebantur vires spiritus, prædicationis et zeli. Licet enim ad hanc conversionem valde juvet scientia, eloquentia, miracula, nihil tamen eam ita promovet et perficit, atque robusta sanctitas, et zelus efficax prædicatoris et Episcopi. Hæc enim ærumnas, labores, persecutiones difficultatesque omnes in hac re occurrentes fortiter non tantum tolerat, sed et superat ac perfringit. Atque hæc deerat Episcopo Philadelphio. Unde eam supplens Christus ait : « Servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum. » Quocirca monens eum, ut cum Dei gratia fortiter cooperando eam sibi comparet, et imbecillitatem superet, stimulat eum proponens ei appositum præmium solidæ columnæ : « Qui vicerit, inquit, faciam illum columnam in templo Dei mei. » Ita Rupertus, Andreas, Aretas et Alcazar.

ET SERVASTI VERBUM MEUM (puta fidem et doctrinam Evangelii. Unde explicans subdit), ET NON NEGASTI NOMEN MEUM, — *q. d.* Licet sis modicæ virtutis, tamen eam rite expendisti, rite ea usus es, me scilicet eam protegente et corroborante : quocirca esto fortem et durum martyrii agonem non obieris, nec adhuc ob virium imbecillitatem obire possis, tamen non negasti, nec erubuisti nomen meum, sed illud confessus et professus es (1). Quapropter ego te, tuasque vires promovens iis utar ad res magnas, faciamque ut convertas Judæos. Unde sequitur :

9. ECCE DABO DE SYNAGOGA SATANÆ QUI SE DICUNT JUDÆOS, etc. — *q. d.* Ego Judæos, et Judaizantes, qui suam habent synagogam, non Dei, sed Satanæ, qui contra Christum et Christianos conspirat : Judæos, inquam, convertam, daboque tibi subditos, ut conversi ad Christum, adorent, id est procidant ante pedes tuos, et supplices tibi, quasi Episcopo suo, omnino se subjiciant (1).

(1) Alii versum 8 sic interpretantur : Ecce dedi tibi occasionem (januam) doctrinam Evangelicam propagandi, quam nemo tibi eripiet. Modicam quidem nunc habes Ecclesiam (Philadelphia parva erat urbs, nec comparanda Epheso), attamen perstitisti in observandis præceptis meis.



ADORENT ANTE PEDES TUOS. — Significatur summa fidelium devotio, reverentia et submissio erga Ecclesiam ejusque Prælatos. Hæc enim adoratio procedit ex apprehensione excellentiæ Prælatorum plusquam humanæ, et minus quam divinæ. Sic Nabuchodonosor, licet gentilis, Danielem adoravit, cum ei spiritu divino somnium suum retulisset et exposuisset, *Daniel.* II, 46. Sic filii Prophetarum audientes spiritum Eliæ requievisse super Elisæum, adoraverunt eum proni in terram, IV *Reg.* II, 15. Simili modo Abdias, procurator Achab regis, adoravit Eliam prophetam, III *Reg.* XVIII, 7. Sic « beatissimum Petrum piscatorem, modo genibus provolutis adorat Gentilium multitudo, » ait S. Augustinus, serm. 1 *De SS. Petro et Paulo.* Sic olim sanctos Confessores obtestabantur, dicentes : « Obsecramus vos per vestigia vestra, » instar Magdalenæ, quæ prostrata ad pedes Christi, veniam peccatorum precabatur, *Lucæ* VII, 38. Audi S. Chrysostomum, homil. 11 *in Acta Apostolorum* : Primi fideles, inquit, pretia rerum « ponebant ad pedes Apostolorum, non ad manus, declarando fidem, pietatem et reverentiam, quam habebant Apostolis ; et quod majoris ducebant, quod ab eis reciperentur, quam quod ab eis donarentur dona. » Idem, homil. 59 *ad Populum Antiochiæ*, eum monet ut monachos adeat, eorumque pedes osculando deprecetur. « Accede, inquit, sanctos tange pedes. Multo namque honestius est illorum pedes tangere, quam aliorum caput. Dic enim mihi, si quidam statuarum pedes apprehendunt, quoniam regiam tantum habent figuram : tu ipsum in se habentem Christum non pedibus tenebis, et salvus eris? Sancti sunt pedes, licet viles sint : inquinatorum vero neque caput venerandum est. Sanctorum namque pedes magna potuerunt ; quamobrem et ulciscuntur, cum pedibus pulverem excusserint. » Idipsum prædixit Isaias, cap. XLIX, vers. 22 : « Erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ. Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. » Vide ibi dicta.

10. QUONIAM SERVASTI VERBUM PATIENTIÆ MEÆ. — « Verbum, » id est exemplum, ait Haymo et Beda. *Secundo* et genuine, « verbum, » id est præceptum et promissionem patientiæ meæ. Sic enim S. Joannes in *Evang.*, sæpe utitur hac phrasi, « servare verbum, » pro *servare legem*. Patientiam intelligit, tum tolerantiam injuriarum et persecutionum, tum potius in ea longanimem sustinentiam et perseverantiam. Hanc enim significat Græcum ὑπομονή. Vox *quoniam*, ad sequentia referenda est, non ad præcedentia, quasi dicat : Quia tu servasti mandatum meum, quo scilicet ego præcepi, ut patienter, longanimiter et perseveranter ferres omnes persecutiones ob spem auxilii et liberationis meæ, atque ob promissionem coronæ æternæ, hac de causa dabo tibi præmium quod subdo, scilicet : EGO SERVABO TE AB HORA TENTATIONIS, QUÆ VENTURA EST IN ORBEM UNIVERSUM. — « Ab hora, » id est, a tempore. Tempus enim tentationis vitæ hujus, quia breve est, et velut tempestas transiens, hinc vocatur « hora. » Videtur loqui de tempore et persecutione Trajani, quæ valida fuit et universalis, atque instar ignis exarsit, sed mox desiit et velut turbo pertransiit. De qua Eusebius, lib. III *Hist.*, cap. XXXII. Ita Ribera et Alcazar.

Addit Alcazar horam Græcis latius patere, et absolute significare tempus. Hinc quatuor anni tempora, vocant horam æstivam, horam autumni, horam hiemis, horam veris. Sic horam juventutis, vocant ætatem juventutis. Alludit et ludit in voce *verbum*, quasi dicat : Quia tu servasti verbum meum fideli executione, ego vicissim, qui sum Verbum Dei, servabo te fideli protectione, ut, cum pondus persecutionis futuræ ob vires modicas, quas habes, sustinere non possis, illud a te amoliar, ne te cum aliis involvat. Ita Alcazar. Minus recte Thomas Anglicus exponit, *q. d.* Servabo te, non, ut non tenteris, sed ut tentatione non vincaris. Sic enim dicere debuisset : « Servabo te in hora. » Jam autem dicit : « Servabo te ab hora. »

11. ECCE VENIO CITO, — te adjuturus et coronaturus : unde Rupertus et Richardus putant hic significari hunc Episcopum cito moriturum. Excitat ergo illum ad perseverantiam, proponens ei, *primo*, brevitatem vitæ ; *secundo*, protectionem et opem cœlestem ; *tertio*, coronam æternam.

TENE QUOD HABES, UT NEMO ACCIPIAT CORONAM TUAM. — Arabicus : *Tene quod habes, et cave ne quis accipiat coronam tuam.* « Tene, » id est, perge tenere, retine constanter. Significat enim *tene*, actum non inchoatum, sed continuatum. Licet enim hic Episcopus ab ingenti illa et universali tentatione, Dei protectione esset futurus immunis, tamen non erant ei aliæ minores defuturæ, quales quotidie incurrunt in vitam hominis, et maxime occurrebant Christianis initio Ecclesiæ : « tentatio enim (græce πειρατήριον, id est *locus*

(1) Juxta de Bovet, *L'Esprit de l'Apocalypse*, pag. 191 et seqq., prophetiæ proprie dictæ hic incipiunt, agiturque his in versiculis, non de Judæis mox affligendis et humiliandis, ut Bossuetius vult ; neque de Judæo-Christianorum secta, Christianis infensa ; neque de Judæis prima Evangelii prædicatione convertendis, ut opinantur multi ; sed de omnium Judæorum paulo ante mundi finem futura conversione. Tunc Judaicus populus in Ecclesiæ templo, hactenus solis ex gentibus coagmentato, columnam efficiet, quæ *foras non egredietur amplius*, orietur *nova Jerusalem*, cui inscribetur *nomen Dei nostri*, Christus scil. *rex Judæorum*, quo nomine irrisus, imo occisus fuit in sua passione.

*tentationis*, stadium et agon) est vita hominis super terram, » ait S. Job, cap. VII, vers. 1, juxta Septuaginta. « Tene ergo quod habes, » id est, retine fidem et patientiam quavis occurrente tentatione et afflictione, ne quis coronam tuæ fidei et patientiæ promissam et præparatam, non absolute, sed sub conditione (si videlicet perstes et perseveres), te non perstante, sed cadente, accipiat.

Pulchre Rupertus : « Tene quod habes, » *q. d.* « Tu in humilitate firmo pede consiste, ne moto pede corruas, corruendo coronam tibi præparatam amittas, et alius tibi succedens eam accipiat. » Sensus ergo est, *q. d.* Jam fortiter et feliciter in stadio Evangelicæ vitæ et doctrinæ decurrendo et decertando victor pene coronam tenes, illa jam quasi est tua, quia in tuis manibus, in tua est potestate. Vide ergo ut illam constanter retineas, nec tibi ab alio eripi sinas. Simili modo ait S. Paulus, I *Cor.* IX, 24 : « Sic currite ut comprehendatis. » Alludit enim ad morem Agonistarum, qui ex aliquo eminentiore loco appensam coronam, incitato quam ocissime cursu manibus corripiebant, ut erudite probat Petrus Faber, lib. II, cap. XXVII *Agonistici*. Quo respexit S. Chrysostomus, homil. 7 *in epist. ad Hebr.* : « Adhuc pendet bravium. » Et Chrysologus, serm. 153 *De infantibus pro Christo necatis* : « Confitentur tacentes, nescientes pugnant, vincunt inscii, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. » Cassiodorus denique, lib. XI *Variar.*, cap. XXXV : « Si Olympiaci currus agitator rapit præmia post labores. »

Hinc patet *primo*, justos et sanctos viros, etiam a Deo laudatos, posse a gratia et virtute excidere, ac neminem esse certum de sua perseverantia et salute. *Secundo*, etiam prædestinatos posse absolute excidere a gratia, quia possunt gratiam prædestinationis negligere, ac proinde non eligi ad gloriam, nec coronari : licet in sensu composito excidere non possint, quia completa prædestinatio includit præscientiam perseverantiæ, ac consequenter salutis et gloriæ. Ita S. Thomas, I *part. Quæst.* XXIII. *Tertio*, « tene quod habes » innuit huic Episcopo modicam fuisse virtutem, ut dixit vers. 8, ut illi de lapsu fuerit periculum. Unde de eo illum hic monet, ut contra illud se muniat et corroboret per constantiam. Ita Alcazar. *Quarto*, significatur hic Deum solere, uno cadente, alium ejus loco et præmio substituere. Sic homines angelis, Christianas gentes Judæis, Matthiam Judæ substituit. Quinimo, Primasius, Beda, Anshertus et S. Augustinus, lib. *De Corrept. et Gratia*, cap. XIII, hinc colligunt certum et definitum esse prædestinatorum numerum, qui nec augeri possit, nec minui; idque non solum formaliter, sed materialiter, id est, non solum quod tot salvandi sint, sed etiam quod hi et illi nominatim, non alii, inquit divus Thomas, I *part.*, *Quæst.* XXIII, art. 7. Quod intellige de prædestinatione completa, quæ includit præscientiam futuræ perseverantiæ sanctorum et electorum. Alioqui si de inchoata loquaris, abstrahasque a præscientia perseverantiæ, nec formaliter, nec materialiter certus et definitus est electorum numerus, ut patet ex hoc loco : « Tene quod habes. » Sensus enim est, *q. d.* Potes electione tua excidere, vide ne excidas. Contrarium tamen videntur velle Primasius, Beda, Anshertus et S. Augustinus, loco citato, scilicet, saltem formaliter ante præscientiam certum esse numerum electorum, v. g. tot præcise coronas esse decretas, ita ut si una ab uno auferatur, illa detur alteri. Hoc enim hic videtur dici. Nam bonum, quo communius, eo divinius est, ait Alcazar. Itaque, inquit ipse, Deus quasi sapientissimus architectus ante omnia definivit et mente designavit Ecclesiæ cœlestis fabricam, quod scilicet in ea futuri sint præcise sancti et electi, quasi vivi lapides, non plures, neque pauciores; atque in eo cernitur exactissima et sapientissima ejus dispositio, et apta rei destinatæ proportio. Sicut ergo in ædificio materiali prior est numerus lapidum in mente architecti, quam hujus vel illius lapidis electio; reprobatio autem hujus aut illius lapidis conjuncta est cum alterius substitutione in locum ejus, qui dum incideretur aut poliretur, inventus est inutilis : ita in spirituali cœlestis civitatis ædificio, numerus electorum est prior intentione, quam hujus aut illius hominis salus; et reprobatio ejus qui erat vocatus et justificatus, semper conjuncta est cum alterius substitutione. Ita ipse.

Verum respondeo hoc non semper, sed subinde fieri, videlicet tunc, cum quis alteri in officio succedit : uti hic uno Episcopo decidente, alius ipsi in officio, ac consequenter in corona, si alter ab ea exciderat, succedebat. Alioqui enim Deus, qui omnes ad has coronas vocavit, cuique suam præparavit. Deus enim non homines coronis, sed coronas hominibus præparavit et adornavit; corona enim est propter hominem, non homo propter coronam. Secus est in domo : ibi enim lapis est propter domum, non domus propter lapidem. Adde architectum prius quidem designare partes domus in communi, non autem particulari, ut v. g. in ea sint tot præcise lapides, non plures : hoc enim est impossibile. Itidem facit et Deus : nimirum mente destinavit ab æterno, ut in cœlesti Jerusalem essent tot ordines Angelorum et Sanctorum in communi, v. g. ut in ea esset chorus Prophetarum, chorus Apostolorum, chorus Martyrum, Episcoporum, Confessorum, Virginum, etc. Non autem destinavit, ut tot præcise in ea essent Prophetæ, non plures; tot Virgines et Martyres, non plures. Hoc enim nimis arctum et minutum est, quam ut deceat summam illam majestatem, ejusque liberalitatem et communem providentiam. Quid enim decoris deerit ordini Prophetarum, si unus in eo sit amplius, vel minus numero, ut ipsi volunt, a Deo præstituto? Quid Virginum, Confessorum, Monachorum, Martyrum choro accedet, si in eo præcise sint centum milliones virginum? Quid decedet, si in hoc numero unus alterve desit? Omnibus hos choros, et eorum bravia proponit Christus, omnes ad illos invitat, omnibus coronas eorum hic ostentat. Vult ergo non tantum omnes salvos fieri, sed et ad nobiles hasce coronas magna virtute, et sui victoria quemlibet, nemine excluso, eniti. Ergo non certantes coronis, sed coronas certantibus et vincentibus adaptavit et prædestinavit. Non ergo tot præcise coronas, v. g. centum milliones, prædestinavit; sed in genere et communi prædestinavit, ut tot essent coronæ, quot essent futuri in agone et certamine suo victores.

Simili modo rex et princeps novam urbem conditurus, prius describit ideam generalem urbis, v. g. ut tali loco sit forum, tali templum, tali domus civica; tot sint plateæ, tantus mœnium ambitus, etc. Non autem describit singulas domus in particulari. Rursum describit singula officia et opificia in urbe necessaria, non autem singulos cives. Denique si quis officialis, vel opifex urbi necessarius deficeret, curaret alium surrogari. Ita fecit et Deus in sua prædestinatione, qua primam ideam descripsit Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis. Unde si quis Episcopus (uti erat hic Philadelphiensis), Pastor, aliusve Ecclesiæ necessarius aut perutilis deficiat, mox curat et alium surrogari, præsertim si fideles, vel Ecclesia idipsum petit et oret.

Ita cum e quadraginta Martyribus, in stagnum gelidum ob Christi fidem conjectis, unus vim frigoris non ferens deficeret, et ex stagno exiliret, mox in ejus locum custodem Martyrum surrogavit, quia idipsum Martyres obsecraverant. Una enim omnium erat oratio, ait S. Basilius, *hom.* 20 : « Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item, Domine, coronis donemur, ne una quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu quadraginta dierum jejunio decorasti, uti et Moses et Elias. » Quocirca Deus eos exaudiens, suscitavit janitorem, qui et illos orantes, et luce circumfusos, et solutam glaciem, et quosdam e cœlo descendentes angelos tanquam a rege missos, qui coronas 39 militibus distribuerent, intuens, ita secum loquebatur : « Quadraginta hi sunt, quadragesima corona ubi est? » Quæ dum cogitat, videt unum, cui animus ad frigus ferendum defecerat, exiisse in proximum balneum, quod tyrannus deficientibus præparari jusserat. Quocirca ipse sibi detractis vestibus, Christianum se professus, in gelidam insiliit, ac Martyr effectus, coronam quam quadragesimus amiserat, accepit.

Ita S. Franciscus initio Ordinis sui, cum pauci essent, et nonnulli deficerent, adeo ut Franciscus timeret, ne Ordo deficeret, aut valde deprimeretur, ac nimis lente succresceret, ideoque se valde affligeret, Dominumque ut hoc averteret, obsecraret, audivit ab eo : « Quid turbaris, Francisce, aut quid angeris, cum tuorum fratrum quispiam vel Ordinem deserit, vel in Ordine scandalum concitat? An forte existimas ita te rectorem hujus gregis constitutum, ut non me intelligas superiorem ejus esse rectorem? Quis eum plantavit, nisi ego? aut quis præter me homines ad pœnitentiam vocat, vel vocatis perseverandi vires suppeditat? Ego eos perduxi, ego eos retinebo et servabo; ego illis cadentibus alios erigam atque substituam, ac, si unus ad vomitum redeat, ego in ejus locum alterum excitabo, qui illius coronam accipiat; isque si nondum natus fuerit, efficiam ut nascatur. Quod si tres tantum in ea permanserint, eos ipse nunquam deseram, sed erit hæc semper familia mea. » Ita refert S. Bonaventura, nimirum hoc tribuit Deus tum precibus S. Francisci, tum Ordini ipsi a se instituto, tum Ecclesiæ suæ, cui hic Ordo, uti et cæteri, perutilis est. Quocirca miram Dei in conservandis per tot sæcula Ordinibus religiosis, semperque propagandis, et labente uno alterum surrogando, providentiam cernimus.

Ita labentibus in martyrio nonnullis debilibus, timidis et inconstantibus, Deus, ut fidei, ac gloriæ, et Ecclesiæ suæ decus tueretur, mox alios substituit, qui pro deficientibus martyrio sese offerrent, et eorum coronam acciperent. Illustre est exemplum in Vita S. Nicephori Martyris, 9 februarii. Hic enim pro Sapritio deficiente martyrio se obtulit, ejusque coronam accepit. Cum enim Sapritius, presbyter Antiochiæ, post multa tormenta fortiter tolerata, ad mortem fidei causa damnatus esset sub Valeriano imperatore, jamque ictum gladii excepturus esset, occurrit ei Nicephorus, cum quo simultates gerebat; cumque Nicephorus identidem ab eo posceret sibi ignosci, et in gratiam cum eo redire, ille obstinate renuit, eique offensam condonare noluit. Quocirca Deus gratiam ei subtraxit : quo factum est ut fidem Christumque negans, liber dimitteretur. Quod cernens Nicephorus, et ingemiscens, se pro fide Christi tortoribus generose obtulit, ac a Præside damnatus, martyrii lauream merito humilitatis et charitatis obtinuit, quam Sapritius ob suam superbiam et inclementiam justo Dei judicio amiserat.

Denique ita Deus labenti Saul Davidem, Tertulliano Cyprianum, Origeni Cyrillum, Rufino Hieronymum, Pelagio Augustinum surrogavit.

Hoc ergo acri stimulo quisque se excitet ad virtutis agonem, dicatque sibi jugiter : « Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. » Ita S. Alexander se excitabat dicendo : « Væ tibi, Alexander! quanta erit confusio tua, cum cæteri coronabuntur. » Rursum : « Sub patribus vigebat nuditas, et humilitas; in nobis autem avaritia, et superbia. Heu mihi, filii, quia conversationem vere angelicam destruximus. » Item dicenti et excusanti se : « Pater, infirmi sumus; » respondit : « Crede, fili, olympici corpore, et robure ca-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mus; sed anima nostra imbecilla est. » Ita refert Sophronius, aut potius Moschus in *Prato Spirituali*, cap. CXXVIII.

Porro hæc sententia : « Tene quod habes, » favet illi sententiæ Theologorum, quæ asserit Deum neminem absolute eligere ad gloriam cœlestem, nisi post prævisa merita. Unde et Christus omnibus hisce suis epistolis gloriam hanc nulli nisi vincenti promittit. Quocirca Gabriel Vasquez I *part.*, Quæst. XXIII, disp. 89, cap. X : « Si electio, ait, ad gloriam facta esset ante prævisa merita, frustra electo diceretur : Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Nam si nullus ita haberet eam in manu sua, ut posset amittere, recte responderet, depositam esse in manu Dei, de qua nec ullus alius rapere, nec ipse electus amittere posset. Si enim Deus habet clavem, et ita claudit, ut nemo aperire possit; et aperit, ut nemo claudere possit : recte ita electis clausa erit janua inferni, et aperta regni cœlorum, ut nec in manu eorum sit, apertam sibi claudere, et clausam aperire : quare non erit ipsis liberum, clausis januis in infernum introire; contra vero ostio regni cœlorum eis aperto, nemo impediet illos, si velint ingredi, quacumque ratione in hac vita vixerint. » Decretum enim Dei prævium, inviolabile et ineluctabile est, ac necessario impleri debet, quidquid agas. Quare non videtur is, qui electus est ad gloriam absolute ante prævisa merita, manere liber, ut eam perdere et gehennam sibi accersere possit; sed necessario ex efficaci Dei decreto salvabitur, ac impossibile erit eum damnari, quidquid agat. Decretum enim Dei a se excutere nequit, esto illud ipse ignoret. Perinde enim ut æger impotens ad ambulandum, vere non est potens, nec liber ad ambulandum, etiamsi ipse se impotentem ignoret, et potentem putet. Rursum, sicut is cui Deus concursum suum subtrahit, non est liber, nec potens ad agendum, etiamsi ipse id ignoret, et potentem ac liberum se putet : ita et hic electus, per decretum Dei efficax et absolutum beatificandi ipsum, beatitudini efficaciter destinatus et astrictus, videtur non esse potens, nec liber ad eam excutiendam, et ad præcipitandum se in gehennam, etiam ipse ignorans Dei circa se decretum impotentem se ignoret, et potentem ac liberum putet. Sed hæc alibi disputanda sunt.

12. QUI VICERIT, FACIAM ILLUM COLUMNAM IN TEMPLO DEI MEI, — quasi dicat : Faciam ut is qui firmus in virtute perstiterit, viceritque omnes tentationes, sit magnus et gloriosus tum in Ecclesia, tum in cœlo. Alludit ad duas columnas templi, Boos et Jachin, de quibus III *Reg.* VII, ut fuse ostendit hic Viegas, sect. 5, et Alcazar, *notat.* 1, ubi contendit has duas columnas Salomonis fuisse quasi trophæa victoriarum Davidis erecta, ad imitationem columnarum duarum, quas Hercules (qui ducentis annis præcessit Salomonem) fixit in Gadibus, hoc titulo : *Plus ultra*; ac præfigurasse sapientiam sanctitati (hæ enim sunt duæ columnæ Ecclesiæ) jungendam fore in Ecclesia Christi. *Boos* enim hebraice idem est, quod *in fortitudine*; *Jachin* idem est quod *præparabit*. Boos ergo significat instrumentum, Jachin efficaciam. In prædicatione autem Evangelii, quis non videat sapientiam esse velut instrumentum, sanctitatem vero esse eam, quæ verbo tribuit efficaciam?

Sic Machabæis in sepulcris erectæ sunt columnæ, quasi trophæa victoriarum, I *Machab.* cap. XIII, vers. 29. Sic Romæ videmus columnas Trajani et Antonini, quasi trophæa, quibus insculpta sunt omnia eorum gesta et victoriæ. Et Trajani quidem alta est 120 pedes, crassa adeo, ut sex homines expansis in orbem brachiis eam complecti vix possint; atque interius per cochleam ab imo ad summum ascenditur, ac si esset turris.

Unde Richardus de S. Victorino *primo*, sic exponit, quasi dicat : Efficiam, ut qui vicerit persecutiones et tentationes, « sit columna, hoc est, sit in se firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem, sustentans alios verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis. »

Et Primasius : « Columna, ait, in fabricis et munimini congruit, et decori. Sic et mundi victores in Ecclesia eminent munere dignitatis, et portant alios officio charitatis. Ita columnam hanc de Ecclesia triumphante explicat Ribera; de militante vero Ticonius, Haymo, Beda, Andreas, Aretas, Anselmus et Alcazar, qui multis id probat.

*Secundo*, Ambrosius : « Faciam, ait, illum columnam, id est prædicatorem in Ecclesia, quomodo Paulus *Galat.* II, 9, Petrum, Jacobum, Joannem vocavit columnas. Verum quia Origenes, Tertullianus et alii, qui erant quasi columnæ, ceciderunt, melius, inquit Ambrosius : « Faciam illum columnam, » id est faciam illum excelsum in cœlo, ex quo non egredietur amplius.

*Tertio*, Abbas Joachim : « Faciam illum columnam, » id est Prælatum : hic enim *primo*, corpore terram, mente cœlum tangit; *secundo*, per vitam activam inferioribus inhæret, et tamen per contemplativam sursum aspicit; *tertio*, multis tribulationibus expolitur; *quarto*, Prælati inter procellosos tentationum turbines, suppositam ipsorum curæ machinam infatigabiliter portant; *quinto*, sunt tranquilli et immobiles.

Notat Pererius : In columna octo res spectari et laudari, scilicet rectitudinem, altitudinem, crassitudinem, firmitudinem, rotunditatem, lævorem, colorem et materiam : quæ facile est accommodare Prædicatori, Prælato et cuilibet excellenti Sancto in Ecclesia, et maxime in cœlo, ubi Sancti hi quasi columnæ nulli mutationi obnoxii, in æternitatem stabunt excelsi et gloriosi.

Denique apposite huic Episcopo, qui cui convenit



dicæ virtutis, promittitur columnæ soliditas, si ad eam proficiendo contendat, aspiret et enitatur, atque pro ea consequenda pro virili laboret, gratiam Dei invocando, eique strenue cooperando. Talis columna a Deo effectus est Jeremias, cap. I, vers. 18, cum ab eo audivit : « Dedi te in civitatem munitam, et in columnam ferream. » Vide ibi dicta.

ET FORAS NON EGREDIETUR AMPLIUS. — « Foras, » scilicet extra Ecclesiam, quia per donum constantiæ et perseverantiæ, quod ei dabo, firmiter perseverabit, *q. d.* Ita confirmabo eum in virtute, et solidabo, ut nulla vis eum, quasi columnam, impellere, aut loco suo et gradu deturbare, vel dimovere possit. *Secundo* et potius, *q. d.* Firmabo eum in cœlesti gloria et beatitudine, ut « foras, » id est extra eam, non egrediatur amplius in omnem æternitatem. Vox enim *amplius* non significat quod aliquis Ecclesia vel cœlo egressus sit, sed quod deinceps inde nunquam sit egressurus, cum antea inde egredi potuerit, antequam scilicet effectus esset columna. Sic sumitur τὸ *amplius* *Actor.* XIII, 34, cum dicitur quod Christus non sit amplius reversurus in corruptionem, cum tamen Christus nunquam corruptus sit, sed corrumpi potuerit, si corporis fragilitatem et cursum naturalem species.

Aliter Alcazar : Per templum, inquit, significatur Dei cultus et obsequium. Plateæ et τὸ *foras* significant exterioris hominis occupationes, *q. d.* Dabo ei robustæ virtutis constantiam, eamque devotionis firmitatem, ut se totum Deo consecret, et omnes actiones suas Dei obsequio mancipet, ut non solum tempus ullum et actionem aliquam in aliqua alia re collocare, sed neque cogitationem a Deo, et rebus divinis, divertere unquam velit. Talis fuit S. Anna, quæ, ut ait Lucas, II, 37, « Non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte. » Multi enim sunt, etiam pii et religiosi, qui vix tertiam diei partem Deo dant, reliquis horis licere sibi putant egredi ex templo, et sine crimine otiari, aut pro libito negotiari. Ille vero quem Christi virtus, et devotionis ardor columnam fecit, non solum deinceps egredi ex templo non vult (id est, pro libito ulli rei vacare, nisi Deo, vel propter Deum), sed neque posse videtur ulli rei intendere, aut de alia cogitare, quam de Dei et proximorum obsequio. Hic sensus pius est, sed moralis potius, quam litteralis.

Talis vincens, talis columna fuit S. Vincentius Martyr, qui a Daciano præside toto corpore laniatus subridens : « Hoc, inquit, est quod ipse toto animo expetebam; itaque nemo mihi unquam optabilior te ipso fuit, neque animæ meæ obsequium majus contulit : nam licet hostili animo id facias, tamen summum in me beneficium confers. En ut ad sublimia ascendo : en ut cœlestes res attingo : en ut Imperatores tuos contemno. Tu nisi a tua crudelitate desistas, mihi cumulatiorem victoriam afferes, quo majora tormenta perferendo teipsum superabo; debacchare ergo in me, ne meam gloriam imminuas : quibus cruciatibus me vexare putabis, illis ipse acerbius vexaberis. » Dixit, et præstitit, nam increpans tortores : « Cur, ait, tardiores, et in me torquendo facti estis imbecilliores? Agite, crudelitatem vestri principis exsequute, ut in omni re quam primum se ridiculum faciat. » Sævientibus illis, et omnia pœnarum genera in eum exercentibus, ille quasi in epulis exultabat, ut percellerentur ipsi tortores. In eo ostendit Christus, quam potens sit gratia sua, quam omnium suppliciorum, terrorum, æque ac blanditiarum victrix et triumphatrix; quamque homines resolutos, seseque pro Deo ad dura quæque offerentes faciat invictos et immobiles quasi columnas. Illustris ergo in victoria fuit nomine et reipsa S. Vincentius, de quo S. Augustinus, serm. 12 *De Sanctis* : « Quid, ait, miramur, charissimi, si in illo Vincentius vicit, a quo victus est mundus? In hoc, inquit, mundo pressuram habebitis, ut, si premit, non opprimat; si oppugnat, non expugnet. Duplicem mundus aciem producit contra milites Christi. Blanditur ut decipiat, terret ut frangat. Non nos teneat voluntas propria, non nos terreat crudelitas aliena, et victus est mundus. Tanta grassabatur crudelitas in Martyris corpore, et tanta tranquillitas præferebatur in voce, tantaque pœnarum asperitas sæviebat in membris, ut miro modo putaremus Vincentio patiente, alium loquentem torqueri. Caro ergo patiebatur, et spiritus loquebatur. Sed jam, fratres, illa omnia transierunt, et ira Daciani, et pœna Vincentii. Nunc autem pœna Daciano, corona vero manet Vincentio. » Et *serm.* 13 : « Cujus (spiritus et calicis Christi in Eucharistia; erat enim Vincentius ejus Diaconus et dispensator) haustu feliciter mente ebriatus, rabidi hostis atque in Christum sævientis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit. Ideo non hunc laminæ ignitæ sartaginis, non equulei, non ungulæ ferreæque manus, non vires pavendæ cædentium, nec dolor scissorum membrorum, non foci fragor, et strepentis in patientis visceribus salis injectio, Daciani quiverunt aliquatenus subdere jussioni. Sed unde victor visus est apparere, inde victus compulsus est erubescere, quoniam quo Dei Martyr duriori urgebatur pœna, eo ampliori confessionis exultabat constantia. Contemni igitur se videns sæviebat, nec in quem jam vindictam inferret inveniebat. Videbat namque desævientium manus carnificum plus in eo invenire vulneris quam corporis, solumque ingentem spiritum et stultitiam exprobrare suam, quod provocabat veritatis normam. » Audi et Prudentium, *Peristephanon*, hymno 5 *De S. Vincentio*, ita ejus verba ad Dacianum recensentem :

Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensque flammis lamina,
Atque ipsa, pœnarum ultima,
Mors Christianis ludus est.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Et cum gravissime torqueretur :

Ridebat tunc miles Dei,
Manus contortas retro suas,
Quod fixa non [illegible]
Librarent artus singula.

Et inferius :

O miles invictissime,
Fortissimusque bellator,
Jam te ipsa sæva et aspera
Tormenta victorem [illegible].

Spectator hæc Christus Deus
Compensat ævo interminio,
Propriæque collegam crucis
Larga coronat dextera.

Inter Confessores illustris fuit re et nomine S. Victor, de quo S. Bernardus, sermone 2 de eo : « O Victor inclyte, inquit, qui et de terra, et de cœlo gloriosissime triumphasti, illius gloriam nobiliter superbus despiciens, et hujus regna pie violentus diripiens; respice de cœlo ad vinctos terræ, ut hæc sit tuorum consummatio triumphorum, si et nobis demum vicisse te sentiamus. Nam si ex re nomen tibi, perfecta veritas nominis ex nostra liberatione censebitur; et certe deest interpretationi, quamdiu nos qui tui sumus, minime liberamur. Quam pium, quam dulce, quam suave, o Victor, in hoc loco afflictionis, et in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum et memoriale tuum favus distillans in labiis captivorum, mel et lac sub lingua eorum qui tui memoria delectantur. Eia ergo, fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exurge in adjutorium nobis, ut et nos de nostra ereptione gaudeamus, et tu de plena victoria glorieris. Omnipotens Pater, peccavimus tibi facti filii alieni, sed appropiavimus in Victore, qui dum vicit cupiditatem suam, vincat et iram tuam, nos quoque in gratiam potenter restituat. O victor Jesu, te in nostro Victore laudamus, quia te in illo vicisse cognoscimus. Da ei, piissime Jesu, sic de sua in te victoria gloriari, ut non subeat oblivio nostri. Fili Dei, immitte ei nostri semper in conspectu tuo memorem esse, nostram in tuo tremendo judicio suscipere et agere causam. »

Et scribam super eum. — Persistit in metaphora columnæ (unde ex Græco verti potest, *super eam*) : columnis enim inscribi solent tituli et nomina victorum, vel eorum quibus eriguntur et dedicantur, uti videmus hic Romæ in columna Trajani, et in arcu Titi, Severi et Constantini.

Nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, novæ Jerusalem, etc., et nomen meum novum. — Nomen hoc, ait Ambrosius, est esse æternum, sive esse participem æternitatis, et æternæ visionis Dei, quam significat Jerusalem.

*Secundo*, esse in societate Angelorum et Beatorum, qui vocantur Jerusalem cœlestis. Sic et Andreas Cæsariensis.

*Tertio*, Rupertus : Nomen Dei est nomen patris nomen Jerusalem est nomen matris, de qua ait Apostolus, *Galat.* IV, 26 : « Quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra, » *q. d.* Qui voluntati Dei obsequens victor fuerit mundi, carnis et diaboli, hunc insignium titulo patris et matris, honorabo eum, quasi esset pater meus, et mater mea, juxta illud Christi : « Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est, » *Matth.* cap. XII, vers. 50. Huc accedit Joachim : Faciam, inquit, ut a suis vocetur pater, quomodo Religiosi suos rectores vocant Abbates, et laici sacerdotes vocant Papas, id est, patres; ut sint instar Abrahæ, cui dictum est : « Patrem multarum gentium constitui te. » Sic S. Antonius, Hilarion, Benedictus nomen habent « Abbas, » id est pater. Pari modo faciam ut vocetur mater, instar Pauli, qui ait *Galat.* cap. IV : « Filioli mei, quos iterum parturio. »

*Quarto* et optime, alludit ad columnas, in quibus principes eas erigentes, sua nomina incidi curabant, quo significabant quod columnæ hæ sibi charæ, pretiosæ et gloriosæ essent, *q. d.* Adscribam eum meis filiis et electis in cœlo, ut sit incola cœli et civis angelorum : ut sit hypallage, qualis est illa : « Invocatum est nomen Domini super nos, » id est, nos vocati sumus servi et filii Domini. Sic hic dicitur : « Scribam super eum nomen Dei, et novæ Jerusalem, » pro eo quod diceretur : « Scribam nomen ejus in libro Dei, et novæ Jerusalem, » scilicet scribam eum in libro vitæ in cœlo, ut sit civis Sanctorum, et domesticus Dei. Aut potius plane et simpliciter, *q. d.* Ego hunc virum tam solidum et illustrem in virtute, columnam efficiam, ut et Deo, et Ecclesiæ, et Christo magno sit honori et gloriæ, ut ipse sit quasi trophæum, in Dei victoris et Ecclesiæ decus, a Christo erectum. Quotquot enim ipsum, ipsiusque mores tam sanctos intuebuntur, dicent illum esse columnam Dei, Ecclesiæ et Christi; ita ut videatur in fronte scriptum gerere : Hic est columna, imo trophæum, Dei, Christi et Ecclesiæ; quia in ipso resplenduit, omnibusque quasi legenda proponitur magnitudo gratiæ et virtutis Dei. Est catachresis : scribi enim dicitur, quod tam conspicuum fit et illustre, ac si in fronte scriptum esset. Ita Alcazar, cujus sensa docta et pia, sed fusiora quam ut a multis legi queant, hic et alibi, in gratiam lectorum, paucis complexus sum.

Nota : Christus hic ter repetit *Dei mei*, ut significet ingentem reverentiam et delicias amoris sui erga Patrem ob tot beneficia, tum sibi, qua homo est, tum fidelibus suis per se collata. Cor enim Christi plenum erat recordatione, gratiarum actione, et amore Dei Patris sui, ut nihil aliud cogitare posset; utpote qui solus a Patre honoraretur et diligeretur ut naturalis ejus filius, cum cæteri tam homines, quam angeli sint ejus adoptivi : ac vicissim solus Patrem, ut patrem naturalem diligeret, quasi ejus unigenitus. Rursum, per hoc excitat Christus spem Ecclesiæ et fidelium, quod per eum a Patre omnia quæ petunt, facile obtenturi sint. Summe enim Pater amat Filium, uti et Filius Patrem.



Nota : Ecclesia tam militans in terris, quam triumphans in cœlis, vocatur « Jerusalem, » id est civitas Dei (sive visio pacis) : « nova, » respectu hominum, quibus fuit incognita prioribus sæculis, puta in lege tam Mosis, quam naturæ. Eadem dicitur descendere de cœlo, tum quia ad litteram, ipsa origine sua est cœlestis. In cœlis enim orta est et a Deo producta; unde ipsa e cœlis ad homines terrestres descendere videtur, cum eos facit cœlestes et beatos, de quo plura cap. XXI, vers. 1. Tum quia mystice, ipsa cum Christo per humilitatem semper descendit, contra superbum Luciferum, qui tumore inflatus dixit : « In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, » inquit Joachim. Aliter Maldonatus in Notis brevibus manu propria scriptis, quas habemus in collegio Romano : Dicitur, inquit, Jerusalem nova descendere de cœlo, id est fundari, tam alta habere fundamenta, ut a cœlo usque ad terram descendant, vel quia cœlitus apparet quasi descendens, vel quod appropinquet et veniat, cap. XXI, vers. 2.

Et nomen meum novum. — Nomen novum Christi est Jesus; hoc enim novum illi in circumcisione impositum est, ait S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XXXVII, art. 2, *q. d.* In victoribus, quasi in columnis, inscribetur nomen Jesu, ut significetur eas esse erectas per Jesum, gratiam et victoriam omnem adeptos esse per Jesum, ideoque per excellentiam vocabuntur Jesuani, sive Jesuitæ, id est filii et clientes Jesu. Ita Pererius, Ribera, Viegas, imo Hugo, qui primus ex Ordine Prædicatorum in collegium Cardinalium est electus, et ex eo Landulphus Carthusianus ante annos 260, parte I *De Vita Christi*, cap. X : « In gloria, inquit, cœlesti ab ipso dicemur Jesuitæ, » id est, a Salvatore salvati. Hoc ergo nomen novum, est nomen Jesu Christi, sanctificatoris in terra, beatificatoris in cœlo, quod Christus tum ante passionem, tum in ea, tum maxime post eam adeptus est, quando e cœlis misit Spiritum Sanctum in Apostolos et fideles, ut eos et per eos totum orbem sanctificaret in hac vita, et glorificaret in futura. Porro hoc nomen novum tum ad fidelium, tum potius ad Christi gloriam spectat; in hisce enim fidelibus, quasi columnis a Christo erectis, relucet Christi gratia, fortitudo et triumphus, qui hasce columnas fundavit et firmavit, ut turbines omnes et tempestates vincerent; ita ut in iis quasi Christi nomen et titulus inscriptus, imo insculptus videatur. Sic de Christo ait Apostolus, *Philip.* II, 9 : « Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; » *nomen*, inquam, tum Redemptoris et Salvatoris, tum Domini et Monarchæ mundi. Unde sequitur : « Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum. » Vide ibi dicta.

14. Et Angelo Laodiciæ scribe. — Hæc est septima et ultima Christi epistola ad Episcopum Laodicenum, et sub ejus persona ad quosvis Prælatos et fideles tepidos. « Celeberrima est, ait Plinius, lib. V, cap. XXIX, urbs Laodicia : imposita est Lyco flumini, latera alluentibus Asopo et Capro, appellata primum Diospolis, deinde Rhoas. » Condita fuit ab Antiocho, filio Stratonices, et in gratiam uxoris Laodices dicta est Laodicea, quasi λαῶν δίκη, hoc est *populorum judicium*, id est judex, puta princeps populorum, quibus jus diceret, legesque ferret. Hinc, vers. 17, se divitem jactat, et nullius indigentem. Erat ergo urbs maxima Phrygiæ, vicina Colossis; unde S. Paulus, *Coloss.* cap. IV, vers. 16, ait : « Cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis. »

Quæres : Quis fuit hic Episcopus? Aureolus putat fuisse S. Sagarem Episcopum, qui nobile martyrium Laodiciæ obivit sub annum Christi 172, quem laudat Eusebius, lib. V *Histor.*, cap. XXIV : « Quid, ait, attinet dicere de Sagare Episcopo et Martyre, qui Laodiciæ obdormivit? » Verum obstat quod Eusebius et veteres S. Sagarem a sanctitate et zelo commendent. Hic autem Angelus a Christo multis in rebus reprehenditur, et in nulla laudatur. Audit enim : « Tepidus es : et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. » Ita Lyranus, Pererius et Alcazar : nisi dicat quis Sagarem initio talem fuisse, sed monitum a Christo resipuisse, ut resipuit Angelus Ephesi, de quo dixi cap. II, vers. 1.

Hæc dicit Amen. — Græce ὁ ἀμὴν, id est, Ille qui est Amen, id est stabilis, verus, constans, fidelis, ipsaque stabilitas, veritas et fidelitas. « Amen » ergo hic non est adverbium, ut volunt Primasius et Ambrosius, sed nomen, sive epithetum Christi, uti et *Isaiæ* LXV, 16, ubi vocatur « Deus Amen, » id est Deus verus; et II *Corinth.* I, 18 et 19. Vide ibi dicta. Porro Christus hic vocatur « Amen, » non tantum qua Deus, *q. d.* Hæc dicit Christus, qui est Deus, cujus epithetum est *Amen*, id est verus, sive ipsa veritas; sed potius qua homo, quia qua homo, verax fuit et fidelis, tam in sua doctrina et testimonio, quod veritati perhibuit, quam in suis promissis. Vocatur ergo « Amen, » quia est « testis fidelis et verus, » uti explicando subditur.

Sed cur hic tantum Christus se vocat « Amen, » et testem fidelem, non autem in aliis ad alios Episcopos epistolis? Respondent aliqui, quia hic Episcopus dubitabat de Christi promissis, ideoque in teporem inciderat, quem hic redarguit Christus, eumque ad fervorem iteratis promissis revocat, ideoque ei suam fiducitatem ante omnia proponit et inculcat. Verum an hic Episcopus de

Christi promissis dubitarit, incertum est; certius est eum hæc Christi promissa non æstimasse satis, non considerasse, non ponderasse tantum, quantum par erat; si enim ea prout debuerat ponderasset, non intepuisset. Omnis enim tepor in Dei obsequio oritur ex eo quod homo non satis consideret et æstimet, quis sit Deus, quæ et quanta sint ejus promissa æque ac minæ.

Aliam causam probabilem dat Alcazar. Præmittit, inquit, Christus asseverationem suæ fidelitatis et veracitatis, quia huic Episcopo dicturus est quædam, quæ minus verisimilia videntur, ut, quod præstet frigidum esse quam tepidum, quod Episcopus hic miser esset et miserabilis, quodque tali tam ingentia promittat, scilicet cœnaturum se cum eo, ipsumque collocaturum in throno suo.

QUI EST PRINCIPIUM CREATURÆ DEI. — *q. d.* Qui, scilicet Christus, est causa efficiens et exemplaris rerum creatarum (a qua scilicet principium ducunt omnes res conditæ), et maxime reparatarum, puta hominum redemptorum per suam mortem. Unde *Isaiæ* IX, 6, vocatur « *Pater* futuri sæculi. » Et Apostolus *Galat.* VI, 15, *Ephes.* VI, 10, *Coloss.* III, 10, fideles vocat novam creaturam, Christi scilicet. Sic enim ait *ad Ephes.* : « Ipsius factura sumus, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. » Fideles enim in baptismo, vel pœnitentia, quasi regenerantur a Christo, fiuntque novi homines, et novum quasi esse divinum accipiunt, ut dicantur et vere sint nova creatura Dei, Deum scilicet colendo et glorificando; in Christo ergo est vera vita nostra, et « sine Christo vanum omne quod vivimus, » ait S. Hieronymus *ad Heliodorum*. Ita Ribera, Rupertus et Alcazar, qui et addit alludi hic ad illud cap. I, *Principium et finis*; omitti vero τὸ *finis*, quod hic Episcopus non finem, id est perfectionem, hujus novæ creaturæ, uti ipse putabat, sed tantum initium, imo vix initium, ob suum teporem, erat assecutus. *Secundo*, pro *principium* græce est ἀρχή, quod tam principatum, quam principium significat; quasi dicat : Qui, scilicet Christus, principatum obtinet in omnes creaturas. Ita ex Andrea Cæsariensi Pererius. Perperam ergo Ariani interpretabantur Christum, qua Dei verbum et Filius est, esse principium, id est, esse primam creaturam, et duratione et dignitate. Nam hoc repugnat S. Scripturæ, quæ docet alibi Filium non esse creaturam, sed Verbum coæternum et consubstantiale Patri, esseque ipsum Deum Amen, uti asserit Isaias loco jam citato.

15. UTINAM FRIGIDUS ESSES, AUT CALIDUS (ζεστός, id est *fervens*); SED QUIA TEPIDUS ES, ET NEC FRIGIDUS, NEC CALIDUS, INCIPIAM TE EVOMERE EX ORE MEO. — Arabicus vertit : *Utinam esses aqua frigida, aut esses calida! quia tu es sic aqua tepida, et non es aqua calida, et non es aqua frigida.* Aqua enim tepida evomitur, et ciborum vomitum provocat. Huic ergo comparatur hic Episcopus.

Quæres : Quinam vocantur hic calidi, frigidi, tepidi, aut potius comparantur aquæ calidæ, frigidæ, tepidæ?

*Primo*, Richardus, Beda, Aretas, Ambrosius, serm 2 *in Psalm.* CXVIII : Frigidi, inquit, sunt infideles, qui peccant per ignorantiam; his pejores sunt tepidi, id est fideles peccatores, quia peccatum, v. g. libido gravior est in fideli, quam in infideli.

*Secundo*, Victorinus censet frigidos esse hæreticos; calidos, Catholicos; tepidos, politicos, qui pro suis commodis jam hæreticos, jam Catholicos se simulant.

*Tertio*, Primasius : Frigidi, ait, sunt, qui nullas habent opes, quas erogent in pauperes; calidi, qui habent et erogant : tepidi, qui habent, nec erogant. Sic et Ticonius et Andreas, qui ait hunc Episcopum fuisse divitiarum spinis obsitum.

*Quarto*, Commentarius inscriptus nomine S. Ambrosii, putat tepidos esse fideles, qui bene operari negligunt, et ex sola fide aut scientia sua sperant salutem. Ita et verus S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII; Salvianus, lib. IV *De Providentia*, et S. Bernardus, serm. 3 *De Ascensione*, qui inscribitur *De Intellectu et affectu*. Rursum S. Gregorius, part. III *Pastor.*, cap. XXXV, et Thomas Anglicus, tepidum interpretantur eum, qui non consummat ea quæ bene inchoavit, et, ut ait Origenes, homil. 1 *in Psalm.* XXXVIII, qui post bonum initium torpuit.

*Quinto*, S. Gregorius, XXXIV *Moral.*, II, ait : Calidus est qui charitatem habet; frigidus, qui in peccato mortali existit, sed culpam suam agnoscit; tepidus est, qui est in peccato, sed illud non agnoscit, et per hypocrisin probum se simulat.

*Sexto*, Haymo et Ansbertus : Frigidi, inquiunt, sunt sæculares; calidi, monachi ferventes; tepidi sunt, qui habent habitum monachi, sed animum et mores sæculares. Vide Haymonem et Cassianum, *Collat.* IV, cap. XIX. Unde aliqui sic explicant, *q. d.* Utinam Religiosi aut essent sæculares, aut vitæ Religiosæ, quam professi sunt, studiosi! In sæculari enim vita minus gravia essent peccata, quæ in Religioso graviora sunt.

*Septimo*, Joachim : Calidus est, qui lætus et alacer gaudet in Domino per misericordiam ejus; frigidus, qui tristatur in se pro peccatis suis; tepidus, qui nec tristis est per pœnitentiam, nec lætus ad obsequium Dei. Sic et S. Bernardus, serm. 3 *De Assumptione B. M. Virg.* : Calidi, inquit, sunt, qui charitate fervent ad bona opera; frigidi sunt, fragiles et peccatores, sed tristes, humiles et pœnitentes. Sive calidi sunt, quos amor Dei; frigidi, quos timor pœnarum a peccatis coercet; tepidi, qui neutrum horum habent, qui nec amant, nec timent Deum.

*Octavo*, Rupertus et Pererius : Tepidi hic sunt superbi, qui sibi placent et præfidunt, persuadentque sibi se esse bonos, et secure vivunt, quasi nullius egentes, nihil timentes. Unde sequitur : « Dicis quod dives sum et locuples, et nullius egeo; et



nescis quia tu miser es, et miserabilis. » Hi frigidis, id est manifestis peccatoribus sunt pejores. Unde Rupertus hæc virgini superbienti accommodans sic explicat, quasi dicat : « Utinam potius esses corrupta et humilis! » Hinc S. Augustinus, serm. 53 *De Verbis Domini* : « Audeo, inquit, dicere, superbis continentibus expedit cadere. » Et lib. XIV *De Civit. Dei*, cap. XIII : « Audeo, ait, dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. » Subdit exempla : « Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit quando præsumpsit. Hoc dicit et sacer Psalmista, *Psalm.* LXXXII : « Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine, id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerant quærendo suum. » Hoc et ait Sapiens, *Proverb.* XVI, 18 : « Contritionem præcedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus. » Idem Augustinus, lib. 1 *De Civit. Dei*, cap. XXVIII, docet Deum a Barbaris Romam aliasque urbes vastantibus, permisisse violari virgines Christianas, vel quia ipsæ superbæ erant, vel quia periculum erat ne ob castitatem, etc., superbirent. « Illarum, inquit, tumori occursum est immanenti, istarum occursum est imminenti. »

*Nono*, tepidus est, qui inter virtutes et vitia fluctuat, quique ex virtute quidem vivere, et peccata vitare vellet, sed certamen cum vitiis et virtutis laborem refugit. Ita Haymo, Anselmus, Lyranus et Cassianus, *Collat.* IV, cap. XII et XIX.

Hos secutus Alcazar : Tepidus, inquit, est, qui Deum quidem non audet mortaliter sciens et volens offendere, ideoque se putat justum, sed purioris et perfectioris vitæ studium negligit; unde se facile propriis concupiscentiis permittit, et quævis peccata devorat, quæ sibi tantum venialia videntur. Hic licet possit esse in statu gratiæ, si videlicet ei gravis tentatio concupiscentiæ non occurrat, facile tamen, ea occurrente, in peccatum mortale cadit; unde in magno versatur peccati et salutis periculo, sæpeque inter tot occasiones, quibus plena est hæc vita, in peccatum mortale reipsa prolabitur, uti hic Episcopus prolapsus erat. Differt ergo hic Laodicenus a Sardensi, puta tepidus a frigido, quod Sardensis per improbitatem, puta per spontaneam in officio et cura sua pastorali negligentiam, sciens et volens lethaliter peccaverat; hic vero Laodicenus a propria concupiscentia illectus, per teporem non adverterit se Deum offendere, et tamen ab ipsius gratia exciderit : unde vocatur cæcus. Licet enim sciret se tepidum, tamen non videbat magnitudinem sui periculi, ob hunc teporem; suumque ex eo lapsum et conditionis suæ miseriam non agnoscebat. Hæc explicatio genuina videtur, eique facile expositio quarta, quinta, sexta, septima, octava, nona adaptari, cum eaque conciliari possunt. Nam primæ tres expositiones parum aptæ et impertinentes videntur.

Unde nota. Licet in se pejus sit esse frigidum et in frigore degere, quam tepidum ad frigus tendere; sicut pejus est scienter peccare ex libertate, quam ignoranter ex tepore et concupiscentia (hoc enim est esse tepidum, illud esse frigidum) : tamen tepor hic damnatur præ frigore, diciturque optabilius esse, ut Episcopus Laodicenus sit frigidus, quam tepidus, quia tepor *primo*, periculosior est frigore, tum ob majorem oblivionem et socordiam, ex qua non advertit suum periculum, sed securus in eo quiescit et obdormit; tum ob periculum derelictionis a Deo. Deus enim, qui est ignis consumens, sibique vult a Seraphinis ministrari, hunc teporem odit, et tepido gratiam suam subtrahit, sinitque eum altum dormire, itaque labi et ruere in barathrum. Peccatum ergo tepidi in se levius quidem est, sed periculosius; ideoque ei dicit hic Christus : « Utinam frigidus, aut calidus esses! » quod explicans Thomas Anglicus ait : « Sermo est de frigido, non quantum ad frigiditatem et culpam, sed quantum ad dispositionis majorem facilitatem, » quia frigidus magis aptus et dispositus est ad emendationem, quam tepidus, qui suo tepore facile est ruiturus in profundum peccati et gehennæ. Et Glossa : « Non optat, ait, eum frigidum simpliciter, sed talem de quo major spes habeatur. » Nam, uti præclare ait Cassianus, *Collat.* IV, cap. XIX : « Frequenter vidimus de frigidis atque carnalibus, id est de sæcularibus ac Paganis, ad spiritualem pervenire fervorem; de tepidis atque animalibus omnino non vidimus. » Christus ergo hic Episcopo Laodiceno, omnibusque Prælatis, et fidelibus, præsertim Religiosis, ostendit, quantum sit in tepore periculum, et in quam periculoso, ac ad lapsum et ruinam proclivi et prono statu versentur tepidi, qui disciplinæ et vitæ perfectioris studium refugiunt, in eoque languent et quasi nauseant. Tepor ergo hic damnatur, non tantum quia contrarius est stomacho, ac instar aquæ tepidæ quasi vomitum provocat Deo, ut vult Pererius; sed etiam quia diminutum quiddam est, imperfectum, torpidum et languidum : nec enim calor est, nec frigus, sed participium ab utroque, imo utriusque quasi refractio, imminutio et hebetatio. Itaque tepidi sunt animalia quasi amphibia, quæ nec terrestria sunt, nec aquatica, et, ut vulgo dicitur, nec piscis, nec caro. Quid agas cum talibus? ubi eos colloces? irresoluti sunt, hærent, fluctuant, nunc huc, nunc illuc inclinant. Nonne satius est esse frigidum, sed resolutum? *Secundo*, hic tepor per accidens pejor est frigore, quia conjunctus est et oriri solet ex magna præfidentia, superbia, præsumptione et contemptu Dei rerumque divinarum, uti superius dixi ex Ruperto. Hoc est enim quod subdit : « Quia dicis, quod dives sum. »

Unde nota *secundo*, hunc Episcopum Laodicenum per hunc teporem a charitate excidisse, et reipsa incidisse in peccatum mortale, ac tetendisse ad plenum frigus, id est, ad spontaneam pec-

candi licentiam et malitiam, ac consequenter ad amissionem fidei. Hoc ita esse liquet, tum quia vocatur pauper, nudus, cæcus, miser et miserabilis; tum quia suadetur ei, ut emat aurum ignitum, id est charitatem. Ita docent Richardus, Beda, Aretas, Alcazar, Ribera, S. Gregorius, Ambrosius, locis jam citatis, aliique plures.

Nota *tertio*, non male tamen hunc locum accommodari tepido in charitate existenti; imo de eo intelligere videtur Lyranus. Nam, ut docet S. Gregorius, III part. *Pastor.*, admon. 35, majus periculum est in tepido, quam in frigido : « Quoniam, inquit, frigus ante teporem sub spe est, tepor autem post frigus, in desperatione, id est, qui adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit : qui vero post conversionem tepuit, simul spem quæ erat de peccatore, subtraxit. »

Dices : Quomodo de eo dici potest : « Utinam calidus esses, aut frigidus? » Respondeo : Bonum videtur esse hoc desiderium, uti et permissio, quo scilicet optat quis aut permittit, ut aliquis socors, obfirmatus in socordia, et proximus ruinæ, labatur in peccata aliqua graviora et manifesta, ut ex iis lapsus suos agnoscat, serioque et plane corrigatur et salvetur, uti docet S. Augustinus, lib. XIV *De Civit.*, XIII, verbis paulo ante citatis, de superbo, sibique præfidente ideoque torpente. Nam nisi hoc fiat, manebit socors, et labetur in peccata mortalia occulta, eaque negliget, itaque incurret periculum damnationis. Talis ergo in majori periculo versatur, quam qui est in mortali peccato manifesto. Quod ipse agnoscit. Unde satius et optabilius est talem labi in peccatum mortale manifestum, ex quo mox resiliat ferventior, quam hærere in sua socordia tam periculosa et damnosa, utpote ex qua in longe graviora labetur, et insensibili ac irrevocabili casu profundius in gehennam ruet, uti superius in tepido, qui in peccatum mortale lapsus est, ostendi.

Moraliter, disce quantum malum sit tepor et acedia. « Acedia (ait Climachus) est remissio animæ, et resolutio mentis, pusillanimitas exercitationis, odium professionis, mundanorum beatificatrix, detractrix Dei quasi inviscerosi et existentis sine benignitate, attonita in psalmodia, infirmans in oratione, in ministerio ferrea, in opere manuum pigra, in obedientia improba. » Ita ipse cap. *de acedia*. « Radix desperationis est ignavia, et non solum radix, sed est nutrix ejus et mater. Nam sicut vestimentum et tineam generat, et nutrit : ita ignavia non solum gignit ex se desperationem, sed alit et fovet, » ait S. Chrysostomus, lib. *De Lapsu*. « Per teporem vires et ingenium defluunt, » ait Isidorus, lib. II *Soliloq.* « Fugienda est otiositas, mater nugarum, noverca virtutum, » ait S. Bernardus, lib. II *De Consideratione*. « Sicut in unoquoque opere mater invenitur constantia, ita universæ doctrinæ et disciplinæ noverca est negligentia, » ait Boetius, lib. *De Scholastica disciplina*.

Vis Gentilium gnomas et sensa? Plato, libro *De Republica* : « Pestis, ait, mortalibus est ignavia. » Seneca in *Proverb.* : « Diu, ait, deliberato, cito facito. Nil curare, hoc est insanum esse ; nil posse, hoc mortuum vivere. » Idem, lib. *De Benefic.* : « Nullum beneficium dandum est negligenti. » Et *epist.* 30 : « Generosos animos labor nutrit. » Eusebius Philosophus : « Ignavia tabefacit corpus, animam socordia ; exercitatio vero ad speciem Deo simillimam, eam evehit. » Seneca in *Medea* :

Fortuna fortes metuit, ignavos premit.

Valerius Maximus, lib. II, cap. VII : « Enerves animos odisse virtus solet. » Aristoteles, libro III *Ethicor.*, cap. VII : « Desperat ac diffidit omnis ignavus, quoniam omnia pertimescit : at fortis contra. Est enim fidentis animi audere. » Idem, lib. X *De Animal.* : « Nullum, ait, ens naturale natum est otiosum. » Vide quam cœli sunt veloces, elementa activa, animalia operosa. Sallustius in *Catilina* : « Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur ; sed vigilando, agendo, bene consulendo, omnia prospere cedunt : ubi socordiæ atque ignaviæ te tradideris, nequidquam deos implorabis. »

Catonis fuit sententia : « Nihil agendo hominem male agere perdiscere. » Terentianus Mitio quærit de adolescente, an crediderit speratas nuptias dormienti sibi confecturos deos? Democritus rogatus qua re industrii ab inertibus differrent, respondit : « Qua impii a piis, spe nimirum bona. » Laborans enim suæ industriæ sperat præmium, ignavus desperat.

Vis exempla? Cyrus ignavos milites exauctorandos censuit, uti refert Xenophon, lib. II *Cyropædiæ*.

Lycurgus plectendum censuit civem, qui manifesto neglexisset rationem qua præstantissimus evaderet : ab ignavis enim Respublicas prodi, testis est Xenophon, *De Republ. Lacedæmon.*

Themistocles « pigritiam » vocavit « vivi hominis sepulturam ; » qui cum expletis centum et septem annis se mori videret, dixisse fertur se plurimum dolere, quod de vita decederet, quando sapere cœpisset. Ita Plutarchus in ejus Vita.

Est in Mythis Æsopi, bubulcum agentem currum lignis onustum, cum is in luto hæreret, otiose stantem implorasse opem Herculis, cui apparens Hercules : « Rotis, ait, o bubulce, manus applica, et stimulum bobus admove, ac deorum deinde opem poscito ; ne, si tu cesses, frustra dii invocentur. » Unde Proverbium : « Manum admoventes invocato numina. » Seneca, *epist.* 33 : « Male, ait, mihi malo esse, quam molliter ; si mollis es, paulatim effeminatur animus, atque in similitudinem otii sui et pigritiæ, in qua jacet, solvitur : dormio minimum, et brevissimo somno utor : satis est mihi vigilare desiisse : aliquando dormisse scio, aliquando suspicor. » Idem, *epist.* 8 : « Nullus mihi per otium dies exit : partem noctium studiis vindico. Non vaco somno, sed accumbo, et oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo. » Et *epist.* 67 : « Demetrius vitam securam, et sine ullis fortunæ incursionibus, mare mortuum vocat ; in otio inconcusso jacere, non est tranquillitas, sed malacia. Attalus Stoicus dicere solebat : Malo ut me fortuna in castris, quam in deliciis habeat. »

Lysander, Lacedæmoniis segniter Corinthiorum muros oppugnantibus, cum leporem fossa vidisset exilientem : « Eos, ait, timetis hostes, quorum ignavia lepores in muris dormiunt. » Testis est Plutarchus in *Apophtheg.*

Archilochum poetam Spartani, licet Spartanus esset, urbe expulerunt, quod carmen scripserat, satius esse in prælio arma quam vitam amittere. Hoc enim cives ad ignaviam et ad timiditatem excitare videbatur.

Nabathæis servatum legimus, ut negligens, remissus et otiosus, qui opes paternas ignavia minuisset, pœna mulctaretur. Ita Alexander ab Alexandro, lib. III, cap. XIII.

Sardoa lex in otiosos constituta est, quæ pœnas socordiæ infligebat, et unumquemque laborum et victus, totiusque vitæ rationem reddere cogebat, teste Æliano, lib. IV.

Similis fuit apud Argos, teste Alexandro ab Alexandro, lib. III, cap. III. Sic etiamnum Belgæ non ferunt ignavos aut validos mendicantes. Porro signa fervidi et tepidi, ex S. Bernardo recensui *Rom.* XII, 11.

16. Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. — Est metaphora a cibis, qui, si frigidi sunt aut calidi, in stomacho retinentur ; sin tepidi, vomitum provocant. Nam, ut recte deducit Ribera, stomachus, ut bene retineat et coquat cibos, claudi debet et constringi. Frigida ventriculum mordent et contrahendo exasperant, calida exsiccant et pungunt : atque idcirco ad utrumque tactum partes ventriculi contrahuntur, ut utraque stringant, complectantur et percoquant. Hac de causa veteres in conviviis non solum frigidam apponebant, sed etiam calidam, uti notat Lipsius, lib. I *Elector.*, cap. IV. Japones vero jugiter calidam bibunt, eaque ratione evadunt et ignorant colicam, cruditatem, pituitam, podagram aliosque Europæorum morbos, qui ex frigido potu oriuntur, uti refert oculatus testis noster Trigautius, lib. I *Hist. Sinarum*. Ad tactum vero tepidorum blandum et suavem stomachus laxatur, solvitur, flaccescit et extenditur ; laxatus dimittit cibum, atque is dimissus gravat eum ut pondus, et molestia afficit : ac proinde natura in id quod molestum est insurgente, atque expellere laborante, evomitur. Unde Medici ad vomitum solent dare aquam tepidam. Explicat id Franciscus Valesius, *Sacræ Philosoph.* cap. XX, duplici exemplo : *Primo*, animalium habentium crustam ; hæc enim mox ut punguntur vel dolent, sese contrahunt ; si vero tepida perfunduntur, vel a sole modice calescunt, distenduntur. *Secundo*, manus laxatæ, quæ evertitur ab eodem pondere, quod firmiter constricta retineret et sustentaret.

Significat ergo Deus tepidos suo tepore sibi quasi aquam tepidam propinare, qua cogatur eos evomere, id est, a se suaque familiaritate repellere. *Secundo*, consequenter significat tepidos esse quasi cibum crudum defectu caloris, id est charitatis, indigestum ; sicut e contrario ferventes, per charitatis calorem quasi concocti, Christi membra efficiuntur. *Tertio*, vomitus hic significat Deum execrari tepidos, sicut execramur id quod os evomit. *Quarto*, id fieri violentia magna, sicuti fit vomitus : nam quasi contra bonitatem Dei est, ut eos evomat. *Quinto*, non ait : Ex stomacho, sed, Ex ore, quia tepidi ita displicent Deo, ut in stomachum eos non admittat, sed statim ut eos in *ore* senserit, evomat et expuat, ac tandem deturbet in æternum supplicium, ait Andreas Cæsariensis.

Audi et Alcazarium : « Assero, inquit, *primo*, vomitus metaphoram non esse referendam (proprie et maxime) ad æternam damnationem. Hæc enim non solis tepidis, sed omnibus peccatoribus, a Deo intentatur ; verum ad id quod eam præcedit, scilicet ad derelictionem Dei. *Secundo*, assero vomitus metaphora repræsentari irreconciliabilem detestationem. *Tertio*, assero tepidum tunc aptissime dici a Christo evomi, cum induratur in peccato, et quodammodo projicitur extra curam divinæ providentiæ. Hujus autem comminationis particula (quæ propter venialem etiam teporem merito timeri debet) est, privari iis auxiliis, quæ non conceduntur omnibus justis, sed iis solum, quos Deus majori favore prosequitur. Quantum vero periculum inde immineat labendi in peccata lethalia, et tandem in veram obdurationem, id spiritualium virorum considerationi relinquo. *Quarto*, assero comminationem hanc sic explicatam esse respectu teporis, et per ipsam doceri fideles, teporem esse ipsissimam viam ad obdurationem in peccato. Qua sententia nihil aptius potuit proponi tepidis, utpote qui putant se valde alienos esse ab hac obduratione, et valde eam detestari. » Simile proverbium est : « Betizare, » et « beta semicocta ; » hæc enim nauseam movet, dicituque de hominibus languidis, torpidis et effeminatis : quo utuntur Septuaginta, *Isaiæ* LI, 20. Vide ibi dicta. Ita Diogenes dicebat se non carpere mores juvenum, quia « canis, inquit, betis non vescitur, » significans juvenes insulsos, ita et morsu suo indignos, nec se dignari eis allatrare.

Incipiam te evomere. — Pro *incipiam* græce est μέλλω, quod proprie significat *futurus*, vel *facturus sum* ; Syrus vertit, *paratus sum*. In Scriptura tamen non raro significat *inchoo, incipio*, ut *Joann.* cap. IV, 47 : « Incipiebat, » græce ἤμελλε, « enim mori ; » *Actor.* III, 3 : « Cum vidisset Petrum et





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Joannem incipientes, » græce [illegible], «introire in templum. » Plura affert Ribera. Estque hæc significatio hic aptior et efficacior, *q. d.* Non in futurum differam, sed statim incipiam evomere te; vide ergo ut in tepore tuo non hæreas, sed illico eum excutias ac fervorem induas. Ut ergo verbo rem totam complectar, licet frigidus sit pejor tepido, tamen pejor est status sive conditio tepidi, quam frigidi, quia tepidus est in majori periculo ruendi sine spe resurgendi, quam frigidus. Arabicus vertit : *Nisi illud* (nisi esses sicut aqua tepida), *discrevissem te visu meo*, vel *oculo meo*, *q. d.* Placuisses mihi, invenisses gratiam in oculis meis, fuisses mihi dilectus et electus.

17. QUIA DICIS : QUOD DIVES SUM, — auro scilicet et opibus temporalibus : inde enim factus est pauper et tepidus in rebus spiritualibus. Ita Andreas, Aretas et Baronius, uti mox plenius dicam. Opes enim apud omnes in pretio sunt, et sæpe magis quam virtus, juxta illud Ovidii :

> In pretio pretium nunc est; dat census honores,
> Census amicitias : pauper ubique jacet.

Et illud Horatii, lib. I, *ode* 26 :

> O cives, cives, quærenda pecunia primum,
> Virtus post nummos.

*Secundo* et melius, «dives sum,» scilicet virtutibus. Ita Ambrosius et Gregorius, XXX *Moral.*, II, ubi pulchre docet electos quærere cœlestes, reprobos vero terrenas divitias.

Nota : Τὸ *quia*, idem est quod *quamvis*, *q. d.* Quamvis putes dicasque te esse divitem, revera tamen pauper es. Ita Alcazar. *Secundo* et proprie, τὸ *quia* dat causam teporis, *q. d.* Quia tibi tuisque viribus et virtutibus præfidis, hinc in earum exercitio intepuisti. Solent enim tepidi, videntes se peccata graviora vitare, in quæ homines mundani et scelerati ruunt, gloriari de sua innocentia et sanctitate, ideoque intepescere.

ET NESCIS QUIA TU ES MISER ET MISERABILIS. — Cur sit miser et miserabilis causas tres subdit, quia scilicet erat *primo*, « pauper, » id est carens charitate; *secundo*, « cæcus, » quia imprudens in rebus agendis; *tertio*, « nudus, » quia carens bonis operibus, quia sua faciebat per præfidentiam et hypocrisin. Hæc enim tria, scilicet paupertas, cæcitas et nuditas, si in eodem concurrant, faciunt eum miserum et miserabilem : sicut e contrario beatum apud homines faciunt opes, sanitas et vestitus honestus. Quocirca tribus hisce ærumnis trinam hanc felicitatem opponit, ad eamque eum adhortatur, nimirum paupertati opponit aurum, dicens : « Suadeo tibi emere a me aurum probatum, ut locuples fias. » Nuditati opponit vestes, dicens : « Vestimentis albis, » id est puris et sanctis operibus, « induaris. » Cæcitati dat visus remedium, dicens : « Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. » Ita Beda, Ansbertus, Rupertus et Hugo.

Pulchre S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.*, cap. III, hæc Apocalypsis verba sic explicat : « Quasi divitem se asserit, qui per arrogantiam sanctitatis extollitur, sed pauper, cæcusque et nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum divitias non habet; cæcus, quia nec paupertatem quam patitur, videt; nudus, quia primam stolam perdidit; sed pejus, quia nec perdidisse se cognoscit. Quia ergo egestas reproborum, est defraudatio meritorum, recte de Leviathan dicitur : Faciem ejus præcedit egestas. » Aurea est sententia S. Augustini, num. 27 : « Nemo, ait, tam eruditus, nemo tam doctus est, qui superna illustratione non egeat. Non enim ulli ita divinorum bonorum augmenta sufficiunt, ut non semper opus persit quod mens rationalis et intelligendum desideret et gerendum. »

18. SUADEO TIBI EMERE A ME AURUM IGNITUM PROBATUM, — id est, igne probatum et purgatum; nam pro *ignitum probatum*, græce est πεπυρωμένον ἐκ πυρός, id est ignitum ex igne, hoc est, extractum ex igne tanquam ignitum, ac consequenter plane purgatum et probatum; πεπυρωμένον enim respondet Hebræo צרוף *tsaruph*, id est igne exploratum et probatum. Forte etiam pro πεπυρωμένον, aliqui legerunt πεπειρασμένον, id est probatum, et Interpres noster utrumque conjungit.

Aliter Alcazar : nam τὸ *ex igne* refert non ad *ignitum*, sed ad *emere*, *q. d.* Accede ad fornacem, in qua ardet aurum, et ex ea ipsa fornace eme aurum purum, hoc est, accede ad inflammandam Dei et Christi charitatem per devotam meditationem, eaque quasi pretio oblato postula, ut illius auri igniti particulam aliquam tibi elargiatur.

Adverte : Christus ait *suadeo*, non *jubeo*. Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 56 in *Matth.* : « Sicut qui vim affert, plerumque avertit; sic qui liberos audientes constituit, multo magis attrahit. » Potentior est enim oratio mitis quam violenta. Unde Seneca, lib. I *De Clementia*, ait humanos animos esse quasi generosos equos, qui facili freno se flecti sinunt : « Remissius, inquit, imperanti melius paretur. » Hinc de Deo ait Sapiens, cap. XII, vers. 18 : « Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos. »

Nota *primo* : Per *aurum* multi intelligunt sapientiam, non Philosophorum, sed Sanctorum : tum quia ipsa quasi thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, ut dicitur *Proverb.* XXI; tum quia, uti auro emimus temporalia, ita per sapientiam comparamus et meremur æterna, ait S. Gregorius, lib. IV *Moral.*, cap. XXXV.

Dicitur *ignitum*, quia sapientis aurum mentes in quibus habitat, in Dei et proximi amorem accendit, inquit, Ambrosius; ita et Andreas Cæsariensis, et Primasius, et Rupertus : « Eme, inquit, a me aurum sapientiæ ignitum ex charitate, probatum ex fide per charitatem operante; » unde *Psal.* CXVIII dicitur : « Ignitum eloquium tuum vehementer, » et *Deuter.* XXXIII : « In dextera ejus lex ignea. »

*Secundo*, Haymo per « aurum ignitum » intelligit Christum passionis igne inflammatum, *q. d.* Si vis ditescere virtutibus, imitare in tribulatione Christi patienti mansuetudinem, patientiam et charitatem, ut possis dicere cum Psalmista *Psal.* LXV : « Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; » et : « Transivimus per ignem et aquam. »

*Tertio* et optime, Richardus, Beda, Ansbertus, Hugo et alii per *aurum* hoc intelligunt charitatem, quæ ignita et probata est, id est pura et defæcata ab hypocrisi, et a scoriis cupiditatis, ardens et fervens.

Porro charitas dicitur ignis, *primo*, ob puritatem; *secundo*, ob subtilitatem, qua omnia pervadit; *tertio*, quia tendit in altum; *quarto*, ob efficaciam, quia omnia in se convertit; *quinto*, quia sicut ignis sine materia deficit, sic et charitas sine operibus moritur; *sexto*, quia ignis omnia reddit ignea, et quo magis se communicat, eo nihil perdens magis crescit : ita et charitas; *septimo*, quia lucidissima est : ita S. Dionysius, cap. XV *Cœlest. Hierarch.* Denique charitas vocatur aurum, quia præstantissima est et pretiosissima; et quia, sicut lapis lydius ac ignis probant et perficiunt aurum, ita patientia et passio probant et perficiunt charitatem. Plures auri et charitatis analogias vide apud Alcazar, cap. I, pag. 223.

Nota *secundo*, hoc aurum emendum, id est comparandum (hoc enim significat Hebræum קנה *kana*, ad quod alludit hic Joannes; sic *Isaiæ* LV, 1, dicitur : « Venite, emite absque argento vinum et lac» ) esse oratione, lacrymis, pœnitentia, bonis operibus. Hoc aurum, inquit Rupertus, « eme pretio piæ confessionis, et jugi memoria fragilitatis, semper considerando quid ex te sis, et quid a Deo acceperis : sic enim locuples fies gratia et cœlestibus bonis. »

Addit S. Ambrosius, lib. *De Josepho Patriarcha*, cap. VII, hoc aurum emi argento, non nostro (peccator enim nullo opere aut merito mereri potest primam gratiam), sed Christi, scilicet pretioso ejus sanguine : « Emite, inquit, sine argento; neque enim pretium quæsivit a nobis, qui pro nobis pretium sanguinis sui solvit. »

*Tertio*, Nazianzenus, orat. *in S. Baptisma*, respondet Deum ob ingentem suam bonitatem, qua nostram salutem optat, nostrum desiderium gratiæ et salutis, æstimare pro pretio. « O miram, inquit Nazianzenus, beneficentiæ celeritatem! O facilem contrahendi rationem! Hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur; appetitionem ipsam Deus ingentis pretii loco æstimat : sitit sitiri, libere cupientibus potum præbet; eum a Deo beneficium petitur, beneficio se affici putat; prompta, munifica ac prolixa natura est : jucundius dat, quam alii accipiunt. » Et Clemens Alexandrinus in *Exhortat. ad Gentes* : « Omnes sitientes, venite ad aquas : Adhortatur, inquit, ad lavacrum, ad salutem, ad illuminationem, propa clamans et dicens : Do tibi, o fili, terram, mare, cœlum; solummodo, o fili, patrem sitias, Deus tibi gratis ostendetur. »

*Quarto*, Abbas Joachim : Dat Deus, ait, gratiam pro gratia, *Joan.* I; negotiemur ergo cum minore Dei gratia, ut majorem emamus et comparemus. Et Thomas Anglicus : Emptio, ait, est dispositio liberi arbitrii. Verbum ergo emendi significat, quod multa debet homo facere et multa conferre, ut idoneus sit a Deo accipere ista dona. Sic ergo emptio hæc acuit industriam arbitrii nostri. Sic *Proverb.* XXIII, dicitur : « Veritatem eme, » id est, magno labore et studio, et cum jactura rerum temporalium compara sapientiam; quidvis age, quidvis patere, ut eam assequaris. Ita Pererius; et Dionysius Carthusianus : Eme, inquit, pretio non condigno, sed congruo : actus enim fidei, spei, pœnitentiæ, aliique sunt pretia, id est dispositiones, quibus magno labore emitur, id est comparatur, hæc gratia.

ET VESTIMENTIS ALBIS INDUARIS, — scilicet innocentia, vitæ puritate, sanctis et puris virtutum operibus, de quibus ait Apostolus *Coloss.* III, 12 : « Induite vos sicuti electi Dei, et sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, » etc. Græca habent : Ἱμάτια λευκά, ἵνα περιβάλῃ, id est, *vestimenta alba*, supple, suadeo tibi emere, *ut induaris*.

Notat ex Tacito, Strabone et aliis Baronius, anno Christi 62, in fine, Laodiciam fuisse urbem opulentissimam, adeo ut cives urbem terræ motu collapsam, brevi iterum in integrum restituerint : ideoque ejus Episcopum non tam suo, quam civium nomine dicere : « Dives sum, » atque hanc fuisse teporis tam ejus, quam civium causam, scilicet opes, indeque luxum. Opes vero has, tum in aliis mercibus, tum in lana sitas fuisse, de qua scribit Strabo, lib. XII : « Loca, inquit, quæ circa Laodiciam sunt, oves alunt excellentes, non mollitie modo lanarum, qua etiam Milesiis præstant, sed etiam ad corvorum nigredinis æmulum colorem; unde amplos quoque habent redditus. » Huc alludens Christus hic, docet eis alias quærendas esse divitias, diversasque ab illis quas Laodicenses in pretiosis velleribus possidebant, nimirum aurum ignitum charitatis, et vestes albas castitatis et puritatis vitæ : ita ex Strabone Baronius.

ET COLLYRIO INUNGE OCULOS TUOS, UT VIDEAS. — « Collyrium » est pharmacum oculorum, præsertim lippitudinis : reprimit enim pituitam et noxium humorem, qui ad oculos fluens visum impediebat. Porro collyrium fit ex saccharo et aqua rosacea, ac tusia, quæ est spuma subnigra argenti, inveniturque in fodinis argenti. Inde habet venulas argenti, estque friabilis, ut fiat instar arenæ subnigræ. Ab ea collyrium est subnigrum, ac mordicans et pungens instar argenti



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

arenæ. Unde Horatius, lib. I *Serm.*, satyra 5 :

> Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
> Illinere.

Jam per collyrium hoc, *primo*, Victorinus, Primasius, Beda et S. Gregorius, I part. *Pastor.*, cap. XI, accipiunt considerationem et observationem mandatorum Dei. « Collyrio, inquit Gregorius, oculos inungimus, ut videamus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri acumen medicamine bonæ operationis purgamus. »

*Secundo*, collyrium est memoria passionis Christi, per quam sapientiam et gratiam consequimur. Ita Viegas.

*Tertio*, alii : Collyrium est quælibet tribulatio, quæ per amaritudinem sensus spirituales purgat, ad cernenda spiritualia.

*Quarto*, collyrium (inquit Haymo et Alcazar) est mortificatio passionum, vel munditia cordis, vel imitatio Christi, vel assidua et pia divinæ legis meditatio, vel denique captivitas intellectus in obsequium fidei.

*Quinto*, Andreas Cæsariensis et Aretas : Collyrium est contemptus munerum et honorum terrenorum. Sicut enim hæc excæcant oculos prudentium, ita horum contemptus eosdem aperit et illuminat.

*Sexto* et optime, collyrium hoc est tum humilitas, *q. d.* ait Rupertus : Cor tuum vera humilitate purifica, ut paupertatem tuam videas, et divitias bonitatis Dei agnoscas. Nam Episcopus hic Laodicenus valde perniciosa sui ipsius ignoratione et præfidentia laborabat. Tum collyrium hoc est consideratio novissimorum, *q. d.* Consideratione futurorum bonorum et malorum expurga mentis oculum terræ infixum, et per eam excæcatum et obtenebratum. Ita Primasius, Anselmus, Richardus, Hugo et Ribera. Rerum enim divinarum, ac præsertim novissimorum, attenta meditatio oculos animæ aperit, ut cernant veram vitam virtutis et salutis, reprimitque inordinatas affectiones et passiones, quæ visum animæ offuscant et obscurant. Tum denique collyrium hoc est pœnitentia et compunctio cordis, quæ instar collyrii initio oculum pungit et turbat, deinde noxios humores ex eo per lacrymas educit, itaque oculum mentis potius quam corporis purificat et clarificat. Ita Ambrosius et Thomas Anglicus.

Hinc patet efficax tepiditatis remedium esse, *primo*, ferventem Dei amorem; *secundo*, studium bonarum operationum. Nam, ut ait Cassianus, lib. X *Instit. Monach.*, cap. XXV : « Experimento probatum est acediæ impugnationem non declinando (uti luxuriæ) fugiendam, sed resistendo superandam esse. » *Tertio*, meditationem, præsertim mortis, gehennæ, judicii et cœlestis gloriæ, quæ initio mentem pungunt, ut purgent ; sed purgatam serenant et lætificant. Verum enim gaudium est, quod pura et sancta conscientia parit. Porro, quem ad fervorem non excitet immensum et æternum gloriæ pondus fervidis a Deo promissum? Quem, licet tepidissimum, non percellant, et ab ignaviæ et concupiscentiarum somno excutiant, flammantia gehennæ incendia et ardores sempiterni, si seria meditatione inspiciantur, penetrentur et pene sentiantur? « Torpor enim ex imperfecta voluntate oritur : mox ut bonum velle cœperis, ardor erit atque impetus, qui uti ad vitia pessimus, ita ad virtutem est optimus, inquit Petrarcha; et Sapiens, *Proverb.* XIII, 4 : « Vult, et non vult piger : anima autem operantium impinguabitur. » Et cap. XXI, 25 : « Desideria occidunt pigrum : noluit enim quidquam operari. » Sicut ergo stimuli bobus torporem in incessu excutiunt, ita stimuli hi gehennæ et gloriæ cœlestis acerrimi sunt, ut voluntatem flaccidam et torpidam excutiant, eamque faciant resolutam et efficacem ad omne bonum.

Præclare Sapiens, *Proverb.* VI, 6 : « Vade, ait, ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam ; quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat : » ita et tu para tibi cibum bonorum operum, ex quo vivas in omnem æternitatem.

Pulchro apologo idipsum declarat Barlaam Josaphat regi, apud Damascenum in eorum *Historia*, cap. XIV : Urbs, ait, quædam magna fuit, in qua cives solebant exterum et ignotum virum quotannis creare regem. Hic toto anno plenam habebat potestatem faciendi quidquid vellet. At exacto anno cives inopinato in eum irruebant, et regno urbeque expellebant, quin et relegabant in insulam rerum omnium inopem, ac mox alium peregrinum regem creabant, eique exacto anno similiter faciebant. Contigit quemdam sapientem ab eis creari regem, qui de hac civium consuetudine a consiliario quodam præmonitus, opes regias præmisit in insulam, in quam sciebat se post annum relegandum : quocirca relegatus invenit ibi suas opes quibus laute vixit, cum cæteri fame morerentur. Urbs hæc mundus est ; cives sunt tum mundani, tum dæmones : Rex est quisque nostrum, qui post annum, id est post breve vitæ spatium, relegatur in terram umbræ mortis. Itaque qui sapit, eo bona opera præmittat (hæ enim sunt futuræ regionis opes), ut inde vivat in æternum; quod si non fecerit, cum plurimis aliis improvidis et insapientibus, æterna fame, tabe et morte conficietur. Utinam hæc Sapientis sapientissima admonitio jugiter auribus nostris insonet : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare ; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas, » *Eccles.* IX, 10.

Nimirum apud Deum in numerato sunt omnes anni, omnes dies, omnes horæ, imo omnia mo- 18
menta vitæ nostræ. Definivit Deus cuilibet ter- 19
minos vitæ et mortis ; ac proinde præscit quo die quisque sit nasciturus, quot annos victurus, quo die, quo momento moriturus. Hinc præscientiæ et decreto Dei, nec diem, nec horam, nec momentum addere possumus. O si sciremus quam pauci dies et horæ nobis supersunt! O si sciremus quanta gloriæ et bonorum lucra in cœlis, singulis horis per actus humilitatis, patientiæ, charitatis et orationis comparare possimus! O si cogitaremus, post hoc tempus, nullum nos habituros instans bene operandi, quomodo viveremus? quomodo opera operibus, merita meritis, lucra lucris instar mercatorum opibus inhiantium, accumularemus? Legimus in vita S. Mechtildis, eam quodam die per revelationem audiisse : Si scirent mortales quantum quolibet die mereri, suamque coronam augere possint ; si scirent quam pretiosum sit, æque ac breve tempus hujus vitæ, exultarent et jubilarent in spiritu mane cum expergiscuntur, ac immensas agerent gratias Deo, quod ejus gratia dies ille eis illuxisset, quo tantos sibi thesauros, in omnem æternitatem mansuros, comparare possunt.



Audiant tepidi et torpidi classicum Boetii, lib. IV *Consolat. Philosoph.*, metro 7 :

> Ite nunc fortes, ubi celsa magni
> Ducit exempli via; cur inertes
> Terga nudatis? Superata tellus
> Sidera donat.

Audiant et classicum Apostoli : « Momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. » Hic lituus perpetim ejus aures feriebat, hic mentem acuebat ad omnes labores et agones. Hoc æternum gloriæ pondus jugiter oculis ejus obversans, ad omnia dura et ardua eum extimulabat, ut sentiret et diceret illud S. Francisci : « Tanta est gloria quam exspecto, ut omnis me pœna delectet. » Immitte, o Domine Jesu, in viscera nostra ignem, quem e cœlo in terras detulisti, ut omnis noster tepor fiat calor, omnis timor fiat amor, omnis mœror fiat splendor, omnis torpor fiat fervor. Amen.

19. Ego quos amo, arguo et castigo. — Pro *arguo* græce est ἐλέγχω, id est arguo, convinco ; pro *castigo* est παιδεύω, id est erudio, formo, castigo, corrigo mores pueriles. Sensus est, *q. d.*, inquit Rupertus : « O Episcope Laodicene, ea quæ tibi loquor arguens et castigans te, tanquam amantis gratiam et benevolentiam suscipe. » Sic pater, inquit Haymo, Filium, quem hæredem destinat, erudit et castigat ; alios negligit et sibi permittit. Porro, sicut hic Christo opus fuit acri objurgatione, ut Episcopus hic suum teporem excuteret, ut miseriam agnosceret : sic pariter par fuit ut eidem viscera amoris sui ostenderet, tum ad leniendam objurgationem, tum ut eum ad redamandum pelliceret : nonnulli enim tepidi magis amore, quam terrore excitantur.

Nota : Christus suos castigat, *primo*, ut augeat eorum merita. Ita S. Job innocens et sine merito, aut potius demerito, tot tantaque sustinuit, ut in gratia et gloria perficeretur, ac futuris sæculis omnibus in tribulatione positis statueretur vivum patientiæ exemplar, uti dicitur *Tobiæ* II, 12. *Secundo*, ut conservet eos in humilitate, uti Paulum, II *Cor.* XII, 9. *Tertio*, ut peccata eorum expiet, uti paralyticum, *Joan.* V. *Quarto*, ad majorem gloriæ Dei manifestationem, ut Lazarum, *Joan.* XI, et cæcum, *Joan.* IX. Ita Hugo. « Dum in occulto (inquit S. Bernardus, serm. in illud, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*) sponsus veritatis suggerit quid desit nobis, superbiam, negligentiam, ingratitudinem repellit : quo triplici vitio fere omnes Religiosi laborant, eo quod minus attenta aure percipiant quid intus loquatur is, qui neminem palpat, spiritus veritatis. »

Præclare Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. XI ; « Si a Domino, inquit, nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam quam Domino præbeamus ? quin insuper gratulari et gaudere nos docet dignatione divinæ castigationis : Ego, inquit, quos diligo, castigo, *Apocal.* III, 19. O servum illum beatum, cujus emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decepit! » In hujus rei typum Jacobus moriturus « adoravit Dominum, conversus ad lectuli caput, » *Gen.* XLVII, 31 ; seu, ut D. Paulus transcripsit : « Adoravit fastigium virgæ ejus, » *Hebr.* cap. XI, vers. 21. Nam cum in illa Josephi virga divinam ad flagellandum potestatem mystice recognosceret, ei se posterorum nomine percutiendum submittebat, ut ostenderet quæcumque a Deo supplicia infliguntur, libenti animo amplectenda. Nec sine mysterio quod in Genesi dicitur *lectulus*, a D. Paulo *virga* nominatur : quia probi et justi homines non minus inter divinas virgas, quam inter molles lectulos conquiescunt. Quod mihi videtur exprimi in Esther, quæ tunc felicissime regnavit, et regis gratiam promeruit, cum Assuerus « extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu, ipsaque accedens osculata est summitatem virgæ ejus, » *Esther* V, 2. Nam illi e suppliciis divinis facilius et felicius evadunt, qui supplicia divina humilius et libentius amplectuntur. Ita noster Mendoza in I *Reg.* III, 18.

Æmulare. — ζήλωσον, zelare, zelum salutis tuæ et aliorum assume. Rursum, ut Rupertus, *q. d.* « Ego te amo, æmulare tu meum amorem. » Atque, ut Alcazar : « Æmulare, id est, agnosce tuam miseriam æque ac meum in te amorem, et concepta amoris mei flamma induere zelo vindictæ contra teporem tuum, et age pœnitentiam. » Hunc enim zelum opponit ei, quod dixit : « Nec calidus es, nec frigidus. »

20. Ecce sto ad ostium et pulso : si quis aperuerit mihi, etc. — Significatur hic *primo*, Deum sua immensa clementia et gratia nos prævenire, et pulsare ad ostium cordis et mentis nostræ, ut nos a somno desidiæ aut peccati excitet. *Secundo*, cor nostrum per desidiam et peccatum Deo esse

clausum. *Tertio*, in hominis esse arbitrio Deo aperire, id est ejus inspirationem et gratiam, qua mentem pulsat, admittere, vel respuere; gratiæ consentire et cooperari, vel dissentire et nolle cooperari. Ita Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. V et VI. *Quarto*, merces aperientis est, « intrabo ad illum, » quasi ad hospitem meum (sicut Christus intravit in domum Zachæi), scilicet per gratiam justificantem et sanctificantem. Hinc Theologi dividunt gratiam in excitantem et adjuvantem, sive in operantem et cooperantem, aut in prævenientem et subsequentem (hæc enim omnia idem sunt); docentque gratiam excitantem requiri quasi pulsum, qui torpentem et quasi dormientem voluntatem excitet, ut velit bonum: cooperantem vero requiri, ut eam fulciat, eique cooperetur dum vult bonum. Ita S. Augustinus, lib. *De Gratia et Liber. Arbitr.*, cap. XVII : « Ipse (Deus), ait, ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. » Et lib. *De Natura et Gratia*, cap. XXXII : « Prævenit, ait, ut sanemur, et subsequitur ut sanati vegetemur : prævenit ut vocemur, et subsequitur ut glorificemur: prævenit ut pie vivamus, et subsequitur ut cum illo semper vivamus. » Ubi tamen S. Augustinus per gratiam subsequentem, non tam cooperantem, quam eam, quæ post justificationem datur ad perseverantiam, intelligit. Et S. Bernardus, lib. *De Grat. et Lib. Arbitr.* : « Conatus, ait, nostri et cassi sunt, si non adjuventur; et nulli, si non excitentur. » Hoc est quod orat Ecclesia : « Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere. »

Alludit hic Christus *ad Cant.* V, 2 : « Vox dilecti mei pulsantis : aperi mihi, soror mea, amica mea; quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. » Iis enim verbis stimulat Christi sponsam, ut teporem abjiciat, et Christo tota nocte pulsanti tandem cor ad amoris et fervoris amplexus aperiat. Ita Joachim.

Nota : Pulsat Deus *primo*, per illuminationem intellectus et impulsum voluntatis, immittendo ei terrores gehennæ, spem et desiderium cœlestium gaudiorum; *secundo*, per sacram Scripturam aliosque pios libros; *tertio*, per prædicatores aliosque monitores; *quarto*, per exempla. Nihil magis excitat, nihil utilius, quam legere vitas et exempla Sanctorum. Ita S. Augustinus audiens vitam S. Antonii conversus est, uti et Aulici Imperatoris de quibus ipse scribit lib. VIII *Confess.*, cap. VI. Ita S. Thomas Aquinas lectitabat quotidie Collationes Cassiani et Patrum. Ita S. P. N. Ignatius lectitans heroica facta Sanctorum, ad eorum imitationem incitatus, mutavit vitam et statum. *Quinto*, proponens sua judicia circa hos, vel illos exercita; *sexto*, per sua beneficia in nos collata; *septimo*, per res adversas et tribulationes; *octavo*, per miracula. Ita Pererius.

ET CŒNABO CUM ILLO, ET IPSE MECUM. — *q. d.* Familiaris illi ero, hospes et amicus; familiariter cum illo agam, amice et jucunde, uti hospes cum conviva et conviva cum hospite.

Nota quanti faciat Deus nostram cooperationem cum sua gratia, puta nostram compunctionem, pia desideria, orationes, lacrymas : nimirum quasi delicias et epulas suavissimas, quibus ipse quasi in cœna opipara pascatur et recreetur. « Cœnabo tecum, inquit Rupertus, hoc est delectabor bonis conscientiæ tuæ; postea vero et tu cœnabis mecum, id est, post mortem in cœlo æternis bonis et deliciis meis perfrueris. » Proprie tamen per *intrabo* significatur justificatio, per *cœnabo* specialis jucunditas et suavitas, tum Dei, tum conscientiæ jam justificatæ, quæ initium est cœlestis cœnæ et deliciarum æternarum. Alludit *ad Cant.* V, 1, ubi sponsa sponsum invitans, ait : « Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum; » et *Cant.* VIII, 2 : « Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum. »

Porro Alcazar τὸ *cœnabo cum illo* exponit de Eucharistia, *q. d.* Si teporem excutias et fervorem spiritus amplectare, promitto tibi gratiam ex S. Synaxi ad solidarum virtutum fructum, quibus eumdem Christum pascas et recrees; τὸ vero *et ipse mecum* accipit de repotiis, id est, de altera cœna in domo Christi sponsi (sic enim sponsus celebrans nuptias in domo sponsæ, ei, ejusque amicis repotia exhibet invitans eos ad cœnam in domo sua), in qua Christus convivio excipiet eum a quo fuerat invitatus, juxta illud Sponsæ *Cant.* cap. II, vers. 4 : « Introduxit me Rex in cellam vinariam. » Porro hæc repotia Christi sunt, inquit, delectatio magna ex rerum cœlestium cognitione, non arida, sed sapida, quæ mire animam reficit et inebriat, præsertim in S. Communione : animam, inquam, non cujusvis, sed ferventis, et totum se Dei obsequio devoventis. Hunc enim solum introducit in cellam suam vinariam. Hæc expositio acuta est et apposita.

21. QUI VICERIT, DABO EI SEDERE MECUM IN THRONO, — *q. d.* Faciam illum participem regni mei cœlestis, in quo Beatis est æterna lux, requies perfecta, gaudium inenarrabile et gloria sempiterna. Ita Andreas Cæsariensis; sic *Isaiæ* cap. ult. dicitur : « Cœlum sedes mea est. » In hoc tamen universali throno et regno variæ pro meritis sunt sedes et altitudines.

*Secundo*, S. Gregorius, XXVI *Moral.*, XXVI : « Quia, inquit, judicii principatum ex Christi virtute percipimus, hinc veluti in ejus throno residemus. » Sic et Haymo : « Sedere in throno, inquit, est esse participem judiciariæ potestatis .....»

*Tertio*, Alcazar : Ad thronum, ait, Christi viri perfecti exaltantur, non in futura, sed in hac vita, dum in altissimæ pacis sede collocantur, ac ipsis sedentibus, et ea pace fruentibus, Deus illis tentationum motus subjicit, sicut Christo sedenti atque regnanti Deus subjicit inimicos. Nihil enim aptius promitti potuit teporem excutienti, quam



illa spiritualis, quam a Christo participant qui ei perfecte servire decernunt, ac thronus ille quo fruuntur, et affectuum propriorum dominatio. Hic sensus pius est, sed tropologicus et mysticus, non litteralis. Primus ergo sensus litteralis est et genuinus. Huic enim Episcopo, uti et cæteris, promittitur merces et bravium regni cœlestis : hanc enim coronam, licet alio et alio nomine et titulo, singulis ostentat Christus, ut eos ad studium virtutis et pietatis acuat. Huic ergo tepido eam promittit nomine sessionis, quia tepidus fugit laborem et cursum; hinc si eum amplectatur, promittit ei requiem æternam, et sessionem regalem in cœlis. » Alludit ad *Psalm.* CIX, 1 : « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. »

Nota : In septem hisce Epistolis Christi, passim ipse « vincenti, » et non alteri, promittit bravium : « vincenti » inquam se, suasque cupiditates, metus, torporem aliasque passiones; quia hæc sui victoria, uti difficilis æque ac necessaria, ita nobilis est et gloriosa. Viderunt hoc eminus, et per umbram Gentiles. « Quoniam libera est anima et domina passionum, vincere seipsum omnium victoriarum prima est et optima : vinci autem a seipso, et turpissimum, et pessimum, » ait Plato *De Legibus*. Alexander seipsum vincere, quam hostes, magis regium esse existimabat, ait Plutarchus in *Alexandro*. Seipsum, quam hostem superare multo operosius est, nec adversa propera festinatione fugere, nec secunda effuso gaudio apprehendere, » ait Valerius Maximus, lib. IV, cap. I; et Poeta :

> Latius regnes avidum domando
> Spiritum, quam si Libyam remotis
> Gadibus jungas, et uterque Pœnus
> Serviat uni.

Et alius :

> Ardua res vicisse alios, victoria major
> Est animi fluctus composuisse sui;
> Subjecisse metus, et debellasse timores;
> Gaudia, spemque gravi supposuisse jugo.

Et alius :

> Rex est, qui sese rectæ rationis habenis
> Compescens animi noxia vota, regit :
> Cujus ad imperium fugit illecebrosa voluptas,
> Et dolor, impigra spesque metusque fuga.

Et alius :

> Gestiens quisquis pepulit quieto
> Gaudium, et duros animo dolores;
> Spes anhelantes, pavidumque vicit
> Corde timorem :
> Solus hic lauri meruit coronam,
> Purpuram solus placide triumphans :
> Proximam sedem cui dat beato
> Vera voluptas.

QUI HABET AUREM, AUDIAT QUID SPIRITUS DICAT ECCLESIIS. — Verba sunt excitantis attentionem, *q. d.* Arrige aures, Pamphile, agitur hic res tua et salus tua : excipe arrectis auribus, oculis et corde monita Spiritus Sancti. Ita hic Romæ in templo S. Pancratii, suggestui excelso, ex quo more prisco in sacrificio Missæ legitur Evangelium, priscis litteris aureis inscriptum legimus : « Qui legit, attendat ad quid sacra lectio tendat. »

Pro coronide horum trium capitum nota, in singulis ad septem Asiæ Episcopos Epistolis Christum alludere ad agones, victorias et coronas athletarum, præsertim Olympionicarum, quæ celebres erant in Asia et Græcia, iisque Episcopos et quoslibet fideles acuere et excitare ad similes luctas heroicas, coronas et triumphos, uti paulo post plenius ostendam.

In Olympicis enim certaminibus olim tanti erat victoria, tanti vincere, ut ἰσοθεοποιεῖ, id est, in Olympicis victor evehi videretur ad deos, atque Olympicæ coronæ eo in pretio fuerunt, ut non pauci hoc decus ipsi vitæ prætulerint, sicut terminum omnis humanæ felicitatis : quocirca ad eas obtinendas summa erat certantium lucta et contentio. Nero, inquit Suetonius in ejus Vita, cap. XXV : « Cum Romam eo curru, quo olim Augustus triumphaverat, et in veste purpurea, et chlamyde distincta stellis aureis inveheretur, coronam capite gestavit Olympicam, dextera manu Pythiam; » etsi neutram meruerat. Certe cum Olympiæ curru certaret, eo excussus, nihilominus coronam adeptus est, ait Xiphilinus in *Nerone*; propter quem favorem judicibus distribuit viginti quinque myriadas, quas ab ipsis postea Galba repetiit. Porro præconium quo Nero renuntiatus est victor, tale fuit : « Nero Cæsar certamen vincit, et populum Romanum coronat, et proprium imperium. » Diagoras, inquit Gellius, lib. III, cap. XV, « cum tres filios vidisset vincere et coronari eodem Olympiæ die, cumque tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis, suaviarentur; cumque populus gratulabundus flores undique in eum jaceret, ibi in stadio in oculis atque manibus filiorum animam efflavit. » Idem de Chilone memorat Plinius, lib. VII, cap. XXXII : « Cujus funus, cum victore filio Olympiæ expirasset, gaudio tota Græcia prosecuta est. » Hoc animo erat Acetes, de quo Statius, lib. V *Sylvar.* :

> Spectatur Acetes :
> Ille magis crebro dum lumina pulveris haustu
> Obruit, et prensa vovet expirare corona.

Pindarus in *Pythiis*, ode 10, coronam hanc vocat maximam præmiorum, quæ nemini contingit nisi audendo et fortiter faciendo. *Idem*, ode 1 : « Qui autem vincat, inquit, reliqua in vita habet mellitam tranquillitatem, propter præmia victoriæ. » Hinc athletæ futuri, prius erant ascetæ, id est exercitatores. Assidue enim se exercebant cursu, lucta, saltu, aut eo luctæ genere quo erant certaturi. Neque solum ipsi athletæ, sed et patriæ ejus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hoc decus parabatur, quæ tota cum suo victore exultabat et celebrabatur.

Mirum vero est quod scribit Plinius, lib. VII, cap. XLVII: « Euthymius, inquit, pycta (id est pugil) semper Olympiæ victor, et semel victus, sicuti mortale fastigium egressus, consecratus est vivus, sentiensque; » scilicet huic pugili multo plus tributum, quam unquam a quæsita adulatione Imperatoribus Romanis, quibus « honor Deum non antehabebatur, quam agere inter homines desiissent, » ait Tacitus in fine lib. XV *Annal.* Quid? quod Polydamantis athletæ statua dicebatur in Olympia iis opem ferre, qui febre vexarentur, uti refert Lucianus in *Deor. conc.* Quocirca Plato, lib. V *De Repub.*, felicitatem suæ divinæ reipublicæ comparat cum Olympionicis : « Omnibus, inquit, his difficultatibus liberati, vitam agent felici illa Olympionicorum vita plane beatiorem. » Denique Gentiles Olympionicam pene ἰσόθεον, diis æqualem censebant. Causam dat Solon apud Lucianum *De Gymn.* : « Ibi enim, inquit, spectare licet vim virorum, et corporum pulchritudines, et vigorem membrorum, multaque præclara experimenta, et vim inexpugnabilem et audacem, ambitiosamque contentionem. Hæc si videres, nullum tu quidem laudandi faceres finem, nullum plaudendi. » Hinc Cicero *pro Flacco* : « Acinas, inquit, pugil Olympionices, hoc est apud Græcos prope majus et gloriosius, quam Romæ triumphasse. » Quocirca Clemens Alexandrinus asserit eos qui cupiditates vincere volunt, debere esse Olympicos, ipsis vespis acriores ac vehementiores, *q. d.* Nullam neque vim, neque virtutem cum Olympionica posse conferri, eamque requiri in voluptatis victore. Hæc et plura Carolus Paschalius, lib. VI *De Coronis*, cap. XI. et VII.

Si tanti vitrum, quanti margaritum? si tanti erat victoria Olympica et Olympionices, quanti esse debet victoria Christiana, quanta ad eam lucta et contentio? utpote in qua victor, qui terrena omnia ut pusilla et puerilia despicit, et cupiditatibus suis æque ac passionibus fortiter imperat, ac adversa duraque quælibet generose amore Dei sustinet et superat, non tantum ὀλυμπιονίκης, sed ὀλυμπιονίκης, id est Olympi cælique victor, sui mundique dominus, imo verus Israel, id est Deo dominans, efficitur. Præclare Apostolus I *Cor.* cap. IX, vers. 25 : « Omnis, ait, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. » Quocirca Christus hic singulis Episcopis hanc coronam refricat et objicit, eaque illum, ejusque fideles ad arduos fidei agones et certamina excitat et accendit : nimirum Ephesino, cap. II, vers. 7 : « Vincenti, inquit, dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. » Smyrnensi, vers. 11 : « Qui vicerit, ait, non lædetur a morte secunda. » Pergamensi, vers. 17 : « Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum : et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit. » Thyatirensi, vers. 26 : « Qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, etc., et dabo illi stellam matutinam. » Sardensi, cap. III, vers. 5 : « Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus; » ubi alludit ad præconium Olympionicæ, quod publica præconis voce coram toto populo in Olympicis victor declarabatur, nominabatur et laudabatur, quale fuit Neronis, quod paulo ante recensui. Sic Virgilius, V *Æneid.* :

> Tum satus Anchisa (Æneas) cunctis de more vocatis,
> Victorem magna præconis voce Cloanthum
> Declarat, viridique advelat tempora lauro.

Pluribus idipsum ex Philostrato, Maximo, Demosthene, Plutarcho et Cicerone ostendit Carolus Paschalius, lib. VI *De Coronis*, cap. XI, et Petrus Faber, *Agonist.* lib. II, cap. XI.

Philadelphensi, vers. 12 : « Qui vicerit, inquit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius : et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, etc., et nomen meum novum. » Laodicensi, vers. 21 : « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. » Christus ergo primus Olympιονίκης, asseclis suis Olympionicis, et quidem singulis, coronam cælestis gloriæ ob oculos spectandam proponit, eaque ad certamen invitat, ideoque varios dat titulos et nomina : nunc enim eam vocat lignum vitæ, nunc manna absconditum, nunc calculum candidum, nunc nomen novum, nunc vestes candidas, nunc stellam matutinam, nunc columnam, nunc thronum Dei, etc. Age ergo, o athleta Christi; viriliter certa bonum certamen, apprehende vitam æternam; nullus tibi labor longus, nullus dolor durus videatur, cui cœlum, cui æternitas, cui corona divina promittitur. Hanc tibi plecte, et perfexe continuis heroicarum virtutum facinoribus. Hæc enim « virtus perfecta, et omnibus numeris absoluta, coronam vincentibus, et mercedem expetendæ nobis immortalitatis impendit, » ait Lactantius, lib. IV *De Vera Sap.*, XVI. « Veniet, veniet postea dies ille, quo victor revertaris in patriam, quo per Hierosolymam cœlestem vir fortis coronatus incedas, » ait Hieronymus, tom. II, *epist.* 6. Imitare Martyres, quibus scribens S. Cyprianus, lib. II, *epist.* 6 : « Tolerastis, inquit, usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt; » et mox : « Steterunt torti torquentibus fortiores; et pulsantes ac laniantes ungulas, pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei non jam membra, sed vulnera. Pretiosa mors hæc, quæ emit immortalitatem pretio sanguinis sui, quæ accepit coronam de consummatione virtutis. » Denique audi S. Gregorium, hom. 37 *in Evang.* : « Delectet, inquit, mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Nam non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. » Jerusalem enim cælestis est domus fortium, ut ait S. Vigilantius in Vita S. Astionis; unde ejus typus fuit domus fortium Davidis, puta 37 militum ejus fortissimorum, qui recensentur II *Reg.* cap. XXIII, vers. 8, fueruntque heroes.



# CAPUT QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Hoc capite post septem Christi Epistolas ad septem Asiæ Ecclesias, quas audivimus cap.* II *et* III, *transit Joannes ad suas visiones et prophetias. Itaque hoc capite incipit proprie Apocalypsis, id est revelatio futurorum prophetica, cum hucusque fuerit potius historia, quam prophetia.*

*uocirca recte Venerabilis Beda, Pererius, Viegas et alii passim, uti dixi in proœmio, Apocalypsin in septem partes, sive visiones distribuunt. Prima est, a cap.* I *hucusque, qua scribens ad septem Asiæ Episcopos, eos officii sui monet. Secunda est, a cap.* IV *usque ad octavum, qua S. Joanni ostenditur liber septem sigillis clausus, et per Agnum apertus et explicatus. Tertia est, a cap.* VIII *ad* XII, *qua videt Joannes septem angelos tubis canentes. Quarta est, a cap.* XII *ad* XV, *ubi cernit luctam et duellum mulieris cum dracone. Vidit enim mulierem amictam sole, et draconem eam persequentem inter se decertantes. Quinta est, a cap.* XV *ad* XVII, *ubi prodeunt septem angeli, qui effundunt septem phialas, quibus septem plagas novissimas orbi inducunt et effundunt. Sexta est, a cap.* XVII *ad* XXI, *qua repræsentatur damnatio meretricis, scilicet Babylonis, et bestiarum, ac amasiorum et asseclarum ejus. Septima est, a cap.* XXI *usque ad finem libri, qua uxor Agni et Jerusalem nova descendens de cœlo, ejusque ornatus et pulchritudo describitur.*

*Hæc septem symbola ita explicant Ticonius, Primasius, Beda et Rupertus : Prima, inquiunt, pars sunt septem Epistolæ Christi ad septem Asiæ Episcopos, uti patet. Secunda pars, septem sigillorum ab Agno apertorum, significat reserationem mysteriorum fidei de Deo trino et uno, de Verbi incarnatione, vocatione Gentium, Sacramentis legis novæ, regno cælesti, etc., quæ clausa fuerant in veteri Testamento. Tertia, septem angelorum et tubarum, significat prædicationem et præcones Evangelii. Quarta, mulieris et draconis, significat dissidia bonorum et malorum in Ecclesia. Quinta, septem angelorum et phialarum, significat judicia et pœnas impiorum in hac vita. Sexta, scilicet damnatio Babylonis, significat pœnas reproborum in gehenna. Septima, aperte gaudia electorum in cœlo describit. Verum hæc expositio partim nimis ampla et generalis, partim moralis potius, quam litteralis est.*

*undo, Abbas Joachim, Casalensis et Firmanus censent per primam partem Epistolarum ad septem Episcopos significari statum Apostolorum; per secundam sigillorum, statum Martyrum; per tertiam tubarum, Doctorum; per quartam pugnæ, Monachorum; per quintam angelorum, bonorum Pastorum et Episcoporum; per sextam, scilicet excidium Babylonis, ferventes Prædicatores et Religiosos Ordines, qui student extirpationi vitiorum, et reformationi Ecclesiæ; per septimam, beatos in cœlo. Verum hæc expositio nimis generalis est et accommodatitia.*

*ertio, Aureolus, Lyranus et Annius putant per sex visiones ultimas significari sex Ecclesiæ status, scilicet per secundam septem sigillorum, quæ hoc capite incipit, significari ætatem et sæculum quod fluxit a Christo usque ad Julianum Apostatam, quod fuit annorum 365, in quo claruerunt Apostoli, Martyres, multique S. Doctores et Pontifices. Per tertiam tubarum, significari sæculum a Juliano usque ad Mauritium imperatorem, scilicet usque ad annum Christi 580, quod proinde continet annos 215. Per quartam pugnæ draconis contra mulierem, significari sæculum a Mauritio usque ad Irenem et Constantinum imperatorem, scilicet usque ad annum Christi 800, quod proinde continet annos 220, quo tempore Imperium translatum est ad Carolum Magnum et ad Germanos; eodemque Ecclesiam persecutus est draco, id est Cosroes, rex Persarum, et bestiæ, id est Mahomet et Saraceni. Per quintam septem phialarum, significari ætatem ab Irene, Constantino et Carolo Magno ad Henricum IV imperatorem, scilicet ad annum*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hoc decus parabatur, quæ tota cum suo victore exultabat et celebrabatur.

Mirum vero est quod scribit Plinius, lib. VII, cap. XLVII : « Euthymius, inquit, pycta (id est pugil) semper Olympiæ victor, et semel victus, sicuti mortale fastigium egressus, consecratus est vivus, sentiensque; » scilicet huic pugili multo plus tributum, quam unquam a quæsita adulatione Imperatoribus Romanis, quibus « honor Deum non antehabebatur, quam agere inter homines desiissent, » ait Tacitus in fine lib. XV *Annal.* Quid? quod Polydamantis athletæ statua dicebatur in Olympia iis opem ferre, qui febre vexarentur, uti refert Lucianus in *Deor. conc.* Quocirca Plato, lib. V *De Repub.*, felicitatem suæ divinæ reipublicæ comparat cum Olympionicis : « Omnibus, inquit, his difficultatibus liberati, vitam agent felici illa Olympionicorum vita plane beatiorem. » Denique Gentiles Olympionicam pene ἰσόθεον, diis æqualem censebant. Causam dat Solon apud Lucianum *De Gymn.* : « Ibi enim, inquit, spectare licet vim virorum, et corporum pulchritudines, et vigorem membrorum, multaque præclara experimenta, et vim inexpugnabilem et audacem, ambitiosamque contentionem. Hæc si videres, nullum tu quidem laudandi faceres finem, nullum plaudendi. » Hinc Cicero *pro Flacco* : « Acinas, inquit, pugil Olympionices, hoc est apud Græcos prope majus et gloriosius, quam Romæ triumphasse. » Quocirca Clemens Alexandrinus asserit eos qui cupiditates vincere volunt, debere esse Olympicos, ipsis vespis acriores ac vehementiores, *q. d.* Nullam neque vim, neque virtutem cum Olympionica posse conferri, eamque requiri in voluptatis victore. Hæc et plura Carolus Paschalius, lib. VI *De Coronis*, cap. XI, et XII.

Si tanti vitrum, quanti margaritum? si tanti erat victoria Olympica et Olympionices, quanti esse debet victoria Christiana, quanta ad eam lucta et contentio? utpote in qua victor, qui terrena omnia ut pusilla et puerilia despicit, et cupiditatibus suis æque ac passionibus fortiter imperat, ac adversa duraque quælibet generose amore Dei sustinet et superat, non tantum Ὀλυμπιονίκης, sed Οὐρανονίκης, id est Olympi cœlique victor, sui mundique dominus, imo verus Israel, id est Deo dominans, efficitur. Præclare Apostolus I *Cor.* cap. IX, vers. 25 : « Omnis, ait, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. » Quocirca Christus hic singulis Episcopis hanc coronam refricat et objicit, eaque illum, ejusque fideles ad arduos fidei agones et certamina excitat et accendit : nimirum Ephesino, cap. II, vers. 7 : « Vincenti, inquit, dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. » Smyrnensi, vers. 11 : « Qui vicerit, ait, non lædetur a morte secunda. » Pergamensi, vers. 17 : « Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum : et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit. » Thyatirensi, vers. 26 : « Qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, etc., et dabo illi stellam matutinam. » Sardensi, cap. III, vers. 5 : « Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus; » ubi alludit ad præconium Olympionicæ, quod publica præconis voce coram toto populo in Olympicis victor declarabatur, nominabatur et laudabatur, quale fuit Neronis, quod paulo ante recensui. Sic Virgilius, V *Æneid.* :

> Tum satus Anchisa (Æneas) cunctis de more vocatis,
> Victorem magna præconis voce Cloanthum
> Declarat, viridique advelat tempora lauro.

Pluribus idipsum ex Philostrato, Maximo, Demosthene, Plutarcho et Cicerone ostendit Carolus Paschalius, lib. VI *De Coronis*, cap. XI, et Petrus Faber, *Agonist.* lib. II, cap. XI.

Philadelphensi, vers. 12 : « Qui vicerit, inquit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius : et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, etc., et nomen meum novum. » Laodicensi, vers. 21 : « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. » Christus ergo primus Ὀλυμπιονίκης, assectis suis Olympionicis, et quidem singulis, coronam cœlestis gloriæ ob oculos spectandam proponit, eaque ad certamen invitat, ideoque varios dat titulos et nomina : nunc enim eam vocat lignum vitæ, nunc manna absconditum, nunc calculum candidum, nunc nomen novum, nunc vestes candidas, nunc stellam matutinam, nunc columnam, nunc thronum Dei, etc. Age ergo, o athleta Christi; viriliter certa bonum certamen, apprehende vitam æternam; nullus tibi labor longus, nullus dolor durus videatur, cui cœlum, cui æternitas, cui corona divina promittitur. Hanc tibi plecte, et pertexe continuis heroicarum virtutum facinoribus. Hæc enim « virtus perfecta, et omnibus numeris absoluta, coronam vincentibus, et mercedem expetendæ nobis immortalitatis impendit, » ait Lactantius, lib. IV *De Vera Sap.*, XVI. « Veniet, veniet postea dies ille, quo victor revertaris in patriam, quo per Hierosolymam cœlestem vir fortis coronatus incedas, » ait Hieronymus, tom. II, *epist.* 6. Imitare Martyres, quibus scribens S. Cyprianus, lib. II, *epist.* 6 : « Tolerastis, inquit, usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt; » et mox : « Steterunt torti torquentibus fortiores; et pulsantes ac laniantes ungulas, pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei non jam membra, sed vulnera. Pretiosa mors hæc, quæ emit immortalitatem pretio sanguinis sui, quæ accepit coronam de consummatione virtutis. » Denique audi S. Gregorium, hom. 37 *in Evang.* : « Delectet, inquit, mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Nam non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. » Jerusalem enim cœlestis est domus fortium, ut ait S. Vigilantius in Vita S. Astionis; unde ejus typus fuit domus fortium Davidis, puta 37 militum ejus fortissimorum, qui recensentur II *Reg.* cap. XXIII, vers. 8, fueruntque heroes.



# CAPUT QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Hoc capite post septem Christi Epistolas ad septem Asiæ Ecclesias, quas audivimus cap.* II *et* III, *transit Joannes ad suas visiones et prophetias. Itaque hoc capite incipit proprie Apocalypsis, id est revelatio futurorum prophetica, cum hucusque fuerit potius historia, quam prophetia.*

*Quocirca recte Venerabilis Beda, Pererius, Viegas et alii passim, uti dixi in proœmio, Apocalypsin in septem partes, sive visiones distribuunt. Prima est, a cap.* I *hucusque, qua scribens ad septem Asiæ Episcopos, eos officii sui monet. Secunda est, a cap.* IV *usque ad octavum, qua S. Joanni ostenditur liber septem sigillis clausus, et per Agnum apertus et explicatus. Tertia est, a cap.* VIII *ad* XII, *qua videt Joannes septem angelos tubis canentes. Quarta est, a cap.* XII *ad* XV, *ubi cernit luctam et duellum mulieris cum dracone. Vidit enim mulierem amictam sole, et draconem eam persequentem inter se decertantes. Quinta est, a cap.* XV *ad* XVII, *ubi prodeunt septem angeli, qui effundunt septem phialas, quibus septem plagas novissimas orbi inducunt et effundunt. Sexta est, a cap.* XVII *ad* XXI, *qua repræsentatur damnatio meretricis, scilicet Babylonis, et bestiarum, ac amasiorum et asseclarum ejus. Septima est, a cap.* XXI *usque ad finem libri, qua uxor Agni et Jerusalem nova descendens de cœlo, ejusque ornatus et pulchritudo describitur.*

*Hæc septem symbola ita explicant Ticonius, Primasius, Beda et Rupertus : Prima, inquiunt, pars sunt septem Epistolæ Christi ad septem Asiæ Episcopos, uti patet. Secunda pars, septem sigillorum ab Agno apertorum, significat reserationem mysteriorum fidei de Deo trino et uno, de Verbi incarnatione, vocatione Gentium, Sacramentis legis novæ, regno cœlesti, etc., quæ clausa fuerant in veteri Testamento. Tertia, septem angelorum et tubarum, significat prædicationem et præcones Evangelii. Quarta, mulieris et draconis, significat dissidia bonorum et malorum in Ecclesia. Quinta, septem angelorum et phialarum, significat judicia et pœnas impiorum in hac vita. Sexta, scilicet damnatio Babylonis, significat pœnas reproborum in gehenna. Septima, aperte gaudia electorum in cœlo describit. Verum hæc expositio partim nimis ampla et generalis, partim moralis potius, quam litteralis est.*

*Secundo, Abbas Joachim, Casalensis et Firmanus censent per primam partem Epistolarum ad septem Episcopos significari statum Apostolorum; per secundam sigillorum, statum Martyrum; per tertiam tubarum, Doctorum; per quartam pugnæ, Monachorum; per quintam angelorum, bonorum Pastorum et Episcoporum; per sextam, scilicet excidium Babylonis, ferventes Prædicatores et Religiosos Ordines, qui student exstirpationi vitiorum, et reformationi Ecclesiæ; per septimam, beatos in cœlo. Verum hæc expositio nimis generalis est et accommodatitia.*

*Tertio, Aureolus, Lyranus et Annius putant per sex visiones ultimas significari sex Ecclesiæ status, scilicet per secundam septem sigillorum, quæ hoc capite incipit, significari ætatem et sæculum quod fluxit a Christo usque ad Julianum Apostatam, quod fuit annorum 365, in quo claruerunt Apostoli, Martyres, multique S. Doctores et Pontifices. Per tertiam tubarum, significari sæculum a Juliano usque ad Mauritium imperatorem, scilicet usque ad annum Christi 580, quod proinde continet annos 215. Per quartam pugnæ draconis contra mulierem, significari sæculum a Mauritio usque ad Irenem et Constantinum imperatorem, scilicet usque ad annum Christi 800, quod proinde continet annos 220, quo tempore Imperium translatum est ad Carolum Magnum et ad Germanos; eodemque Ecclesiam persecutus est draco, id est Cosroes, rex Persarum, et bestiæ, id est Mahomet et Saraceni. Per quintam septem phialarum, significari ætatem ab Irene, Constantino et Carolo Magno ad Henricum IV imperatorem, scilicet ad annum*

*Christi 1030, quæ continet annos 250, quando Ecclesia fuit in septem plagis, id est in variis dissidiis et schismatibus. Per sextam, significari tempus quod fluxit et fluet ab Henrico IV usque ad Antichristum. Per septimam, tempus quod fluet ab Antichristo usque ad judicium generale. Sed hanc expositionem refutavi in prœmio, quæst.* II.

*Quarto, Pererius putat tum prædictos status et ætates Ecclesiæ, in eisque insigniores prosperitates, adversitates, eventa et gesta hic describi; tum novissima mundi tempora, et persecutionem Antichristi.*

*into, Alcazar dividit Apocalypsin in duas partes. Prior, ait, pars a cap.* IV *usque ad finem undecimi agit de victoria Ecclesiæ Christi, quam habuit de Judæis et Judaismo. Posterior pars a cap.* XII *usque ad finem agit de victoria Ecclesiæ, quam habuit ex subactis Gentilibus et gentilismo. Priori parte reserantur septem sigilla, in quorum primis quatuor agitur de felicitate illorum paucorum, qui Christum receperunt, in eumque crediderunt; tribus ultimis, de infelicitate et pœnis eorum, qui eum respuerunt. Hæc est ergo Ecclesiæ victoria de Synagoga, qua decima rebellium Judæorum pars Christo et Apostolis subacta est, cæteris induratis et reprobatis, ac proinde severissime punitis per septem plagas, scilicet famem, bellum, pestem, ignorantiam, cupiditatem, iras et obdurationem. Sed et hæc expositio ac distributio graves habet difficultates, quas proposui in prœmio, quæst.* II, *præsertim quod Apocalypsin faciat historiam de præteritis, cum sit prophetia de futuris. Unde mox audit Joannes :* Ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.

*xto et genuine, Ribera Apocalypsin distribuit in duas partes, scilicet in septem sigilla libri, et ipsum librum. Septem sigilla continent signa prævia judicio et Antichristo : ea reserantur usque ad caput* XII. *Liber vero describit futura sub Antichristo, ipsumque judicium et gloriam beatorum, uti suis quibusque locis plenius ostendam.*

*Hoc ergo capite videt Joannes per ostium apertum in cœlo, Deum habitu jaspideo et sardinio, in throno smaragdino residentem ac iride amictum, et circumsedentes viginti quatuor seniores, et quatuor animalia, plena oculis, alis senis instructa, Deum assidue laudantia, ac dicentia :* Sanctus, sanctus, sanctus. *Secundo, vers. 8, ad eorum laudes, viginti quatuor seniores procidunt cum suis coronis ante thronum, et Deum celebrant.*

1. Post hæc vidi : et ecce ostium apertum in cœlo; et vox prima, quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. 2. Et statim fui in spiritu : et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens. 3. Et qui sedebat, similis erat aspectu lapidis jaspidis et sardinis : et iris erat in circuitu sedis, similis visionis smaragdinæ. 4. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor : et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. 5. Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua : et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. 6. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo : et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. 7. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. 8. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas : et in circuitu, et intus plena sunt oculis; et requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. 9. Et cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super throno, viventi in sæcula sæculorum, 10. procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : 11. Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem; quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.

1. POST HÆC VIDI : ET ECCE OSTIUM APERTUM IN COELO, — ad hoc, ut quasi per ostium Joannes videret Dei thronum, adstantes 24 seniores, quatuor animalia, angelos, aliaque quæ deinceps



enarrat. Fuit hæc tantum imaginaria, vel intellectualis visio; et consequenter non realis, sed imaginaria tantum apertio cœli. Nec enim cœlum habet ostium, quod aperiatur et claudatur. Mystice hæc cœli apertio significat cœlestia fidei mysteria clarius fuisse revelata Joanni et Apostolis novi Testamenti, quam Moysi et Prophetis. Hinc Stephanus vidit cœlos apertos, Paulus raptus est in tertium cœlum, angeli ascenderunt et descenderunt supra Filium hominis, *Joan.* I, 51. Nam, ut ait Daniel cap. II, vers. 28 : « Est Deus in cœlo revelans mysteria. »

Alludit ad *Ezech.* I, 1 : « Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei. » Sic et Jacob vidit scalam erectam in cœlum, et per illam ascendentes et descendentes angelos; idcirco dixit : « Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. » Sed hæc typi et umbræ fuerunt Christi, Apostolorum et Ecclesiæ, ideoque obscuriora, magis umbrosa et ænigmatica. Unde Ezechiel non ascendit in cœlum, sed ad illum potius e cœlo descendit currus Cherubim. Nam, ut ait ipse cap. VIII, vers. 15, « apparuit rota super terram juxta animalia. »

Idem de Deo contendit Alcazar, scilicet Deum a Jacobo visum esse inniti scalæ non in cœlo, sed in terra juxta Jacobum consistenti. Verum hoc alii passim rejiciunt, ut dixi *Genes.* XXVIII, 13. Illud verius Joannem et Paulum sine scala, quam vidit Jacob, raptos ascendisse in cœlum.

ET VOX PRIMA, QUAM AUDIVI, TANQUAM TUBÆ. — Alcazar censet tubam hic æque ac cap. I, 10, significare bellum a Judæis Ecclesiæ illatum. Verum hæc tuba non classicum canit Judæis, sed Joannem evocat in cœlum. Ait enim :

DICENS : ASCENDE HUC. — Ergo Joannes, raptus in exstasim, ascendit in cœlum mente et spiritu, non corpore. Fuit enim efficax hæc ejus in cœlum a Deo per tubam evocatio. In cœlo ergo vidit, non tam gloriam Ecclesiæ triumphantis, quam agones et labores futuros Ecclesiæ militantis, quos ipsa virtute e cœlis accepta erat superatura, et per illos in cœlum conscensura. Ideo enim Christus e cœlis descendit in terram, ut eam, ejusque fideles crucis et fortitudinis suæ asseclas in cœlum subveheret. Hinc de Christo ait *Joan.* III, 13 : « Nemo (hucusque) ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. » Licet enim Elias per turbinem ascenderit in cœlum, tamen cœlum hoc aereum fuit, non sidereum, nec æthereum. Hoc est quod ait sapientissimus Salomon : « Non novi scientiam sanctorum. Quis enim ascendit in cœlum atque descendit? » *Proverb.* XXX, 3.

Mystice, significatur Prophetas, Apostolos virosque Apostolicos debere in cœlis mente et actione versari, ac agere vitam cœlestem terris altiorem, ut omnium hominum vitam transcendant, dicantque cum Paulo : « Nostra conversatio in cœlis est. » Ita enim et populum ad cœlestis viæ et vitæ studium incitabant. Argute enim Diogenes cuidam mira de cœlestibus dicenti, dixit : « Quando de cœlo venisti? »

OSTENDAM TIBI QUÆ OPORTET FIERI POST HÆC. — Alcazar censens præteritam hic Ecclesiæ de Judæis victoriam, Deique vindictam describi, τὸ *quæ oportet fieri* sic explicat : Licet, inquit, res illæ jam essent præteritæ, nondum tamen earum magnitudo et præstantia fuerant mundo reserata; et tunc aliquid fieri dicitur, cum manifestatur. Verum τὸ *quæ oportet fieri* proprie significat ea quæ nondum facta, sed adhuc futura sunt. Adde magnitudinem excidii Judæorum, æque ac Ecclesiæ gloriam, fuisse toti orbi in seipsa, dum peracta est, conspicuam et celebrem (1).

2. ET STATIM FUI IN SPIRITU, — raptus fui in exstasin.

ET ECCE SEDES POSITA ERAT IN COELO. — Alcazar censet thronum hunc Dei fuisse instar propitiatorii et Cherubim. Hi enim erant thronus Dei in templo Salomonis, ad quod hic alluditur. Nam 24 seniores, ait, sunt principes sacerdotum. Hi enim erant 24, ut patet I *Paral.* XXIV. Hinc et septem lampades respondent septem lucernis candelabri, mare vitreum mari æneo, animalia magnis Cherubinis, quos fecit Salomon : denique caput ipsum Dei laudibus et adoratione terminatur. Atque eumdem hunc thronum censet fuisse in omnibus visionibus propheticis, ut cum Deus visus est Moysi et senioribus, *Exod.* XXIV, 10; et *Isaiæ*, VI, 1; et *Ezechieli* I, 22, nisi quod pro aurea tabula propitiatorii, *Exod.* cap. XXIV, vers. 10, fuerit sapphirina; et *Ezech.* cap. I, vers. 22, crystallina : qualem et hic fuisse censet, quia thronus hic erat in cœlo.

Porro propitiatorium, ait, significabat animi demissionem ac sanctitatem eorum qui Deo se totos subjiciunt, eique in semetipsis sedem constituunt. Erat aureum, quia humilitas charitate condienda est : hic erat sapphirinum aut crystallinum, quia significabat vitam cœlestem. Duo Cherubini manibus junctis sedem Deo exhibentes, ita ut pedes Dei viderentur insistere propitiatorio, sive operculo arcæ, quasi scabello, significabant sapientiam et sanctitatem, id est mentem cœlesti lumine illustratam, et voluntatem in divino obsequio ferventem. Harum enim potentiarum perfectio facit tam angelos, quam homines præclarissimum Dei thronum. Alæ symbolum sunt erecti animi, promptique, et ad Dei jussa exequenda paratissimi.

Causam horum omnium dat, quia, inquit, non est sermo hic de throno quem Deus in cœlis habet, sed de throno novo regni cœlorum, quod prædicavit Christus et Apostoli, id est de throno,

(1) « Ex mente etiam Judæorum omnia quæ in terris eventura sunt, in cœlo coram consessu angelorum prius manifestantur atque repræsentantur. *Schir Haschirim* R. fol. 93 : Non facit Deus quidquam, nisi antea de eo consultarit cum familia superiori. » Hæc Rosenmullerus ad h. l.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quem habet Ecclesia. Genuinus enim sensus est gloriosissimum esse Deo novum regnum, quod habet in Ecclesia Christiana, id est in cordibus fidelium, quæ recepto Spiritu Sancto perfecte ei subjiciuntur per excellentem sanctitatem, et vitam perfectissimam, ac rerum omnium terrenarum contemptum. Thronus ergo Dei sunt fideles justi et sancti. Nec aliud, vel alios significat hic thronus. Hucusque Alcazar.

Verum hæc partim mystica sunt et moralia, partim incerta, aut minus probabilia. Nam nulla Cherubinorum hic fit mentio, uti nec *Isaiæ* VI, nec *Ezech.* I; quinimo Cherubim Ezechielis stipabant currum Dei : ergo non poterant ejus esse thronus. Porro agi hic de throno Dei quem habet in cœlo, non autem in Ecclesia, patet ex sequentibus, ubi docet in circuitu throni hujus fuisse cœlestes spiritus ac beatos vestitos albis et coronis aureis coronatos, clamantes : « Sanctus, sanctus, sanctus, » etc. Rursum ex eo quod ait vers. 5, de throno processisse fulgura, voces et tonitrua; hæc enim e cœlo prodeunt, non e terra. Denique Alcazar ait Apocalypsin esse quasi scenam versatilem, in qua subito machinis quibusdam converso pegmate, alia species ostenditur, ut sylva, v. g. in palatium subito converti videatur : sic enim thronum hunc cœlestem quasi in terrestrem commutari, quod parum congruit divinæ gravitati et majestati.

Dico ergo ad litteram S. Joanni ostensam fuisse speciem throni cujusdam magnificentissimi, puta regalis, id est cœlestis et divini, qui longe magnificentiam propitiatorii, Imperatorum, Regum et Pontificum omnium superabat. Repræsentabat enim immensam et altissimam celsitudinem et majestatem divinæ naturæ, felicitatis et gloriæ, in qua Deus quasi in throno ex omni æternitate residet et requiescit. Fuit ergo thronus hic similior throno Dei, quem vidit Isaias cap. VI, et Ezechiel cap. I, uti mox patebit, quam propitiatorio.

Mystice, sedes hæc est Ecclesia, ait Rupertus, Ambrosius et Alcazar, puta Sancti, ut ait Aretas; vel angeli, ut vult Richardus Victorinus; vel potius B. Virgo. Ita S. Bernardus, serm. *De B. Maria* : « De throno, ait, procedebant fulgura et voces, et tonitrua, quia Mater filii Jesu Christi parabolas, ænigmata, legalia et mirifica gesta, dicta et opera avidius ebibit, fidelius credidit, sincerius luculentiusque aliis edidit. » Alii distinctius per fulgura accipiunt B. Virginis miracula; per voces, blandas cohortationes; per tonitrua, increpationes, minas gehennæ, ultiones et supplicia hostibus suis et impiis ab ea inflicta. Hinc B. Virgo a S. Epiphanio, serm. *De laud. Deiparæ*, vocatur « Thronus Cherubicus. » Scripsit hac de re opus ingens, pium æque ac eruditum, noster P. Antonius Spinellus, Provincialis Neapolitanus, cujus titulus est : « Maria Deipara thronus Dei. »

Et supra sedem sedens. — Sessor hic non fuit Christus, ut vult Ambrosius. Christus enim est Agnus ante thronum, qui a sedente accepit librum, ut patet cap. V, vers. 7; sed Deus, qui hic specie humana et regali apparuit sedens in throno, ut patet ex eo quod cap. V, vers. 7, dicatur habuisse dexteram. Hic ergo princeps in solio hoc cœlesti residens, est cœlorum Rex, id est cœli terræque conditor. Ita Richardus, Alcazar, Ribera et alii.

Porro Alcazar censet tam hic, quam *Isaiæ* VI, sessorem fuisse Deum Patrem tantum (1). Verum longe melius alii censent fuisse Deum absolute, prout communis est Patri, Filio et Spiritui Sancto. Alludit enim ad thronum, *Isaiæ* cap. VI, vers. 1, ubi sessor fuit Deus trinus et unus, sive Sancta Trinitas, uti ibidem ostendi. Unde et hic, æque ac ibi, sancta animalia jugiter acclamant ei trisagion, scilicet « Sanctus, sanctus, sanctus, » quasi dicant : Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus; hi enim tres sanctissimi sunt ipsaque primæva, increata, essentialis et immensa sanctitas.

Objicit Alcazar : Filius hic repræsentatur Agno qui accessit ad sedentem in throno. Ergo non sedit in throno : non enim accessit ad seipsum. Si dicas Agnum significare Christum hominem : hic autem potuit accedere ad seipsum, quatenus erat Deus, respondet Alcazar, theologice id verum esse, sed Scripturam ita non loqui, imo passim dicere Filium, qua homo est, accedere ad Patrem, eumque invocare, non seipsum. Verum dico utroque modo loqui Scripturam. Cum enim passim dicit Christum nos redemisse et reconciliasse Deo suis meritis, oratione et passione, significat Christum nos reconciliasse toti sanctæ Trinitati, scilicet non soli Patri, sed Filio, et Spiritui Sancto, uti patet, et omnes Orthodoxi fatentur. Tam enim offensus erat nobis Filius et Spiritus Sanctus, tamque reconciliandus, quam Pater. Itaque illa oratio et vox Christi *Psalm.* XXXIX, 7, quam citat Apostolus *Hebr.* cap. X, 7 : « Hostiam et oblationem noluisti, etc., tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam, » non tantum Patrem, sed et Filium et Spiritum Sanctum respicit, et ad omnes dirigitur. Venit enim Christus, ut horum omnium voluntatem circa redemptionem hominum impleret. Sic in cruce orans et clamans : « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » *Matth.* XXVII, 46, non tantum a Patre, sed et a seipso, ut Deus erat, suam humanitatem in tormentis et morte derelictam significavit. Sic *Matth.* VI, 9, oravit, et nos orare docuit : « Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, » etc., utique Patrem non personaliter, sed essentialiter intelligens, puta Deum ipsum, qui suæ humanitatis et omnium hominum est pater, id est creator et Deus : qualis est tam Filius et Spiritus Sanctus, quam Pater æternus. Oramus enim ut omnium horum nomen sanctificetur et voluntas fiat. Multo magis in visionibus, qualis est hæc,

(1) Ita Rosenmullerus et Allioli.



Filius ut homo, dici potest accedere ad seipsum ut Deus est.

3. Similis erat aspectui. — Corrige cum Romanis *aspectui*, id est colori, vel speciei jaspidis. Hebræis enim oculus vel aspectus ponitur pro colore vel specie, scilicet potentia, vel actus pro objecto, per metonymiam.

Lapidis jaspidis et sardinis. — Jaspis est coloris subviridis, sardius rubei. Unde Pererius putat hos colores in corpore Dei sessoris fuisse permixtos. Præsertim, quia Plinius, lib. XXXVII, cap. VIII, docet in Phrygia jaspides esse purpureos; et apud Virgilium, IV *Æneid.*, fulva jaspide stellatur ensis.

Concinnius Alcazar censet non commixtos, sed partitos fuisse, scilicet corpus Dei ab imo ad lumbos fuisse simile jaspidi, a lumbis vero sursum sardio. Alludit enim Joannes ad *Ezech.* I, 27, et VIII, 2, ubi de sedente in throno Cherubico dicitur : « Ab aspectu lumborum ejus, et deorsum, ignis; et a lumbis ejus, et sursum, ut visio electri. » Partita ergo fuit hæc visio et species : superne enim erat electrina, inferne ignea; uti hic superne erat sardina, inferne jaspidea. Sic olim viri illustres ad magnificentiam plures gemmas jungebant, easque gestabant in annulis et digitis, unde Martialis lib. V, *epigr.* 11 :

> Sardonychas, smaragdos, adamantes, jaspidas uno
> Portat in articulo Stella, Severe meus

Quæres, quid in hoc Dei throno significent jaspis et sardius? Respondent *primo*, Victorinus, Primasius, Beda et Rupertus, per hasce duas gemmas significari Dei justitiam et vindictam in peccatores : scilicet per jaspidem, qui coloris est aquei, significari diluvium sub Noe, quo Deus omnes peccatores submersit; per sardium, qui rubeus est, significari ignem conflagrationis mundi, qui peccata et peccatores exuret.

*Secundo*, Richardus : Virore, ait, jaspidis significatur semper virens Sanctorum gloria in cœlo; per sardium, incendium gehennæ : quæ duo sunt hominis novissima, eaque Deus hic et alibi hominum oculis subjicit, ut ea jugiter intueantur.

*Tertio*, Joachim : Jaspis, ait, est Pater; sardius est Filius; smaragdus et Iris est Spiritus Sanctus.

*Quarto*, Viegas et Pererius : Jaspide, inquiunt, virente significatur misericordia, sardio rubente justitia. Hisce enim duobus omnis respublica et totus mundus a Deo regitur. Unde ait Psaltes : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. » Hac enim visione multa adumbrantur de providentia et misericordia Dei in pios, atque justitia et vindicta in impios.

*Quinto*, Lyranus : Deus, ait, hic apparet quasi provisor Ecclesiæ militantis; unde jaspide significatur ejus consolatio et recreatio in adversis, sardio ejus inflammatio, qua facit ut ardentius Deo serviamus.

*Sexto*, Aureolus : Sedes hæc, ait, est cathedra Ecclesiæ Romanæ, quæ est caput Ecclesiæ militantis. In hac est jaspis virens, puta misericordia et potestas solvendi peccata, est et sardius, id est potestas eadem retinendi et puniendi. Sedes enim Dei est sedes Ecclesiæ et Vicarii ejus, scilicet Summi Pontificis; unde de ea canit Psaltes : « Et in cathedra seniorum laudent eum. »

*Septimo* et optime, Andreas, Aretas et Ribera : Jaspis, inquiunt, qui firmissima est gemma, viridis et sæpe pellucens, teste Plinio, lib. XXXVII, cap. VIII, significat splendorem et pulchritudinem divinitatis semper virentis et florentis. Sardius, quia sanguinei et ignei coloris est, et, ut ait Aretas, feris terrorem incutit, significat *primo*, igneam, id est sublimissimam et efficacissimam Dei naturam. *Secundo*, ejusdem justitiam, terrorem et vindictam in impios, Antichristi præcursores vel asseclas; hæc enim in Apocalypsi præsignatur et prædicitur : unde optime ejus speciem hic ostentat Deus, ac vindicis habitum assumit : solet enim assumere speciem et habitum similem materiæ et rei de qua agitur. *Tertio*, Abulensis et alii asserunt sardio gaudium accendi : apte ergo sardius significat immensam illam Dei gloriam et felicitatem, ex qua manat immensa ejus voluptas et lætitia. Huc facit quod Alcazar, pag. 379, littera C, tradit, sardium partem esse et originem amethysti, idque ex eo manifestum esse, quod in nonnullis gemmis quæ inveniuntur, una parte sardius, altera amethystus cernatur. Amethystus autem, qui colorem habet vini, symbolum est deliciarum cœlestium, et nectaris divini, quod longe magis quam vina Falerna lætificat cor, illudque gaudio inebriat, juxta illud Psaltis : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Idem ergo significat sardius.

*Octavo*, Alcazar censet jaspidem et sardium idem significare hic, quod cap. XXI, num. 19 et 20, in duodecim fundamentis cœlestis Jerusalem : quæ cum significent, ait, duodecim articulos fidei, ac primum fundamentum sit jaspis, sextum sardius, sequitur jaspidem significare primum Symboli articulum de Deo rerum omnium creatore, sardium vero significare sextum, qui est de Christi resurrectione. Error enim hic est in Alcazaris numero; ponit enim sardium quintum, cum *Apocal.* XXI, 19, ponatur sextus, uti ibidem ponit et Alcazar, ubi et articulum de Christi resurrectione, quem alii jungunt cum descensu ejusdem ad inferos, ponuntque quintum, ipse ab eo dividit, ponitque sextum. Hinc docet apte utrumque lapidem et articulum conjungi in idea Dei Patris, cui attribuitur potentia, ac consequenter tam creatio, quam resurrectio. Sicut enim per creationem creaturæ esse cœperunt, ita per Christi resurrectionem datum est initium novæ creaturæ; ante illam enim nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Quare merito

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christi resurrectio consideratur in Scriptura, quasi nova mundi creatio : omnis autem creatio opus est Dei Patris. Rursum apte jaspis supponitur sardio; hoc est creatio resurrectioni; hæc enim illa est excellentior et gloriosior. Atque sicut natura gratiæ supponitur, et gratia gloriæ : sic opus creationis supponitur resurrectioni, quæ est quasi recreatio, sive iterata creatio, quæ antiquæ rerum in Genesi productioni, novæ quasi creationis et novæ creaturæ gloria addita est. Ita ipse ingeniose et congrue. Sardius enim, uti dixi, symbolum est gaudii et felicitatis divinæ, quam Deus suis electis communicat beando illos, et resuscitando ad vitam et gloriam sempiternam.

ET IRIS ERAT IN CIRCUITU SEDIS SIMILIS VISIONI SMARAGDINÆ. — *Primo*, Andreas : Iris, ait, varia et florida repræsentat cœlestium virtutum et ordinum ornamenta, diversaque eorum munera et officia, ac præsertim, ut ait Pererius, tres colores iridis significant triplicem virtutem, purgandi, illuminandi et perficiendi, quæ est in Deo et angelis.

*Secundo*, Richardus Victorinus per iridem quæ speciem habet arcus, itaque belli signum et instrumentum ostentat, putat significari judicium universale in quo smaragdus, qui partim viret, partim rubet, indicat bonos præmiandos, malos puniendos esse. Unde et Christus judex pingitur insidere iridi; sedebit enim in nube gloriosa, qualis est iris.

*Tertio*, Venerabilis Beda : Iris, ait, sunt Sancti, qui Ecclesiam suis precibus protegunt, sicut iris cingit et protegit nostrum hemisphærium.

*Quarto*, Ansbertus : Iris, inquit, est incarnatio Verbi; idque *primo*, quia, sicut sol in nube irradians facit iridem, sic Verbum in carne irradians fecit Christum. *Secundo*, sicut iris fuit pacis symbolum tempore Noe, ita et incarnatio Christi fuit reconciliatio mundi. *Tertio*, duo cornua iridis sunt duæ naturæ Christi, humana scilicet et divina; chorda in hoc quasi arcu, est earumdem unio hypostatica. *Quarto*, in iride triplex est color, ita et in Christo : Christus enim fuit quasi cæruleus, id est cœlestis, per orationem assiduam; fuit viridis, per florem gratiarum et virtutum; fuit rubicundus in cruce, per amorem æque ac sanguinem. *Quinto*, ab hoc arcu emissæ sagittæ amoris sunt, quibus vulnerata sponsa dicebat *Cant.* II : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Ita Viegas.

*Sexto*, iris hæc imbrifera fuit, quia effudit in orbem prædicationis et doctrinæ cœlestis abundantiam.

*Quinto*, Alcazar censet hanc iridem non alium habuisse colorem quam viridem, tamque fuisse viridem, ut smaragdo similis appareret. Licet enim communis iris sit multicolor, tamen nova, inquit, hæc et cœlestis tantum fuit viridis, vocaturque iris, quia arcus cœlestis speciem exhibebat, non in colore, sed in forma et figura. Porro smaragdus, cap. XXI, æque ac hic, significat passionem Christi, qua Deo Patri reconciliatus est mundus, sicut per Noe reconciliatus est in diluvio, hujusque reconciliationis et novi pacti Deus signum dedit iridem; hæc enim passio, æque ut iris Noe, jugiter Dei oculis obversatur, eumque iratum continet, ac clementem et liberalem in Ecclesiam efficit : tum quia incredibili voluptate hæc Christi obedientia, religio et charitas eum afficit; tum quia promissionis suæ Christo factæ, de gratia et venia peccatoribus danda, jugiter eum memorem facit. Arcus ergo passionis Christi totus est viridis, id est totus est spei nostræ objectum, totus benignitatis et misericordiæ promissio. Vide *Isaiæ* cap. LIV, vers. 8. Crux enim, sive Christus in cruce distensus, fuit quasi arcus cœlestis tensus, quo novum *fœdus*, pactum et testamentum inter Deum et homines Christus sanxit. Arca ergo fœderis veteris Testamenti fuit mutata per Christum crucifixum in arcum cœlestem, ut novi fœderis excellentia indicaretur, sicut mare æneum in mare vitreum conversum fuit, vers. 6. Hæc eleganter et apposite Alcazar. Cum enim Christus occisus ante thronum Dei quasi in scenam hic prodeat, apposite symbolum et instrumentum occisionis ejus, puta crux, in iride repræsentatur, et in scenam producitur. Rursum crux Christi non clamat nisi reconciliationem et misericordiam; cujus symbolum est iris, uti jam dicam.

*Sexto* ergo, magis generatim et genuine Ribera, Viegas, Pererius et alii passim : Iris, inquiunt, est Dei misericordia, quæ undique thronum Dei circumdat. Iris enim tempore Noe reconciliationis et fœderis inter Deum et homines fuit signum, fuitque iris idem quod εἰρήνη, id est pax, ait Ticonius. *Secundo*, iris versicolor recreat, et imbrem copiosum ac varium in terram depluit : idem facit Dei misericordia; unde in ea quasi est color cæruleus, id est fides; et viridis, id est spes; et rubicundus, id est charitas; aliique mixti, id est variæ aliæ virtutes et gratiæ, quas Deus effundit in homines. *Tertio*, sicut iris est semicirculus, qui tantum in hemisphærio nostro apparet : ita et Dei misericordia tantum apparet in hac vita, justitia vero in altera. Vidi Lovanii in inauguratione Serenissimorum Principum Alberti et Isabellæ, inter varios triumphales arcus et titulos, unum erectum, cui inscriptum erat uncialibus litteris : « Octaviani Augusti in urbem adventu, corona iridis specie circa solem apparuit, novæ potentiæ, novæ pacis auspicium. Hanc vobis, o Principes nostri, senatus populusque Lovaniensis in ipso ingressu dedicat, novæ pacis auspicium. » Hunc titulum, hanc iridem Deo, novæ per Christum pacis auctori, consignat hic S. Joannes.

Sic iris, id est pax, sui ævi fuit re et nomine Irene Imperatrix, uxor Leonis Imperatoris Iconoclastæ et mater Constantini Junioris Imperatoris : quæ, mortuo marito, cum filio succedens in imperium, iconoclasmum sustulit, pacemque Episcopis, Monachis et Ecclesiæ reddidit. Unde Theodorus Studita in Vita S. Platonis : « Postquam, inquit, regnare cœpit Dei cultrix Irene (anno Christi 780), quæ pacem ut cognomento, ita et re attulit, in cujus regno cum aliis bonis et monasticæ vitæ adeundæ facultas et janua patefacta est, quæ olim ab impio Imperatore clausa fuerat, etc. Ex eo, inquam, tempore quo Irene regnare cœpit, nostra tota eorum qui rebus terrenis renuntiaverant, familia monasticæ vitæ obedientiam profitebatur. » Idipsum miro ostento Christus præsignificavit. Nam eodem anno in longis Thraciæ muris quidam homo fodiens, invenit arcam lapideam, quam cum expurgasset et revelasset, reperit virum jacentem, et conglutinatas circa litteras continentes hæc : « Christus nascetur ex Virgine Maria. Credo in eum. Sub Constantino et Irene Imperatoribus, o sol, iterum me videbis. » Ita refert Theophanes, et ex eo Baronius, anno Christi 780.

Posset quoque cum Ribera per iridem accipi varietas, et universitas, ac pulchritudo creaturarum omnium, quam in se continet Deus. Sicut enim in iride mira est colorum varietas, et, ut ait Virgilius, IV *Æneid.* : « Mille trahit varios, adverso sole, colores : » ita et in universitate creaturarum resplendet jucundissima quædam et admirabilis varietas perfectionum Dei. Vide de iride dicta *Genes.* IX, 13, et *Ezech.* I, 28.

SIMILIS VISIONI SMARAGDINÆ. — « Similis » erat non ipse sedens in throno, puta Deus, ut vult Ribera, qui putat τὸ *et iris erat in circuitu throni* parenthesi intercipiendum et includendum esse; sed similis erat, scilicet ipsa iris, smaragdo virenti. Erat ergo iris viridis, non tota, ut vult Alcazar, quasi alium colorem præter viridem non haberet, sed quod viridis color in ea esset eximius, cæterisque præcelleret. « Smaragdus, inquit Lyranus, est viridis coloris, et hic est unus de coloribus iridis. Sed illa iris imaginaria hic sic apparuit, ut color ejus viridis intensior cæteris videretur. Per quæ designabatur consolatio Dei suis electis affutura, maxime in tribulationibus Ecclesiæ futuris, eo quod color viridis est consolativus et confortativus ipsius visus. »

Smaragdus ergo, qui sua viriditate oculos mire recreat, adeoque teste Solino, cap. XVII, virore superat herbas et gramina, imo sibi proxima virore suo inficit et colorat, nec eum in umbra, lucernis aut sole immutat, significat Dei misericordiam nunquam senescentem, sed semper virentem, quasi novam et recentem, mire nos consolari. Smaragdus, ait Plinius, lib. XXXVII, cap. V, suo virore et pulchritudine oculos implet, nunquam satiat, et subinde pulcherrimi speculi vicem obit. Unde Nero gladiatorum pugnas per smaragdum spectabat.

Rursum smaragdus, ait Ribera, significat Dei et creaturarum in Deo, quasi in speculo pulcherrimo, visionem, quæ mentem contemplantis jucundissime implet, nunquam satiat; pulchrius enim et clarius creaturas repræsentat, quam ipsæ sint in seipsis. Hoc speculum est mirabile et inenarrabile, sicut Poetæ dixerunt de iride, eam esse Thaumantis, id est admirationis, filiam, cum de ea sic canunt :

> Clara sub æthereis fulget Thaumantia proles
> Nubibus, ut radiis pluvium sol attigit imbrem,
> Et picturato cœlum velamine cingit,
> Et cœlum variis miranda coloribus ornat,
> Picta veste decens, et multicoloribus alis.

Tropologice, iris instar smaragdi symbolum est virginitatis, quæ semper viret, et suo virore splendescit instar smaragdi. Quocirca apposite Poloni in canonizatione S. Casimiri, qui maluit mori quam virginitatem perdere conjugio, cum illud medici valetudini ejus necessarium esse dicerent, hoc anagramma ei dederunt : « Casimirus, sum quasi iris, » in quam scilicet irradians sol justitiæ, suum ei puritatis fulgorem afflavit. Rursum : « Casimirus, » quasi « cadis mirus, » quia pro castitate moreris, et virginitatis victima occumbis :

> Sponte cadis, sed amore cadis, Casimire, pudoris :
> Mirus, te Christo mirificante, cadis.

Cecidit anno Domini 1484, ut cum Agno resurgat, eumque per omnia cœli gaudia sequatur.

4. ET IN CIRCUITU SEDIS SEDILIA VIGINTI QUATUOR, ET SUPER THRONOS VIGINTI QUATUOR SENIORES SEDENTES. — Alludit, tum ad ordinem angelorum primæ hierarchiæ, qui vocantur throni; tum ad 24 principes sacerdotum : tot enim erant eorum familiæ a Davide distributæ, ut per vices sacra obirent in templo, quæ singulæ suos habebant principes (scilicet primogenitus familiæ erat caput et princeps), qui proinde « Principes Dei, et Principes sanctuarii » vocantur, I *Paral.* XXIV, 5. Hi enim 24 principes templi fuerunt typus 24 seniorum in templo cœlesti. Seniores enim, sive senatores, vocantur principes populi, quia senatus olim e senibus eligebatur; et licet postea senatorum et principum filii, esto essent juvenes, parentibus defunctis in magistratu succederent, tamen et hi a prima nomenclatura vocabantur seniores, sive senatores, id est principes. « Senior » ergo non tam ætatis, quam dignitatis est nomen : hanc enim significat Hebraice זקנים *zekenim*, id est seniores. Unde et *Presbyteri* vocabantur apud Spartanos summi magistratus, qui rebus sacris præerant. Hinc etiam Itali, Hispani, Galli aliæque gentes, *Señor* vocant Dominum, quin et Gothi eosdem vocant *Sihora*. Unde S. Augustinus, *epistola* 178 : *Sihora armen*, inquit, gothice significat *Domine, miserere*, quod Græci dicunt *Kyrie eleison* : illudque a Gothis capti et supplices Romani dicere didicerunt; a Gothis enim Latina lingua corrupta est, et traducta in Italicam, Hispanicam et Gallicam;

ut ex *Senior* Gothi fecerint *Sihora*; inde Itali *Signor*, et Hispani *Señor*, et Galli *Seigneur*. Hoc est quod ait Cicero, lib. *De Senectute* : « Utebatur consilio, ratione, sententia, quæ nisi essent in senibus, non summum concilium majores vestri appellassent Senatum. » Idem, lib. III *De Legibus* : « Senatori, ait, tria jussa sunt : ut adsit, nam gravitatem res habet cum frequens ordo est ; ut loco dicat, id est rogatus ; ut modo, ne sit infinitus. »

SEDILIA. — Græce θρόνοι, id est throni augusti, quales sunt regum et principum. Alludit ad *Psal.* CVI, 32 : « Et in cathedra seniorum laudent eum. » Nam 24 Principes sacerdotum in templo suas habebant cathedras et thronos, ut jam habent Episcopi et Pontifices, a quibus vocantur Ecclesiæ Cathedrales. Hinc et festa Cathedræ S. Petri, tam Romanæ quam Antiochenæ. Tales Pontificum thronos, et priscos, et posteriores ac præsentis ætatis, plures Romæ conspicimus in tribuna, id est in choro cujuslibet templi. Porro hi throni cingebant thronum Dei instar semicirculi ; erant enim « in circuitu throni ; » sicut throni Cardinalium ambiunt thronum Pontificis ; sed hic illis longe est augustior et sublimior. Alcazar tamen imaginatur eos visos fuisse quasi in Sancto sanctorum, quod quadratum erat, ac proinde censet thronos hos in quadrum fuisse dispositos, ita ut seni essent a quolibet latere. Verum in Sanctum sanctorum solus ingrediebatur summus Pontifex, non alii principes sacerdotum. Et esto fuissent in Sancto sanctorum, commodius, decentius et elegantius in semicirculum, quam in quadrum fuissent dispositi. Sic enim omnes erant ante thronum in conspectu Dei, eum videntes, et ab eo visi. Nam in quadro sedentes, tantum in tribus quadrilateribus Deum ante faciem habere potuissent. Sedentes enim in quarto latere quod claudebat quadrum, ea parte qua erat thronus Dei, vel dorsum, vel certe latus obvertissent Deo, aut certe fuissent a tergo Dei.

CIRCUMAMICTI VESTIMENTIS ALBIS (albæ vestes notant non tam sacerdotium, ut vult Alcazar, quam charitatem et gloriam beatitudinis 24 seniorum), ET IN CAPITIBUS EORUM CORONÆ AUREÆ. — Coronæ hæ notant eorum victoriam, triumphum et regnum. Sunt enim victores et triumphatores, æque ac reges in regno Dei cœlesti.

Quæres, quinam sint hi 24 seniores? *Primo*, Ticonius, Beda, Primasius et Arias Montanus in *Zachar.* IV, censent 24 seniores significare universam Ecclesiam, quæ a Deo coronata est, et coronas suas Deo acceptas refert.

*Secundo*, Ambrosius, 24 seniores, ait, sunt Patriarchæ et sancti Patres veteris Testamenti, qui in lectione et meditatione 24 librorum veteris Testamenti, quasi in 24 sedilibus, quiescebant. Licet enim S. Hieronymus, et alii, tantum numerent 22 libros veteris Testamenti, juxta numerum litterarum quæ sunt in alphabeto Hebraico ; tamen Rabbini, ut Aben Ezra et R. David numerant 24 tam libros quam litteras Hebr., scilicet repetendo ter litteram Jod, uti repetitur in nomine tetragrammato Jehova abbreviato, hoc modo ,י,.

*Tertio*, Andreas Cæsariensis, Aretas et Hieronymus Prado, prooemio in *Ezech.*, sect. 11 : Seniores 24, inquiunt, sunt 12 Patriarchæ, puta duodecim filii Jacob in veteri, et duodecim Apostoli in novo Testamento ; bis enim duodecim sunt 24. Sic fere et Rupertus, nisi quod ipse loco duodecim filiorum Jacob, accipiat duodecim judices, qui post Josue usque ad Saul Israeli præfuerunt : scilicet *primus* est Othoniel ; *secundus*, Aioth ; *tertius*, Sangar ; *quartus*, Barach ; *quintus*, Gedeon ; *sextus*, Jair ; *septimus*, Jephte ; *octavus*, Abessan ; *nonus*, Ahialon ; *decimus*, Abdon ; *undecimus*, Samson ; *duodecimus*, Samuel. Verum non omnes filii Jacob, nec omnes Judices fuerunt sancti, vel certe non tam illustres quam alii.

*Quarto*, S. Gregorius, lib. IV in 1 *Reg.* cap. IX, vers. 24 : Seniores, ait, sunt sancti prædicatores, maturi sensu et moribus graves, qui thronum Dei ambiunt ; quia præ cæteris conditorem diligunt, ideoque per altissimam contemplationem et conversationem ei vicinius requiescunt. Et Glossa : Omnes, ait, Ecclesiæ Doctores nunc dicuntur duodecim, propter fidem SS. Trinitatis, quam annuntiant quatuor partibus mundi ; nunc dicuntur 24, quia hic numerus conficitur per sexies quatuor : sex referuntur ad opera quæ sex diebus fecit Deus, quatuor vero ad Evangelia ; quia opera quæ in lege naturæ et in Evangelio fecit Deus, Doctores ipsi colunt et explicant.

*Quinto*, Joachim, quem sequitur Petrus Galatinus : 24 seniores, ait, sunt duodecim Apostoli, et eorum filii, puta Martyres (de quibus hæc visio agit), usque ad Antichristum. Rursum præcise possunt numerari 24 ; nam sicut 12 fuerunt Apostoli tempore Christi orti a Judæis, ita duodecim similes seniores et Apostolos e Gentibus excitabit et eliget Deus eo tempore, quo venturus est Elias, ut cum eo decertent contra Antichristum. Sed hoc sine fundamento dicitur, inquit Pererius : nusquam enim id revelatum est. Adde : Joannes unus erat ex 12 Apostolis tempore Christi ; Joannes autem adhuc vivebat hoc tempore, quo vidit in cœlo 24 seniores : non ergo omnes 12 Apostoli erant ex 24 senioribus, qui omnes erant defuncti et beati in cœlo.

*Sexto*, Aureolus et Lyranus : Cœlum, inquiunt, est Ecclesia militans ; Dei sedes est Ecclesia Romana, in qua sedet Romanus Pontifex, quasi Vicarius Christi ; 24 seniores sunt omnes Episcopi in suis sedilibus, id est Episcopatibus. Alludit enim ad 24 principes sacerdotum, uti dixi, qui Episcoporum erant figuræ et typi.

*Septimo*, Alcazar : Per 24 seniores, ait, designatur dignitas sacerdotum in Ecclesia Christi ; hi enim vocantur Presbyteri et seniores, et succedunt 72 Christi discipulis, sicut Episcopi succedunt 12 Apostolis, qui significantur hic per quatuor animalia ; Ecclesia enim est regnum sacerdotale, in quo principes sunt sacerdotes. Hi habent thronum in cœlo, id est divinam auctoritatem et potestatem consecrandi corpus Christi, ac absolvendi a peccatis, quam non habent Seraphini. Unde habent coronas in capite, et phialas aureas, id est calices magnos, in quibus offerunt Deo orationes fidelium et Sanctorum. Hoc deducit Alcazar ex suo scopo, et præconcepto fine. Agitur enim hic, inquit, non de Sanctorum in cœlis felicitate, sed de novi cœlorum regni celsitudine, deque ingenti Ecclesiæ ministrorum dignitate. Per vestes albas significatur egregia sanctitas et castimonia, quam poscit sacerdotalis status. Coronæ aureæ in capite significant honorem maximum et splendorem, qui dignitati sacerdotum proprius est, juxta illud *Psalm.* VIII, 6 : « Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum : omnia subjecisti sub pedibus ejus. » Alludit ad *Eccli.* XLV, 14, ubi de Aaronis corona dicitur : « Corona aurea super mitram ejus, expressa signo sanctitatis, et gloria honoris : opus virtutis. Rursum corona significat potestatem judiciariam in absolutione peccatorum ; olim enim judices coronati ad judicandum sedebant, teste Demosthene. Denique corona significat eos esse reges et principes in regno Dei, id est in Ecclesia, in eaque totos Dei cultui esse addictos et consecratos. Unde in hac sacerdotum excellentia ac dignitate, mirum in modum Dei ipsius gloria et majestas elucet. Aurea enim corona olim nunquam nisi eximiis viris data ; unde Apuleius, lib. IX *Metamorph.* : « Dignus Hercules solus coronam auream capite gestare. » Tertullianus, lib. *De Idol.*, docet sacerdotum, sed provincialium duntaxat, coronam auream fuisse. « Tantum enim, inquit, honoris nomine conferebatur his qui familiaritatem regum merebantur. » Regum enim erat corona aurea, eaque non crassa et solida, sed ex lamina auri diducta et attenuata, ut significarent, illi parum auri esse satis, cujus virtus imperat auro, nec tam regem opus habere auro, quam rempublicam rege aureo, uti ex Xenophonte, lib. 1 *Pædiæ Cyri*, docet Carolus Paschalius, lib. IX *De Coronis*, cap. IX, ubi etiam recenset Gentiles censuisse aurum Jove esse prognatum, ideoque non nisi regibus et viris divinis attribui : inde dictum est « aurum coronarium, » quod regibus dabatur : de quo vide Lipsium, lib. II *De Magnit. Rom.*, cap. IX. Ita Procopius, lib. 1 *Belli Goth.*, scribit Theodatum, regem Gothorum, « pactum cum Petro, Justiniani Imperatoris duce, decedere tota Sicilia, et quotannis mittere Justiniano coronam auream trecentarum librarum. » Porro Festus : « Triumphales, inquit, coronæ sunt, quæ imperatori victori aureæ præferuntur, quæ antiquis temporibus propter paupertatem laureæ fuerunt. »

Notat Alcazar, *notat.* 4, hosce 24 thronos, et seniores in eis sedentes, repræsentare chorum angelorum qui vocantur Throni ; atque in Ecclesia (forte et in cœlo) *primum* ordinem esse Seraphinorum, *secundum* Thronorum, *tertium* Cherubinorum. Thronorum enim munus est portare Deum, ait S. Dionysius, *Cœlest. Hierarch.*, cap. VII ; unde et Sophronius, D. Thomas et alii, Thronos vocant sedes Dei. Porro, Throni vocantur angeli juxta Deum sedentes in thronis, imo S. Chrysostomus opinari videtur Thronorum chorum præcellere chorum Seraphinorum, quod Deo nihil videatur esse propius, quam Dei ipsius sedes.

Rursum, hos tres ordines repræsentare tria attributa Dei, scilicet potentiam, sapientiam et bonitatem. Adhæc Cherubinis repræsentari Dei sedem in hac visione ; dicitur enim de eo : « Qui sedes super Cherubim ; » Dei autem sedes sunt Christiani justi. Thronis vero 24 seniores, Seraphinis mystica quatuor animalia, id est Episcopos, repræsentari et respondere : Episcopi enim debent ut Seraphini charitate ardere, eaque alios inflammare. Itaque Cherubinis respondent in terris fideles sancti, Thronis sacerdotes, Seraphinis Episcopi, uti hic throno Dei, quem faciebant junctis alis Cherubini, repræsentantur fideles ; thronis vero sacerdotum seniores, et quatuor animalibus Episcopi. Denique in Thronis, ait, monentur sacerdotes, ne ita aliorum salutem curent, ut suam negligant, sed semper cogitent se ad hoc vocatos esse, ut ipsimet sint throni Dei.

Verum Ecclesia jam in cœlesti hierarchia summos ponit Seraphim, secundos Cherubim, tertios Thronos. Rursum hæc visio spectat ad Deum, ejusque regnum cœleste et gloriosum, non ad regnum quod Deus habet in Ecclesia militante, uti vult Alcazar. Alioqui fateor in his thronis, et eorum sessoribus 24, alludi ad Thronos, qui sunt tertius ordo angelorum, uti superius dixi.

*Octavo*, Villalpando, *part.* II, lib. IV, cap. XLV, putat hos 24 seniores repræsentare 24 Cherubinos positos in templo Salomonis. Censet enim ipse duodecim Cherubinos positos fuisse in Sancto præ foribus oraculi, et totidem positos fuisse in Sancto sanctorum circa arcam. Per hos autem repræsentari universitatem angelorum qui Deo assistunt, indeque vocari seniores, quia scilicet angeli creati sunt ab olim, puta ab initio mundi. Verum nec ex Scripturis, nec ex Josepho, nec aliunde probari potest in templo præcise fuisse 24 Cherubinos. Adde seniores nunquam vocari angelos, sed homines digniores. Denique angeli significantur hic per septem lampades, et per quatuor animalia ; non ergo per seniores.

*Nono* et magis genuine, Haymo, Maldonatus in *Notis*, et Ribera : 24 seniores, inquiunt, sunt omnes Patres et Sancti illustriores, tam veteris, quam novi Testamenti. Duodecim enim sunt Apostoli in novo, sub quibus omnes viros Apostolicos accipe ; et duodecim sunt Patriarchæ et Prophetæ veteris Testamenti, sub quibus omnes Sanctos illustres veteris Testamenti accipe. Esto enim non



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

omnes Patriarchæ fuerint sancti, tamen quia Patriarchæ fuerunt Israelis, sive populi Dei, hinc apte significant Sanctos illustres veteris Ecclesiæ aut progenitores, aut propagatores. Duodenarius enim numerus perfectus est, significans omnia. Componitur enim ex tribus in quatuor ductis; ter enim quatuor faciunt duodecim. Tria significant fidem, spem et charitatem SS. Trinitatis; quatuor significant quatuor mundi plagas, ex quibus universi Sancti confluent. Sic etiam Richardus, Beda, Rupertus et Viegas per 24 seniores accipiunt præstantissimos Sanctos, ac præcipuos Prælatos et Doctores utriusque Testamenti. Hos secutus Pererius, simplicissime et planissime putat a Joanne hic in cœlo visos fuisse præcise 24 illustriores Sanctos et heroes solius veteris, vel potius tam novi quam veteris Testamenti, puta ex novo duodecim Apostolos, ubi pro S. Joanne adhuc vivente, oportet Paulum substituere; ex veteri vero hos aut similes: Abelem (hic enim fuit primus in orbe virgo et martyr, primusque ponitur ab Apostolo in catalogo Sanctorum veteris Testamenti, *Hebr.* XI, 4), Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Mosen, Samuelem, Davidem, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et Danielem. Id ita esse patet *primo*, nam ubique in sequentibus definite inducuntur hi 24 seniores, illique Deum celebrant, imo et S. Joanni loquuntur. Unde cap. VII, vers. 13, ait: « Unus de senioribus dixit mihi. » *Secundo*, omnes consentiunt quatuor animalia esse quatuor angelos, et quatuor Evangelistas; ergo 24 seniores sunt alii insigniores Sancti. *Tertio*, quia hi 24 seniores in hac visione non inducuntur ut judices, sed ut conscii et interpretes mysteriorum divinæ providentiæ circa Ecclesiam, et ea quæ in Ecclesia usque ad finem mundi futura sunt. Vocantur seniores ob antiquitatem, gravitatem, sapientiam, prudentiam et virtutem, ex quibus omnibus sunt venerabiles. Vestiti sunt albis, id est, innocentia, lætitia et gloria pleni sunt. Habent coronas in capite, tum quia reges sunt, tum quia victores illustres generose certando et vincendo regnum Christi obtinuerunt: sunt ergo hi 24 seniores quasi senatus Ecclesiæ triumphantis, et assessores Dei.

Porro, præcise eos delectos fuisse 24, non est mirum: sic enim Christus præcise elegit duodecim Apostolos, quatuor Evangelistas et 72 discipulos: sic olim elegit Deus duodecim Patriarchas, et duodecim Prophetas minores. Pari modo hic duodecim seniores elegit ex novo Testamento, et totidem ex veteri. Sicut enim duodenarius est numerus perfectus, significans universitatem, puta omnes in isto genere: ita et potius numerus 24. Nam hic est duplum duodenarii, et duodenarius geminatus. Rursum, sicut sol 24 horis cursum absolvit, obitque et illustrat totum orbem: ita et hi 24 quasi soles illustrant Ecclesiam successive, scilicet quisque suo sæculo. Plura hujus numeri 24 mysteria vide apud Aretam hic, et Petrum Bongum, lib. *De Numerorum mysteriis*, pag. 441.

Hosce 24 seniores repræsentant Cardinales, adeoque thronos, solium, totumque hoc caput eleganter repræsentat Consessus (vulgo *Capella*) Pontificis, in qua videtur imago cœlestis Jerusalem, ut merito ex illa hæc deprompta videatur. Pontifex enim, quasi Vicarius Dei, Deum repræsentat; septem prisci Diaconi, septem spiritus Deo assistentes; Cardinales, seniores 24; Agnus, Christum, qui in Missa offertur; liber signatus, librum Evangeliorum. Denique Patriarchæ, et Episcopi mitrati et pontificalibus induti, Pœnitentiarii, Canonici, omnisque Prælatorum, sacerdotum et ministrorum ordinata multitudo et magnificentia, æque ac symphonia cœlestis, repræsentant innumeram Angelorum et Sanctorum multitudinem gloriosam, quæ Deo jugiter jubilat et psallit. Simili modo septem Episcopi Asiæ, subjecti S. Joanni, repræsentant septem Episcopos Cardinales Pontifici subditos; septem Ecclesiæ adumbrantur per septem Ecclesias Romanas, structura, indulgentiis et peregrinationibus totius orbis celebres, quas Romani, æque ac exteri, crebro obire solent, opemque Martyrum et Sanctorum, qui ibidem innumeri sepulti sunt, supplices implorare. Talia plura sunt, adeo ut ex Apocalypsi cæremoniæ et magnificentia Ecclesiæ Romanæ desumpta et expressa videantur; ut merito S. Fulgentius eam intuens et admirans dixerit: « Si sic splendet Roma terrestris, quomodo fulgebit Jerusalem cœlestis. » Denique instar horum 24 seniorum, Cassianus scripsit totidem Patrum in eremo Deo angelice servientium 24 *Collationes*, quas ut ad sanctitatem et perfectionem perutiles, crebro lectitare solebat S. Thomas Aquinas. Idipsum profitetur de se Cassianus, *Collat.* ultima, cap. I.

Symbolice Pineda in *Job* cap. XIX, vers. 19, num. 3, censet in his 24 senioribus, qui sunt quasi senatores et consiliarii divinæ sapientiæ, notari quales debeant esse principum consiliarii, nimirum, *primo*, ut jugiter astent principi, princepsque nil sine eorum consilio agat. Nam, ut ait Sapiens, *Proverb.* XI, 14: « Ubi non est gubernator, populus corruit: salus autem, ubi multa consilia. » Peccavit hac in re Nero, qui nunquam senatus consilio usus est, imo eum oderat; hinc misere periit damnatus a senatu. Et Hieronymus, Siciliæ rex, qui quantumvis gravi in re « neque convocavit, neque consuluit publicum consilium; » quocirca æque ut Nero periit: « senatus » enim est « mens, ratio, intelligentia reipublicæ, » ait Cicero, imo ejusdem « fundamentum. »

*Secundo*, ut senes sint; senes enim experientia et prudentia pollent. Quocirca Plutarchus, tract. *Num seni sit gerenda respublica?* respondet: « Maxime salva est civitas, ubi consilia senum, juvenum arma obtinent. » Sic rex Agamemnon consiliarium habebat Nestorem senem.

*Tertio*, ut sint « circumamicti vestimentis albis, » ut scilicet candore et sinceritate animi polleant, nullaque cupiditas aut metus rectum eorum judicium obfuscet et depravet.



*Quarto*, ut habeant coronam in capite, hoc est, præditi sint libertate et animo regali, ideoque non obsequantur cupiditatibus principum, sed libere quod rectum et æquum est pronuntient. Hinc Demetrius Phalereus, teste Plutarcho in *Apophthegmat.*, sapienter monuit Ptolemæum Philadelphum, ut libros illos legeret, quibus docentur reges et principes, quomodo debeant gubernare. Hi enim libere loquuntur, eaque dicunt quæ nemo subinde regibus privatim dicere auderet.

*Quinto*, ut non sint proprii judicii, neque pervicaces in tuenda sua sententia contra collegas, aut præsidem. Nam hosce seniores videas procidentes ante thronum, et adorare viventem in sæcula sæculorum, et mittere coronas suas ante thronum.

*Sexto*, ut exacte servent secretum. Sic enim hi seniores versantur circa librum signatum, nec quisquam eum reserat, sed omnes eum Agno reserandum permittunt. Hinc Theodoricus, rex Gothorum sapiens, licet hæreticus, Senaroo Comiti scribens, lib. IV, cap. III, laudat eum dicens: « Arcana nostra morum probitate claudebas, multorum conscius, nec tamen cum plura nosses elatus. Collegis gratia, superioribus humilitate placuisti. » Verissime Valerius Maximus, lib. II, cap. I, taciturnitatem in senatoribus vocat « optimum atque tutissimum rerum administrandarum vinculum. » Scribit Curtius, lib. IV *De Consiliariis regum Persarum*: « Arcana regum mira celant fide; non metus, non spes elicit vocem qua prodantur occulta: vetus disciplina regum silentium vitæ periculo sanxerat. Nec rem magnam sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit. » Hac de causa Philippides munus consiliarii detrectavit. Cum enim Lysimachus rex ei quodam tempore dixisset: « Quanam mearum rerum te impertiam? » Respondit: « Qua lubet, modo ne arcano ullo. » Testis Plutarchus, lib. *De Curiositate.*

5. ET DE THRONO (Dei, non seniorum) PROCEDEBANT FULGURA, ET VOCES, ET TONITRUA. — Hisce enim symbolis Deus suam potentiam, majestatem et magnificentiam ostendit, uti patuit in Sina, cum ibi daretur lex a Deo, *Exodi* XIX, 16. Rursum, hæc significant iram et terrorem Dei, qui maxime apparebit in fine mundi, de quo audiemus in sexto sigillo libri signati, quem Deus, cap. V, porriget Christo. Voces videntur distingui a tonitruis, quasi sint hominum, vel angelorum horribiles clamores. Ita Alcazar hic voces humanas cum cœlestibus tonitruis consociat. Nisi dicas esse epexegesin, atque *et* poni pro *id est*, « voces et (hoc est, *id est*) tonitrua; » aut hendiadym « voces et tonitrua, » id est voces tonantes, vel tonitrua vocalia, quasi articulatas et humanas voces proferant. Talia enim audivit Joannes, cap. X, vers. 3: « Locuta sunt, ait, tonitrua voces suas. » Et cap. XIX, vers. 6, audivit « vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluia. »

Mystice, voces sunt prædicatio, fulgura sunt energia et efficacia verbi Dei: hoc enim cor peccatoris penetrat quasi fulgur. Tonitrua sunt minæ gehennæ, judicii et iræ Dei. Discat hic prædicator se jam voces, jam tonitrua, pro auditorum molli vel dura dispositione promere debere. Sic Joannes et Jacobus a Christo vocantur Boanerges, id est filii tonitrui, *Marci* III. Vide *Psalm.* XXVIII. Rursum, hæc procedunt a throno Dei, id est ab iis qui sua sanctitate se fecerunt thronos Dei, in quibus quasi residet et loquitur Deus. Per tales enim Deus jaculatur quasi tonitrua et fulmina, quibus corda audientium penetrat, sauciat et immutat. Vanus enim et inanis est concionatoris docti et eloquentis labor, nisi a Deo Deique gratia et sanctitate, dicendi, persuadendi, et corda feriendi ac vulnerandi efficaciam sugat et hauriat. Nisi enim concio a magna Dei cognitione et amore promanet, frigida est et evanida. Ita Ambrosius. Sic quoque Ticonius, Rupertus et Richardus, nisi quod hi tres per fulgura accipiunt miracula, quæ hi 24 seniores ope Dei ediderunt, idque *primo*, quia, sicut fulgur longe lateque coruscat, ita et splendor miraculorum multos ad Christum traxit, et trahit. *Secundo*, quia, sicut e nubibus fulgura, ita a Sanctis miracula promanant. *Tertio*, sicut fulgur elicit pluviam, ita miracula eliciunt pœnitentiam et lacrymas. *Quarto*, sicut fulgur, aut potius fulmen hominem perstringit et afflat, ut specie corporis exterius manente sibi simili, interius ejus ossa comminuat, imo incineret: sic miracula homine exterius eodem manente, mentem comminuunt et commutant, ut plane alius sit homo quam ante fuerat. Ita Viegas.

Huc accedit Alcazar, qui hunc sensum affert ut litteralem, cum potius videatur esse mysticus et moralis. Thronus, ait, Dei, sunt Christiani omnes, qui excellenti Dei cognitione et amore, in suo corde sedem Deo fabricant, ac in conversione animarum acriter et strenue laborant. Ab his procedunt voces, id est sermones pii conjuncti fulguribus et tonitruis: quia conjunctam habent cœlestem virtutem, quam significat tonitru; et piæ vitæ ac sancti exempli illustrationem, quam significat fulgur. Hinc fulgura hic præponuntur; ait enim: « Fulgura et voces, et tonitrua: » prius enim fulgur oculis videtur, quam tonitru auribus percipiatur, ut significetur quod optimi exempli lux verborum virtutem et robur antecedere debeat. Sic in gentilismi tenebris primorum Christianorum sanctitas, et vitæ sanctissimæ fulgura, ac tonitrua potentium et efficacium verborum, ostenderunt veri Dei thronum in Ecclesia Christiana reperiri. Hæc ergo tonitrua et fulgura, sicut Ecclesiæ lætissima et festivissima sunt, ita Ecclesiæ hostibus sunt horribilia et formidanda. Illis enim quasi displosis quibusdam bombardis Chri-

stus cum Gentibus bellum gessit, easque suæ ditioni subjecit. Tradunt enim Physici sic generari fulgur et tonitru : intra nubem inclusa exhalatio ignea per antiperistasin circumstantis frigoris accenditur, fitque flamma et ignis. Deinde fit quod contingit in sclopo, sive bombarda, dum disploditur. Nam cum flamma et materia accensa celerrime se dilatet, necesse est nubem extemplo magna cum vehementia disrumpi, et latentis ignis lucem oculis, auribus discissæ nubis strepitum objici : sic et ignis charitatis in cordibus fidelium succensus, sua vi et impetu celerrime se dilatat ad proximos, ac omnes difficultates sibi obluctantes superat, foras prodire gestiens. Atque ejus virtutis effectus est, ut oculi externam illam internæ sanctitatis manifestationem, aures doctrinæ sonitum et efficacitatem excipiant. Porro, quo major est ignis repugnantia dum e nube erumpit, eo vehementius editur tonitruum et intermicantius fulgetrum, si ingens fuerit in nube ignis accensus. Ita primi Christiani ingenti igne divino succensi, quo magis Gentiles repugnabant, eo fortius prædicationis tonitru et sanctitatis fulgur ediderunt, uti patet ex dictis et gestis SS. Martyrum et Apostolorum.

Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem Spiritus Dei. — Alludit ad septem lucernas candelabri, quæ erant in tabernaculo Mosis, et in templo Salomonis, puta in Sancto, quibus septem planetæ repræsentabantur. Templum enim cœli typum et speciem referebat : in cœlo enim, quasi in templo et throno suo, residet Deus. Unde ejus gloria divina nobis abscondita, per lampades quasi illustratur, et aliquatenus videnda proponitur; sicut in tabernaculo candelabrum ante Sanctum sanctorum, illud aliquatenus illustrabat, ut ipsum, Deusque in ipso residens per caliginem videri possent. Simili modo lampades accensæ suspenduntur ante tabernaculum, in quo sancta Eucharistia asservatur.

Quæres : Quænam sunt hæ septem lampades? Multi, quos recensui cap. I, vers. IV, per septem spiritus, et consequenter per septem lampades, accipiunt septem dona Spiritus Sancti. Hæc dicuntur lampades, quia homines illuminant et inflammant. Sunt ante thronum Dei, ut significetur Deum illa præ oculis et ad manum habere, ut ad placitum cuilibet ea offerat et distribuat.

*Secundo* et magis genuine, ut dixi cap. I, vers. 4, septem hi spiritus et lampades sunt septem primarii angeli, quibus commissa est cura hominum, præsertim Ecclesiæ et fidelium. Hi dicuntur lampades, quia in se Dei cognitione lucent, ejusque amore ardent; et quia illuminant et accendunt homines cognitione, et timore pariter ac amore Dei, æternæque salutis et felicitatis; atque ostendunt illis Dei providentiam, ejusque testes sunt. Unde *Eccles*. V, 5, ait : « Ne dicas coram angelo : Non est providentia. »

Mystice, Alcazar per septem has lampades accipit septem divinæ providentiæ dotes et virtutes, quas recensui cap. I, vers. 4.

6. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo. — Syrus : *Et ante thronum tanquam mare vitri, quod simile est crystallo.* Arabicus : *Et ante sedem Dei mare vitri, simile gelu*, vel glaciei, aut crystallo. *Vitri*, hoc est *vitreum*, id est pellucidum, et consequenter tranquillum; nisi enim aqua sit tranquilla, non est pellucida, sed turbida et opaca : sicut mare Rubrum vocatur vitreum, quia pellucidum, ut ab Horatio, lib. IV *Carminum*, ode 2 :

> Vitreo daturus nomina Ponto.

Et lib. III, ode 13 :

> O fons Blandusiæ splendidior vitro.

Sic et Virgilius Nereidas depingens, marinis nymphis vitreum colorem tribuit, cum ait IV *Georg.* :

> Milesia vellera Nymphæ
> Carpebant, hyali saturo fucata colore.

Et Ovidius, epist. *Sapphus* :

> Est nitidus, vitroque magis perlucidus omnis.

Quæres : Quodnam hoc mare vitreum? *Primo*, Primasius, Beda, Richardus et Rupertus accipiunt Sacramentum baptismi, per quem transire debent ituri ad sedem et ad conspectum Dei. Porro baptismus vocatur mare vitreum, ob puritatem et claritatem, quam menti affert. Similis est crystallo, quia sicut hæc ex mari, id est ex aquis, tollit instabilitatem (eas enim conglaciat), et ex vitro fragilitatem (crystallus enim indurescit ut lapis) : ita baptismus habet maris amplitudinem, vitri perspicuitatem, et crystalli firmitatem et soliditatem. Sicut enim vitrum solis radiis est pervium, ita anima baptizata radiis gratiæ a Deo illustratur, ait Hugo. Rursum, ut inquit Rupertus, fideles in hac vita sunt vitrei, id est lucidi, sed fragiles, infirmi, mortales; verum post resurrectionem erunt similes crystallo, id est solidi, robusti et immortales.

*Secundo*, Dionysius Carthusianus : Mare vitreum, inquit, est pœnitentia, ob analogias maris vitrei jam applicatas baptismo, quæ pari, aut potiori ratione possunt applicari pœnitentiæ : et quia pœnitentia est mare, ob amaritudinem et copiam lacrymarum : simile crystallo, ob firmitatem propositi de peccatis deinceps cavendis, et vita nova ineunda.

Huc accedit Alcazar, qui censet mare vitreum ad litteram referre ingens illud vas aquæ in templo, quod a capacitate vocabatur mare æneum, sed hoc discrimine, quod hic fuerit vitreum, cum in templo Salomonis esset æneum. Ergo mare vitreum, inquit, est stagnulum, sive ingens crater, aut fons magnus aqua plenus, confectus ex nitidissimo vitro pellucido et fragili. Porro mare hoc vitreum, perinde ac mare æneum, sustentabatur a duodecim bobus æneis, eratque instar perfecti hemisphærii, habens labium lilii repandi, et crassitudinem trium unciarum. Sicut ergo mare æneum, quo lavabant se sacerdotes sacrificaturi, erat symbolum pœnitentiæ, ita et mare vitreum. Hinc *primo*, sustentatur a duodecim bobus, id est a duodecim Apostolis, eorumque successoribus; hi enim sunt administri pœnitentiæ. *Secundo*, vetus mare erat æneum, id est opacum, quia ænigmaticum : nostrum est vitreum, quia Sacramentorum novæ legis, præsertim pœnitentiæ, significatio, vis et efficacia translucet, omnibusque clara est et perspicua, juxta illud *Zachar*. cap. XIII, 1 : « Erit fons patens domui David, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. » Rursum, sicut mare proluit omnia mortalium mala, ut ait Euripides in *Iphigenia*, sic et pœnitentia. *Tertio*, sicut olim tempore S. Joannis scribit Plinius, lib. XXXVI, cap. XXVI, ex nitro (quod salis est species) et arena permixta translucentes fluxisse rivos, et hanc fuisse vitri originem; jam vero vitrum fit ex cineribus filicis, similiumque herbarum salsarum, qui cum arena permixti, igneque ardentissimo excocti, conglutinantur et durescunt, atque ex admixto bitumine perspicui et pellucidi fiunt; inde enim vitrum habet perspicuitatem : ita ex memoria mortis et cinerum in quos resolvitur corpus humanum, atque ex sale timoris judicii et vindictæ divinæ, ac ex fide et luce rerum cœlestium et divinarum, quam infundit Deus, nascitur pœnitentia, quæ igne contritionis et charitatis in ardenti passionis Christi fornace excoquitur et ferruminatur. *Quarto*, addit Plinius, « cœptus addi et vitro magnes lapis : » magnes autem, quia naves et nautarum viam dirigit, sapientiæ est symbolum, quæ mater est pœnitentiæ. Rursum, sicut magnes trahit ferrum, ita Dei charitas ad se trahit peccatores per pœnitentiam. *Quinto*, ingens ejus capacitas a qua mare vocatur, notat gratiæ copiam et abundantiam, quæ pœnitentibus omnibus datur. *Sexto*, labium lilii repandi notat vasis facilitatem, qua aquam suam omnibus accedentibus communicat, ut ea quisque se abluat : ita facilem et obviam omnibus se offert pœnitentia, et per eam venia et gratia. Hic sensus appositus est, sed moralis potius quam litteralis.

*Tertio*, Joachim : Mare vitreum, ait, est S. Scriptura, quia hæc pellucida est quasi speculum, in quo homines sua peccata speculantur, ut ea pœnitentia et lacrymis abluant, juxta illud Christi, *Joann*. cap. XV, vers. 3 : « Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. » Hic sensus litteralis est quasi vastum mare; vitrum speculare est sensus moralis : in eo enim speculamur et corrigimus mores nostros; crystallus, quia firma et perdurans, est sensus spiritualis et anagogicus, qui est de regno Beatorum glorioso et æterno. Sic et Ambrosius : Mare, ait, æneum (quod erat in templo Salomonis) est vetus Testamentum; mare vitreum est novum Testamentum.

*Quarto*, Ribera per mare vitreum accipit præsens sæculum, per quod quasi per mare transimus ad portum beatitudinis; dicitur vitreum, id est pellucidum, tum quia aer hic pellucidus est, tum quia hominum in eo degentium cogitationes arcanæ Deo pellucent et patent. Unde dicitur hoc mare esse in conspectu Dei. Hinc Sancti dicuntur stare super hoc mare vitreum, cap. XV, 2.

*Quinto*, Andreas Cæsariensis affert duas expositiones : *Primo*, mare vitreum, ait, sunt aquæ quæ sunt super firmamentum, vel sunt ipsum cœlum crystallinum, adeoque omne cœlum, quod instar crystalli fulget et pellucet : in hoc mari stellæ quasi pisces natant et emicant. *Secundam* mox afferam.

*Sexto* et maxime genuine, Pererius : Mare vitreum, ait, est cœlum empyreum, quod est sedes Dei, Angelorum et Beatorum. Hoc dicitur mare, ob amplitudinem, quia vastissimum est. Alludit ad cœlos empyreo vicinos et subjectos, quia ex primogenia aquarum abysso a Deo efformati sunt : unde hebr. vocantur שמים *scamaim*, id est *illic aquæ*, uti dixi *Genes*. cap. I, 7; empyreum vocatur vitreum, ob subtilitatem et tranquillitatem : unde et cap. XXI, Joannes comparat cœlestem Jerusalem vitro et crystallo : Joannes enim vidit hic gloriam Dei in cœlo empyreo. In hoc quasi mari, emicant Angeli et Beati quasi pisces, uti eos in illo pingunt pictores nostri. Unde Andreas Cæsariensis et Aretas censent mare vitreum esse ipsosmet Angelos et Beatos. Per mare, ait Aretas, significatur immensa multitudo; per vitrum splendor, puritas et tranquillitas; per crystallum soliditas et firmitas gloriæ et felicitatis beatarum et angelicarum mentium. Solet enim Scriptura Dei majestatem hac angelorum multitudine, fortitudine et gloria repræsentare, indeque dicitur Deus Sabaoth, id est exercituum. Ili enim semper sunt in conspectu Dei. Hoc est quod ait Daniel, cap. VII, vers. 10 : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » Hoc ergo cœlum est mare vitreum, sed et aureum; est enim ibi mare honorum omnium, sicut in gehenna est mare malorum omnium (1).

Et in medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia. — Proprie animalia non poterant esse in medio sedis, et simul in ejus circuitu, uti ait Ambrosius præsertim, quia in medio sedis sedebat ipse Rex, puta Deus : unde Alcazar tripliciter exponit : *Primo*, « in medio sedis, » id est consessus hujus, scilicet inter Deum et 24 senio-

(1) Tò *mare vitreum* pertinet, ait Allioli, ad descriptionem majestatis divinæ, *q. d*. Circa Dei thronum cuncta splendebant, ipsumque pavimentum miro coruscabat fulgore. Cf. *Exod*. XXIV, 10; *Ezech*. I, 22. Aliter Bossuetius : Innuere videtur vates thronum Dei esse inaccessum, utpote aquis immensis circumfusum.

res. *Secundo* : Sedes, ait, hic sumenda est late cum hypopodio, sive suppedaneo, ita amplo, ut quatuor hæc animalia per quatuor latera distributa caperet. *Tertio*, « in medio sedis, » id est spatii, in quo erat sedes.

*Secundo*, Pererius respondet ea non simul fuisse in medio sedis et ejus circuitu, sed successive; ambulabant enim, inquit, et nunc ambibant sedem, nunc in medium sedis ambitum procedebant.

*Tertio*, Ribera censet tria fuisse in circuitu sedis, quartum, scilicet aquilam, in altum se librasse intra ambitum sedis, ut quasi attingeret pectus sedentis, ideoque dicere Joannem : « Quartum animal simile aquilæ volanti. »

Prima explicatio videtur maxime congrua, ut « in medio sedis » sit idem quod intra ambitum sedis, puta in ipso sedis hypopodio, amploque ejus ambitu; vult enim Joannes per τὸ *in medio* tantum significare hæc animalia proxima fuisse sedi et sedenti, scilicet in throno sedisse regem, circa thronum proxime fuisse quatuor animalia, circa hæc animalia vero sedisse 24 seniores.

Illud vero *in circuitu* significat hæc quatuor animalia non uno loco stetisse, sed per quatuor sedis angulos et latera fuisse disposita (1).

Mystice S. Ambrosius citatus in *Glossa*, hæc refert ad residentiam et curam Pastorum : « In circuitu, inquit, sedis quatuor animalia stant, quia doctores populum sibi commissum, et a visibilibus, et ab invisibilibus hostibus, quanta virtute possunt, defendunt; in medio sedis consistunt, quia unumquemque eorum ut in virtutibus omnibusque bonis operibus proficiat, admonere non desinunt. »

7. Primum animal simile leoni, et secundum simile vitulo, etc. — Arabicus, *secundum simile tauro* (2). Quæres an integra animalia, an capita tantum, vel partes aliæ horum animalium apparuerint Joanni, ac consequenter quæ fuerit forma et figura horum quatuor animalium?

*Primo*, noster Hieronymus Prado in *Ezech.* I, sect. 7, et Vilalpando, tom. II, lib. IV, cap. XLI, ac Pererius censent hæc animalia per omnia eadem esse cum quatuor Cherubim Ezechielis, cap. I, ac consequenter hæc, æque ut illa, habuisse singula tantum faciem et figuram humanam, sed alas aquilæ, jubas leonis, et ungulam bovis. Erant enim quadriformia, ita ut unumquodque animal videretur compositum esse ex quatuor : perinde ergo erant, ac si homo vestiret se jubis leonis, alis aquilæ, et ungula bovis : ac talia erant quatuor. Erant enim omnia uniformia, ac consequenter singula erant quadriformia, modo jam dicto.

Probant *primo*, quia si habuissent capita leonina, bovina et aquilina, cum figura humana, fuissent monstra. Ad hæc S. Joannes distinguit similitudinem a facie, atque primum animal simile leoni, secundum simile vitulo; in tertio vero non dicit, simile homini, sed « habens faciem quasi hominis : » ergo *primum* simile erat leoni in jubis; *secundum*, vitulo in ungula; *tertium* vero tantum faciem habebat hominis; unde et de quarto subditur : « Simile aquilæ volanti, » *q. d.* Simile erat aquilæ in alis et volatu, non vero in facie.

*Secundo*, quia S. Dionysius, Sophronius, Basilius, Cyrillus, Rupertus et alii dicunt eadem animalia hic vidisse Joannem, quæ vidit Ezechiel, cap. I; illa autem singula erant quadriformia, sed capite humano : ergo et hæc.

Verum, *Ezechiel.* I, ex verbis claris prophetæ docui singulos Cherubinos Ezechielis habuisse quatuor facies, scilicet veram faciem leonis, aquilæ et bovis, æque ac hominis; ergo et hic Joanni visa est vera facies leonis, aquilæ et bovis, æque ac hominis. Confirmatur, quia ait : « Primum animal simile leoni, et secundum simile vitulo : » similitudo autem et forma animalium maxime spectatur ex facie. Idem diserte docet S. Dionysius, *De Cœlesti Hierarchia*, cap. XV, ubi loquens de tribus faciebus leonis, aquilæ et vituli, eas vocat effigies bestiarum, et faciei bovis assignat cornua. Rursum, in aquila notat oculorum aciem et vim, qua adverso et irretorto intuitu solem intuetur. Et cap. II, agens de aquila Ezechielis, ait eam effictam fuisse « ad aquilarum recurvis rostris effigiem. » Habebat ergo hæc aquila rostrum et faciem aquilæ, non os et faciem hominis. Denique S. Joannes dicens : « Tertium animal habens faciem quasi hominis, » hoc ipso significat primum, secundum et quartum non habuisse faciem hominis (per hanc enim tertium a cæteris distinguit), sed primum leonis, secundum vituli, quartum aquilæ. Atque hic videtur sensus Ecclesiæ, quæ hæc animalia ita concipit et passim depingit. Porro quod Prado hæc verba : « Primum animal simile leoni, secundum vitulo, » sic explicat, *q. d.* Prima facies cujusque animalis similis erat leoni, secunda vitulo, tertia homini, quarta aquilæ, convellitur ex tertio, de quo ait Joannes : « Tertium animal habens faciem quasi hominis; » quis enim hoc sic exponat, *q. d.* Tertia facies erat habens faciem hominis?

Ad *primum* respondi *Ezechiel.* I, Cherubim quadrifaciales fuisse non tam monstra, quam hieroglyphica, qualia multa vidit Daniel : sunt enim hæ visiones symbolicæ, non res veræ; uti et symbolicum Agnum accipere librum, ejusque sigilla reserare vidit cap. V. Unde non mirum si hæ leonis, bovis et aquilæ facies et ora locuta sint, et ediderint vocem articulatam et humanam. Simili enim modo Joannes, cap. VIII, vers. 13, vidit aquilam volantem et clamantem : « Væ, væ, væ habitantibus in terra! » Quomodocumque enim ea concipias, monstrosa sunt. Singula enim plena sunt oculis, et habent alas senas. Denique monstrosum est faciei et figuræ hominis addere jubas, alas et ungulas. Ad illud tertii animalis : « Habens faciem quasi hominis, » respondebo in fine hujus quæstionis.

Ad *secundum* respondeo, hæc animalia fuisse eadem cum illis *Ezech.* cap. I, quoad primariam ideam, non quoad accidentia et emblemata omnia. Alludit ergo Joannes ad illa; non tamen illa ipsa quoad omnia repræsentat. Sic sæpe S. Joannes et alii alludunt ad visiones Danielis, Ezechielis et aliorum; non tamen illæ ipsius cum hisce sunt eædem omnino, sed potius aliis et aliis partibus, vel ornamentis, pro materiæ varietate vestitæ et interstinctæ. Ezechiel ergo vidit quatuor animalia per omnia sibi invicem similia, quorumquodque habebat quaternas facies, ita ut quaternis quasi animalibus vestitum, et ex iis quasi conflatum et compactum videretur : Joannes vero hæc animalia ab Ezechiele ita composita, et in unum compacta dissolvit, atque ex uno facit quatuor, cuique dans proprium suum vultum et formam.

*Secunda* sententia est communis et vulgata, scilicet quatuor hæc animalia tota et integra talia fuisse, qualia hic nominantur, ut primum v. g. animal, quod dicitur simile leoni, habuerit caput, pectus, jubar, pedes omniaque membra leonina : sic et secundum vituli, et tertium hominis, ac quartum aquilæ : sicut cap. V, vers. 6, Christus inter hæc animalia constitutus, per omnia visus est habere formam Agni occisi, et ita passim in Ecclesiis et alibi videmus hæc animalia depicta.

Probatur hæc sententia *primo*, quia hoc plane videntur verba Joannis significare, dum ait : « Primum animal simile leoni, secundum simile vitulo, » etc. Si enim unum tantum membrum horum animalium habuissent, non recte diceretur totum animal fuisse simile leoni, vitulo, etc. Sed dici debuisset, caput v. g. et faciem animalis fuisse similem leoni, uti de suis Cherubim ait Ezechiel, cap. I. *Secundo*, quia S. Dionysius, *Cœlest. Hierar.*, cap. XIII, Seraphinis dat multos pedes. His autem similes erant Cherubini : erant ergo quadrupedes; qua figura erant sphynges Ægyptiorum, quas ex Cherubinis Salomonis fuisse depictas, docet Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromat.* *Tertio*, quia hi in Cherubinis stipabant et agebant currum Dei, *Ezech.* I, 19. Unde Cherubim per metathesim idem est quod רכובים *recubim*, id est *curules*, vel currum agentes, hocque esse genuinum etymon Cherubim, contendit Prado; erant ergo quadrupedes; erant ergo integra animalia, puta integer, et membris omnibus perfectus bos, integer leo, integra aquila, æque ut tertium animal erat integer homo. *Quarto*, quod non habuerint speciem humanam significat illud : « Tertium animal habens faciem quasi hominis, » *q. d.* In facie, et consequenter in capite, ore, collo cæterisque omnibus erat homo; alia vero non erant homines, sed pure animalia. Unde Syrus vertit, *et illud animal tertium habet aspectum* (vel effigiem, figuram, vultum, personam) *sicut filius hominis*, vel homo; favet et Josephus, qui, lib. III *Antiq.*, cap. VI, scribit Cherubinos Mosis esse animalia nova et mira specie, nec hactenus visa. Hæc expositio est plana et probabilis.

*Tertio*, non minus probabiliter et concinne, imo probabilius et concinnius Alcazar censet hæc quatuor animalia non integra fuisse, sed tantum capita animalium; quoad cætera enim membra habuisse speciem ut figuram humanam (erant enim animalia non vera et naturalia, sed symbolica et hieroglyphica); primum ergo animal habebat caput leonis, alas senas, ac plenum erat oculis; quoad pectus, femora, tibias, pedes, brachia, manus et cætera omnia erat homo; sic secundum habebat caput vituli, quartum aquilæ cum senis alis, et plenum erat oculis; quoad omnia cætera erat homo : quem tamen si quis cum Prado et Pererio in primo animali vestire velit jubis, in secundo ungula, ut similiora sint leoni et vitulo, non repugnabo.

Probatur *primo*, quia quoad primariam speciem et figuram, hæc animalia erant eadem cum illis *Ezech.* cap. I; illa autem tantum facies habebant animalium cum alis, quoad cætera erant homines : ergo et hæc.

*Secundo*, quia erant proxima Deo, præcedebantque 24 seniores : ergo erant specie humana; indecens enim et incongruum videtur, si leo, bos, vel aquila præponatur homini, præsertim apud thronum Dei. Secus est de Christo, cui Joannes non aliam formam dat quam Agni, ob causas quas afferam cap. V, vers. 6.

*Tertio*, quia significabant angelos, puta Cherubinos (unde assidue laudant Deum); hi autem dum apparent et pinguntur, speciem habent hominis, non aliorum animalium.

*Quarto*, quia cap. VI hæc quatuor animalia ordine quodque suo Joannem evocant et educunt, « Veni, inquiunt, et vide, » atque ostendunt ei quatuor equos successive, scilicet album, rufum, nigrum et pallidum, qui quatuor Ecclesiæ status futuros repræsentabant : hæ autem actiones hominum sunt, non animalium. Hinc consequenter videtur quod capita eorum, et facies eorum fuerunt humana, ita tamen ut nonnihil immutata haberent similitudinem leonis, vituli et aquilæ, ac viderentur esse facies leonis, vituli et aquilæ. Id ita esse probatur, quia non dicit Joannes : Vidi

(1) Ita ut, posito quod thronus fuerit quadratus, non ad angulos, sed ad medium quodque latus disposita fuerint animalia.

(2) « Omnia in regno Dei immensæ vitæ et motus sunt plena. Nihil mortuum, nihil vacuum in rerum natura. Symbola sunt nobilissimarum creaturarum nobis in his terris cognitarum, leo, taurus, homo, aquila. *Midrasch Tehillim*, cap. 19 : Dixit R. Abin nomine R. Abhu : Quatuor sunt, qui principatum in hoc mundo tenent. Inter omnes *homo*, inter aves *aquila*, inter pecora *bos*, inter bestias *leo*. Quilibet horum regnum habet et magnificentiam quamdam; ponuntur autem sub throno majestatis divinæ. Hoc vero cur factum est? Ut nullum ex illis se efferat in mundo, sed sciant, regnum Dei dominari in omnia (super illos esse). » Hoc Rosenmullerus ad h. l.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

leonem, vel vidi faciem leonis, sed, Vidi animal simile leoni; ergo non erat leo, sed quandam cum leone in vultu habebat similitudinem. Sic videmus, et vulgo dicimus: Hic homo habet vultum taurinum, ille leoninum, iste intuitum et nasum aquilinum, alius caninum: quomodo Achilles apud Homerum, *Iliade* α, Agamemnonem vocat κυνῶπα, id est caninum vultum habentem; sunt enim homines nonnulli ita magna fronte, ita torvo vultu, ut tauri esse videantur: alii ita ore diducto, sævo et crudeli, ut leonis; alii ita acuto, ringenti et impudenti, ut canes referre videantur. Et sic nonnulli pictores pingunt hæc animalia vultu nec plane humano, nec plane leonino, vitulino et aquilino; sed medio, id est partim humano, partim leonino, vitulino et aquilino. Magna enim inter vultum hominis, et leonis, ac vituli est similitudo, ut in picturis sæpe dubites an facies sit hominis, an animalis; ac paucis variatis facile unam in aliam transmutes, aut unam cum alia commisceas. Ita ergo et hic facies humana cum aliis commixta videtur, ut eis esset similis. Et sic hæc animalia parum habent monstri et deformitatis, quam alioqui haberent, si capiti leonis, vituli et aquilæ subderes corpus humanum. Denique in Cherubinis Ezechielis, singulorum primaria facies erat hominis, licet cum tribus aliis conjuncta; ergo et hic facies humana fuit commixta cum facie leonis, vituli et aquilæ.

Ad *primum* argumentum secundæ sententiæ responderi potest, a capite sumi denominationem animalis; est enim caput prima et potissima animalis pars. Ad *secundum*, S. Dionysius dicit Seraphinos habuisse multos pedes, quia non habuerunt unum, sed duos; binarius enim est prima species numeri, sive multitudinis, ac de eo primo dicitur, quod sit multus. Constat enim Seraphinos, *Isaiæ* vi, fuisse bipedes, non quadrupedes. Porro quod pictores hæc quatuor animalia pinxerint integra et quadrupedia, non mirum. Cum enim ipsi essent sensus S. Scripturæ imperiti, secuti sunt nuda Scripturæ verba, quæ cum dicat: « Primum animal simile leoni, » hinc leonem pinxerunt, similiter et vitulum, et aquilam. Ad *tertium*, stipatores currus sunt bipedes, non quadrupedes; sunt enim homines, puta famuli et asseclæ sui heri. Ad hæc Cherub non significat *currum*, sed multa scientia pollentem. Porro I *Paralip.* xxviii, 18, vocatur quadriga Cherubim, quia Cherubim extensis suis alis super arcam, quasi sedem et vehiculum, puta bigam sive currum (hinc enim tantum significat Hebraice *mercaba*, quod Interpres vocat quadrigam) Deo exhibebant: unde Deus dicitur inequitare et vehi super Cherubim; non autem quod Cherubim essent quadrupedes. Consentiunt enim Interpretes Cherubinos Mosis æque ac Ezechielis fuisse bipedes, non quadrupedes. Ad *quartum*, dicit Joannes: « Tertium animal habens quasi faciem hominis, » ut illud a cæteris distingueret; facie enim distinguebantur, non corpore: omnia enim habebant corpus humanum, sed capita diversa, scilicet primum habebat caput leonis, secundum vituli, tertium hominis, quartum aquilæ. Si enim dixisset: « Tertium animal simile homini, » non satis distinxisset illud a cæteris; poterat enim esse homini simile quoad figuram totius corporis excepto capite, uti erant cætera tria animalia: ut hoc tollat, claroque formam tertii exprimat, ait illud non tantum corpore, sed et facie fuisse simile homini, cum alia corpore quidem, sed non facie homini essent similia. Igitur hæc facies hominis magis confirmat, quam enervet hanc sententiam. Hinc et de aliis non ait: Habens faciem leonis, vituli, aquilæ; sed, Simile leoni, aquilæ, vitulo, quia facies proprie soli homini competit, non aliis animalibus, *q. d.* Hoc animal habebat faciem hominis totumque erat homo; cætera in vultu similia erant leoni, vitulo et aquilæ; facies ergo hominis distinguebat hoc animal a vultibus cæterorum.

Porro Josephus videtur Cherubinorum formam voluisse tegere, ut eos magis mirabiles et reverendos redderet Tito et Romanis. Sic et alibi in laudem suæ gentis nonnulla exornando super, imo contra veritatem addit. Adde fuisse mira animalia, quia erant juvenes alati: tale enim animal hactenus in orbe non est visum.

Denique eadem animalia visa fuerunt *Ezech.* cap. i, quæ Joanni hic, nisi quod Ezechieli visa sunt confusa, quaterna scilicet in unum compacta: Joanni vero clarius visa sunt distincta, divisa scilicet, et quasi dissecta. Ezechielis autem animalia tantum habebant facies quatuor animalium; cætera erant homines: ergo et quatuor hæc animalia a Joanne visa habebant tantum quatuor animalium facies, sed singula singulas; quoad cætera vero erant homines. Causa cur Ezechielis animalia quaternas habuerint facies, Joannis vero singulas, est, quia symbola rerum divinarum, quæ veteri Testamento convoluta, tecta et obscura erant, in novo Testamento divisa, discreta, plana et explicata exhibentur. Moralem causam dat Alcazar hic, pag. 377: quia, inquit, cap. vi significandum erat nos virorum Apostolicorum (hi enim mystice significantur per hæc quatuor animalia) fortitudine invitari ad clare et distincte contemplandam divinæ providentiæ fortitudinem, in primo sigillo latentem; et eorumdem beneficentia excitari similiter ad Dei beneficentiam intuendam sub secundo sigillo; æquitate, ad æquitatem in tertio; et sapientia, ad sapientiam in quarto: fortitudinis enim symbolum est leo, beneficentiæ bos, æquitatis homo, sapientiæ aquila: quorum proinde faciem et speciem divisam et distinctam habent hæc quatuor Dei animalia; unde a singulis animalibus ex ordine accersitur Joannes, ad has dotes et virtutes in sigillis totidem sigillatim intuendas. « Veni, inquiunt, et vide. » Sed de hoc inferius.



Quæres: Quidnam sint hæc quatuor animalia? Omissis insulsis hæreticorum expositionibus, qui per leonem Apostolos accipiunt, per bovem Constantinum Imperatorem, per hominem Lutherum et Calvinum, aquilam adhuc exspectant; *primo*, Aureolus existimat per ea significari ad litteram quatuor sedes Patriarchales: Leo, ait, est Hierosolymitana, ob constantiam Apostolorum ibidem. Vitulus est Antiochena, quia subdidit colla Apostolis agentibus Hierosolymæ. Homo est Alexandrina, ob viros doctissimos, ut Origenem, Clementem, Didymum, Cyrillum, Athanasium, Pantænum, Heraclam, aliosque quos partim doctores habuit, partim Episcopos. Aquila est Constantinopolitana, in qua viri magnæ contemplationis floruerunt, uti S. Chrysostomus, Nazianzenus et alii. Hæ quatuor sunt in circuitu throni Dei, id est Cathedræ Romanæ in qua sedet Vicarius Christi.

*Secundo*, Aretas hisce quatuor animalibus significari putat quatuor virtutes cardinales, in leone fortitudinem, in vitulo justitiam, in aquila temperantiam, in homine prudentiam.

*Tertio*, Origenes, homil. *in Ezechielem*, et ex eo Nazianzenus apud Sixtum Senensem, lib. II, censent per hæc quatuor animalia significari quatuor facultates et vires animæ humanæ. Homo est vis rationalis, leo irascibilis, bos concupiscibilis, aquila est conscientia, sive spiritus.

*Quarto*, Ambertus, Hieronymus, Abulensis et alii censent esse Christum, qui in incarnatione fuit homo, in passione vitulus, in resurrectione leo, in ascensione aquila.

*Quinto*, alii censent esse quatuor Doctores Ecclesiæ, scilicet hominem esse facilem S. Gregorium, leonem fortem Ambrosium, bovem laboriosum et solidum Hieronymum, aquilam sublimem Augustinum.

*Sexto*, Galfridus apud Sixtum Senensem, putat hæc quatuor esse typum boni Prælati, qui debet esse fortis ut leo, laboriosus ut bos, clemens et compatiens ut homo, contemplativus ut aquila. Sic et Pererius ac Viegas putant in quatuor hisce animalibus omnes Ecclesiæ Prælatos repræsentari.

*Septimo*, Aretas per hoc quadriforme animal accipit mundum, tam magnum, quam parvum, qui ex quatuor elementis consistit; leo enim significat ignem, bos terram, homo aerem, aquila aquam: ex aqua enim aves creavit Deus.

*Octavo*, alii opinantur hisce quatuor significari quatuor attributa divinæ providentiæ. Hæc enim fortis est ut leo, velox et penetrans ut aquila, suavis et amabilis ut homo, longanimis et patiens ut bos. Bos enim significat laborem fortem et pertinacem concertationem, ait Philastrius, lib. *De Hæresib.*, § *De quatuor animalibus*.

*Nono*, Alcazar hisce quatuor putat significari non tantum quatuor Evangelistas, sed viros sanctissimos, qui majoris sunt perfectionis et dignitatis, quam 24 seniores. Itaque, inquit, sicuti thronus Dei sunt fideles sancti, 24 seniores sunt sacerdotes: sic quatuor animalia, sive angeli Cherubini et Seraphini sunt Apostoli virique Apostolici, puta Episcopi: hi enim in cœlo terreno, id est in Ecclesia, supremum tenent gradum, suntque potestate sua proximi Deo. Hi sunt Cherubim scientia et sapientia, sunt Seraphim ardore et zelo, habent quatuor facies: *Primo*, leonis magnanimitatem et fortitudinem imperterritam. Hinc leo hebr. vocatur לביא *labi*, a לב *leb*, id est cor, quia ingens habet cor, robur et animum. Unde II *Reg.* xvii, de viro magnanimo dicitur: « Cujus cor est sicut cor leonis. » *Secundo*, iidem habent bovis beneficentiam: bos enim arando parat fruges, quin et ex bobus putrefactis apes et bombyces procreantur; bos ergo est symbolum beneficentiæ. *Tertio*, habent hominis rationem et æquitatem. *Quarto*, aquilæ perspicacitatem, sapientiam et prudentiam, qua a Deo participata comprehendunt sapientes in astutia sua: sicut « aquilarum pennæ mixtæ reliquarum alitum pennis eas devorant, » ut ait Plinius, lib. X, vers. 3. Verum hæc omnia licet apposita videantur, tamen symbolica sunt et mystica, non litteralia et genuina (1). Nam S. Joannes hæc quatuor animalia describit, quasi quatuor naturas intelligentes, quæ in cœlis beatæ coram Deo semper versentur, atque secretorum Dei consciæ Deum jugiter laudent. Quare necesse est hæc quatuor, vel esse quatuor homines beatos, vel quatuor angelos.

*Decimo*, multi putant esse quatuor Evangelistas; nam iis hanc visionem adaptat Ecclesia, dum eam legit in officio Ecclesiastico eorumdem. Atque licet varii varie iis hæc quatuor animalia adaptent, uti S. Augustinus, tract. 36 *in Evangel. S. Joannis*, tom. IX, per leonem accipit S. Matthæum, per hominem S. Marcum; alii alios, ut videre est apud Pererium, pag. 302, et Viegas: tamen plures planius sic accommodant, ut leo sit S. Marcus, cujus facies, ut habet Ezechiel, est leonis, quia principium ejus Evangelii incipit a clamore et rugitu S. Joannis, quasi leonis in deserto. Rugit enim dicens: « Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini. » Vitulus est S. Lucas, cujus principium incipit a sacerdotio veteri Zachariæ. Homo est S. Matthæus, cujus principium est humana genealogia Christi. Aquila est S. Joannes, qui a divinitate Verbi incipit. Ita S. Hieronymus et Gregorius in cap. i *Ezech.*, Victorinus, Beda, Ambrosius, Haymo et alii hic. Audi S. Ambrosium proœmio *in S. Lucam*: « Plerique, inquit, putant ipsum Dominum nostrum in quatuor Evangelii libris, quatuor animalium for-

(1) Symbolice Bossuetius: In his quatuor animalibus quatuor eximiæ Sanctorum dotes apparent, nempe animi fortitudo in leone, in bove qui fert jugum, docilis patientia, sapientia in homine, cogitationum ac desideriorum sublimitas in aquila.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

nus figurari, quod idem homo, idem leo, idem vitulus, idem aquila. Homo, quia natus ex Maria est; leo, quia fortior; vitulus, quia hostia; aquila, quia resurrectio est. »

Ubi nota *primo* : Patres docent animalia hæc quatuor totidem Christi proprietates in Evangeliis explicatas significare. Leo significat fortitudinem regiam Christi, quam maxime ostendit in resurrectione et post eam; vitulus significat sacerdotium Christi in cruce consummatum, homo humanitatem, aquila divinitatem et ascensum in cœlum.

Nota *secundo*, hæc animalia maxime discerni per facies, quia Evangelistæ maxime distinguuntur principio : aliqui in progressu eadem habent, omnesque has quatuor Christi proprietates et dignitates ostendunt et enarrant. Unde et apud *Ezechiel.* cap. I, vers. 6, singula animalia quaternas facies habere dicuntur, quia scilicet initia aliorum trium, adeoque totam narrationem aliorum, quartus quisque complectitur. Ita Primasius.

Nota *tertio*, alio ordine hæc animalia poni apud *Ezechiel.*, alio hic. Nam Ezechiel secutus est ordinem temporis, quo quisque Evangelista scripsit, scilicet *primus* est homo, id est Matthæus; *secundus* est leo, id est Marcus; *tertius* est vitulus, id est Lucas; *quartus* est aquila, id est S. Joannes. Joannes vero rerum ordinem secutus est, in quo primus est leo, id est Marcus, quia a Joannis præcursoris Christi prædicatione incipit. Sequitur Lucas, quia sacrificia vetera, a quibus Lucas incipit, typus erant Christi, et adveniente Christo ei locum cesserunt, ac cessarunt. Tertius est Matthæus, quia abdita veteri lege et sacrificiis successit fides humanitatis Christi, et per miracula ejus fides divinitatis ejusdem : humanitatis originem et seriem enarrat Matthæus, divinitatis Joannes, ac proinde Matthæus est tertius, Joannes quartus.

Verum hic sensus accommodatitius et mysticus videtur, non litteralis et genuinus. Nam ex verbis S. Joannis, certum est eum loqui de iisdem animalibus (hoc enim licet neget Isidorus Clarius, tamen communiter asserunt S. Hieronymus, Richardus, Ansbertus, Rupertus, Hugo, Prado et alii passim : vide Viegas *sect.* 12, in fine capitis hujus) de quibus Ezechiel, cap. I; atqui illi fuerunt angeli : Ezechiel enim vocat eos Cherubim, qui stipant currum gloriæ Dei : ergo et tales sunt hic.

*Secundo*, quia Joannes, quem communiter intelligunt per quartum animal, puta per aquilam, adhuc vivebat, et necdum erat Evangelista, quia necdum scripserat Evangelium : quomodo ergo visus fuit hic non tantum Evangelista, sed etiam beatus in cœlo? Respondet Ribera, hæc animalia repræsentata fuisse Joanni, non prout jam erant, sed prout futura erant in tempore novissimo, de quo prophetarit. Verum, licet prophetia ipsa sit futura, aut potius de futuro, tamen visio hujus capitis de Deo, de 24 senioribus, de quatuor animalibus enuntiantibus Joanni istam prophetiam, est præsens : ergo in hac visione Joannes videns, et visus, hoc est, et prophetans et audiens prophetiam præsens fuit, sicut Isaias, Jeremias, Daniel et alii Prophetæ præsentes erant, non futuri, cum prophetarent de futuris. Rursum cap. VI, vers. 7, Joannes audivit a quarto animali, puta ab aquila, sibi dici : « Veni et vide; » Joannes autem non potuit edoceri a seipso, præsertim præsens a futuro, nec potuit simul esse in terra et simul in cœlo.

*Tertio*, S. Matthæus, imo et Joannes sunt inter duodecim Apostolos, et consequenter inter 24 seniores; ergo non sunt inter quatuor animalia ad litteram, sed tantum mystice.

Dico ergo cum Pererio, et Hieronymo Prado in cap. I *Ezechielis*, ad litteram hæc quatuor animalia esse eadem cum iis quæ vidit Ezechiel cap. I, ac proinde esse quatuor angelos primarios, stipatores, principes et administratores Dei, circa curam Ecclesiæ, ac circa salutem ac regimen hominum totiusque mundi. Hinc affingitur eis similitudo quatuor animalium nobilissimorum, quibus significantur stemmata tum Dei, tum sua : aquila significat Dei celsitudinem et sapientiam; homo, bonitatem et mansuetudinem; bos, patientiam, justitiam, religionem et cultum : leo, fortitudinem et potentiam. Quæ quatuor Deo participant, et in se repræsentant hi angeli. Ita S. Dionysius, *Cœlest. Hierarch.* XV. Vide dicta *Ezech.* I, in fine capitis, Quæst. III. Paulo aliter hæc applicat Pererius pag. 303, in fine (1). Angelos fuisse patet, quia plane alludunt facie et forma ad Cherubinos quatuor Ezechielis, cap. I, uti dixi : illi autem erant angeli. *Secundo*, quia proximi sunt throno Dei; huic autem proxime assistunt angeli. *Tertio*, quia pleni sunt oculis, et senas habent alas; alæ autem significant angelos velocissimos. Adhæc, jugiter canunt « Sanctus; » sunt ergo instar Seraphinorum Isaiæ, ut inferius dicam. Insuper cap. VI Joannem evocant et educunt : « Veni, inquiunt, et vide, » atque ostendunt ei quatuor equos, quatuor futuros Ecclesiæ status repræsentantes. Hæc autem sunt munia angelorum, qui præsunt gubernationi Ecclesiæ : solet enim Deus Prophetis de rebus Ecclesiæ dare prophetias, eosque illuminare per angelos qui eis præsunt, uti patet ex sequent. et ex Daniele.

Dices : Cap. I, vers. 4, et *Tobiæ* XII, 15, dicun-

(1) Quatuor hi Cherubim, ait Allioli, angeli sunt, quibus a Deo datum est munus hisce in terris Christi regnum condendi ac stabiliendi. Forma igitur singulis affingitur, quæ repræsentet ac figuret Christum redemptorem, qualem hominibus præcipue sese ostendit, scil. veluti regem, mediatorem, amicum, Deum. Hinc primus Cherubim fingitur ut leo, bestiarum rex; secundus ut bos, usitatissima apud veteres hostia; tertius ut homo, qui vultus imago est Dei erga homines amoris; quartus denique ut aquila, ales Jovis ac deorum, cujus acumen omniscientiæ divinæ symbolum est.



tur non quatuor, sed septem esse spiritus sive angeli stantes ante Dominum. Respondeo : Sicut in regno et republica sæpe sunt triumviri, deinde septemviri, ita et in cœlo primi principes angeli sunt quatuor, deinde septem.

Dices *secundo* : Cap. V, vers. 9, dicunt hæc quatuor animalia : « Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo; » angeli autem non sunt a Christo redempti, sed homines. Respondeo : Id dicunt hi angeli cum aliis et pro aliis, scilicet 24 senioribus aliisque Sanctis. Loquuntur enim communi eorum voce, utpote quorum sunt custodes et curatores. Unde et redemptionis Christi gestant insignia, uti ostendi *Ezech.* I. Atque in primis bos, sive vitulus, mortem et sacrificium Christi significat. Sic legatus aliquo missus loquitur nomine, non suo, sed sui regis; et protector nomine reipublicæ : ejus enim personam et vocem subit et obit.

Dices *tertio* : Joannes cap. VII, vers. 11, dicit se cum quatuor animalibus audivisse vocem angelorum multorum; ergo ipsa non erant angeli, sed quid ab iis distinctum. Respondeo : Illi quatuor erant quasi principes aliorum angelorum, cum eis concinentium et conclamantium : sicut in choro præfectus et præcentor, quasi princeps est musicorum secum psallentium : omnes enim ipse præit et dirigit, omnesque ei succinunt et concinunt.

Censent nonnulli hosce quatuor Cherubim esse Michaelem, Gabrielem, Raphaelem et Urielem, uti dixi *Ezech.* I. Verum si illi ipsi sunt e septem spiritibus astantibus Deo, ab eoque missis, de quo dixi cap. I, vers. 4, ergo nequeunt esse e quatuor animalibus, sive Cherubinis; quia hæc hoc cap. simul Joanni visa sunt cum septem spiritibus, tanquam ab iis distincta. Nisi quis dicat in symbolica hac visione, eosdem visos esse Joanni quasi septem spiritus quatenus a Deo sunt missi, et quatuor ex eis simul visos esse quasi quatuor animalia, quatenus jugiter assistunt Deo, geruntque ejus stemmata. Nam similiter hi septem spiritus hoc cap. vocantur septem lampades, et mox cap. V, vers. 6, iidem vocantur septem cornua Agni. Simul ergo visi sunt quasi lampades et quasi cornua. Verum cum Deus abundet angelis et inter eos partiatur officia, ut cœlestis curia sit quasi castrorum acies ordinata, hinc videtur potius quod aliqui ex ipsis sint Assistentes, qui gestant Dei stemmata, illique videntur significari per quatuor animalia; alii vero sint Ministrantes, illique videntur repræsentari per septem lampades, cornua et spiritus tam Dei quam Agni. Accedit quod in sequentibus hi septem spiritus clare distinguantur a quatuor animalibus. Nam cap. VI, vers. 1 et sequent., singula quatuor animalia ad singulorum quatuor primorum sigillorum libri signati apertionem, evocant S. Joannem, ut ea intueatur; septem vero spiritus canunt septem tubis, et canendo evocant septem orbis plagas cap. VIII, vers. 2, et cap. XVI, vers. 1. Quinam ergo sint hi quatuor Cherubini, et quinam hi septem spiritus, norunt cœli cives, et nos sciemus, cum illorum aulam ingrediemur, iisque associati fruemur.

PLENA OCULIS ANTE ET RETRO. — Ezechiel, cap. I, vers. 18, oculos hosce conspexit in rotis currus Cherubici, non in ipsis Cherubinis; Joannes vero in ipsis animalibus, puta Cherubinis : licet Lyranus et ex eo noster Prado, *Ezech.* I, 18, putent Ezechielem, æque ac Joannem, vidisse oculorum multitudinem, tam in Cherubinis, quam in rotis : ex rotis enim, ubi exprimuntur, subintelligi eos quoque, imo potiori ratione fuisse in Cherubinis; ac idcirco cum in rotis non fuerint vivi et humani, sed symbolici et quasi picti, quales visuntur in cauda pavonis, hinc consequenter et tales fuisse in ipsis Cherubinis. Verum omnes alii passim veros hic accipiunt oculos : sic enim accipiuntur cap. seq. vers. 6, cum ait Agnum septem habere oculos; et tales videntur quoque fuisse in rotis Ezechielis : « Spiritus enim vitæ erat in rotis; » erant ergo quasi vivæ rotæ, ac consequenter vivos videbantur habere oculos. Dices : Oculi hi cum rotis perpetuo rotatu per terram volvebantur, ergo non erant veri, nec vivi; fuissent enim ad terram allisi et læsi. Respondet Alcazar, oculos hos terram non tetigisse, sed vel ad latera rotarum fuisse dispositos, vel introrsum fuisse positos, et quasi cancellis inclusos, ut tangi aut lædi non possent. Unde et recte hinc infert hæc animalia fuisse nuda : erant enim « plena oculis ante et retro, » qualem Poetæ finxerunt Argum.

Jam sensus est, « plena oculis ante et retro, » *q. d.* Hæc animalia, puta hi Angeli, hi Cherubini perspicacissimo sunt intellectu et cognitione, tum naturali, tum supernaturali; omnia vident, præterita et futura, ut videantur esse puri et meri oculi. Hinc sapientissimi sunt et prudentissimi in administratione mundi et Ecclesiæ. Hac enim de causa, et hoc symbolo, veteres Ægyptii pingebant Deum, Deique providentiam quasi oculum baculo aut sceptro insistentem. Multitudine oculorum, ait Andreas Cæsariensis, significatur mirifica vis, qua cœlestes beatique spiritus ad hauriendos divinitatis radios pollent.

Mystice : Prælatus, doctor, prædicator debet plenus esse scientia et sapientia, tam contemplativa, quam practica, ut instar Argi sit centoculus.

ET TERTIUM ANIMAL HABENS FACIEM QUASI HOMINIS. — Ergo facie a cæteris distinguebatur, quod scilicet hoc haberet faciem humanam, alia vero haberent faciem leonis, vituli et aquilæ : tertium ergo erat homo. Dices : Cur eum non vocat hominem, sed animal? Respondeo : Quia erat unum e quatuor animalibus : cætera enim tria erant animalia, quartum vero erat homo, qui quoque est animal, sed bipes, erectum et rationale. Adde

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hominem hunc vocari animal, quia senas habebat alas, quæ sunt animalium, puta avium; rursum plenus erat oculis, ut non tam homo, quam novum quoddam animal esse videretur.

QUARTUM SIMILE AQUILÆ VOLANTI. — « Volanti, » non actu, sed in præparatione; extendebat enim et librabat alas in suo loco consistens, quasi paratum ad volandum. « Volanti » ergo idem est, quod volaturienti, aut volare volenti et paranti.

8. SINGULA EORUM HABEBANT ALAS SENAS. — Alludit ad Seraphinos *Isaiæ* cap. VI, vers. 2. Hisce ergo quoad alas, uti et quoad voces « Sanctus, sanctus, sanctus, » similia erant hæc animalia Joannis. Quocirca, æque ut Seraphini Isaiæ, duabus velabant faciem, duabus pedes, duabus volabant, id est, habebant eas extentas quasi parati et expediti ad volandum. Vide dicta *Isaiæ* VI.

Ezechiel vidit Cherubinos quaternis tantum alis instructos, Isaias vero et Joannes senis; ubi Prado, Vilalpando et Pererius censent, tam illos Ezechielis, quam hos Joannis in alis æque ac in cæteris fuisse omnino similes, imo eosdem. Ergo Ezechielis Cherubinos præter quatuor alas habuisse duas manus, quas Joannes hic, æque ac Isaias cap. VI, vocet alas. Seraphinos enim præter alas habuisse manus patet, *Isaiæ* VI, 6, cum dicitur : « Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus. » Isaias ergo et Joannes, ipsa brachia et manus angelorum vocant alas, quia quod in homine est brachium, hoc in ave et angelo est ala. Unde et ab ala vocatur axilla id, quod sub brachio est concavum. Porro animalia Joannis præter alas habuisse manus patet cap. V. vers. 8, ubi singula tenent citharas et phialas, utique non pedibus, nec alis, sed manibus. Verum contrarium est verius, scilicet manus ab alis, æque ac animalia hæc Joannis, et Seraphinos Isaiæ a Cherubinis Ezechielis hac parte, scilicet alarum numero, distingui : Ezechielis enim erant Cherubini, Isaiæ erant Seraphini vere et proprie dicti; Ezechielis quaternas habebant alas, Isaiæ vero et Joannis senas. Præter alas tam illi Ezechielis, quam hi Isaiæ et Joannis, habebant sua brachia et manus, uti patet ex locis et versibus jam citatis. Ita Alcazar, qui et addit, duas alas quibus vultum tegebant, fuisse in modum crucis insertas et conjunctas, uti pingitur Seraphinus qui sacra Christi crucifixi stigmata S. Francisco infixit. Similiter Prado censet, duabus imis alis in modum crucis collatis, tecta fuisse eorum femora; itaque repræsentasse, imo gestasse crucem, quasi stemma et insigne Christi.

Porro senarius symbolum est perfectionis : significant ergo senæ alæ in angelis hisce quatuor, v... volandi perfectissimam, scilicet *primo*, summam eorum quaquaversum agilitatem; *secundo*, mentis elevationem, et perspicaciam ad penetrandas res altissimas et profundissimas in Deo; *tertio*, celerrimam erga Deum obedientiam et executionem.

Allegorice, Victorinus putat per senas alas quatuor animalium, id est per 24 alas (sexies enim quatuor sunt 24) significari 24 libros veteris Testamenti, quibus nititur et volat per totum orbem fides et prædicatio novi Testamenti. Addit Ambrosius sedilia 24 seniorum, id est 24 libros veteris Testamenti, in quatuor animalibus novi Testamenti conversos esse in alas, quia jam spiritualiter intelligimus ea quæ Judæi carnaliter intelligebant, sicque evolamus ad res divinas.

Tropologice, Joachim : Quatuor animalia sunt quatuor ordines et status in Ecclesia. Leo significat fortitudinem fidei Apostolorum, bos invictam patientiam et victimam Martyrum, homo Doctorum sapientiam, aquila Virgines angelice viventes, et Religiosos contemplationi addictos : hi duabus alis, scilicet pœnitentia et misericordia, velant pedes et confusionem suam; duabus, scilicet humilitate et patientia, velant faciem suam, et laudem bonorum operum suorum; duabus, scilicet fide et spe, volant ad cœlestia : habent oculos undique, quia omnia prospiciunt; ante et retro, quia præterita deflent, futura bona et mala æterna provident.

IN CIRCUITU. — Multa Biblia hæc aliter dispungunt, nectuntque præcedentibus hoc modo : « Habebant alas senas in circuitu, et intus plena sunt oculis. » Verum Romana utrumque referunt ad sequentia, et legunt : « In circuitu et intus plena sunt oculis. » « Intus, » id est, intra alas, *q. d.* Tam intra alas quam extra, tam intrinsecus quam extrinsecus plena sunt oculis. Itaque opponit τὸ *in circuitu* ei quod sequitur, *intus*. Cum ergo « intus » idem sit quod interius, intrinsecus, intra alas, sequitur τὸ *in circuitu* idem esse quod exterius, extra alas, forinsecus, circumcirca. Addit Alcazar forte Joanni revelatum fuisse animalia præter oculos multiplices, quos habebant ante et retro, etiam interius plena esse oculis, qui, si intima nudarentur viscera, apparerent et viderentur. Hæc omnia significant Cherubinos quaquaversum esse perspicacissimos et providentissimos, ut non nisi oculi esse videantur.

Denique pedes Cherubinorum omnium Ezechielis erant vitulini, id est ungulam fissam habentes instar vituli : tales fuisse et horum animalium Joannis, æque ac Seraphinorum Isaiæ pedes contendit Hieronymus Prado. Verum nihil tale ait Joannes, vel Isaias; licet enim in multis Cherubini Seraphinis fuerint similes, tamen in multis quoque fuere dissimiles. Quare si cum Alcazar et Prado dicamus hæc animalia fuisse humana specie, excepta facie, congruentius videtur dare eis pedes humanos, non vitulinos : tales enim sunt hominum et angelorum, cum apparent aut pinguntur; talesque habuerunt Cherubini supra arcam in tabernaculo Mosis.

Hæc ergo fuit figura et idea horum quatuor animalium : erant corpore et specie humana, ac consequenter et capite et facie humana, ut videtur : sed nonnihil inflexa et immutata, ita ut primi facies accederet ad similitudinem faciei leoninæ, essetque similis leoni; secundi vitulo, quarti aquilæ, tertii vero tota plane et perfecte erat humana : hæc enim species videtur decentior; *secundo*, reliqua corporis parte plane erant homines, bipedes scilicet et statura erecta; *tertio*, alas habebant senas, duabus velabant caput, duabus pedes, duabus volabant; *quarto*, ante et retro, sub alis et extra circumcirca plena erant oculis; *quinto*, habebant manus, et in manibus phialas et citharas, cap. V, vers. 8; *sexto*, non habebant requiem, sed jugiter canebant Deo : Sanctus, sanctus, sanctus; *septimo*, erant proximi throno Dei, eumque a quatuor lateribus stipabant et ambiebant; *octavo*, stabant quasi volaturientes, parati ad omnem Dei nutum, avidique ad volandum, ut Dei jussa statim exequerentur.

Hinc sequitur inter animalia Joannis et Cherubinos Ezechielis esse sextuplex discrimen : *Primum*, quatuor facies in singulis animalibus vidit Ezechiel, Joannes tantum unam; *secundum*, apud Ezechielem prima facies erat hominis, secunda leonis, tertia bovis, quarta aquilæ : apud Joannem prima facies est leonis, secunda bovis, tertia hominis, quarta aquilæ; *tertium*, hæc Joannis uti et Seraphim Isaiæ, pedes habebant hominum, illa Ezechielis vitulorum; *quartum*, hæc Joannis, uti et Isaiæ, habebant senas alas : illa Ezechielis, quaternas : carebant enim duabus, quibus priora vultum tegebant; pergebant enim ad bellum, puta ad excidium Hierosolymæ : ergo oculos apertos habere debebant, ut hostem cernerent et ferirent : hæc vero adorant et laudant Deum, unde ex reverentia tantæ majestatis velant oculos; *quintum*, hæc Joannis erant in ipso throno Dei, et in ejus circuitu : illa Ezechielis habebant super caput firmamentum, quasi scabellum pedum Dei; *sextum*, hæc Joannis binas habuerunt manus, illa Ezechielis quaternas.

REQUIEM NON HABEBANT. — Græce οὐκ ἔχουσιν, id est, *non habent*, quasi dicat : Vidi quod hæc animalia sine cessatione jugiter laudabant Deum, contenta mente et voce clamando : Sanctus, sanctus, sanctus; quia hi angeli assidue toto corde et ore prædicant et celebrant SS. Trinitatem. Idem faciunt quatuor Evangelistæ, quos allegorice hæc quatuor animalia, puta hi quatuor angeli, repræsentant. Nam in cœlis per seipsos, in terris per quatuor sua Evangelia non aliud quam fidem, amorem, cultum et laudem SS. Trinitatis hominibus concinunt et apprædicant. Vide quod sit officium, quæ occupatio angelorum? quid jugiter faciant? non aliud sane quam laudare Deum. Hoc Ecclesia imitatur in perenni psalmodia, dicitque cum Psalte : « In conspectu angelorum psallam tibi; » hoc faciunt pii et sancti, qui semper corde et ore canunt : « Benedicam Dominum in omni tempore, » quorum vita est continua Dei laus. Hi sunt angeli terrestres : Dei enim laus est juge et otiosum angelorum negotium, ac negotiosum otium.



Angelici ergo ordinis sunt, qui semper laudant Deum. Sunt in Ecclesia pœnitentes, sunt qui vacant operibus misericordiæ, sunt qui docent, sunt qui regunt; sed in summo gradu positi sunt, qui assidue tam in adversis, quam prosperis, laudant Deum. Quinimo angeli id ipsum nos docuerunt, scilicet psallere, canere : Sanctus, sanctus, sanctus; vel, quod quasi idem est, canere : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. » Summa enim SS. Trinitatis gloria, est summa ejusdem sanctitas. Nam, uti narrat Socrates, lib. VI, cap. XXXVI, cum Constantinopoli Ariani odas suæ hæreseos canerent, dicentes : « Ubi sunt, qui tria unam dicunt esse potentiam? » S. Joannes Chrysostomus instituit, ut Orthodoxi ex adverso canerent trisagion et homousion, idque alternatim, uti in Choro fit. Subdit deinde Socrates : « Dicendum autem et hoc, unde consuetudo responsoriorum hymnorum in Ecclesia initium cepit. Ignatius, Antiochiæ Syriæ tertius ab Apostolo Petro Episcopus, una cum Apostolis aliquando conversatus, visionem angelorum per responsorios hymnos S. Triadem laudantium vidit, et modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ tradidit; unde et ad omnes Ecclesias ista traditio manavit. Et hæc est ratio hymnorum responsoriorum, » id est eorum qui alterne canuntur per antiphonas, uti fit in choro. S. Ignatius ergo est auctor psalmodiæ alternæ, sive chori. Itaque sicut angeli in cœlis, ita fideles et Sancti in hac vita, quasi angeli terrestres, jugiter canunt : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » sive ter Sanctus; canunt, inquam, toto corde, ore et opere, toto affectu et spiritu, quasi dicant :

Si mihi sint linguæ centum, sint oraque centum,

imo si solus haberem omnium hominum et angelorum ora et linguas; si cor haberem tam amplum et vastum, ut caperet corda omnium animalium et omnium creaturarum : illud et illa tota, quot quantaque essent, in SS. Trinitatis doxologiam expromerem et effunderem, quia omnis hæc laus pro ejus dignitate et merito exilis esset, et nullius pretii. Qui ergo vult æmulari et inchoare angelorum vitam, officium et felicitatem, terrena transcendat, omnia tam felicia quam infelicia nihili æstimet, in cœlis conversetur, ibique cum sanctis angelis perpetim celebret et glorificet Deum et SS. Trinitatem, dicatque cum S. Paulo, *Rom.* XI : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen. » Noster P. Nicolaus Serarius piam et eruditam doxologiæ hujus, « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » explicationem edidit, qua simul praxim docet eamdem per modum rosarii recitandi et iterandi; ut, sicut in ro-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sario Beatæ Virginis recitamus quinquagies « Ave Maria, » et quinquies « Pater noster, » in rosario SS. Trinitatis recitemus quinquagies « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » et quinquies « Pater noster, » ut ita continenter eamdem glorificemus

Rursum S. Basilius explicans *Psalm.* XXXIII, 1 : « Semper laus ejus in ore meo, » quærit quomodo semper, etiam in somno, cibo, opere, possimus laudare Deum ? ac respondet dupliciter : *Primo*, « Cogitatio, inquit, quæ de Deo semel impressa est, et velut sigillo obsignata in præcipua animæ parte, nimirum in mente, potest laus Dei recte appellari semper in anima existens; *secundo*, si faciet cuncta ad Dei gloriam, ita ut facta dictaque ipsius omnia, omnisque spiritualis operatio vim laudis habeant. Sive enim bibat justus, sive edat, sive quid aliud agat, omnia ad Dei gloriam facit. Talis etiam cum dormit, cor vigilat, juxta verbum dicentis in *Cantic.* : « Ego dormio, et cor meum vigilat. Quasi enim tenor quidam soni semel editi, ac diutius auribus insonantis, sunt illa quæ per somnum recurrunt imagines conceptæ interdiu cogitationis. »

SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS. — Alludit S. Joannes ad Seraphinos Isaiæ; hisce enim quoad alas et voces similia erant hæc quatuor animalia, sicuti quoad quaternas facies similes erant Cherubinis Ezechielis. Videtur enim Joannes utramque visionem, scilicet tam Ezechielis, quam Isaiæ connectere, et sua hac una complecti.

Nota *primo* : Pro *Sanctus, sanctus, sanctus*, hebr. *Isaiæ* VI, 3, est קדוש קדוש קדוש *cados, cados, cados*, quod significat id quod ob suam puritatem a rebus immundis et profanis, imo a cæteris, puta a creatis omnibus, separatum et sanctum, ideoque summe venerandum et adorandum est; radix enim קדש *cadas*, significat separare, ac esse separatum, sanctum ac sacrum.

Hinc Græcum ἅγιος, id est *sanctus*, ait Origenes, et ex eo Beda, dicitur quasi α, id est *sine*, γῆ, id est *terra*. Verum sic dicendum esset ἄγιος spiritu leni, non ἅγιος, aspirate. Potius ergo ἅγιος idem est quod ἅζιος, id est colendum et venerandum, puta numen aut numinis particeps.

Latinum *sanctus* deducitur a sancire, id est sanguine victimæ firmare, uti eodem veteres firmabant sua pacta et fœdera : quia vero ita sancte et religiose inita ac confirmata violare nefas erat, hinc sanctum idem est quod integrum, incorruptum, intemeratum et inviolabile.

Sanctus ergo Deus Pater, sanctus Deus Filius, sanctus Deus Spiritus Sanctus. Hinc trisagium hoc quotidie in sacrificio usurpat et celebrat Ecclesia. Vide dicta *Isaiæ* VI, 3.

Porro in hoc trisagio mysterium Sanctissimæ Trinitatis repræsentari docent S. Basilius, Epiphanius et alii quos citat et sequitur Leo Castrius, *Isaiæ* VI. Item Damascenus, Felix Papa, Concilium Chalcedonense et Constantinopolitanum secundum, quod fuit generale quintum, hac de re celebratum contra Petrum Gnapheum, qui trisagio addebat : « Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis. » Pro Trinitate enim volebat inducere quaternitatem : ponebat enim duos filios, unum immortalem, alterum mortalem et crucifixum.

Triophthalmos cum onyche nascitur, tres hominis simul oculos exprimens, ait Plinius, lib. XXXVII, cap. XI. Triophthalmos tres oculos habens commixtos, et una luce fulgentes, symbolum est Sanctissimæ Trinitatis, quam S. Nazianzenus in Odis vocat φῶς ἓν τρίλαμπες, id est, *lux una triplici face* (quasi oculo) *collucens*.

Nota : Sanctitas est ipsa justitia, rectitudo et perfectio mentis; hæc autem consistit in conformitate voluntatis et actionis cum lege æterna, quæ est in mente Dei : ex adverso peccatum, quod directe contrarium est sanctitati, non est aliud quam difformitas et prævaricatio legis æternæ. Sicut enim perfectio naturalis rerum consistit in eo, quod res quælibet sit commensa suæ regulæ, puta ideæ, juxta quam est facta : ita perfectio moris consistit in commensione et adæquatione voluntatis cum lege æterna, juxta quam oportet operari. Sicut enim idea in mente Dei est mensura perfectionis naturalis cujusque rei creatæ : ita lex æterna in mente Dei, est mensura perfectionis moralis et sanctitatis naturæ rationalis in omnibus operibus bonis. Is enim perfectus est et sanctus, cujus volitiones et actiones plane conveniunt cum lege æterna. Quocirca cum voluntas divina idem sit cum mente divina et lege æterna, sequitur quod ipsa essentialiter sit sanctitas increata et infinita, adeo ut sanctitas creaturarum, puta angelorum et hominum omnium, ad divinam comparata, sit instar nihili, et veluti impuritas quædam : sicut entitas, potentia, sapientia, dominium creaturarum comparatum cum entitate, potentia, sapientia, dominio Dei, est tantum umbra entitatis, potentiæ, sapientiæ, dominii. Unde Christus, *Matth.* XIX : « Quid me interrogas de bono ? unus est bonus Deus. » Et in doxologia Missæ : « Tu solus Sanctus, tu solus Dominus. »

Hinc *secundo*, sanctitas est ipsa innocentia et puritas ab omni labe, inquit S. Dionysius, cap. XII *Divin. Nom.*; et Apostolus, I *Corinth.* VII, ait virginem esse sanctam, id est castam puramque corpore et spiritu; sicut enim labes et macula moralis consistit in difformitate actionis a lege æterna : ita moralis pulchritudo, puritas et sanctitas consistit in conformitate actionum cum lege æterna. Quocirca Deus est sanctus, quia est purissimus spiritus. Hinc angeli, quia hanc puritatem præ cæteris participant, sunt sanctissimi; homines quoque quo magis a contactu, adhæsione et amore rerum terrenarum, utpote fæculentarum, sordidarum et vilissimarum, mentem avocant, eamque ad Deum et divina attollant et traducunt, eo sunt fiuntque sanctiores. Sanctitas enim consistit



in contactu et amore rerum divinarum, utpote spiritualium et purissimarum, puta in conjunctione cum Deo. Hæc etiam facit homines spiritales, cœlestes, angelicos et divinos.

Hinc *tertio*, sanctitas est ipsa mentis integritas, ipsa virtus, præsertim charitas, ipsa gratia, ipsa gloria : hæc enim omnia commensa sunt legi æternæ. Hac de causa *Psal.* CXLIV, dicitur Deus « justus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, » quia in omnibus insignem aliquam virtutem ostendit, nimirum vel misericordiam et beneficentiam, vel justitiam et scelerum vindictam. Sic Deus in opere incarnationis et redemptionis hominum ostendit se sanctissimum, id est summe misericordem et beneficum : utpote qui quasi oblitus tot offensarum et injuriarum hominum, ad eos sanctificandos sibique reconciliandos miserit Filium suum in carnem, imo in mortem crucis, quod maxime spectant hi Seraphini Isaiæ et Joannis. Hoc est quod ait Psaltes : « Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus, » *Psalm.* XCV, 6. Et Moses *Exodi* XV, 11 : « Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia ? » Jam quia charitas et amor divinus est sanctitas, hinc, sicut duplex est amor divinus, nimirum essentialis, communis tribus personis, et notionalis, proprius singulis : ita duplex est et sanctitas. Nam Pater et Filius immenso amore se invicem amantes, producunt amorem notionalem, eumque sanctissimum : qui proinde nuncupatur Spiritus Sanctus, quia Pater et Filius, ejus productores et spiratores, sanctissimi sunt, et per castissimum ac sanctissimum amorem eumdem producunt et spirant.

Huic sanctitati divinæ et immensæ, quasi numini sacratissimo, summam debemus reverentiam, cultum et latriam per sacrificia, preces, oblationes, vota, etc.; summam item gratitudinem, amorem et obsequium, quod nos peccatores peccato liberarit, et suæ sanctitatis per Christum participes effecerit; insuper summam imitationem : vult enim Deus nos imitari ejus, non omnipotentiam, omniscientiam, magnificentiam, etc., sed bonitatem et sanctitatem. Hoc enim nos facit justos, sanctos, gratos Deo, imo filios et hæredes Dei. Hinc sancit ipse *Levit.* XI : « Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. » Et Christus *Matth.* V, 48 : « Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. » Et Apostolus, *Hebr.* XII, 14 : « Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. » Quare licet mundus sit velut templum quoddam divinitatis ipsius præsentia sanctificatum, ut ipsam ubique præsentem, omnia creantem, sustentantem, providentem, exornantem spectemus, ubique veneremur, laudemus et celebremus, semperque in ejus præsentia velut in sacro quodam templo nos versari cogitemus : tamen proprie et potiori ratione templum Dei est anima sancta, juxta illud Apostoli : « Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus, » II *Corinth.* VI, 16.

Quocirca sæpe in fundum animæ recipere nos debemus, ibique Deum per gratiam præsentem et inhabitantem, seposita omni alia cogitatione et cura, pro modulo nostro sancte colere et venerari. Sanctitas enim animæ est fides, spes, charitas, religio, oratio, patientia in adversis, continentia, cæteræque virtutes. Unde S. Gregorius, lib. VI, in cap. XVI, lib. I *Regum* : « Sanctificatio, ait, corporis pudicitia est, sanctificatio mentis charitas et humilitas. » Huc nos invitat et excitat aurea sententia S. Basilii, homil. *De Spiritu Sancto* : « Deus, inquit, est quisque Sanctorum. Dictum enim illis a Deo est : Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes; et : Deus deorum (utique sanctorum) locutus est, et videbitur Deus Deorum (videlicet sanctorum) in Sion. Necesse est autem divinum esse spiritum, et ex Deo esse, qui diis divinitatis est causa. » Et S. Bernardus, epist. 23 *ad Atonem.* : « Deus, ait, cum sit mirabilis in majestate sua, etiam in Sanctis suis gloriosus apparere dignatur, ne solus habeat gloriam. » Idem *serm.* 25 inter parvos : « Tria, ait, sunt quæ faciunt hominem sanctum : victus sobrius, actus justus, sensus pius, etc. Tria sunt quæ mortem Sanctorum faciunt pretiosam : quies a labore, gaudium de novitate, securitas de æternitate. » Denique ad hoc venit Sanctus sanctorum Christus Dominus in mundum, ut « serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris, » *Lucæ* I, 75. Nostrum ergo est sancta vita sanctificare sanctitatem divinam, omnesque ad eamdem sanctitatem exhortari et traducere, itaque sanctissimum Dei nomen et gloriam apud omnes toto orbe propagare et celebrare. Hæc est vera et consummata sanctitas.

Symbolice, trisagion non solum continet mysterium SS. Trinitatis, sed totum Apostolorum Symbolum, totamque Evangelicam doctrinam. Cum enim Seraphini Patri æterno acclamant, « Sanctus, » significant sanctitatem Patris ostendi in mundi creatione; cum « Sanctus » acclamant Filio, significant ejus sanctitatem in mundi redemptione; cum « Sanctus » acclamant Spiritui Sancto, significant eum esse sanctificatorem et beatificatorem Ecclesiæ, quia in hisce tribus, creationis, redemptionis et sanctificationis operibus (ad quæ referuntur duodecim articuli Symboli totumque Evangelium) apparet trina sanctitas trium personarum; atque quia in his apparet omnipotentia Dei, ejusque universale dominium, hinc additur ab animalibus : « Dominus Deus omnipotens. » Ita Alcazar. In Lauretano et Hispano exemplaribus ἅγιος, id est *sanctus*, novies repetitur, forte ut significetur cuilibet trium personarum acclamari ter « sanctus; » nam quælibet est ter sancta, id est sanctissima, uti et terque qua-

terque beata, id est beatissima, ut significetur τὸ *sanctus* Sanctissimæ Trinitati acclamari a novem, id est ab omnibus Angelorum choris. Sed vera lectio est ut tantum legatur ter « sanctus, » ut legitur *Isaiæ* VI.

QUI ERAT, ET QUI EST, ET QUI VENTURUS EST. — Vide dicta cap. I, vers. 4; hic tamen mutatur nonnihil ordo, nam cap. I, præponit τὸ *qui est* : ait enim : « Qui est, qui erat, et qui venturus est. » Causam transpositionis dat Alcazar : Cap. I, inquit, hoc nomine trino notatur Dei providentia circa Ecclesiam, *q. d.* Jam revera « est » redemptor, qui olim « erat » promissor et figurator, et tandem « venturus est » ut opus suum plene perficiat. Hic autem agitur de mysterio et doxologia SS. Trinitatis : unde oportuit exordiri a τὸ *qui erat*, qui est Pater : hic enim est antiquus dierum, qui erat ante mundum, et ante omnia sæcula. Rursum ordo illorum trium operum, quæ tribus personis attribuuntur, hic est, creatio, redemptio et perfecta sanctificatio. « Qui erat » refertur ad creationem; « qui est, » ad redemptionem, « et qui venturus est, » ad Ecclesiæ sanctificationem, vel potius beatificationem et glorificationem, uti dixi cap. I.

9. ET CUM DARENT ILLA ANIMALIA GLORIAM, ET HONOREM, ET BENEDICTIONEM, — clamando : « Sanctus, sanctus, sanctus; » hæc ergo tria, « gloria, honor et benedictio, » idem sunt quod trisagion, sive ter « sanctus. » Hoc enim Sanctissimæ Trinitati ingeminando, eamdem summe glorificabant, honorabant et benedicebant, hoc est, laudabant et celebrabant.

VIVENTI IN SÆCULA SÆCULORUM, — *q. d.* Qui non tantum in sese vivit, sed et est ipsa vita increata et æterna, ac causa vitæ omnium Angelorum, hominum et animalium : vitæ, inquam, tum naturalis, tum supernaturalis per gratiam, tum gloriosæ et beatæ. Hoc est quod dicitur *Joan.* I, 4 : « In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. » Et *Psalm.* XXXV, 10 : « Apud te est fons vitæ. »

10. PROCIDEBANT VIGINTI QUATUOR SENIORES ANTE SEDENTEM IN THRONO, ET ADORABANT. — Alcazar per adorationem accipit sacrificium Missæ. Nam 24 seniores, inquit, sunt sacerdotes Ecclesiæ, qui per mare vitreum, id est per pœnitentiam, se parant ad hoc sacrificium, quod præstantissimam Dei adorationem et SS. Trinitatis glorificationem continet, ob victimam pretiosissimam et Deo gratissimam quæ ei offertur, scilicet ipse unigenitus ejus Filius; unde in Canone vocatur « sacrificium laudis. » Hic sensus mysticus est, non litteralis. Nam ad litteram loquitur de primariis Sanctis utriusque Testamenti, qui jam beati in cœlo vident, adorant et celebrant Deum, tresque divinas personas.

Nota hic triplicem reverentiæ gestum, qui miram seniorum humilitatem et venerationem denotat : nam *primo*, procidunt et projiciunt faciem suam in terram quasi humum osculaturi; *secundo*, adorant; *tertio*, mittunt coronas ante Deum. *Primum* significat alacrem festinationem et profundam reverentiam; *secundum*, justum et Deo debitum latriæ cultum; *tertium*, integram animi veritatem, sinceritatem et gratitudinem, dum suas coronas omnemque dignitatem exuunt, et quasi a se abdicant, atque Deo, quasi vero earum Domino, resignant et reddunt.

MITTEBANT (Syrus, *proficiebant*; Arabicus, *demittebant, relinquebant*) CORONAS SUAS ANTE THRONUM — tanquam regnum suum quod in cœlo adepti sunt, victorias, triumphos et coronas suas Deo acceptas ferentes : sicuti Romani triumphatores conscendebant Capitolium, et post triumphum coronas triumphales dicabant Jovi Capitolino, quasi earum auctori, teste Alexandro ab Alexandro, lib. VI *Genial.*, cap. VI. Ita Rupertus hic, lib. IV, sub finem : « Considerantes, inquit, quod non suis meritis, sed gratiæ prævenientis et subsequentis misericordia coronas assecuti sunt, etc., non ipsi suam dignitatem parvi faciunt, et totum quod meruerunt, cum humili reverentia illi attribuunt. Mittunt ergo ante thronum coronas suas, id est, quidquid virtutis, quidquid habent dignitatis, Deo cum gratiarum actione offerunt. » Sic Pontifex in sua tiara insculptum gestabat, « Sanctum Domino, » quasi diceret : Omnis mea sacerdotalis dignitas, omnis mea pontificalis consecratio et sanctitas, a Deo mihi obvenit; unde publice et jugiter profiteor hanc meam sanctitatem pontificiam non esse meam, sed Dei, imo me ad hoc consecratum esse pontificem, ut jugiter Dei sanctitatem quam in se habet, et mihi, ac per me aliis communicat, prædicem et celebrem. Discant ab hisce 24 senioribus, qui reges sunt in cœlis, reges et principes terreni suas opes, sceptra et regna Deo accepta referre et offerre, ut iis ad Dei voluntatem, obsequium et cultum utantur : sic felices erunt et longævi, imo æterni, uti eis Deus promittit *Deuter.* XVII, 14, *Sapient.* VI, 22. Quocirca « antiquitus » inquit Plinius, lib. XVI, cap. IV, nulla corona nisi Deo dabatur. Ob id Homerus cœlo tantum eas, et prælio universo tribuit : viritim vero ne in certaminibus quidem ulli. » Alcibiades apud Platonem, *dialog.* 3, postquam Socrati coronam obtulit, ait se diis coronas, et omnia quæcumque dari solent, dedicaturum, si viderit illum diem, quo illa fiant quæ a Socrate dicta sunt. Hinc Tertullianus, lib. *De Corona milit.*, docet Christianos non debere uti coronis, quia iis usi sunt « quos sæculum deos credidit. » Corona enim *primo*, symbolum est perfectionis et complementi. Deus autem solus est perfectissimus, rerumque omnium coronis et complementum. *Secundo*, victoriæ et triumphi; *tertio*, sanctitatis; *quarto*, imperii et regni; *quinto*, majestatis et gloriæ : quæ originaliter et plene soli Deo competunt, et ab eo per rivulos derivantur et communicantur creaturis, præsertim Sanctis. Ita coronas binas ad S. Cæciliam et S. Valerianum ex liliis et rosis contextas, e cœlo detulit angelus, quasi virginitatis et martyrii laureas, ac indices Christi, « cujus in rosis sanguis floreseit, et cujus in liliis corpus albescit, » dicens : « Istas coronas immaculato corde et mundo corpore custodite, quia de Paradiso Dei eas ad vos attuli. » Ita habent Acta S. Cæciliæ, et ex iis S. Althelmus, *De Virgin.*, XXIII. « Certent nunc singuli, accipiant coronas, vel de opere candidas, vel de passione purpureas, » ait S. Cyprianus, *epist.* 9.

Porro alludit hic S. Joannes ad lib. IV *Esdræ* II, vers. 46, ubi Esdras vidit juvenem pulcherrimum, scilicet Filium Dei, capitibus Sanctorum imponere coronas, de qua eleganti visione plura dicam cap. VII, 13.

Ita ad litteram merita sua, eorumque coronas Deo obtulerunt et resignarunt omnes Sancti. Isaias, cap. XXVI, vers. 12 : « Domine, inquit, dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis. » Jeremias, cap. XVII, vers. 14 : « Salvum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es. Et ego non sum turbatus te pastorem sequens : et diem hominis non desideravi, tu scis. » Regius Propheta, *Psal.* XV, 5 : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. » Et *Psal.* CXIII, 9 : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Et *Psal.* LXI, 8 : « In Deo salutare meum (salus mea), et gloria mea : Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. » Et *Psal.* III, 3 : « Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. » Porro ejus filius, et in regno successor Salomon, I *Paralip.* XXIX, 11 : « Tua, inquit, est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria, et tibi laus; cuncta enim quæ in cœlo sunt et in terra, tua sunt : tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes. Tuæ divitiæ et tua est gloria, tu dominaris omnium : in manu tua virtus et potentia : in manu tua magnitudo et imperium omnium. » *Daniel.* cap. IX, vers. 7 : « Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio faciei : tibi misericordia et propitiatio. »

Sic et B. Virgo : « Magnificat, inquit, anima mea Dominum, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. » Et Judith, occiso Holopherne, cap. XVI, vers. III : « Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. » Et Moses cum Hebræis transito mari Rubro, et demerso Pharaone, *Exodi* XV, vers. I : « Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare. Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem, » etc.

Et S. Petrus, *epist.* I, cap. I, 3 : « Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis. » Et S. Jacobus, cap. I, vers. 17 :



« Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum. » Et S. Paulus, *Ephes.* cap. I, 3 : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. » Et II *Corinth.* IV, 7 : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. »

Ita S. Agnes in flammis constituta, coronam virginitatis et martyrii Deo resignavit, dicens : « Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini nostri Jesu Christi, benedico te, quia per Filium tuum unigenitum evasi manus hominum impiorum, et spurcitias diaboli impolluto calle transivi. Benedico te, Pater prædicande, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te venire permittis. Ecce jam quod credidi, video; quod speravi, jam teneo; quod concupivi, complector. Te confiteor labiis et corde, te totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio, vivum et verum Deum. » Ita refert S. Ambrosius, lib. IV, *epist.* 34.

Ita B. Agatha cum abscissionem mamillæ, carcerem, ignem, etc., vicisset, jam agens animam expansis in cœlum manibus : « Domine, ait, Jesu Christe, magister bone, gratias tibi ago, quia me fecisti vincere tormenta carnificum : jube me, Domine, ad te, quem ineffabiliter sitio, et ad tuam immarcescibilem gloriam feliciter pervenire. » Nam, ut ait S. Augustinus, quid sunt aliud nostra opera bona, nisi Dei dona? Cum ergo Deus nostra bona, quid nisi sua dona coronat? Hæc est veritas, per quam fugatur gloriæ vanitas. Sancti enim, dum vident in se quid boni, vident pariter id esse a Deo, non a seipsis : unde non superbiunt, sed magis sub Deo se humiliant. Dicamus ergo jugiter cum Psalte, *Psalm.* CII : « Benedic, anima mea, Domino; et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus. » Ubi S. Augustinus : « Gaudeamus, ait, quia nos vicimus. Qui in nobis victi sumus, in illo (Deo) vicimus : ergo coronat te, quia dona sua coronat, non merita tua. » Hæc est vera sapientia, si noris quid sis ex te, quid ex Deo, quid in te sit tuum, quid Dei. Ex te es abyssus nihili, ignorantiæ et peccati. Ex Deo es homo, sapiens, sanctus, etc. Hæc ergo da Deo, illa tibi. Quo clarius hoc perspexeris, et plenius effeceris, eo sapientior et sanctior, æque ac humilior evades.

11. DICENTES : DIGNUS ES, DOMINE DEUS NOSTER, ACCIPERE GLORIAM, ET HONOREM, ET VIRTUTEM. — Sicut quatuor animalia trisagion cecinerunt Deo, ita ad eorum imitationem idem hic canunt 24 seniores (unde Græca quædam exemplaria hic addunt : « Quia sanctus es »). Nam « virtus » hic idem est quod benedictio et laus virtutis, per metonymiam. Sicut cap. V, vers. 12, dicitur : « Dignus est Agnus accipere virtutem et divinitatem, » id est laudem et doxologiam suæ virtutis et divinitatis. Pro *virtutem* græce est δύναμιν, id est fortitudinem, *q. d.* Dignus es, Domine, qui ex ore nostro, et omnium hominum et Angelorum accipias confessionem et laudem tuæ immensæ potentiæ et fortitudinis, qua omnia creasti, quaque nos aliosque fideles nobis subditos, victores effecisti : dignus es ut hæc tua virtus et robur ab omnibus laudetur et celebretur. Græca plures Dei titulos continent. Habent enim : ἄξιος εἶ, ὁ Κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν ὁ ἅγιος, id est, *dignus es, Domine ac Deus noster sancte, accipere*, etc.

QUIA PROPTER (per) VOLUNTATEM TUAM ERANT (*erant*, id est fuerunt, extiterunt, suam essentiam et existentiam acceperunt, dum, ut sequitur, ex nihilo facta) ET CREATA SUNT, — τὸ enim *et* est exegeticum, explicatque τὸ *erant*, quasi dicat : « Erant et, » id est, « creata sunt. »

Alii : « Erant, » inquiunt, id est, conservata sunt et conservantur, quasi ob duplex beneficium, scilicet creationis et conservationis, gratias agant Deo ; sequitur enim : « Et creata sunt. »

*Secundo* complures pro ἦσαν, id est *erant*, legunt εἰσί, id est *sunt* ; quæ lectio facillima et planissima est. Ita legit et Vatablus, Erasmus et multi alii.

*Tertio*, Ansbertus : « Erant, » inquit, creaturæ ante creationem in æternis mentis divinæ ideis, in æterno Dei decreto, quo ab omni ævo decreverat, ut in tempore a se crearentur. Unde hujus decreti executionem subdit dicens : « Et creata sunt. »

*Quarto*, Alcazar τὸ *erant* refert ad esse naturæ, τὸ vero *et creata sunt* ad esse gratiæ, per quam natura per peccatum perdita, quasi de novo creata et instaurata est, *q. d.* Deo debent homines non tantum esse naturæ, quod creaturæ omnes per productionem antiquam in Genesi acceperunt ; sed etiam novum esse gratiæ, quod illis impertitum est cum facti sunt novæ creaturæ, ut ait S. Paulus, et divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus. Verum sic potius dixisset, recreata, aut nove, vel rursum creata sunt, non autem absolute, « creata sunt : » hoc enim significat opus primæ creationis, qua res omnes ex nihilo Deus produxit et condidit. Porro sub hac quasi radice, hi seniores intelligunt simul opus recreationis, sive redemptionis, gratiæ et salutis. Ideo enim mittunt suas coronas ante thronum, quasi sua merita et salutem Deo accepta ferentes, quasi dicant : Tu, Domine, es creator et auctor omnium rerum, omnium bonorum tam naturalium quam supernaturalium ; tibi ergo nostram gloriam debemus, tibi nos nostraque omnia offerimus et referimus, imo non nostra, sed tua tibi reddimus.

Denique notat Alcazar hic per omnia ad templum et vasa templi Salomonis alludi, nisi quod arca, utpote Mosaica, versa sit in arcum cœlestem, puta iridem pulcherrimam Christi ; et pro mensa panum propositionis sit liber signatus, quem in manu habebat sedens in throno ; pro altari thymiamatis sint phialæ aureæ plenæ odoramentorum, cap. V, vers. 8 ; pro altari holocaustorum sit 24 seniorum adoratio, id est sacrificium Missæ.

Itaque in veteri Testamento illustria erant novem hæc : *primo*, thronus Dei ; *secundo*, arca testamenti ; *tertio*, dignitas principum sacerdotum ab Aarone prognatorum ; *quarto*, doctrina legis divinæ quæ ibi prædicabatur ; *quinto*, candelabrum aureum cum septem lucernis ; *sexto*, mensa panum propositionis ; *septimo*, mare æneum ; *octavo*, Cherubini ingentes quos fecit Salomon ; *nono*, sacrificia quæ Deo offerebantur. Hisce totidem magis illustria, et ex æquo respondentia eodem ordine successerunt in novo Testamento, quæ Joannes hic recenset. Nam *primo*, thronus Dei hic sunt Cherubini et propitiatorium, non corporale et vetus, sed spirituale et novum, puta Christus, ejusque fideles Christiani ; *secundo*, pro arca fœderis apparuit arcus cœlestis ex smaragdo ; *tertio*, pro 24 principibus sacerdotum surrogantur hic 24 seniores ; *quarto*, pro legis doctrina tonitrua et fulgura exaudiuntur ; *quinto*, septem candelabri lucernis substituuntur septem cœlestes lampades ; *sexto*, pro mensa panum propositionis proponitur liber signatus mirabilis in manu Altissimi ; *septimo*, pro mari æneo vitreum mare oculis subjicitur ; *octavo*, pro Cherubinis Salomonis quatuor animalia admiranda et valde mystica adstant Deo ; *nono*, pro priscis victimis cruentis surrogatur incruentum Missæ sacrificium.

Hæc apposita sunt, sed mystica, non litteralia, uti vult Alcazar. Adde non satis congrue arcam in arcum, mensam in librum transformari : licet enim grammatice, sive quoad grammata et litteras vox *arca* facile in vocem *arcus* transeat et commutetur, non tamen res ipsa : alia est enim arcæ, alia arcus, præsertim iridis forma et figura. Ita videmus subinde viros doctos, dum minutias et studiosius allusiunculas et elegantias quasdam vel grammaticales, vel historicas consectantur, a solido et vero sanctæ Scripturæ sensu aberrare. Cætera satis congrue sibi invicem respondent ; verum ad litteram accipienda sunt de templo non terreno, id est Ecclesia, sed cœlesti. Templum enim Salomonis sicut allegorice Ecclesiam militantem, ita anagogice significavit et repræsentavit cœlum, sive Ecclesiam triumphantem, de qua ad litteram hic agit S. Joannes.



# CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*S. Joannes videt librum in manu Dei signatum sigillis septem, scriptum intus et foris, quem nemo in cœlo vel in terra aperire poterat ; sed vers. 7, solus Agnus occisus eum aperit : quocirca quatuor animalia, et 24 seniores, omnesque cœlites tam Deum, quam Agnum celebrant et glorificant.*

1. Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus et foris, signatum
sigillis septem. 2. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna : Quis est dignus ape-
rire librum, et solvere signacula ejus ? Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra,
neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum. 4. Et ego flebam multum,
quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum. 5. Et unus de senio-
ribus dixit mihi : Ne fleveris : ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum,
et solvere septem signacula ejus. 6. Et vidi : et ecce in medio throni et quatuor anima-
lium, et in medio seniorum, Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem,
et oculos septem ; qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram. 7. Et venit, et
accepit de dextera sedentis in throno librum. 8. Et cum aperuisset librum, quatuor ani-
malia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et
phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. 9. Et cantabant can-
ticum novum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus :
quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et
populo, et natione ; 10. et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes ; et regnabimus su-
per terram. 11. Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et ani-
malium, et seniorum ; et erat numerus eorum millia millium, 12. dicentium voce magna :
Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et for-
titudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. 13. Et omnem creaturam, quæ in
cœlo est et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi
dicentes : Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæ-
cula sæculorum. 14. Et quatuor animalia dicebant : Amen. Et viginti quatuor seniores ce-
ciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

1. ET VIDI IN DEXTERA SEDENTIS SUPRA THRONUM, LIBRUM SCRIPTUM INTUS ET FORIS, SIGNATUM SIGILLIS SEPTEM. — Alludit ad *Isaiæ* XXIX, 11 : « Erit vobis visio sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, respondebit : Non possum ; signatus est enim. » Et magis ad *Ezech.* II, 10 : « Ecce manus missa ad me, in qua erat liber involutus, et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris. » Unde patet librum hunc non fuisse similem nostris, sed fuisse involutum instar mappæ geographicæ convolutæ, uti pictus hic Romæ visitur in templis : tales enim erant veterum libri, quos a convolutione vocabant volumina : et tales pervetustos Hebræos Bibliorum libros vidi in Vaticana Bibliotheca. Veteres enim scribebant in membranis sive pellibus, ab una, quia mundiori, pellis parte ; eam deinde convolvebant, colligabant et obsignabant, uti obsignantur testamenta. Aliquando tamen scribebant ab utraque parte membranæ, et tum liber dicebatur scriptus intus et foris, id est, in interiori parte membranæ, et simul in exteriori : talis hic erat (1). Hinc patet Joannem non potuisse videre librum hunc utrimque fuisse conscriptum, nisi post ejus

(1) Quales *opisthographos* Plinio avunculus reliquerat, *Epist.* III, 5. Librum describit Joannes septem sigillis obsignatum, ex septem constantem membranis circa bacillum convolutis, quarum singulæ seorsim erant obsignatæ, ita quidem ut septem sigilla juxta infimam bacilli partem conspici possent. Hujus libri ea erat ratio, ut post solutionem cujusvis sigilli alia membrana revolvi et explicari posset. Symbolice hoc libro divina providentia, vel decreta et consilia Dei arcana significantur. Erat liber ex utraque parte scriptus, quia contenta ejus erant plurima ; obsignatus, quia arcana in eo erant scripta.

11. DICENTES : DIGNUS ES, DOMINE DEUS NOSTER, ACCIPERE GLORIAM, ET HONOREM, ET VIRTUTEM. — Sicut quatuor animalia trisagion cecinerunt Deo, ita ad eorum imitationem idem hic canunt 24 seniores (unde Græca quædam exemplaria hic addunt : « Quia sanctus es »). Nam « virtus » hic idem est quod benedictio et laus virtutis, per metonymiam. Sicut cap. V, vers. 12, dicitur : « Dignus est Agnus accipere virtutem et divinitatem, » id est laudem et doxologiam suæ virtutis et divinitatis. Pro *virtutem* græce est δύναμιν, id est fortitudinem, *q. d.* Dignus es, Domine, qui ex ore nostro, et omnium hominum et Angelorum accipias confessionem et laudem tuæ immensæ potentiæ et fortitudinis, qua omnia creasti, quaque nos aliosque fideles nobis subditos, victores effecisti : dignus es ut hæc tua virtus et robur ab omnibus laudetur et celebretur. Græca plures Dei titulos continent. Habent enim : ἄξιος εἶ, ὁ Κύριος καὶ ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ ἅγιος, id est, *dignus es, Domine ac Deus noster sancte, accipere*, etc.

QUIA PROPTER (per) VOLUNTATEM TUAM ERANT (*erant*, id est fuerunt, extiterunt, suam essentiam et existentiam acceperunt, dum, ut sequitur, ex nihilo facta) ET CREATA SUNT, — τὸ enim *et* est exegeticum, explicatque τὸ *erant*, quasi dicat : « Erant et, » id est, « creata sunt. »

Alii : « Erant, » inquiunt, id est, conservata sunt et conservantur, quasi ob duplex beneficium, scilicet creationis et conservationis, gratias agant Deo ; sequitur enim : « Et creata sunt. »

*Secundo* complures pro ἦσαν, id est *erant*, legunt εἰσί, id est *sunt* ; quæ lectio facillima et planissima est. Ita legit et Vatablus, Erasmus et multi alii.

*Tertio*, Ansbertus : « Erant, » inquit, creaturæ ante creationem in æternis mentis divinæ ideis, in æterno Dei decreto, quo ab omni ævo decreverat, ut in tempore a se crearentur. Unde hujus decreti executionem subdit dicens : « Et creata sunt. »

*Quarto*, Alcazar τὸ *erant* refert ad esse naturæ, τὸ vero *et creata sunt* ad esse gratiæ, per quam natura per peccatum perdita, quasi de novo creata et instaurata est, *q. d.* Deo debent homines non tantum esse naturæ, quod creaturæ omnes per productionem antiquam in Genesi acceperunt ; sed etiam novum esse gratiæ, quod illis impertitum est cum facti sunt novæ creaturæ, ut ait S. Paulus, et divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus. Verum sic potius dixisset, recreata, aut nove, vel rursum creata sunt, non autem absolute, « creata sunt : » hoc enim significat opus primæ creationis, qua res omnes ex nihilo Deus produxit et condidit. Porro sub hac quasi radice, hi seniores intelligunt simul opus recreationis, sive redemptionis, gratiæ et salutis. Ideo enim mittunt suas coronas ante thronum, quasi sua merita et salutem Deo accepta ferentes, quasi dicant : Tu, Domine, es creator et auctor omnium rerum, omnium bonorum tam naturalium quam supernaturalium; tibi ergo nostram gloriam debemus, tibi nos nostraque omnia offerimus et referimus, imo non nostra, sed tua tibi reddimus.

Denique notat Alcazar hic per omnia ad templum et vasa templi Salomonis alludi, nisi quod arca, utpote Mosaica, versa sit in arcum cœlestem, puta iridem pulcherrimam Christi; et pro mensa panum propositionis sit liber signatus, quem in manu habebat sedens in throno; pro altari thymiamatis sint phialæ aureæ plenæ odoramentorum, cap. V, vers. 8; pro altari holocaustorum sit 24 seniorum adoratio, id est sacrificium Missæ.

Itaque in veteri Testamento illustria erant novem hæc : *primo*, thronus Dei ; *secundo*, arca testamenti ; *tertio*, dignitas principum sacerdotum ab Aarone prognatorum ; *quarto*, doctrina legis divinæ quæ ibi prædicabatur ; *quinto*, candelabrum aureum cum septem lucernis ; *sexto*, mensa panum propositionis ; *septimo*, mare æneum ; *octavo*, Cherubini ingentes quos fecit Salomon ; *nono*, sacrificia quæ Deo offerebantur. Hisce totidem magis illustria, et ex æquo respondentia eodem ordine successerunt in novo Testamento, quæ Joannes hic recenset. Nam *primo*, thronus Dei hic sunt Cherubini et propitiatorium, non corporale et vetus, sed spirituale et novum, puta Christus, ejusque fideles Christiani ; *secundo*, pro arca fœderis apparuit arcus cœlestis ex smaragdo ; *tertio*, pro 24 principibus sacerdotum surrogantur hic 24 seniores ; *quarto*, pro legis doctrina tonitrua et fulgura exaudiuntur ; *quinto*, septem candelabri lucernis substituuntur septem cœlestes lampades ; *sexto*, pro mensa panum propositionis proponitur liber signatus mirabilis in manu Altissimi ; *septimo*, pro mari æneo vitreum mare oculis subjicitur ; *octavo*, pro Cherubinis Salomonis quatuor animalia admiranda et valde mystica adstant Deo ; *nono*, pro priscis victimis cruentis surrogatur incruentum Missæ sacrificium.

Hæc apposita sunt, sed mystica, non litteralia, uti vult Alcazar. Adde non satis congrue arcam in arcum, mensam in librum transformari : licet enim grammatice, sive quoad grammata et litteras vox *arca* facile in vocem *arcus* transeat et commutetur, non tamen res ipsa : alia est enim arcæ, alia arcus, præsertim iridis forma et figura. Ita videmus subinde viros doctos, dum minutias et studiosius allusiunculas et elegantias quasdam vel grammaticales, vel historicas consectantur, a solido et vero sanctæ Scripturæ sensu aberrare. Cætera satis congrue sibi invicem respondent ; verum ad litteram accipienda sunt de templo non terreno, id est Ecclesia, sed cœlesti. Templum enim Salomonis sicut allegorice Ecclesiam militantem, ita anagogice significavit et repræsentavit cœlum, sive Ecclesiam triumphantem, de qua ad litteram hic agit S. Joannes.



# CAPUT QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*S. Joannes videt librum in manu Dei signatum sigillis septem, scriptum intus et foris, quem nemo in cœlo vel in terra aperire poterat; sed vers. 7, solus Agnus occisus eum aperit : quocirca quatuor animalia, et 24 seniores, omnesque cœlites tam Deum, quam Agnum celebrant et glorificant.*

1. Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. 2. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum. 4. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum. 5. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris : ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. 6. Et vidi : et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum, Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem; qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram. 7. Et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum. 8. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. 9. Et cantabant canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione; 10. et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes; et regnabimus super terram. 11. Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum; et erat numerus eorum millia millium, 12. dicentium voce magna : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. 13. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo, omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. 14. Et quatuor animalia dicebant : Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

1. ET VIDI IN DEXTERA SEDENTIS SUPRA THRONUM, LIBRUM SCRIPTUM INTUS ET FORIS, SIGNATUM SIGILLIS SEPTEM. — Alludit ad *Isaiæ* XXIX, 11 : « Erit vobis visio sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, respondebit : Non possum; signatus est enim. » Et magis ad *Ezech.* II, 10 : « Ecce manus missa ad me, in qua erat liber involutus, et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris. » Unde patet librum hunc non fuisse similem nostris, sed fuisse involutum instar mappæ geographicæ convolutæ, uti pictus hic Romæ visitur in templis : tales enim erant veterum libri, quos a convolutione vocabant volumina : et tales pervetustos Hebræos Bibliorum libros vidi in Vaticana Bibliotheca. Veteres enim scribebant in membranis sive pellibus, ab una, qua mundiori, pellis parte; eam deinde convolvebant, colligabant et obsignabant, uti obsignantur testamenta. Aliquando tamen scribebant ab utraque parte membranæ, et tum liber dicebatur scriptus intus et foris, id est, in interiori parte membranæ, et simul in exteriori : talis hic erat (1). Hinc patet Joannem non potuisse videre librum hunc utrimque fuisse conscriptum, nisi post ejus

(1) Quales *opisthographos* Plinio avunculus reliquerat, *Epist.* III, 5. Librum describit Joannes septem sigillis obsignatum, ex septem constantem membranis circa bacillum convolutis, quarum singulæ seorsim erant obsignatæ, ita quidem ut septem sigilla juxta infimam bacilli partem conspici possent. Hujus libri ea erat ratio, ut post solutionem cujusvis sigilli alia membrana revolvi et explicari posset. Symbolice hoc libro divina providentia, vel decreta et consilia Dei arcana significantur. Erat liber ex utraque parte scriptus, quia contenta ejus erant plurima ; obsignatus, quia arcana in eo erant scripta.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

resignationem, revolutionem et explicationem. Quod ergo dicit : « Scriptum intus et foris, » non jam, sed postea aperto et evoluto libro cognovit. Est ergo hic hysterologia : prius enim factum narratur, quod posterius contigit. Denique prius debuerunt resignari sigilla septem funiculorum, quibus colligatus et obsignatus erat liber, quam liber posset aperiri, videri et legi. Aliter Pineda, lib. V *De Rebus Salom.*, cap. XIII, ubi signatum librum apud Isaiam, cap. XXIX, vers. 11, et apud Danielem, cap. VIII, vers. 26, et apud Joannem hic interpretatur, scriptum arcanis notis et characteribus, sicuti per notas hieroglyphicas scribebant Ægyptii, et etiamnum scribunt Sinenses. Signatus ergo fuit hic liber septem sigillis, quasi septem characteribus, arcana quædam mysteria continentibus, quæ cap. VI exponuntur. Verum ut ex parte hoc verum sit, negari nequit quin hujus libri signa fuerint sigilla, quæ clauderent et obsignarent librum, ita ut liber legi non posset nisi sigillis apertis et reseratis. Hoc enim diserte hic et cap. VI ait Joannes.

Quæres : Quisnam est hic liber signatus? *Primo*, Ticonius, Ambrosius, Rupertus, Richardus, Andreas, Beda, Haymo, Ansbertus, Anselmus, Joachim et Hugo hic, ac Origenes, hom. 12 *in Exod.*; Eusebius, lib. VIII *Demonstr.*, cap. II; S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. XXII, et passim veteres censent hunc librum esse sacram Scripturam, sive prophetias tam veteris quam novi Testamenti : de hac enim dicitur *Deut.* XXXIII, 2 : « In dextera ejus ignea lex. » Scr[illegible] intus » quoad novum Testamentum; « foris, » quoad vetus : hoc enim fuit velamentum nov., ait Ansbertus et Beda; vel « foris, » quoad sensum litteralem; « intus, » quoad spiritualem et mysticum, ait Rupertus. Sigilla septem significant eam plenam esse mysteriis arcanis et obscuris : septenarius enim symbolum est multitudinis et universitatis. Ita Primasius et Beda. Jam primum sigillum, ait Hugo, est sententiarum S. Scripturæ profunditas; secundum, sensuum multiplicitas; tertium, figurarum varietas; quartum, rerum ipsarum incomprehensibilitas; quintum, mysteriorum obscuritas; sextum, tropologiarum suavitas; septimum, infallibilis veritas mixta cum rerum inevidentia. Hunc librum signatum aperuit Christus, cum abiens in cœlum Apostolis dedit intelligentiam Scripturarum. De hoc libro pulchre ait Hugo de S. Victore, tractatu *De Arca Noe* : « Sacra, inquit, Scriptura liber est vitæ, cujus origo æterna, essentia incorporea, scriptura indelebilis, aspectus desiderabilis, doctrina facilis, scientia dulcis, profunditas inscrutabilis, verba innumerabilia, et unum tantum verbum omnia. » Quamvis enim sint innumerabilia verba quoad sonum, tamen unicum tantum est quoad sensum, seu potius consensum. Unum olim librum vidit Joannes scriptum intus et foris, et audivit : « Quis est dignus aperire librum? » Ubi Rupertus : « Unus, inquit, iste liber S. Scriptura est : quæ idcirco dicitur et est unus liber, quia uno spiritu est conscripta, et unus verbi Dei thesaurus et sacrarium est. » Hic sensus plus æquo generalis est. Tam enim Ezechieli, Isaiæ et aliis S. Scripturæ libris, quam Apocalypsi et huic loco congruit.

*Secundo*, S. Hilarius, præfatione *in Psalmos* : « Liber, ait, hic est Christus, quia Christus est hujus libri materia et argumentum. Sicut ergo Xenophon librum quem de Cyro conscripsit, vocat *Cyripædiam* : sic etiam possumus librum hunc inscribere, *De Christi Archia, sive Principatu*, ut significemus ipsum agere de Christo. Sigilla septem, ait Hilarius, sunt septem præcipua Christi mysteria, scilicet *primum*, incarnatio; *secundum*, nativitas; *tertium*, passio; *quartum*, resurrectio; *quintum*, ascensio in cœlos; *sextum*, missio Spiritus Sancti; *septimum*, secundus ejus adventus ad judicium. Et B. Petrus Damianus, serm. *De S. Luca Evangelista* : Septem, ait, sigilla libri signati « sunt septem Sacramenta, quibus totus ordo Dominicæ dispensationis impletur, videlicet Incarnatio Domini, nativitas, passio, resurrectio, ad cœlos ascensio, deinde judicium, postremo regnum. » Hæc Christus solus aperit, quia solus perficit et adimplet. Vel, ut S. Bernardus, serm. 1 *De Pascha* : Septem sigilla sunt septem mysteria quæ celarunt Christi deitatem et sapientiam. *Primum* est, matris desponsatio cum Joseph; *secundum*, infirmitas corporis Christi; *tertium*, circumcisio; *quartum*, fuga in Ægyptum; *quintum*, tentatio diaboli; *sextum*, scandalum crucis; *septimum*, sepultura. Hæc sigilla omnia Christus resurgens resolvit et patefecit. Rursum Seraphinus Firmanus per septem sigilla accipit septem secreta passionis Christi : *primum* est, summa impotentia in Omnipotente; *secundum*, summa pœna in impassibili; *tertium*, summa stultitia coram hominibus in Christo, qui est divina Sapientia; *quartum*, summa paupertas in Deo divitiarum; *quintum*, summa ignominia in summa majestate; *sextum*, summa derelictio Dei in summa cum eo unione; *septimum*, summa severitas in summo amore Patris erga Filium.

Verum hæc explicatio, æque ac prima, nimis universalis est, atque accommodatitia magis quam genuina. Pari enim modo nonnulli librum hunc signatum accommodant Eucharistiæ. In ea enim Agnus, id est Christi passio et mors repræsentatur, ipseque Christus passus et occisus velatur, et celatur septem sigillis, ut de eo vere dici possit illud *Isaiæ* cap. XLV, 15 : « Vere tu es Deus absconditus, Deus Salvator. » Septem signacula quæ abscondunt Christum in Eucharistia, sunt odor, sapor, color, parvitas, levitas, rotunditas, gracilitas hostiæ, quæ omnia sunt accidentia panis, non corporis Christi, ita ut hic septem sensus, scilicet quatuor exteriores, visus, odoratus, gustus et tactus, et tres interiores, scilicet sensus communis, phantasia et æstimativa,



qui sensuum exteriorum judicium sequuntur, fallantur, et judicent esse panem. Rursum septem signacula sunt septem maxima miracula, quæ faciunt hoc Sacramentum esse arcanum arcanorum Dei : *primum* est transsubstantiatio, quod scilicet tota substantia panis et vini convertatur in substantiam corporis Christi; *secundum*, quod accidentia panis remaneant et existant sine subjecto; *tertium*, quod tota quantitas Christi sex pedum, parvo loco, puta hostiæ circulo, circumscribatur; *quartum*, quod vi consecrationis sub specie panis sit tantum corpus Christi, per concomitantiam vero adsint sanguis, anima et deitas Christi : pari modo sub specie vini ex vi consecrationis sit tantum sanguis Christi, per concomitantiam vero sequantur et adsint corpus, anima et deitas Christi; *quintum*, quod idem corpus numero, idemque Christus adsit in omnibus altaribus simul per totum orbem, cum simul fit sacrificium Missæ; *sextum*, quod Christus sit totus in tota hostia, et totus in qualibet ejus parte, imo et in quolibet ejus puncto; *septimum*, quod Christus se faciat cibum fidelium omnium, ita ut eos in se, non autem ipsi Christum in se seipsos transmutent. Rursum, quod Christus sit instar *mannæ*, quod gustanti dabat omnem saporis, quem quisque volebat, suavitatem : eamdem dat Christus, sed spiritualem, non corporalem. Denique quod virtute corporis Christi gloriosi, quod in Eucharistia manducamus, resurgemus ad vitam immortalem, uti ipse promisit, *Joannis* cap. VI, vers. 51. Verum hæc omnia accommodatitia sunt, non germana ad scopum et propositum hujus loci : non enim agitur hic de Sacramento Eucharistiæ.

*Tertio*, Andreas Cæsariensis hunc librum censet esse Dei decretum et memoriam, in quo omnes homines descripti sunt; sive operum et judiciorum Dei inscrutabilem abyssum. Unde signatus est septem, id est plurimis sigillis. Sic fere et Aureolus : Liber, inquit, hic est divinæ sapientiæ arcanum. Et Maldonatus, in *Notis Manuscriptis*, quas vidi in Collegio Romano : Liber, inquit, est scientia Dei, ut intelligitur ex toto capite VI. Scriptus est intus et foris, quia scientia Dei perfectissima est, nec potest crescere. Signatus est sigillis septem, id est omnino, quia quis cognovit scientiam Domini? aut quia continebat septem præcipue res futuras, quas nemo sciebat, ut explicatur cap. VI. Solus autem Christus aperuit, quia in eo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei.

*Quarto*, alii putant hunc librum esse chirographum peccati Adæ, puta obligationem et reatum peccati, quo Adam se et nos Deo vindici obstrinxit. Septem sigilla sunt septem gravissima mala, quæ per hoc peccatum incurrimus : *primum* est, offensa Dei; *secundum*, pœna damni; *tertium*, pœna ignis gehennæ; *quartum*, necessitas moriendi; *quintum*, jugum diaboli; *sextum*, aversio a Deo, et conversio ad creaturas; *septimum*, concupiscentia. Hæc omnia solus Christus solvere potuit. Verum hæc omnia mystica sunt, non litteralia.

*Quinto*, Ambrosius ait hunc librum esse chronologiam mundi, et septem sigilla esse septem mundi ætates. Verum sic Apocalypsis historia esset, non prophetia : nam pleræque ætates mundi tempore Joannis evolutæ erant et præteritæ.

*Sexto*, Œcumenius, Lyranus et Aureolus censent hunc librum esse præscientiæ, providentiæ et prædestinationis Dei, quæ nobis clausa est, nisi a Dei dextera nobis reveletur, vel executioni mandetur. Huc accedit noster Prado, *Ezech.* II, 10, qui septem sigilla ad maximas Ecclesiæ calamitates reducit, et in *primo* ait effulgere Dei potentiam; in *secundo*, ejusdem indignationem et districtum gladium; in *tertio*, justitiam scelerum vindicem; in *quarto*, mortem quæ pallidos facit vultus; in *quinto*, vindictam sanguinis innoxii; in *sexto*, universi consummationem; in *septimo*, malorum omnium cataclysmum. Sed hæc nimis generalia sunt, nec particulares Ecclesiæ eventus indicant.

*Septimo*, Alcazar censet hunc librum esse eam Apocalypsis partem, quæ septem sigillis continetur, sive mysteria quæ hisce sigillis apertis Joanni fuere revelata, quæ continentur a cap. VI usque ad XI inclusive. Nam a cap. XI usque ad XIX agitur, inquit ipse, de persecutione, quam Gentiles contra Ecclesiam concitarunt, deque eorumdem conversione. Porro libri, sive sigillorum septem mysteria censet esse hæc : In quatuor primis sigillis, ait, retegitur et ostenditur summa Dei fortitudo, beneficentia, æquitas et sapientia in Judæorum credentium et prædestinatorum salute; in tribus vero ultimis apparet in reproborum Judæorum repulsa maxima Dei patientia, horribilis comminatio, ac demum supplicium severissimum. Atque hi sunt septem spiritus, de quibus dixi cap. I, *notat.* 8. Porro hæc non est nova doctrina, sed eadem quæ a Prophetis in veteri Testamento fuit prædicta : unde passim Patres dicunt librum hunc signatum esse prophetias veteris Testamenti, scilicet, quia ab ipsis fuit prædicta salus Judæorum credentium, et non credentium reprobatio, quam hic Joannes reipsa completam ostendit. Dicitur hic liber scriptus intus et foris, quia pars exterior interiori quasi ex æquo respondebat, sicut in libris Computuum (qui olim erant membranæ integræ) in folio averso scribebant rationem dati, in adverso accepti : ita hic mysteria circa salutem Judæorum credentium respondent mysteriis et plagis inflictis Judæis incredulis. Liber ergo hic utraque parte scriptus, significat quomodo se Deus gerat erga pios et impios, nimirum, ut ait Psaltes, *Psalm.* XVII, 26 : « Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris. »

Porro notanda est, ait Alcazar, distinctio quæ

inter mysterium et sigillum esse debet : mysterium namque est, quod sub sigillo est absconditum; sigillum est, quod absconsionem et difficultatem ipsam mysterii continet. Quocirca mysterium *primum* est, magna Messiæ fortitudo; atque difficultas, quæ in ejus cognitione assequenda est, provenit ab externa imbecillitatis ejus specie et simulatione. *Primum* ergo sigillum repræsentat infirmitatis speciem, sub qua latet primum mysterium, hoc est infinita Christi virtus in Judæis, qui ipsum amplexi sunt, salvandis. Maxima enim Christi fortitudo elucet in eo, quod in tanta carnis suæ infirmitate, per crucem tantam salutem et victoriam contulerit : « virtus enim in infirmitate perficitur. » Similiter *secundum* mysterium est immensa erga eosdem beneficentia; sigillum vero, simulatio rigoris ac tyrannidis. *Tertium* mysterium est summa æquitas, qua ipsos gubernat, sub iniquitatis prætextu, quasi sub sigillo abdita : æquitas enim Dei qua hos elegit, illos neglexit et reprobavit, videtur iniqua, imo acceptio personarum : revera tamen est æquissima. *Quartum*, admirabilis sapientia in procuranda suorum felicitate; sigillum, species imperitiæ et stultitiæ : sapientia enim sub stultitiæ simulatione mire perficitur, « quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, » I *Corinth.* I, 25. *Quintum*, incredibilis patientia in rebelles Judæos; sigillum, injuriarum dissimulatio, et quasi non curantia : sapienter enim Deus patientiam suam oblivionis aut conniventiæ specie velat et obtegit. *Sextum*, seria comminatio; sigillum vero nullam præ se fert externam minarum faciem, sed potius permissionem atque licentiam : sæpe enim minæ et supplicia sapienter occultantur. *Septimum*, est severa punitio, et supplicium quod de Judæis sumit; sigillum autem impunitatis speciem adfert : aut in communibus malis, non Messiæ repulsam, sed alias supplicii causas prætendit. Hucusque Alcazar subtiliter, sed obscure speculatur.

Verum huic expositioni multa obstant. *Primum*, quod per librum accipiat ipsa sigilla, eorumque mysteria, cum constet librum a suis sigillis distingui. *Secundum*, quod libro hoc censeat contineri salutem Judæorum credentium, et damnationem incredulorum, quæ jam transacta erant, et publica toti mundo : quomodo ergo hæc dicuntur signata, ut nemo possit ea videre aut legere? Denique tota hæc expositio videtur potius ingeniosa accommodatio, quam genuina explicatio : quomodo Proba Falconia Æneidem Virgilii accommodavit et adaptavit Christo, Christique gestis; atque de eisdem ex Homero suos Homerocentones composuit Eudocia, uxor Theodosii junioris Imperatoris.

*Octavo* et genuine, liber hic est Apocalypsis, sive Apocalypseos mysteria et oracula, in Dei præscientia, providentia et prædestinatione, quasi in libro contenta : mysteria hæc sunt de regno et persecutione Antichristi, de Eliæ, Henoch et fidelium ei resistentium constantia, etc., deque judicio universali, et felicitate ac gloria beandorum. Septem sigilla sunt septem proxime sequentes visiones, quibus scilicet, ad apertionem cujusque sigilli nova panditur et ostenditur res et calamitas orbi eventura, et prævia Antichristo ac fini mundi, quæ est materia et argumentum ipsius libri. Unde liber legi et intelligi non potuit, nisi prius reserarentur sigilla, id est, nisi prius viderentur calamitates illæ, quæ præire debent ultima Antichristi et judicii tempora. Similem librum vidit Ezechiel, cap. II, vers. 9, in quo scriptæ erant lamentationes, carmen et væ. Ita Pannonius, Prado, Ribera, Pererius, Viegas, qui pro hac sententia citant Andream, Aretam, Lyranum, Aureolum et Dionysium. Liber ergo hic non est aliud, quam divinæ providentiæ consilium et præfinitio, qua apud se statuit et decrevit vel facere, vel permittere ea quæ tempore Antichristi futura sunt.

Recte notat Ribera, septem signacula libri non ita intelligenda esse, quasi illis solutis legeretur in libro id, quod quolibet soluto vidisse se narrat Joannes, uti soluto *primo* sigillo narrat se vidisse equum album; soluto *secundo*, rufum; soluto *tertio*, nigrum; soluto *quarto*, pallidum, etc. Hæc enim non legit in libro, sed singulis sigillis apertis, singula sub iis latentia et clausa reserari sibique ostendi vidit. Nihil enim in libro legi poterat, nisi post resignationem omnium septem sigillorum : omnibus enim reseratis, tunc demum aperiri et legi potuit liber, non ante. Erat enim liber convolutus, itaque forinsecus septem sigillis obsignatus : ergo id quod post cujusque sigilli reserationem vidit Joannes, non in libro, utpote adhuc aliis sigillis clauso, sed sub ipso sigillo quasi absconditum, eoque aperto patefactum vidit. Unde

Nota *secundo* : Tota Apocalypsis occupatur in descriptione hujus libri, et septem sigillorum ejus. Quocirca duæ sunt partes Apocalypseos, uti superius dixi : priore, hoc scilicet capite usque ad XI, reserantur et explicantur sigilla; altera, a capite XI usque ad finem, reserantur et leguntur ea quæ scripta erant in ipso libro. Liber ergo continet ea quæ futura sunt tempore Antichristi : sigilla septem continent totidem persecutiones Ecclesiæ et Sanctorum, quæ futura erant ante adventum Antichristi : quocirca liber legi non potest nisi reseratis sigillis, quia tempora Antichristi videri nequeunt, nisi præeant hæ persecutiones, quæ illi sunt quasi præviæ et prodromæ, illique viam parant et sternunt. Itaque quia ex Dei consilio et destinatione oportet hasce præire, antequam veniat filius ille perditionis, cujus tyrannis et sæva persecutio in libro scriptæ sunt: hinc eædem impediunt ne liber legatur, id est ne videantur et appareant quæ in illo scripta sunt. Quare rectissime signacula, sive sigilla appellantur. Simile est quod de eodem Antichristi tempore ait Paulus II *Thessal.* II, 6 : « Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore (nam mysterium jam operatur iniquitatis), tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus, » *q. d.* Adventum Antichristi detinet Nero aliique Imperatores Romani, qui nunc imperant : non enim potest venire, donec Imperium transferatur. Ita hæc sigilla detinent ne reveletur Antichristus, qui venturus non est, donec hæc tempora transeant, in iisque fiant ea quæ in quolibet eorum fieri voluit Deus, quæque hic in septem sigillis signata et præsignificata, quasi suo tempore eventura vidit Joannes.

Hæc ita se habere patet ex ipso contextu, et tota serie Apocalypsis. Nam cap. seq., puta VI, incipiunt aperiri sigilla, et calamitates ac plagæ iis contentæ, ac deinceps usque ad cap. X continuo singula, ordine quæque suo, aperiuntur; cap. X vero apertis jam sigillis, accipit Joannes ab angelo librum antea signatum, nunc apertum, cumque eum devorasset, audit ab eo vers. 11 : « Oportet te iterum prophetare Gentibus, » quia nimirum mysteria ipso libro contenta de Antichristo, Elia et Henoch, etc., cap. XI et seq., prophetare et conscribere te oportet.

Porro sigilla ipsa particulatim cap. VI, VII, VIII et IX, suis quibusque locis explicabo.

Nota *tertio* : Sicut S. Joannes descripsit primum Christi adventum in Evangelio, ita hic in Apocalypsi describit secundum ejusdem adventum in fine mundi : ille liber est apertus, quia historicus; hic est signatus et clausus, quia propheticus de futuris sub diem judicii. Voluit enim Deus Joannem utrumque Christi adventum describere, priorem ut Evangelistam, posteriorem ut Prophetam.

Scriptum intus et foris (Græce ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν, id est, *intus et a tergo*, hoc est utraque parte membranæ : unde Syrus vertit, *scriptum intus et retro*; Arabicus, *scriptum de intra et de foris*, hoc est interius et exterius), obsignatum septem signaculis. — Veterum enim libri erant convoluti : convolvebantur enim circa cylindrum, vel baculum aliquem. Hinc est illud cap. VI : « Cælum recessit sicut liber involutus. » Quocirca in libris hisce scriptura erat intus, id est introrsum, involuta et convoluta; hic vero liber, quia plurima continebat, hinc non tantum intus, sed etiam foris, id est a tergo in exteriori facie scriptus erat, quales Plinius vocat opisthographos, id est, *a tergo scriptos*, de quali ait et Juvenalis :

Scriptus et in tergo necdum finitus Orestes.

Adde : Scribebant mercatores, aliique non raro ab una parte membranæ rationem dati, ab altera aversa et adversa rationem accepti, sive una debitum, altera creditum. Ita hic dici potest cum Alcazare, quod dum hic liber diversas sortes piorum et impiorum contineat, quarum una alteri ex diametro respondet et adversatur, piorum sors in una, v. g. in interiori facie et pagina; sors impiorum in exteriore, sive adversa facie scripta fuerit. Qua phrasi ait Plinius, lib. II, cap. VII : « In tota ratione mortalium sola fortuna utramque paginam facit, » *q. d.* Fortuna in vita creat tam res prosperas, quam adversas. Videtur enim ipse fuisse atheus, ac negasse Dei numen et providentiam, ac consequenter rerum eventa non providentiæ Dei, sed fortunæ adscripsisse.

2. Et vidi angelum fortem, — id est Gabrielem, ait Lyranus. Gabriel enim Hebraice idem est quod fortitudo Dei. *Secundo*, Dionysius Carthusianus putat hunc eumdem fuisse Angelum cum eo qui hæc mysteria revelabat Joanni, et omnia hæc symbola throni Dei, 24 seniorum, quatuor animalium, libri signati, Agni occisi, etc., in ejus imaginatione pingebat. Dicitur « fortis, » id est potens et validus. Videtur enim fuisse ex primariis angelis : mittebatur enim ad opus forte et validum, scilicet ut quæreret virum fortem, qui librum signatum summis mysteriis plenum reseraret, quem nulli angeli, vel homines reserare poterant. Unde forti et contenta voce clamat : « Quis est dignus aperire librum? »

Mystice : Angelus hic, ait Rupertus, significat patres in limbo avide exspectantes Messiam, qui limbi claustra resignans, eos inde liberaret. Rursum, significat Joannem Baptistam, ait Joachim, qui dixit : Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti Christi; idem enim corrigia calceamenti ligat, quod suis signaculis liber signatus claudit.

Denique Alcazar censet hic alludi ad *Oseæ* XIV, 10 : « Quis sapiens, et intelligit ista? intelligens, et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis; prævaricatores vero corruent in eis. » Liber enim hic continet vias, tam piorum, qui vias Domini sequendo beantur, quam impiorum, qui eas spernendo damnantur. Quod autem Oseas angelus fortis vocetur, cohæret optime cum iis quæ S. Epiphanius in ejus Vita scribit, ipsum scilicet verborum suorum vi ingentem quercum in duodecim partes divisisse. Congruit etiam cum Oseæ argumento, qui agit de impio ramo, puta Judæorum repudio; et fidelium ac piorum, puta Gentilium, electione et salute. Hucusque Alcazar.

Quis est dignus? — Quis potest, quis habet facultatem aperiendi librum? Hæc enim a Deo non conceditur nisi ei qui dignus est.

Aperire librum, et solvere signacula. — « Et » significat *id est*, *q. d.* Quis est dignus aperire librum, id est solvere ejus signacula; sive, quis est dignus aperire librum solvendo ejus signacula? Nam aperire librum signaculis clausum, non est aliud, quam ipsa ejus signacula solvere et resignare.

Minus recte Alcazar censet, aperire librum, et solvere signacula, non esse aliud, quam Christum sui spiritus copiam hominibus facere, ut



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mysteria de Judæorum Christo credentium felicitate, et de incredulorum infelicitate, quæ Apocalypsi continentur, possint agnoscere. Itaque censet ipse hæc mysteria S. Joannis Apostoli, 24 senioribus et quatuor animalibus jam ante fuisse cognita : ac proinde Joannem optare non ut sibi suisque, sed ut aliis tum fidelibus, tum infidelibus hic liber aperiatur. Verum mysteria hujus libri ipsi Joanni, senioribus et quatuor animalibus fuisse incognita, patet ex eo quod subdit : « Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum ; » neque hoc tantum, sed « neque respicere illum : » ergo multo minus intelligere illum. Si « nemo in cœlo, » ergo nec 24 seniores, nec quatuor animalia potuerunt librum aperire aut inspicere. Unde et subdit : « Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum ; » nec hoc tantum, sed « nec videre eum. » Græca addunt, οὐκ ἀναγνῶναι, id est, *nec legere eum*. Plane ergo hisce verbis significatur, nullum hominum vel Angelorum cognovisse mysteria Apocalypseos, id est ea quæ eventura erant futuris temporibus in Ecclesia, præsartim sub Antichristo, deque fine mundi dieque judicii, nisi Deum, Deique Filium, ut ipse ait *Marci* XIII, 32 ; ubi licet neget se scire diem quo præcise futurum est judicium, scilicet ut liceat ei illum aliis revelare, non tamen negat se scire signa prævia, quæ significabunt illum diem instare : illa enim hic ipse revelat Joanni et toti mundo. Manet ergo hic liber clausus et obsignatus, ita ut nemo eum legere possit, donec Christus eum resignet et aperiat, non sibi (ipse enim jam ante sciebat, quid in libro contineretur), sed Joanni aliisque fidelibus. Aperire ergo librum idem est, quod eum aliis legendum proponere, hoc est, mysteria eo contenta aliis enarrare.

Alii hæc referunt ad Apocalypseos executionem et complementum, quo reipsa completa sunt quæ in ea hic complenda prædicantur : putant enim aperire librum nihil aliud esse, quam ejus prophetias reipsa complere, ac facere ut actu fiant, quæ hic futura prænuntiantur. Verum sic Joannes non vidisset, hic sibi nunc aperiri librum, sed in fine mundi aperiendum dixisset. Apertio ergo libri non significat realem ejus executionem et complementum, sed explicationem et revelationem. Hæc enim aperuit Joanni hic, omnibusque hominibus librum hunc signatum.

3. NEQUE RESPICERE, — id est *videre*, ut mox sequitur (in Græco enim utrobique est eadem vox βλέπειν), inspicere, evolvere, legere, cognoscere librum, id est, ea quæ scripta erant in libro.

5. ET UNUS DE SENIORIBUS DIXIT MIHI : NE FLEVERIS : ECCE VICIT LEO DE TRIBU JUDA, RADIX DAVID, APERIRE LIBRUM. — Hunc seniorem fuisse S. Lucam censet Alcazar : censet enim ipse hic alludi ad id quod scripsit Lucas in Actis Apostolorum, scilicet Christum suum spiritum impertiisse multis qui Apostolorum prædicationem audiebant, ut cap. VIII, vers. 17 : « Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. » Et cap. X, vers. 44 : « Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, » etc. Sed maxime alludi ad conversionem S. Pauli, quam fecisse Christum narrat Lucas *Actor.* IX. Hæc enim omnia describit, ut effectus passionis et resurrectionis Christi, qui sunt victoria Christi de Judæis et Gentibus, quæ in hoc libro signato conscripta erat.

Verum superius docui 24 seniores fuisse duodecim Apostolos ex novo, et duodecim primarios Sanctos ex veteri Testamento, ac consequenter ex iis non fuisse S. Lucam.

*Secundo*, Lyranus vult fuisse S. Petrum. Hic enim erat princeps Apostolorum, ac consequenter magister S. Joannis, eratque jam beatus et gloriosus in cœlo.

*Tertio*, Dionysius Carthusianus censet fuisse S. Matthæum, quia ipse in fine sui Evangelii de Christo dicit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra ; » quod idem est cum eo, quod hic a seniore hoc audit Joannes : « Ecce vicit leo de tribu Juda. »

Verum hæc divinando dicuntur, et meræ sunt conjecturæ. Tam enim Jacobum fratrem Joannis, aut Paulum, vel quem alium e senioribus fuisse dixeris, quam Matthæum vel Petrum.

ECCE VICIT LEO DE TRIBU JUDA. — Christus apparuit hic Joanni specie agni occisi, ut patet vers. seq. ; ergo non apparuit specie leonis : dicitur tamen leo per metaphoram. « Vicit, » id est obtinuit, prævaluit, potens fuit ad aperiendum librum ita signatum, Christus. Addit Alcazar, « vicit, » id est spiritum suum hominibus communicavit, ut prophetias hasce intelligerent, non tantum speculative, sed et practice et sapide, ita scilicet ut ex iis efficerentur spirituales : hoc enim esse « aperire librum. » Verum hoc morale potius est quam litterale.

Nota : Christus hic vocatur leo, mox agnus occisus, quia per mansuetudinem, innocentiam et infirmitatem mortis et crucis meruit et obtinuit summam potentiam et imperium, factusque est leo, scilicet ex victo victor, ex mortuo redivivus, ex occiso vivificator omnium fidelium. Unde in Græco est articulus duplex, magnam habens emphasin : ὁ λέων, ὁ ὢν ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα, id est, *leo ille illustris et celebris, qui est de tribu Juda*.

Porro Christus vocatur leo, *primo*, quia ortus est ex tribu Juda, cujus insigne fuit leo. Illi enim benedicens Jacob patriarcha ait *Genes.* XLIX, 9 : « Catulus leonis Juda ; accubuisti ut leo, et quasi leæna : quis suscitabit eum ? »

*Secundo*, ob eximiam fortitudinem qua diabolum, mortem, peccatum et infernum devicit ; passus est ergo Christus, sed passus est ut leo, quia patiens vicit suos hostes, et a passione ac morte mox ut leo resurrexit. Hoc est quod ait Apostolus *Coloss.* II, 15 : « Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso ; » hinc vers. 6 dicitur habere cornua septem.

*Tertio*, ob regiam dignitatem : leo enim est rex animalium ; sic Christus est Rex mundi, et princeps fidelium et Sanctorum.

*Quarto*, quia ut leo terribilis est impiis, eritque in die judicii. Leo enim solo rugitu ita percellit alia animalia, ut ea quasi stupefaciat et exanimet, ait Ambrosius. Et S. Hilarius in *Psalm.* CXXXI : « Leo, ait, terrori est feris omnibus, et hic solus per confidentiam et securitatem dormit intrepidus ; terror omnium vigilans est : » ita et Christus.

*Quinto*, sicut leo solus inter animalia quæ curvos habent ungues, mox ut natus est, oculos aperit, iisque videt et cernit : sic Christus mox ut conceptus fuit et incarnatus, vidit Deum, plenusque fuit sapientia et gratia.

*Sexto*, leo apertis oculis dormit ; unde a veteribus creditus est non dormire : hinc leo symbolum est vigilantiæ. Sic Christus in passione, totaque vita apertum habuit non tantum divinitatis, sed et humanitatis oculum per visionem beatificam, et per scientiam infusam : hinc dicitur hic habere oculos septem.

*Septimo*, addit S. Epiphanius, *hæres.* 78, quia mater Christi est leæna. Sicut enim leæna semel tantum parit, ita et B. Virgo. An hoc de leæna verum sit, disputavi *Ezech.* XIX.

*Octavo*, idem S. Epiphanius in *Physiol.* docet quod leo sua obtegens vestigia, sit symbolum Dei cognitu difficilis, et Christi. « Cum leo, inquit, in monte oberrat, et venatorem odoratur, sua ipsius vestigia cauda obtegit, ne illis insistentes venatores, lustrum inveniant, atque ipsum capiant. Sic Christus spiritualis leo, qui vicit ex tribu Juda, a Patre missus sua cooperuit vestigia, id est divinitatem suam : se enim exinanivit, et in Mariæ ventrem descendit, ut salvaret fraude deceptum genus. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quapropter illi qui ignorabant desuper ipsum descendisse, dicebant : Quis est iste Rex gloriæ ? Sanctus vero Spiritus : Dominus, inquit, virtutum ipse est Rex gloriæ. » Addit quod catulus leonis nascitur mortuus et cæcus, ac tertio die a patre leone in illum spirante, vitam et visum recipiat : sic et Christum gentes peccato mortuas et in fide cæcas vivificasse et illuminasse, cum tertio die a morte resurrexit. Verum hoc de leone negant Physici, nec videtur verisimile, nisi dicas leonis catulum non mortuum, sed dormitantem et mortuo similem a leone suscitari.

Denique virorum fortium sepulcro insculpebatur leo, uti factum Thebanis qui in acie contra Philippum ceciderant, docet Pausanias in *Bœoticis*. Cujus symboli auctorem fuisse Herculem docet Ptolemæus Hephæstion, et ex eo noster Nicolaus Causinus, *Elect. Symb.*, pag. 190. Christi ergo fortissime pro mundi salute occumbentis sepulcro debetur leo.

RADIX DAVID. — Syrus, *illa radix David*, nimirum celebris et eximia, non quæ Davidem produxit, sed quæ a Davide producta et generata est, *q. d.* Christus est radix, id est germus et stirps, ex radice, id est ex familia Davidis jam pene succisa, extincta, humi depressa, et in radice tantum sub terra quasi delitescente, subpullulans et prognatus, qui regiam hanc Davidis familiam, ejusque regnum non temporale, sed spirituale restituit, imo longe amplius et gloriosius quam fuerat sub Davide, effecit. Est metonymia. Unde Arabicus vertit, *de tribu Juda, et de radice David*. Hunc esse sensum patet cap. ult., vers. 16, ubi dicit Christus : « Ego sum radix et genus David. » Idem est ergo « radix » quod *genus*, id est propago et filius Davidis. Alludit ad *Isaiæ* XI, 1 : « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. » Et ad *Isaiæ* cap. LIII, vers. 1 : « Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. » Ita Ribera, Alcazar et alii. Hic sensus est genuinus. Audi tamen et aliorum interpretationes. *Primo*, Andreas et Rupertus : Dicitur, inquiunt, Christus radix David, quoad divinitatem, licet quoad humanitatem fuerit ipse ex radice Davidis. Christus enim qua homo, natus est ex semine David ; sed qua Deus, fuit radix, id est creator et Dominus, Davidis.

*Secundo*, quoad humanitatem, ait Aretas et Ansbertus, David fuit quasi semen ex quo ortus est Christus, qui est quasi radix germinans omnes fideles, omnem gratiam, omnem gloriam.

*Tertio*, Pererius : David, ait, fuit radix Christi quoad naturam ; Christus vicissim fuit radix Davidis respectu eximiæ sanctificationis, exaltationis et glorificationis Davidis. Ob hoc enim David ita a Deo exaltatus fuit, totque donis ab eo cumulatus, quod ex ejus stirpe nasciturus esset Christus, ideoque appellandus filius Davidis. Unde S. Bernardus, serm. 1 *De Paschate* : « Merito, ait, David sancte, filium tuum vocas Dominum tuum, quia non tu radicem portas, sed radix te. » Hinc Poloni, Rutheni et Moschi B. Virginem vocant *Bogorisa*, id est Dei radix, quia scilicet ex ea quasi radice natus est Christus Deus Deique Filius.

6. ET ECCE IN MEDIO THRONI ET QUATUOR ANIMALIUM. — « In medio, » id est inter thronum et quatuor animalia : non enim Agnus erat in ipso throno ; nam vers. 7 dicitur venisse et accepisse librum de manu sedentis in throno. Sed erat juxta thronum, sive proximus throno, ita ut medius esset inter thronum et quatuor animalia ac seniores. Est enim Agnus hic mediator Dei, angelorum et hominum. Hic ergo totius visionis fuit ordo. In throno sedebat Deus, proximus illi erat Agnus, quem sequebantur animalia cingentia tam Agnum, quam thronum a quatuor ejus lateribus ; post animalia sequebantur 24 seniores in suis



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

thronis considentes, una manu tenentes phialam aromatum, sive incensi, altera citharam; post seniores sequebantur millia millium Angelorum conclamantium : « Dignus es, Domine, » etc. Pulchra effigie hæc omnia repræsentat Alcazar, pag. 420.

AGNUM STANTEM. — Christus, qui ob fortitudinem paulo ante vocatus est leo, hic ob immolationem, mansuetudinem et innocentiam vocatur agnus. Hinc Joannes Baptista Christum digito ostendens : « Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, » *Joan.* I. Audi S. Bernardum, serm. 1 *De Paschate* : « Leonem Joannes audiverat, et agnum vidit; agnus aperuit librum, et apparuit leo : dignus est non amittere mansuetudinem, sed accipere fortitudinem, ut agnus maneat et leo sit. »

Nota : Christus dicitur « Agnus Dei, » quia a Deo, id est jussu et voluntate Dei, pro hominum redemptione est immolatus, sicut vocatur sacrificium Abrahæ, quod Abraham obtulit, ait Theophylactus, Euthymius et Maldonatus. Aut, quia ipsimet Deo est oblatus et immolatus. Aut « Dei, » id est divinus, propter divinitatem quæ in ipso erat. Aut, ut Clemens Alexandrinus, lib. 1 *Pædag.*, cap. V, et ex eo Toletus in cap. I *S. Joannis*, quia pro nobis factus est puer et infans Patris; pueros enim Agnos vocamus. Verba Clementis sunt : « Quoniam Scriptura pueros et infantes Agnos vocat, Deum, qui est Verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat, vocavit Agnum Dei, Filium Dei, infantem Patris, » *q. d.* Christus est Agnus Dei, id est Filius Dei : Agnus enim Filium notat; sicut *Genes.* XLIX, catulus leonis dicitur, ut significetur mystice Filius Dei, quod multi antiqui annotarunt. Ita hic non ovem, non bovem, sed Agnum vocat, ut hominem hunc significet esse Filium Dei, non Patrem, non Spiritum Sanctum. Porro τὸ *infantem Patris* a Clemente improprie dicitur : Christus enim æqualis Patri, eique coævus, non recte dicitur infans Patris, qua Deus est : nam qua homo est, recte id de eo dici potest. Joannem Baptistam sequitur noster Joannes Evangelista, qui Christum identidem vocat Agnum, mireque voce Agni delectatur, adeo ut in Apocalypsi vigesies septies eum nuncupet Agnum, uti videre est in *Concordantiis Bibliorum*. Pulchre S. Augustinus, serm. 50 *De Verbis Domini* : « Quid dicis, ait, Domine, bone Pastor? Tu enim bonus Pastor, qui bonus agnus : idem Pastor et pascua, idem agnus et leo. »

Hinc et S. Petrus spectans Christi innocentiam, redemptos nos esse dicit « pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi. » Ob hasce ergo agni de Christo figuras et prophetias, vetus fuit mos Christum depingendi agni specie, quem præcursor digito ostendit, ut docet sexta Synodus habita in Trullo *Can.* 82, ubi et hunc morem retineri jubet causamque addit, « ut per ipsum, (Agnum) ait, Verbi Dei humiliationem mente comprehendentis, ad memoriam quoque ejus in carne conversationis, ejusque passionis et salutaris mortis ducamur, ejusque quæ ex eo facta est, mundi redemptionis. » Atque hunc usum Romana et Latina Ecclesia semper retinuit, licet Græci, ob calumnias Iconoclastarum, aliquando vetuerint Christum alia specie pingi, quam humana, ob causam quam affert Gabriel Vasquez, lib. II *De Adorat.*, cap. II; Romæ enim et in aliis Ecclesiis Latinorum, « in antiquis cœmeteriis et sepulcris videre est Christum musivo opere pictum, vel sculptum quasi agnum; sed et ex cera sacra solitas confici agnorum imagines in Ordine Romano a Gelasio collecto (ut constantior opinio est) ex antiquo ejus Ecclesiæ usu hæc habentur. In eadem Dominica post Albas, id est, in Octava Paschæ, intra Civitatem Romanam dantur agni cerei ab Archidiacono in Ecclesia post missam et communionem populo, etc. Hæc quidem antiquitus in Ecclesia Romana servata, nunquam posica intermissa, hactenus perseverant, ait Cardinalis Baronius, » anno Christi 692, pag. 614.

Nota hic usum agnorum cereorum benedictorum, quasi usitatum et antiquum laudari a Gelasio, qui vixit ante annos mille et centum, puta sub annum Christi 500. Nimirum baptizati, cum vestem candidam baptismo acceptam deponebant Dominica in Albis, ejus loco accipiebant hunc agnum cereum a Pontifice benedictum, ut monerentur Agnum Christum, ejusque innocentiam baptismo acceptam jugiter præ oculis habere et conservare. Vide Josephum Vicecomitem in *Observat. Eccles.*

Denique Sergius Papa, anno Christi 701 : « Statuit ut tempore Dominici corporis, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis, a clero et populo decantaretur, » ait Anastasius Bibliothecarius, et ex eo Baronius. Ita nimirum voluit Ecclesia Agni hujus ideam, memoriam, amorem, cultum et invocationem jugiter nobis objicere.

Tropologice per hanc agni speciem significavit Christus, quam sibi Deoque pretiosa et chara sit mansuetudo, quamque ipsa sit fortis et invicta : nimirum Christus, utpote Agnus Dei primogenitus, amat agnellos, amat agnos, amat agnetes, amat innocentes, amat virgines, amat martyres, quia mites, et per mansuetudinem facit eos omnibus hostibus, omnibus tormentis, omnibus tentationibus superiores. Hoc ergo est secretum quod per agnum nos docet Christus, nimirum mansuetudinem et patientiam esse fidelium scuta in bello defensivo, æque ac tela in bello offensivo invicta, quibus omnia adversa, omnesque adversarii superantur, imo subjugantur. Mansuetudo enim non tantum vincit hostes, sed et superat vitia, non solum superbiam, iram, invidiam, impatientiam, sed et libidinem omnemque concupiscentiam, uti docet Cassianus et prisci Ascetæ, quin et ipsa Veritas clare pronuntiat : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, » *Matth.* cap. V.



STANTEM, — id est jacentem, inquit Alcazar : sequitur enim : « Tanquam occisum; » agni enim occisi jacere solent, non stare. Verum Græcum ἑστηκὸς proprie significat stantem, non jacentem, et ita vertunt hic omnes Interpretes; licet enim Agnus hic olim fuerit occisus, jam tamen erat vivens. Venit enim et accepit librum de manu sedentis in throno vers. 7. Stabat ergo, non jacebat. *Primo* ergo, « stantem, » quia Christus resurrexit ad vitam immortalem, ait Glossa. *Secundo*, « stantem, » quasi paratum ad perficiendum opus redemptionis a se inchoatum, inquit Richardus. *Tertio*, « stantem, » ad judicandum, ait Pannonius. *Quarto*, « stantem, » ad opitulandum, ait Ansbertus, Hugo et alii. *Quinto*, S. Augustinus in *Quæst. novi Testamenti*, Quæst. LXXXVIII : Christus, ait, stat coram throno Dei, quasi advocatus noster pro nobis interpellans.

TANQUAM OCCISUM, — in præterito (*occisum* enim est præteriti temporis), non in præsenti, hoc est, non qui adhuc esset occisus et mortuus, sed qui brevi tempore, puta per triduum, occisus et mortuus fuerat; nam statim tertia die resurrexit et revixit : unde hic vivus et gloriosus Joanni apparuit, visusque est stare, non jacere : ita Aretas, Ambrosius et Haymo. Christi enim mors ob celeritatem resurrectionis, non tam mors, quæ corruptionem corporis et dissolutionem membrorum inducit, quam mortis imago et somnus quidam fuit. Unde seniores in suo hymno ei acclamant vers. 9 : « Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo. »

*Secundo*, « tanquam occisum, » quia Christus resurgens servavit quinque vulnerum, quibus occisus est, cicatrices; unde ob has similis occiso videbatur. Ita Andreas Cæsariensis.

Aliter Aureolus et Lyranus : censent enim Christum dici « Agnum tanquam occisum, » propter Eucharistiam, in qua Christus non est occisus, sed tanquam occisus, quia Eucharistia repræsentat nobis occisionem et mortem Christi : ita Alcazar. Tota hac visione, inquit, alluditur ad templum Salomonis, uti dixi in fine cap. IV. In Agno ergo hoc alluditur ad juge sacrificium, agni scilicet, qui quotidie offerebatur tam mane, quam vespere, ut jusserat Deus *Exodi* XXIX, 39. Ut scilicet per eum jugiter repræsentaretur hic Agnus Dei, qui in Eucharistia quotidie immolatur in Ecclesia Christiana, cujus jugi immolationi debet Ecclesia septem sigillorum apertionem, et adytorum sapientiæ cœlestis perfectam penetrationem. Hinc pro *tanquam occisum*, græce est ὡς ἐσφαγμένον, id est *tanquam jugulatum et immolatum*. Sic enim Hebraice זבח *zabach*, id est sacrificare, immolare, vertere solent Septuaginta. Apparuit ergo hic Joanni Agnus tanquam occisus, et deinde surrexit, et ad Patris æterni solium ascendit, acceptoque de ipsius dextera libro, aperuit eum, quod perinde est ac si diceretur : Id quod Christus mortem subiens, resurgens et gloriose ascendens effecit (scilicet reconciliare nos Deo, suamque virtutem et potentiam ostendere resurgendo, altissimumque cœli locum et thronum ascendendo, indeque suum spiritum in Apostolos et fideles emittendo), idipsum quotidie refici, rursumque fieri et repræsentari in hoc sacrificio Missæ; ac proinde ab hoc sacrificio in Ecclesiam orthodoxam dimanare communicationem Spiritus Sancti : quæ mysteria libri septem sigillis clausi reserat et explicat. Hinc S. Andreas Ægeæ proconsuli cogenti eum ad sacrificandum idolis respondit : « Ego omnipotenti Deo, qui unus et verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus. »

Hic sensus elegans est et pius, ad eumque respexit et allusit hic Spiritus Sanctus, sed mysticus potius quam litteralis. Nam ad litteram hic Joannes vidit Christum, non in Eucharistia, sed in se sub specie Agni in cruce occisi et immolati. Verum, quia idem est Agnus qui quotidie immolatur in Eucharistia, quæ eumdem in cruce occisum repræsentat et exhibet, hinc ad Eucharistiam quoque symbolice hæc extendi possunt. Idem enim est sacrificium crucis et Eucharistiæ, sive victimam, sive repræsentationem, sive fructum et effectum species.

HABENTEM CORNUA SEPTEM, ET OCULOS SEPTEM. — Alcazar satis concinne hæc septem cornua in Agno depingit, ita ut in modum coronæ caput, puta summitatem frontis, ambiant : deinde eodem modo singulos oculos singulis cornibus supponit, et æquali intervallo distribuit : ac præter hos septem oculos symbolicos, duos dat ipsi naturales, eo loco et modo, quo solent habere agni.

Quæres, quænam sint hæc cornua septem, et oculi septem? *Primo*, Viegas : Septem, inquit, cornua significant plenam potestatem, fortitudinem et imperium Christi, quod adeptus est in sua passione, moxque resurgens ostendit. Huc accedit Alcazar : Significantur, ait, hic septem spiritus, id est dotes providentiæ divinæ, de quibus dictum est cap. I, vers. 4, sensusque est, *q. d.* Deus Pater communicavit Christo homini hasce suas septem dotes, eumque constituit totius mundi monarcham et universalem rectorem. Nam « Pater potestatem dedit ei (Filio) judicium facere, quia filius hominis est, » *Joan.* V, 27; unde de eo ait Isaias cap. XVI, vers. 1 : « Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ. » Hinc cornua hæc disposita erant in modum coronæ, quæ principatum significat. Unde infert Alcazar cum Ruperto, septem spiritus, septem cornua, septem lampades, septem oculos, septem sigilla libri, hæc, inquam, omnia unum idemque significare. *Secundo*, Ansbertus, Beda et Rupertus, per septem cornua et septem oculos, censent significari septem dona

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Spiritus Sancti, quæ dicuntur oculi, ob gratiam et vim illuminandi quam habent : dicuntur et cornua, ob excellentiam fortitudinis et potentiæ quam continent. *Tertio*, Joachim per septem cornua accipit septem angelos Ecclesiarum Asiæ, de quibus cap. II et III. *Quarto*, Ambrosius per septem cornua accipit septem mundi ætates ab Adam usque ad finem mundi; vel potius omnes Sanctos et electos Christi, qui septem, id est omnibus ætatibus, puta quolibet sæculo, floruerunt. *Quinto*, Dionysius per septem cornua accipit omnia regna et imperia mundi, quæ sunt in manu et potestate Christi. *Sexto* et optime, Pererius et Ribera per septem cornua et septem oculos accipiunt septem spiritus, uti mox se explicat Joannes, puta septem angelos primarios præsides Ecclesiæ et totius mundi, de quibus cap. I, vers. 4, et cap. IV, vers. 5. Hi dicuntur esse cornua, quia sunt fortissimi ad profligandos dæmones, ad tutandam Ecclesiam ad patranda miracula, ad defensionem justorum et vindictam impiorum. Iidem vocantur oculi, quia perspicacissimi sunt et vigilantissimi ad Dei voluntatem cognoscendam et explendam, ad Ecclesiæ et hominum salutem procurandam : unde de iis dicitur *Zachar*. IV, 10 : « Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram, » uti et hic dicuntur missi in omnem terram, quod non potest de aliis quam de angelis hisce accipi.

Porro hæc cornua agni fortissima esse patet, quia iis subegit totum orbem; unde rhinoceroti comparantur *Deuter*. XXXIII, 17 : « Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit Gentes, » quod de cornibus crucis Christi, qua occisus est, et meruit hæc angelorum cornua, mystice explicans Tertullianus, lib. *Contra Judæos* : « Christus, inquit, significabatur, cujus cornua essent crucis extima; hac enim virtute crucis universas gentes nunc ventilat per fidem, auferens a terra in cœlum, et tunc ventilabit per judicium. » De hisce crucis Christi cornibus prophetat et Habacuc cap. III, vers. 4, dicens : « Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus; » pro quo Septuaginta vertunt : *Cornua in manibus ejus, et posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ*; nimirum : « Idcirco, inquit S. Hieronymus, Deus Pater operuit cœlos gloria, et terram replevit laude, et cornua, id est regnum posuit in manu Filii sui, ut faceret dilectum suum ab hominibus diligi, et diligi non leviter, sed vehementer et fortiter. » Fortis enim sicut mors fuit ejus in nos dilectio, dura sicut infernus æmulatio : quæ proinde fortes amoris sagittas in nos jacet, quibus cor nostrum sauciat et penetrat, ut forti amore eum redamemus, et per cruces, per tela, per hostes et ignes post eum curramus, dicentes cum Paulo : « Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames? » etc.

7. ET VENIT, ET ACCEPIT DE DEXTERA SEDENTIS IN THRONO LIBRUM. — Hac visione et symbolo significatur Christum habere omnem scientiam, curam et providentiam Ecclesiæ et suorum electorum. Rursum, eum ex libro hoc decretorum Dei, tanquam judicem impiis pœnas et supplicia, æque ac piis præmia pronuntiare et irrogare.

Alcazar sic explicat, *q. d.* Agnus qui jacebat quasi occisus, subito surrexit quasi leo, dum scilicet tertia die a morte et inferis resurrexit; et librum cum ingenti mundi totius stupore reseravit, dum hominibus Dei mysteria et abdita suæ sapientiæ penetralia manifestavit. Verum vers. præc. audivimus et vidimus « Agnum stantem, » non jacentem; nisi dicas Agnum non in latus demisso in terram capite decubuisse, sed innixum genibus erectum procubuisse, uti solent agni et oves dum comedunt et ruminant, ut simul stetisse et jacuisse dici possit, ac consequenter surrexisse et in pedes se erexisse cum accessit ad thronum Dei, accepturus ab eo librum. Licet enim haberet signa et cicatrices mortis obitæ, ob easque videretur occisus et mortuus, revera tamen erat vivus jam pridem, puta ab annis 63 (tot enim sunt ab anno Christi 34, quo mortuus est et resurrexit, ad annum Christi 97, quo hæc vidit et scripsit Joannes) a morte resurrexerat.

Porro Agnus pedibus excepit, et aperuit librum; pedes enim agno sunt vice manuum. Sic videmus simias et alia animalia pedibus efficere ea, quæ manibus efficiunt homines : ita et Agnus hic pedibus pro manibus usus est : præsertim quia symbolicus fuit in visione apparens Joanni, non verus et realis (1).

Mystice Rupertus notat dici « de dextera, » quæ bona æterna, non *de sinistra*, quæ bona caduca repræsentat. « Valde notandum, inquit, quia veniens Christus in hunc mundum per incarnationis mysterium, nihil divitiarum aut gloriæ de sinistra; sed tantummodo librum, sive igneam legem accepit de dextera : bonum exemplum cunctis præbens discipulis et credentibus in se, nihil divitiarum, aut gloriæ voluit, aut quæsivit in hoc mundo. »

8. ET CUM APERUISSET LIBRUM. — Dices : Necdum reseraverat Agnus sigilla libri; illa enim reserat cap. VI et seq. Quomodo ergo hic dicitur aperuisse librum, cum liber aperiri non potuerit, nisi prius apertis sigillis? Respondet primo Beda, esse hic mysterium : nam quod prius apertus sit liber, deinde aperta sint sigilla, significat quod Christus ubi resurrexit aperuit librum, sed in Pentecoste cum misit Spiritum Sanctum, tunc demum mysteria libri reseravit. Hinc alii dicunt Christum primo aperuisse librum, id est, dedisse suis fidem mysteriorum divinorum; deinde reserasse sigilla, id est, clariorem eorumdem intelligentiam communicasse. Verum alia sunt mysteria libri, alia

(1) Frustra quæritur, quomodo *agnus* potuerit *accipere et aperire librum*. Nam ipse intelligitur Christus, qui a Joanne similis fingitur agno, non quoad formam, sed quoad attributa. Ita multi.



sigillorum; nec poterat aperiri liber ejusque mysteria, nisi prius apertis sigillis, uti jam dixi.

*Secundo*, alii respondent esse prolepsin, sive anticipationem. Præponi enim hic apertionem libri quæ posterius, scilicet post reserata sigilla contigit. Verum hæc prolepsis durior et nimis anticipata videtur : præsertim quia cap. VIII, post apertum septimum et ultimum sigillum, dicitur fuisse altum in cœlo silentium per dimidiam horam; ergo non potuit tunc contingere hæc seniorum et Angelorum adoratio, Deique glorificatio.

Dico ergo, « cum aperuisset, » id est, aperire cœpisset, « librum, » nam sensim et ordine singula libri sigilla reseravit, ut patet cap. VI, vers. 1 et sequent. Significatur ergo hic actus inchoatus, non consummatus, uti et sæpe alibi. Cum enim viderunt seniores et angeli Agnum posse aperire librum, et de facto eum aperire primum sigillum, antequam illud plene aperuisset, statim proruperunt in doxologiam : unde Græca habent ὅτε ἔλαβε, *cum accepisset* librum; et ita legit Primasius, Arias et alii : licet Alcazar dicat se vidisse codicem Græcum in quo legebatur, ὅτε ἤνοιξε, id est, *cum aperuisset*; sic etiam legisse videtur noster Interpres.

Aliter respondet Alcazar, scilicet, librum hunc sæpius fuisse apertum, et rursum clausum. Itaque Agnum hic primo perfecte aperuisse librum, et omnia ejus sigilla reserasse, ut ostenderet suas vires et facultatem : unde mox seniores et angeli ipsum æque ac Deum glorificarunt; quo facto Agnus rursum clausit librum, suisque sigillis obseravit. Denique eumdem iterum, sensim reserando ejus sigilla cap. VI. et seq., aperuit, ut plenius et planius singulorum sigillorum mysteria contemplanda proponeret. Verum de hac iterata et frequenti libri apertione et clausura nihil dicit Joannes : eaque levior videtur, minusque Agni gravitatem decebat (1).

Nota : Hæc omnia non revera fiebant, nec reipsa gerebantur, sed tantum symbolice in visione. Angelus enim hæc symbola pingebat in phantasia S. Joannis, ut ipse sibi videretur videre thronum, quatuor animalia, seniores, Agnum accipientem librum, ejusque sigilla reserantem.

Symbolice, S. Gregorius, homil. 16 *in Ezech.* : « Signatum, ait, librum solus Leo de tribu Juda aperuit, quia omnia ejus nobis mysteria in sua passione ac resurrectione patefecit. Et per hoc quod infirmitatis nostræ mala pertulit, sua nobis potentiæ et claritatis bona monstravit. Caro enim factus est, ut nos spiritales faceret; benigne inclinatus est, ut levaret; exiit, ut introduceret; visibilis apparuit, ut invisibilia monstraret; flagella pertulit, ut sanaret; opprobria et irrisiones sustinuit, ut ab opprobrio æterno liberaret; mortuus est, ut vivificaret. Agamus ergo gratias vivificanti et mortuo (2). »

HABENTES SINGULI CITHARAS. — « Singuli, » scilicet 24 seniores. Ansbertus et Alcazar τὸ *singuli* etiam extendunt ad quatuor animalia, per enallagen generis masculini, quod hic complectitur et neutrum : unde ipse pingit quatuor animalia, æque ac seniores, una manu tenentes citharam, altera phialam incensi, sive thymiamatis; sed ita ut cum citharam pulsabant, phialam ante se deponerent.

CITHARAS ET PHIALAS AUREAS PLENAS ODORAMENTORUM. — Citharæ, ait Andreas, significant concinnam suavemque Dei laudem; thymiama significat sacrificium, quod fideles per castimoniam et morum integritatem Deo offerunt; phialæ sunt piæ castæque cogitationes, ex quibus hoc thymiama exhalat.

*Secundo*, Rupertus : Citharæ, ait, sunt pectora casta, cum plectro linguæ laudes Dei personantia; phialæ sunt corda charitate dilatata. Ita et phialas explicat Richardus, Beda et Hugo; imo Ansbertus : Phiala, inquit, est charitas; est aurea, id est, pretiosa. Ita et Viegas.

*Tertio*, Richardus rursum : Citharæ, ait, quæ manu pulsantur, significant bona opera Sanctorum, quæ suis effectibus, suaque fama quasi sonis suavibus, æque ac vehementibus, proximos ad Dei amorem excitant. Sic et Pannonius per citharas accipit spiritualem harmoniam, ex variarum virtutum consonantia resultantem, per quam Sancti semper Deum laudant. Est enim in citharæ chordis suus cuique sonus, gravis, acutus, medius, atque alius aliis : hos modulatur et contemperat arte sua citharœdus. Ita sensus in corpore sunt, quasi chordæ in cithara, compositi : citharœdus est mens sapiens, quæ cum illis imperat, discernit animus quid absonum, quid concinnum sit, quale sit unicuique rei temperamentum adhibendum, ut nihil meditetur, aggrediatur, faciat, quod modulis et tonis non respondeat, unde concors concentus exaudiatur. Hinc nonnulli concordiam dici putant, quod chordæ variæ in unam conveniant harmoniam : licet alii concordiam a corde dictam malint. Ita Cicero *Tuscul*. 1 : « Aliis, inquit, cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur. » Hic sensus illustris est, sed moralis et tropologicus. Quocirca cithara hieroglyphicum est animi sedati et compositi, imo et causa. Hinc Spartani ad lyræ citharæque sonum acies instruebant, rejectis tubis et classicis, ut sedatiore animo prælium aggrederentur. Unde Homerus strepitum et tumultum in congressu primo barbaris dedit, cum Græci semsim et taciturni in pugnam progrederentur. Hanc tamen in Pompeio frigidam cunctationem repre-

(1) Verschraege : *Dum Agnus librum sibi traditum discooperuerat*, nempe auferendo tegumentum cui fuerat involutus, ita ut liber exterius videri posset.

(2) Jam quum expectatissimo libri illius, e Dei manu traditi, legendi negotio unice dignus appareat Messias, jure tota cœlestium cohors in gaudium, venerationem et adorationem rapta, laudes canit tanto Redemptori pares.

hendit Cæsar, cum in Pharsalia ardore militum victor evasisset. Ita Pierius, *Hierog.* XLVII, cap. x (1).

*Quarto*, Alcazar : Adoratio, inquit, Agni referenda est ad Missæ sacrificium; illæ enim gratiæ Christo redemptori nostro præ cæteris placent, quæ illi in altaris sacrificio referuntur : quod idcirco nominatur Eucharistia, id est gratiarum actio, et in eo Christo gratiæ aguntur, quod nos sanguine suo redemerit, et plurimis aliis beneficiis, quæ ex redemptione dimanarunt, cumulaverit. Hinc adorantes dicunt : « Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo. » Ratio ejus est, quia censet ipse 24 seniores esse sacerdotes novi Testamenti, quorum proprium est sacrificare et offerre Missæ sacrificium : hæc enim est eorum adoratio, et Eucharistia, id est, gratiarum actio. Habent ergo citharas, easque pulsant, id est exultant et gratias agunt Deo ob peccatorum conversionem. Agunt enim gratias Deo et Christo, quod hominibus duris suum spiritum communicarit, cum aperuit eis librum signatum, id est, cum eos luce suæ doctrinæ et Evangelii illustravit, uti fecit Saulo, cum eum effecit Paulum. Citharæ enim significant gaudium ac lætitiæ voluptatem. Phialæ aureæ sunt calices aurei, quibus sacrificium Missæ offerunt : hi enim calices spiritualiter præstant idem quod phialæ sive prunaria, in quibus odores incenduntur. Nam sacerdotes in calice missæ offerunt thymiama, id est contritionem et orationes eorum, qui ad Dei cognitionem et amorem sunt traducti. Unde in calicis oblatione dicitur : « Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ, pro nostra et totius mundi salute ascendat. » Verum hæc omnia allegorica sunt et mystica, non litteralia. Adde : alia plane est forma et usus phialarum, alia calicum; calices enim profundi sunt et arcti, phialæ latæ et planæ, uti ipse eas depingit.

*Quinto* ergo, genuine et plane ad litteram, per citharas *primo*, per synecdochen intellige instrumenta musica, puta organa, citharas, chelydes, tibias, etc., quibus Sancti in corpore glorioso psallunt et laudant Deum : hæc enim in cœlo fore insinuat hic S. Joannes, uti et cap. XIV, vers. 2, ubi e cœlo audivit vocem et symphoniam quasi « citharœdorum citharizantium in citharis suis. » Corpora enim et aures Beatorum, uti et reliqui sensus, æque ac mens et spiritus, suam in cœlo habebunt voluptatem, eamque summam. Major autem et suavior est melodia instrumentorum, quam vocum ; summa vero melodia est planeque perfecta, cum vocibus organa, citharæ et chelydes consonant et concrepant. Si ergo hic in ecclesiis laudamus Deum, non tantum vocibus, sed et organis, aliisque instrumentis musicis, quidni et in cœlo, ubi longe plenior et consonantior erit Dei laus et hymnodia? Porro citharæ illæ cœlestes et organa longe nostris pretiosiores, subilimiores et resonantiores sunt. Hinc S. Anselmus in *Elucidar.* : « O qualis, ait, voluptas auditus illorum, quibus incessanter sonant harmoniæ cœlorum, et concentus angelorum, dulcisona organa omnium Sanctorum! » S. Augustinus in *Meditat.*, cap. XXV. « Omne, ait, opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore. Felix ergo, et vere in perpetuum felix, si post resolutionem hujus corpusculi audire meruero illa cantica cœlestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni ab illis supernæ patriæ civibus. » Et Clarius, cap. XXVI in *Hymno paradisi* : « Novas, ait, semper harmonias vox meloda concrepat, et in jubilum prolata mulcent aures organa; qui sunt victores, Regi dant præconia. »

Denique in *Vitis Sanctorum* legimus non raro eos audisse musicam, non tantum vocum, sed et instrumentorum cœlestium, uti de S. Francisco refert S. Bonaventura, quod, cum averet audire cœlestem musicam, Deo annuente audierit angelum scitissime citharam pulsantem.

*Secundo*, per citharas intellige cum Andrea Cæsariensi et Areta, quamlibet modulationem et hymnodiam, qua ore consono omnes Sancti uniformiter laudant Deum; ut sit metalepsis, *q. d.* Expediti erant hi 24 seniores cum quatuor animalibus, parati, prompti et avidi ad modulandum hymnos eucharisticos, et ad Dei Agnique laudes personandum, idque concorditer et consonanter, ac si omnes citharœdi fuissent. Nam in multarum vocum, æque ac cithararum, aliorumve instrumentorum musicorum concentu, innuitur eleganter admirabilis Beatorum charitas et concordia, atque maxima Dei Christique gloria, quæ ex illo concordi consensu, communique omnium doxologia emicat et splendescit. Musica enim concordiæ est symbolum, ut non tantum sacri Scriptores, sed et Plato ac Cicero docuerunt. Nominat citharas, quia hæ suave resonant melos. Cœlo ergo competunt citharæ, ubi felix est voluptas; terræ tuba, ubi sunt prælia.

Guilielmus Parisiensis, lib. II *De Univ.*, *part.* II, fol. 196, col. 2, ait : « Os cujuscumque glorificati erit sicut cithara chordarum innumerabilium, et innumerabilium fistularum; et erit sonoritas ex ore uniuscujusque glorificati hominis concentus vocum sive sonorum innumerabilium, mira et incogitabili nobis hic suavitate sibi invicem consonantium, et auribus perfectionis illius simul audibilium. » Hoc est quod ait Psaltes, *Ps.* CXLIX, vers. 5 : « Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis : exaltationes Dei in gutture eorum. » Ubi S. Basilius : « Exaltationes, ait, hymnodias et psalmodias dicit. » Citharæ ergo hæ significant summum Beatorum gaudium et jubilum; *secundo*, summam Dei laudem; *tertio*, summam eorum inter se concordiam et consonantiam.

(1) Bossuetius : Citharæ significant cœleste gaudium, perfectumque in Beatis sensuum ac passionum cum ratione consensum.



Mystice et tropologice, Primasius per citharam accipit crucem Agni, id est Christi (ejus enim insignia gestant hi seniores Agni stipatores et assecIæ), ejusque passionis et mortificationis imitationem. Sic et Beda, Rupertus, Ansbertus et Hugo, per citharas accipiunt mortificationem carnis, per quam 24 seniores aliique Sancti ad cœlum, cœlestesque has citharas ac thronos pervenerunt; idque *primo*, quia uti in cithara chordæ, sic in mortificatione membra distenduntur et cruciantur. Tales citharæ suave melos in auribus Dei resonantes, fuere Martyres in equuleo distenti et pulsati, uti S. Romanus, cujus hæc est vox apud Prudentium in *Hymno* :

Miserum putatis, quod retortis pendeo
Extensus ulnis, quod revelluntur pedes,
Compago nervis quod sonat crepantibus.

Et rursum :

Audite cuncti, clamo longe ac prædico,
Emitto vocem de catasta celsior.

In hac cithara cycnæum canticum cecinit Guardianus Minoritarum Cantuariensis, qui cum suis Religiosis ab Henrico VIII, Angliæ rege, anno Christi 1537, damnatus ad patibulum, cum scalas conscenderet, psallebat : « Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est, » uti referunt *Martyrologia Anglic.*

*Secundo*, quia, ut ait Ansbertus, in cithara aliæ chordæ magis, aliæ minus tenduntur, ut aliæ acutum, aliæ gravem sonum edentes faciant concentum; sic et in Ecclesia, alii plus mortificationis subeunt, alii minus, sed plus vacant operibus charitatis et misericordiæ, atque ex omnibus pulchra fit consonantia qua Deus laudatur.

*Tertio*, ut ait S. Gregorius, lib. III *Moral.*, cap. III, sicut in cithara chorda, si minus tendatur, non sonat; si nimis, raucum sonat : ita mortificatio, si levior sit, vel rigidior justo, in Dei auribus non sonat, nec ei placet.

*Quarto*, sicut cithara ex inferiore parte sonat, ita mortificatio inferiores animæ vires et carnem domando, personare eas facit, Deumque laudare. Ita S. Augustinus in illud *Psalm.* XLII : « Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus; » quo hic alludit S. Joannes.

Rursum, noster Viegas et alii per citharas accipiunt prædicationem Evangelii et verbi Dei, ipsosque ejus præcones, de quibus mystice ait Isaias, cap. XVI : « Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit. » Ubi S. Hieronymus docet concionatorem, quasi citharam, omnium virtutum consonantia excellere debere. Sic Clemens Alexandrinus in *Exhort. ad Gentes*, ait Christum fuisse novum quemdam citharœdum, qui nova concentus suavitate omnia ad se traxit instar Amphionis, de quo dicitur : « Movit Amphion lapides canendo. » Et instar Orphei, quem solo cantu feras, sylvas et rupes attraxisse fabulantur Poetæ. « Sic enim Christus, inquit, Gentiles, qui erant quasi lupi, imo lapides et saxa, quia lapides et saxa colebant, ad se traxit, eaque in homines transformavit. Vide quantum potuit canticum novum, quod ex lapidibus et feris homines effecit. » Ita Alexander monachus in *Vita S. Barnabæ* : « Barnabas, ait, magnus Ecclesiæ orator, Evangelicæ prædicationis tuba, magna Christi vox, Spiritus Sancti cithara, divinæ gratiæ plectrum, virginitatis margarita, » etc. Huc spectat versiculus a Spartanis decantari solitus, quem citat Plutarchus, lib. II *De Fortuna Alexandri* :

Vergit ad lethale ferrum, lepida cithara canere.

Quo significabant certis citharæ modis et modulationibus sedari motus animorum, alios audientes exstimulari ad prælium. Cum Alexander Magnus audisset Antigenidam tibia modos incinentem, qui vocantur Harmatii, adeo inflammatus est, ut simul cum armis exurgens manus injecerit in proxime assidentes. Veteres in hisce musicæ tonis excelluerunt, ut ad libitum variando tonum et modulationem, nunc ad risum, mox ad fletum, inde subito ad bilem audientes concitarent, ita ut eorum affectus viderentur habere in sua manu et potestate. Tales etiamnum sunt nonnulli, præsertim in Italia. Talis sit concionator. Vere enim dixit S. Augustinus, lib. X *Confes.*, cap. XXXIII, et ex eo S. Thomas, II II, *Quæst.* XCI, art. 2, in fine : « Omnes affectus spiritus nostri, pro sua diversitate habent proprios modos in voce atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur. » Atque est causa, cur in Italia, præsertim in Apulia, videamus eos qui tarantularum morsu lethargo corripiuntur, certo harmoniæ tono excitari, et saltando sudandoque venenum excutere.

In vocum ergo et cithararum consociatione, significatur hic perfecta Evangelii prædicatio, in qua exemplum sanctæ vitæ cum sana doctrina vocis conjungendum et consociandum est. Ore enim canitur, cithara vero manibus pulsatur. Tales fuerunt Apostoli, suntque etiamnum viri Apostolici, qui manum æque ac linguam in Dei laudem moventes, sunt quasi divini Orphei et Amphiones, qui feras, sylvas et saxa, id est homines feros, rudes, duros et barbaros ad Christi fidem et sanctimoniam pertraxerunt et pertrahunt. Quos quasi cœlestes sapientes, oratores et musicos dilaudans Ecclesiasticus, cap. XXXIX, vers. 17, adhortatur et incitat dicens : « Obaudite me, divini fructus, » id est, ut græce, υἱοὶ ὅσιοι, id est *filii sancti*, « florete, » id est producite, « flores » quasi lilium, « et date odorem, et frondete in gratiam, » id est cum gratia, et gratiose, quasi dicat : Deum sanctitatis sanctæque famæ odore, et Christianæ simul eloquentiæ gratia prædicate, ut cum Paulo Christi bonus odor sitis toti mundo in vitam. « Date nomini ejus magnificentiam in canticis labiorum et citharis, » *q. d.* Labia manibus sociate, plectro labiorum æque ac manuum personate



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christi, ejusque Evangelii laudes : hac harmonia corda etiam durissima mulcebitis, et ad Dei amorem et laudem pellicietis; itaque per vos, et per ipsos a vobis conversos, magnifice celebrabitis Dei Christique gratiam et gloriam. Hic sensus pius est et elegans, sed mysticus, non litteralis, uti ejus auctores volunt. Nam horum citharizantium in hoc capite voces et melodia, ad litteram non dirigitur ad populum, sed ad Deum et Agnum, quos hymno eucharistico glorificant. Est ergo hic doxologia Dei et Agni, non autem concio ad populum, nec Evangelii prædicatio.

Et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. — Symbolice phialæ hic adhibentur (revera enim in cœlo Sancti non egent phialis, ut offerant Deo orationes sanctorum), visæque sunt Joanni; quia in phialis solet thymiama offerri in templo Salomonis, in altari thymiamatis, ad quod hic alluditur. Thymiama enim componebatur ex odoramentis, puta ex galbano, stacte, onycha et thure quorum litteralem et moralem explicationem recensui Exodi cap. xxx, vers. 34.

Nota : Orationes Sanctorum comparantur hic suffitui non cujusvis rei, sed odoramentorum. Primo, quia oratio instar thuris sursum ascendit. Hinc ait Psaltes, Psalm. cxl, vers. 2 : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. » Secundo, quia uti thus est odoratum, ita orationes Sanctorum Deum, ejusque nares subtiles et divinas oblectant. Hinc de sacrificio et orationibus Noe dicitur Genes. viii, 21 : « Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait : Nequaquam ultra maledicam terræ. » Tertio, ut thus fœtorem, ita oratio peccatum abigit, Deique iram mitigat. Quarto, thymiama in igne adolebatur et cremabatur : ita oratio in igne tribulationum exardescit. Quinto, thymiama fiebat ex aromatibus contusis, sic oratio ex animo mortificato et humili procedere debet. Hinc S. Gregorius, hom. 22 in Ezech., explicans illud Cantic. iii, 6, Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? « Fumus, inquit, ex aromatibus compunctio est orationis concepta ex virtutibus amoris; quæ tamen oratio virgula fumi dicitur, quia, dum sola cœlestia postulat secreta, progreditur, ut ad terrena petenda minime reflectatur. Subjungitur, Myrrhæ et thuris, quia thus in sacrificium incenditur, myrrha corpora mortua conduntur, ne vermibus corrumpantur. Quare myrrhæ et thuris sacrificium offerunt, qui et carnem affligunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, et redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt. »

Addit Viegas ignem quo thymiamata in Sancto incendebantur, deferri consuevisse ex altari holocaustorum, quod erat in atrio, ad altare thymiamatis, quod erat in Sancto; quia videlicet orationum fervor ex perfecta mortificatione oritur, a qua nunquam cessandum est, propter assiduos concupiscentiæ spiritui rebellantis motus; hoc enim significat ignis, qui jugiter in altari holocaustorum ex lege Dei, Levit. cap. vi, 12, alendus erat. Qui ergo orationi vacare studet non incumbens mortificationi, perinde facit, ac si quis sine igne thymiama incendere vellet. Unde Cantic. cap. v, vers. 1, dicitur : « Messui myrrham meam cum aromatibus meis, » quia nimirum utrumque conjungendum est, mortificationis videlicet myrrha et orationis aromata. Et Cantic. cap. iv, 6, dicitur : « Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris; » quæ verba sunt sponsi, quasi dicat : Visitabo eos qui in arduis mortificationis operibus, tanquam in montibus, occupantur; et eos qui in dulcedine orationis, tanquam in collibus ex monte illo manantibus, conquiescunt. Oratio enim est quasi collis, qui ex monte mortificationis porrigitur : solent enim montes in colles desinere. Denique multi pulchras habent citharas, id est, externas voces quibus Dei laudes canunt, sed destituuntur phialis aureis plenis odoramentorum, id est, interna cordis devotione, quæ maxime in hac citharizatione requiritur.

Nota hic contra Vigilantium, Lutherum, Calvinum et alios Hagiomachos, Sanctos pro nobis orare, nostrasque orationes Deo offerre. Idem faciunt Angeli, cap. viii, vers. 3. Porro id maxime competit Apostolis et Prælatis, quales erant hi 24 seniores : horum enim est, fidelium sibi subditorum orationes et necessitates Deo offerre.

9. Et cantabant canticum novum. — Græce ᾄδουσιν, id est cantant assidue et jugiter. Quæres cur hoc canticum dicatur novum? Respondeo, quia cantores erant novi, scilicet Apostoli et Patriarchæ, renovati, non tantum per gratiam, sed et per gloriam in cœlo.

Secundo, quia cantici materia erat nova, scilicet nova Christi incarnatio, passio, redemptio; nova et cœlestis ejus doctrina, nova beneficia, nova miracula, nova Sacramenta, nova lex, nova promissa, nova gratia, nova gloria : proprie vero hic erat nova novi libri tot mysteriis pleni, itaque obsignati, reseratio, in quo nova Christi et Ecclesiæ victoria de suis hostibus, ac præsertim de Antichristo, describitur : novum ergo hic Christo, novo victori, canunt epinicium. Audi Rupertum : « Canticum, inquit, novum dicitur, quia novum fuit Filium Dei hominem fieri et crucis mortem subire; novum fuit, resurgere et in cœlum ascendere; novum, remitti peccata et Spiritu Sancto visibiliter signari homines; novum, accipere sacerdotium sacræ observationis et regnum exspectare immensæ repromissionis. »

Hinc tertio, canticum hoc dicitur « novum, » id est singulare, exquisitum, eximium, jucundissimum, nova semper hilaritate afficiens mulcensque animum, ideoque iterum iterumque, imo millies et infinities absque fastidio repetendum. Sic dicitur Jerem. xxxi, 22 : « Creavit Dominus



novum, » id est rem singularem, eximiam, inauditam, « super terram, » nimirum « femina circumdabit virum, » id est, virgo concipiet Christum.

Quarto, « novum, » quia spectat canitque innovationem et glorificationem tam Agni, quam ejus sponsæ, puta Ecclesiæ et Sanctorum, lætitiam et gloriam tam animi, quam corporis. Sic dicitur Psalm. cxlix, vers. 1 : « Cantate Domino canticum novum. » Quod explicans Gilbertus Abbas, serm. 4 inter eos quos addidit S. Bernardi sermonibus in Cantic. : « Vere, inquit, novum, cujus nescit antiquitatem materia, fastidium gratia, quia semper est amore recens, usu recentior. Vere enim novum, quod hominum animos ad æternam innovat beatitudinem. Denique legitur : Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini : nova quippe ego facio. Jure nova, quæ ab antiquo currentis naturæ nequaquam conclusa sunt legibus. » Et S. Augustinus, Psalm. cxlix, vers. 1 : « Vetus, inquit, homo, vetus canticum; novus homo, novum canticum. Vetus testamentum, vetus canticum; novum testamentum, novum canticum. Quisquis terrena diligit, vetus canticum cantat. Qui vult cantare canticum novum, diligat æterna. Ipsa dilectio nova est et æterna. Ideo semper nova, quia nunquam veterascit. » Et inferius : « Omnes ergo qui innovantur in Christo, ut ad vitam æternam incipiant pertinere, canticum novum cantant; et hoc canticum pacis est, canticum hoc charitatis est. Quisquis se a conjunctione sanctorum separat, non cantat canticum novum : secutus est enim vetustam animositatem, non novam charitatem. » Ita mystice et moraliter S. Augustinus.

Simili modo et causa ait Christus Joan. xiii, vers. 34 : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » Mandatum enim dilectionis, licet fuerit antiquum, utpote legis naturæ, tamen a Christo dictum et factum est novum, ratione novi objecti et causæ. Christo enim, qui caput est Ecclesiæ, incarnato, facta est singularis communicatio et unio membrorum Ecclesiæ, tum inter se, tum cum Christo capite suo jam homogeneo : unio, inquam, per naturam, per gratiam, et maxime per sacramentum Eucharistiæ, quo Christus se omnibus dat in cibum, ut omnes sibi et inter se invicem uniat; quæ unio fundamentum est magis singularis obligationis et arctioris amoris Dei, Christi et Christianorum. Per hanc enim corporaliter uniti sumus Deo Verbo, totique SS. Trinitati, ideoque illam magis redamare, magisque illi conjunctos, puta proximos, diligere tenemur. Hunc sensum innuit Christus dum subdit : « Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, » quasi dicat : Ego novo modo dilexi vos, ut nova dilectione vos mihi et inter vos invicem obstringerem, novamque dilectionis causam et obligationem vobis suggererem; ergo par est ut novo ardentioreque amore invicem diligatis, quam ante. Exigo enim tantum a vobis, ut invicem diligatis sicut ego dilexi vos : hoc a vobis dilectionis meæ præmium postulo, hoc novæ dilectionis exemplum suggero, ut eo excitati invicem diligatis, sicut ego dilexi vos : me ita vestri amantem redamate, non tam in me ipso (qui hoc vestro amore et subsidio non egeo), quam in membris meis, qui sunt fratres vestri. Atque ut hoc faciatis, aspiro vobis meam gratiam et spiritum, non timoris, sed amoris, novoque modo mitto vobis Spiritum Sanctum; Christianis enim proprie hoc novum præceptum dedit Christus, non autem omnibus hominibus, ut recte animadvertit ibidem Toletus. Jubet enim ut Christiani non tantum se, quasi proximos propter Deum, sed quasi fratres et unius corporis Christi membra ament propter Christum. Quocirca ad dilectionis hujus officia et actus magis obligantur Christiani, quam cæteri homines. Consequenter ad novum Deo canendum canticum, ad novam gratiarum actionem, ob novum hoc dilectionis beneficium et præceptum ab eo acceptum, obligantur.

Aliter Alcazar : censet enim ex præconcepto suo scopo et fine, cantico hoc grates Deo referri ob novam Judæorum hactenus rebellium et Ecclesiam oppugnantium, ac præsertim S. Pauli conversionem ad Christum. Verum de ea hic proprie non agi superius docui.

Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es. — Nota τὸ quoniam : significat enim causam meritoriam. Unde patet Christum, merito passionis et mortis suæ, accepisse a Deo potestatem revelandi cui vellet futura circa regimen et propagationem Ecclesiæ suæ, præsertim ea quæ contingent sub tempora Antichristi, et sub secundum ejus adventum ad judicium.

Et redemisti nos Deo. — Est hoc canticum quatuor animalium, id est angelorum primariorum, æque ac 24 seniorum : non quod angeli a Christo redempti sint; sed quod loquantur ipsi cum 24 senioribus, qui omnes homines repræsentant. Cum iis ergo, et pro iis, quasi clientibus suis, quorum ipsi sunt angeli et custodes, dicunt : « Redemisti nos, » non pro se ipsis. Addit Rupertus per Christum redemptos esse angelos, quia per ipsum reparata est eorum ruina facta per lapsum dæmonum, atque impletus est numerus Beatorum et Ecclesiæ triumphantis. Pro redemisti græce est ἠγόρασας, id est emisti nos; sumus ergo servi emptitii Christi : hoc est quod ait Paulus : « Empti estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro, » 1 Corinth. cap. vi, vers. 20.

Ex omni tribu, et lingua, et populo. — Duplex est hic sensus : Prior, redemisti, tibique selegisti nos paucos ex omnibus Gentibus, quasi populum singularem. Sicut olim ex omnibus mundi nationibus selegisti tibi Israelem, ut esset tuus populus, tuaque Ecclesia, Deuter. iv, vers. 34.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Christus enim sua passione meruit accipere potestatem assumendi sibi in populum, sibique diligendi quoscumque voluisset, iisque applicandi meritum sanguinis sui, non tantum quoad sufficientiam (sic enim omnibus hominibus applicuit), sed etiam quoad efficaciam. Ita explicat Alcazar.

*Secundus*, *q. d.* Redemisti, Domine, nos Christianos ex omni gente. Nam Christianismus sparsus est per omnes gentes : licet enim hi 24 seniores pauci essent, et ex paucis gentibus, ac fere ex Judæis selecti, tamen repræsentant omnes Christianos, et præsentes et futuros, sicut sanctus repræsentat totum populum. Totius ergo populi Christiani voce et nomine loquuntur, dicuntque se ex omni gente redemptos a Christo ab eoque vocatos ad christianismi gratiam et salutem. Hoc est quod expressius dicitur cap. VII, vers. 9 : «Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat : ex omnibus gentibus et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum ; et clamabant voce magna, dicentes : Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno. » Hoc est enim canticum novum, quo celebrant novum redemptionis mundi, id est omnium gentium, per Christum factæ beneficium, quo meruit Christus facultatem resignandi hunc librum signatum, uti paulo ante dixi ; ut nimirum posset Joanni, et per Joannem omnibus Christianis omnium gentium, utpote a se redemptis sibique selectis, eum ejusque mysteria pandere et explicare. Itaque hic sensus non minus quam primus appositus est. Quocirca plenus erit sensus, si utrumque conjungas, *q. d.* Redemisti nos Christianos, Domine, nosque tibi selegisti et sanctificasti, non ex solis Judæis, ut olim ; sed ex omni gente : selegisti, inquam, nam multos alios ex omni gente in sua infidelitate aut peccatis reliquisti.

Et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes. — Ecclesia enim est regnum sacerdotale, et regale sacerdotium Dei et Christi : consequenter Christiani sancti reges sunt et sacerdotes. Vide dicta cap. I, vers. 6. Adduut hoc, quia talibus decuit pandi hunc librum signatum continentem futura Ecclesiæ mysteria : horum enim decet sacerdotes, æque ac reges, esse conscios. Vere S. Augustinus in *Sentent.*, Sententia 242 : « Non caret, ait, regia potestate, qui corpori suo noverit rationabiliter imperare. Vere enim dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ. » Unde sequitur :

Et regnabimus super terram, — tum hanc morientium : in hac enim Christiani regnant et dominantur carni, mundo et diabolo ; tum illam viventium in cœlis, cum in illam transferentur, uti hi seniores translati erant. Christiani enim qui sancte hic vivunt, dominantur terræ rebusque terrenis ; dum vero per martyrium aut mortem ad Deum transeunt, dominantur et regnant cum Christo in cœlo : sunt ergo domini et reges cœli et terræ. Alludit ad id quod Deus promisit Ecclesiæ, *Isaiæ* LXII, 3, dicens : « Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. » Vide ibi dicta.

Unde notat Rupertus non dici « in terra, » sed super terram, quia sancti, inquit, conditione in terra sunt, sed vita et conversatione super terram, et super terrena membra sua tenent principatum. »

Quomodo in cœlis omnes Beati sint reges, ita explicat S. Anselmus, epist. 2 *ad Hugonem* : « Tanta erit dilectio inter Deum et eos qui ibi erunt, et inter seipsos, ut omnes invicem diligant sicut seipsos, sed plus ament omnes Deum quam seipsos. Et propter hoc nullus ibi volet, nisi quod Deus ; et quod volet unus, hoc volent omnes ; et quod volet unus vel omnes, hoc ipsum volet Deus. Quapropter quidquid unusquisque volet, hoc erit et de seipso, et de omnibus aliis, et de tota creatura, et de ipso Deo. Et sic singuli erunt perfecti reges, quia quod singuli volent, hoc erit ; et omnes simul cum Deo unus rex, et quasi unus homo, quia omnes unum volent, et quod volent, erit. » Et inferius cum dixisset pretium quo emitur hoc regnum, esse amorem, subdit : « Denique quoniam regnare in cœlo non est aliud, quam sic glutinari cum Deo, et cum omnibus sanctis angelis et hominibus per dilectionem in unam voluntatem, ut omnes utantur simul una potestate : ama Deum plus quam teipsum, et jam incipis tenere quod ibi perfecte vis habere. Concorda cum Deo et hominibus, si tantum ipsi a Deo non discordent, et jam incipis cum Deo et cum omnibus Sanctis ejus regnare. Nam secundum quod tu concordabis modo cum Deo, et cum hominibus in voluntate illorum, concordabit tunc Deus et omnes Sancti tecum in tua voluntate. Si ergo vis esse rex in cœlo, ama Deum et homines sicut debes, et mereberis esse quod optas. »

11. Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum, — *q. d.* Vidi angelos innumerabiles et audivi vocem eorum ; una enim consona voce clamabant : « Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, » etc. Ad litteram loquitur, non de monachis et Religiosis, quos Nazianzenus vocat angelos terrestres ; sed de veris et cœlestibus angelis, qui sunt innumerabiles. Unde sequitur :

Et erat numerus eorum millia millium. — Græca Complutensia legunt, μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων, id est *myriades myriadum, et millia millium*. Porro myriades myriadum sunt decies millies dena millia. Alludit ad *Daniel.* VII, 10 : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » Alcazar ad litteram hæc accipit de sacrificio Missæ, quod celebrabant 24 seniores, id est, sacerdotes : angelorum enim proprium est in Missæ sacrificio assistere, et sanctissimum Christi corpus venerabundos comitari. Verum superius docui hæc omnia in cœlo vera esse, non in terra, ac cœlestium gloriam significare, non terrestrium.

12. Dicentium voce magna. — Vox *magna* indicat ingentem animi affectum et ardorem ad glorificandum Deum et Agnum, eo quod hominibus patefecisset librum Dei signatum ; mire enim gaudent angeli de hominum commodis et salute, ideoque cum iis, et pro iis mire laudant Deum. « Clamor in Dei auribus est desiderium vehemens, » ait S. Bernardus, serm. 16 *in Psalm.* XC. Nam « apud Deum valet non magnus clamor, sed magnus amor. » Unde S. Augustinus in *Serm.* : « Cum oras, ait, clama non voce, sed mente ; nam et tacentes exaudit Deus. »

Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem. — « Accipere, » scilicet ab omnibus hominibus, vel « accipere, » non in se, sed in mente et ore hominum, ut scilicet omnes homines agnoscant et laudent Agni virtutem, græce δύναμιν, id est, fortitudinem et divinitatem, eamque a suis idolis ad Christum, cujus revera est, transferant. Nam alioqui Christus non potuit mereri divinitatem, utpote quæ in Christo præcessit ejus existentiam et meritum, fuitque causa et ratio quæ ejus operibus infinitum valorem et vim merendi tribuit, ut docent S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XIX, art. 3, Suarez et alii. Facessat ergo Photinus, qui docuit Christum fuisse hominem purum, et ob merita vitæ sanctæ meruisse accipere divinitatem. Nam Christus ab initio suæ conceptionis fuit Filius Dei, nec aliam habuit hypostasin quam Filii Dei. Hoc est enim quod de eo prædixit Gabriel B. Virgini : « Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei, » *Lucæ* I. Facessant multo magis Nestoriani, et nostri Sociniani, qui censent Christum nec ab initio incarnationis, nec postea fuisse Deum, sed sua sanctitate meruisse ut vocaretur Deus, id est vir divinus, quomodo judices vocantur Dii, *Psal.* LXXXI : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes. » Frustra enim id ex hoc loco probare contendunt, cum æque ipsi fateantur hic non aliud dici, quam Christum meruisse divinitatem, id est nomen, famam et gloriam divinitatis ; ut scilicet ab hominibus honoraretur et coleretur, non tantum ut vir divinus, sed vere ut Deus, uti videmus eum toto mundo coli et adorari. Meruit autem nomen verum, et famam et gloriam veram, non falsam, non ementitam ; ergo revera habebat in se divinitatem, eratque Deus. Hoc est quod ait Apostolus, *Philipp.* cap. II, vers. 5, de Christo : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, etc. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum ; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. » Ecce hoc fuit accipere Agnum divinitatem. Ita Lyranus, D. Thomas, Pererius et alii. Sic sæpe alibi jubemus Deo dare gloriam, honorem, sanctitatem, benedictionem, non in se (illius enim gloria et sanctitas cum in se sit immensa, ei nihil addere possumus), sed apud homines, faciendo scilicet ut homines cognoscant, colant et laudent Dei sanctitatem et gloriam.

Nota : Sicut septem erant sigilla libri signati, quæ continebant septem illustres divinæ providentiæ effectus, ita septem hic elogia dantur Agno occiso ea reseranti, quibus laudatur et celebratur septemplici laude, scilicet « virtus, divinitas, sapientia, fortitudo, honor, gloria et benedictio. » Sic et cap. VII, vers. 12, Deo, eo quod suos a septem plagis liberarit, septuplex datur doxologia a quatuor animalibus et 24 senioribus, scilicet : « Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro. » Septemplici ergo laude et hymno celebrant septemplicem Dei providentiam.

Nota *secundo*, pro *divinitatem* græce est πλοῦτον, id est *divitias*, et ita hic legunt Andreas, Aretas, Ticonius et Primasius. Sed alii passim legunt « divinitatem ; » unde ita videtur fuisse primitus in Græco : licet Alcazar « divitias » in Græco putet poni pro divinitate. Sermo enim est, inquit, de ostensione divitiarum in earum communicatione, id quod divinitatis est proprium, scilicet divitem esse in misericordia et beneficentia, idque videtur verius. Nam inter πλοῦτον et θειότητα nulla est litterarum affinitas, ut non videatur pro θειότητα irrepsisse πλοῦτον.

Porro, Deus nomen accepit a πλούτῳ, id est divitiis, tam apud Latinos, quam Græcos et Hebræos : Latine enim dicitur Deus, quod nihil ei desit, aut quod omnia commoda hominibus det. Rursum Deum vocarunt ditem, quasi divitem. Audi Ciceronem *De Natura Deorum* : « Terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui dives, ut apud Græcos Πλούτων, quod et omnia recidant in terras, et oriantur e terris. » Græcis Πλούτων, id est Pluto, vel Plutus Deus, a πλούτῳ, id est divitiis, nomen accepit. Hebraice dicitur שדי *saddai*, quasi ש די *sche dai*, id est cui est sufficientia, abundantia, cornucopiæ omnium rerum ; hanc enim significat *dai* ; unde multi Latinum *Deus*, et Græcum Διός, Jovis nomen, deducunt. Sic et in lingua Illyrica Deus nomen habet a divitiis ; Illyrice enim *Bogh* est Deus, *Bogath*, dives, *Bogastuo*, divitiæ. Deitas enim in eo consistit, quod sit dives et affluens omni sapientia, bonitate, justitia, omnibusque gratiis, attributis, perfectionibus, omnique bono. Hinc de Deo ait Apostolus, quod sit « dives in omnes qui invocant illum, » *Rom.* X, 12. Et de Christo : « Propter vos egenus factus est, cum esset dives, » II *Corinth.* VIII, 9. Et : « Deus autem, qui dives est in misericordia, » *Ephes.* II, 4. Et : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! » *Rom.* XI, 33.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et sapientiam, — scilicet plenam et perfectam, puta rerum omnium cognitionem, ait Glossa. Unde Ludovicus Molina, I *part.*, Quæst. XII, art. VIII, disp. X, memb. 7, ex hoc loco probat Christum hominem in verbo videre omnia præterita, præsentia et futura, ideoque videre infinita: quia decet ut ejus actualis cognitio ut minimum tam late pateat, quantum ipsius dominatio ac potestas sese extendit. Hæc autem ad omnia jam dicta se extendit. Ergo, etc.

13. Et omnem creaturam. — Sicut versu præcedenti angeli, ita hic omnes aliæ creaturæ in visione visæ sunt Joanni laudare Agnum, ob reseratum ab eo librum signatum: quo per prosopopœiam significatur admirabile fuisse Agni beneficium in reserando libro, ob quod omnes angeli et homines jubilent, ita ut cœlum et terra, omnesque creaturæ irrationales exultare videantur, ac reipsa exultarent, si sensu et ratione prædita essent. Congaudent enim hominibus quasi heris suis: creata enim sunt a Deo ut serviant homini; unde et cum homine renovationem sui exspectant, *Rom.* VIII, 19. Addit Rupertus: Gaudent, inquit, non quia redemptæ, sed quia creatæ sunt, ideoque Deum laudant non rationali aut vocali confessione, sed naturali quadam sui status præsentatione.

Quæ in cœlo est, — puta sol, luna, stellæ. Ita Ambrosius, Rupertus et Pererius. Aliter Alcazar: nam « esse in cœlo » refert ad Christianos; « esse super terram, » ad Judæos; « esse sub terra, » ad dæmones et damnatos; « esse in mari, » ad Gentiles, » *q. d.* Omnes Christiani, Judæi, Pagani et dæmones, licet inviti, glorificant Agnum. Verum hoc mysticum est, non litterale.

Et sub terra. — Hæ sunt animæ existentes in Purgatorio; illæ enim licet in pœnis sint, amant tamen et laudant Deum et Agnum, a quo brevi sperant liberationem, salutem et gloriam. Ita Franciscus Suarez, Ribera et alii passim. Rursum, sunt damnati et dæmones, qui coguntur Deum et Christum agnoscere et revereri, non voluntaria confessione, sed coacta concessione, ait Rupertus et S. Gregorius, IV *Dialog.*, cap. XLII.

Dices: *Psalm.* CXIII, vers. penult., et *Baruch.* II, 17, dicitur: « Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. » Respondeo: Sensus est: Mortui non laudabunt te, Domine, scilicet ea ratione et modo, quo nos viventes laudamus, nimirum voce communi et publica coram viventibus. Vide dicta *Baruch.* II, 17.

Et quæ sunt in mari, — puta pisces, margaritæ et gemmæ, etc.

Et quæ in eo, — scilicet « mari. » Græca jam habent, τὰ ἐν αὐτοῖς, *quæ in eis*, scilicet cœlo, terra et mari. Repetit τὸ *in mari*, subdens, « et quæ in eo, » ut significet creaturas in mari existentes longius abesse a glorificatione Dei et Agni, et tamen revera Deum et Agnum glorificare. Τὸ ergo *et quæ in eo* confirmatio est ejus quod præcessit, « Et quæ sunt in mari. » Aliter Ribera: refert enim τὸ *in eo* ad Græcum κτίσμα, id est *creaturam*, quod est neutrum, *q. d.* Omnia quæ sunt in hac creatura cœli, terræ et maris.

Nota: Hæc omnium creaturarum doxologia significat omnes creaturas esse sub Christi, æque ac Dei dominio et imperio, illudque maxime cognituras, veneraturas et adjuturas in extremo judicio, cum mysteria hujus libri signati, puta judicium universale totius mundi, Ipseque Christus judex toti mundo gloriosus apparebit. Tunc enim plangent omnes tribus terræ, et pugnabit orbis terrarum pro Christo contra insensatos; omnis enim creatura videbit quod ipse sit judex vivorum et mortuorum: quocirca eum ut talem colet et adorabit.

Dicentes, — muta voce, qua lætabundæ creaturæ suo modo laudant Deum creatorem suum. Huc spectat illud Philonis, lib. *De Plantat. Noe*, paulo ante finem: « Fertur, inquit, fabula a sapientibus viris ad posteros per manus tradita. Est autem talis. Olim cum totum mundum opifex absolveret, quemdam e Prophetis rogavit, num quid desideraret nondum creatum sive in terra et aqua, sive in aere et cœlo? Respondit ille esse quidem perfecta et plena ubique omnia, unum tamen se requirere, laudatorem horum sermonem, qui in rebus omnibus vel quod minimum obscurissimumque videtur, non tam laudet, quam enarret; ipsam enim enarrationem operum Dei sufficientissimam esse laudem, nullo egentem auctario. Hoc responsum Patri universorum placuisse fertur; nec multo post exortum genus canorum et musicum, ex una divinarum potentiarum virgine memoria, quam mnemosynam vocant. Hæc est priscorum fabula: ex cujus auctoritate discimus nihil esse Deo magis proprium quam benefacere, nihil item creaturæ quam gratias agere, cum præterea nihil rependere valeat.

Moraliter, discimus hic ab angelis et cœlitibus varios actus gratulationis, amoris, laudis et jubili, quibus Deum et Agnum crebro ob summam ejus majestatem, sapientiam, sanctitatem, et ob beneficia creationis, conservationis, gubernationis, etc., sed maxime incarnationis Verbi et redemptionis nostræ, celebrare debemus. *Primus* est ipsa ejus cognitio, consideratio et professio, qua profitemur ipsum esse oceanum immensum essentiæ, bonitatis, sanctimoniæ, perfectionis, beatitudinis et gloriæ, a quo veluti fonte omnes angeli, homines et creaturæ guttulam suæ entitatis, sapientiæ et virtutis emendicant et participant. Ipse enim est omnium principium, omnium finis, omnium conditor, imo creator ex nihilo, omnium sustentaculum, omnium locus, omnium ævum, duratio, terminatio, ordinatio, connexio, concordia, consummatio, præsertim per gratiam et gloriam, quam per Christum nobis communicat. Ipse est omne bonum angelorum et hominum, ac totius naturæ, quæ est, et quæ non est, sed esse, et ab eo creari potest. Ex hoc actu sequitur *secundus*, scilicet summa ejus reverentia et admiratio: considerantes enim immensam hanc divinitatis ejus excellentiam, et ex altera parte nostram vilitatem, et abyssum nihili, summe eam reveremur et admiramur, summeque nos sub ea demittimus et humiliamus, perinde ac Seraphini præ reverentia velant facies suas coram ea, *Isaiæ* VI, 2. *Tertius* est actus amoris concupiscentiæ, quo eum ut auctorem omnis nostri boni summe diligimus, eique dicimus: Tu Deus meus, et omnia mea, « Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. » *Quartus* est actus amoris amicitiæ, quo eum purissima charitate et benevolentia amamus, quia propter suam infinitam præstantiam et dignitatem infinite dignum est omni amore, omni gloria, omni laude, omni cultu, omni veneratione, omni obedientia et obsequio. In ipso enim est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies, omnes divitiæ, omnis nobilitas, omnis majestas, omnis sapientia, omnis potentia, omnis gloria, et quidquid mens concipere potest, imo infinities plura. Quocirca mens amans hoc bonum immensum, fastidit omnia bona creata, velut umbras, somnium et tenuem picturam illius summi boni. Porro S. Bernardus, S. Bonaventura et Richardus Victorinus, tract. *De Gradibus Charitatis*, hujus amoris varios assignant tum gradus, tum effectus et dotes. *Primus* est, quod amor sit inseparabilis, ut anima cum Apostolo dicere possit: « Quis nos separabit a charitate Christi? » *Secundus*, quod sit insatiabilis; ignis enim nunquam dicit: Sufficit. *Tertius*, quod sit invictus. « Fortis » enim « est ut mors dilectio; et aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. » *Quartus*, quod sit delectabilis, ut dicat anima hoc amore ebria: « Introduxit me rex in cellaria sua; fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » *Quintus*, quod vulneret animam ardentibus desideriis, et plurimis, quibus optat et procurat quantum potest, ut omnes eum cognoscant, timeant, ament, colant, laudent. *Sextus*, quod semper Deum sitiat, semper eum præsentem habeat; in omni creatura ad eum ascendat, eumque contempletur. *Septimus*, quod desideret dissolvi et esse cum Christo, non tædio vitæ, sed ut fruatur dilecto suo.

Ex hoc amore sequitur quintus actus summi gaudii, quo mens gaudet de Dei Creatoris, Domini, Patris et Redemptoris sui attributis et perfectionibus immensis, nempe quod Deus noster sit optimus, potentissimus, sanctissimus, gloriosissimus, omnibusque bonis quaquaversum circumfluat. Ex gaudio sequitur sextus actus gratulationis, quo illi tanquam Deo nostro tantam majestatem, tantas opes, tantam felicitatem gratulamur, dicentes: In te omnis gloria et dignitas, omnes divitiæ et thesauri, omnes voluptates et consolationes, omnes deliciæ, omnia gaudia, omnes beatitudines. Tibi omnia ista debentur, et si quid illis deesset, aut si quid iis addere possem, omnia mea ad id liberalissime expenderem. Tu enim iis dignissimus es: tuæ divinitati hæc congruunt. Tibi ergo ea gratulor, tibi congaudeo. Ex gratulatione sequitur septimus actus jubili, quo cum Beatis exultantes de tanta Dei nostri gloria, jubilamus et dicimus: « Sedenti in throno et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. » In eo enim jubilat mens, qui infinities pluris est omnibus quæ sunt, et in infinitis mundis esse possunt; qui infinito amore et jubilo dignus est: ac proinde in eum totum cor suum laudando et exultando effundit, optaretque, si fieri posset, infinita corda, quibus eum infinitis amoribus et laudibus celebraret; denique invitat omnes angelos, omnes homines, omnes cœlos, omnia animantia, omnia creata, ut secum ei jubilent, aitque: « Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula. »



# CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

***Agnus aperit septem libri signati sigilla, nimirum: Primum aperit, vers. 1, et exit equus albus cum equite habente arcum et coronam. Secundum aperit, vers. 3, et exit equus rufus cum equite habente gladium magnum. Tertium aperit, vers. 5, et exit equus niger cum equite habente in manu stateram. Quartum aperit, vers. 7, et exit equus pallidus, cui insidet mors, quem sequitur infernus. Quintum aperit, vers. 9, et prodeunt animæ sanctorum Martyrum petentes vindictam. Sextum aperit, vers. 12, et fit ingens terræ motus, sol obscuratur, luna ut sanguis rubescit, stellæ de cœlo cadunt, omnes homines territi in speluncas se abdunt.***

1. Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis, et audivi unum de quatuor animalibus, dicens, tanquam vocem tonitrui: Veni, et vide. 2. Et vidi: et ecce equus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

ET SAPIENTIAM, — scilicet plenam et perfectam, puta rerum omnium cognitionem, ait Glossa. Unde Ludovicus Molina, I *part.*, Quæst. XII, art. VIII, disp. X, memb. 7, ex hoc loco probat Christum hominem in verbo videre omnia præterita, præsentia et futura, ideoque videre infinita: quia decet ut ejus actualis cognitio ut minimum tam late pateat, quantum ipsius dominatio ac potestas sese extendit. Hæc autem ad omnia jam dicta se extendit. Ergo, etc.

13. ET OMNEM CREATURAM. — Sicut versu præcedenti angeli, ita hic omnes aliæ creaturæ in visione visæ sunt Joanni laudare Agnum, ob reseratum ab eo librum signatum: quo per prosopopœiam significatur admirabile fuisse Agni beneficium in reserando libro, ob quod omnes angeli et homines jubilent, ita ut cœlum et terra, omnesque creaturæ irrationales exultare videantur, ac reipsa exultarent, si sensu et ratione prædita essent. Congaudent enim hominibus quasi heris suis: creata enim sunt a Deo ut serviant homini; unde et cum homine renovationem sui exspectant, *Rom.* VIII, 19. Addit Rupertus: Gaudent, inquit, non quia redemptæ, sed quia creatæ sunt, ideoque Deum laudant non rationali aut vocali confessione, sed naturali quadam sui status præsentatione.

QUÆ IN CŒLO EST, — puta sol, luna, stellæ. Ita Ambrosius, Rupertus et Pererius. Aliter Alcazar: nam « esse in cœlo » refert ad Christianos; « esse super terram, » ad Judæos; « esse sub terra, » ad dæmones et damnatos; « esse in mari, » ad Gentiles, » *q. d.* Omnes Christiani, Judæi, Pagani et dæmones, licet inviti, glorificant Agnum. Verum hoc mysticum est, non litterale.

ET SUB TERRA. — Hæ sunt animæ existentes in Purgatorio; illæ enim licet in pœnis sint, amant tamen et laudant Deum et Agnum, a quo brevi sperant liberationem, salutem et gloriam. Ita Franciscus Suarez, Ribera et alii passim. Rursum, sunt damnati et dæmones, qui coguntur Deum et Christum agnoscere et revereri, non voluntaria confessione, sed coacta concessione, ait Rupertus et S. Gregorius, IV *Dialog.*, cap. XLII.

Dices: *Psalm.* CXIII, vers. penult., et *Baruch.* II, 17, dicitur: « Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. » Respondeo: Sensus est: Mortui non laudabunt te, Domine, scilicet ea ratione et modo, quo nos viventes laudamus, nimirum voce communi et publica coram viventibus. Vide dicta *Baruch.* II, 17.

ET QUÆ SUNT IN MARI, — puta pisces, margaritæ et gemmæ, etc.

ET QUÆ IN EO, — scilicet « mari. » Græca jam habent, τὰ ἐν αὐτοῖς, *quæ in eis*, scilicet cœlo, terra et mari. Repetit τὸ *in mari*, subdens, « et quæ in eo, » ut significet creaturas in mari existentes longius abesse a glorificatione Dei et Agni, et tamen revera Deum et Agnum glorificare. Τὸ ergo *et quæ in eo* confirmatio est ejus quod præcessit, « Et quæ sunt in mari. » Aliter Ribera: refert enim τὸ *in eo* ad Græcum κτίσμα, id est *creaturam*, quod est neutrum, *q. d.* Omnia quæ sunt in hac creatura cœli, terræ et maris.

Nota: Hæc omnium creaturarum doxologia significat omnes creaturas esse sub Christi, æque ac Dei dominio et imperio, illudque maxime cognituras, veneraturas et adjuturas in extremo judicio, cum mysteria hujus libri signati, puta judicium universale totius mundi, Ipseque Christus judex toti mundo gloriosus apparebit. Tunc enim plangent omnes tribus terræ, et pugnabit orbis terrarum pro Christo contra insensatos; omnis enim creatura videbit quod ipse sit judex vivorum et mortuorum: quocirca eum ut talem colet et adorabit.

DICENTES, — muta voce, qua lætabundæ creaturæ suo modo laudant Deum creatorem suum. Huc spectat illud Philonis, lib. *De Plantat. Noe*, paulo ante finem: « Fertur, inquit, fabula a sapientibus viris ad posteros per manus tradita. Est autem talis. Olim cum totum mundum opifex absolveret, quemdam e Prophetis rogavit, num quid desideraret nondum creatum sive in terra et aqua, sive in aere et cœlo? Respondit ille esse quidem perfecta et plena ubique omnia, unum tamen se requirere, laudatorem horum sermonem, qui in rebus omnibus vel quod minimum obscurissimumque videtur, non tam laudet, quam enarret; ipsam enim enarrationem operum Dei sufficientissimam esse laudem, nullo egentem auctario. Hoc responsum Patri universorum placuisse fertur; nec multo post exortum genus canorum et musicum, ex una divinarum potentiarum virgine memoria, quam mnemosynam vocant. Hæc est priscorum fabula: ex cujus auctoritate discimus nihil esse Deo magis proprium quam benefacere, nihil item creaturæ quam gratias agere, cum præterea nihil rependere valeat.

Moraliter, discimus hic ab angelis et cœlitibus varios actus gratulationis, amoris, laudis et jubili, quibus Deum et Agnum crebro ob summam ejus majestatem, sapientiam, sanctitatem, et ob beneficia creationis, conservationis, gubernationis, etc., sed maxime incarnationis Verbi et redemptionis nostræ, celebrare debemus. *Primus* est ipsa ejus cognitio, consideratio et professio, qua profitemur ipsum esse oceanum immensum essentiæ, bonitatis, sanctimoniæ, perfectionis, beatitudinis et gloriæ, a quo veluti fonte omnes angeli, homines et creaturæ guttulam suæ entitatis, sapientiæ et virtutis emendicant et participant. Ipse enim est omnium principium, omnium finis, omnium conditor, imo creator ex nihilo, omnium sustentaculum, omnium locus, omnium ævum, duratio, terminatio, ordinatio, connexio, concordia, consummatio, præsertim per gratiam et gloriam, quam per Christum nobis communicat. Ipse est omne bonum angelorum et hominum, ac totius naturæ, quæ est, et quæ non est,



sed esse, et ab eo creari potest. Ex hoc actu sequitur *secundus*, scilicet summa ejus reverentia et admiratio: considerantes enim immensam hanc divinitatis ejus excellentiam, et ex altera parte nostram vilitatem, et abyssum nihili, summe eam reveremur et admiramur, summeque nos sub ea demittimus et humiliamus, perinde ac Seraphini præ reverentia velant facies suas coram ea, *Isaiæ* VI, 2. *Tertius* est actus amoris concupiscentiæ, quo eum ut auctorem omnis nostri boni summe diligimus, eique dicimus: Tu Deus meus, et omnia mea, « Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. » *Quartus* est actus amoris amicitiæ, quo eum purissima charitate et benevolentia amamus, quia propter suam infinitam præstantiam et dignitatem infinite dignum est omni amore, omni gloria, omni laude, omni cultu, omni veneratione, omni obedientia et obsequio. In ipso enim est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies, omnes divitiæ, omnis nobilitas, omnis majestas, omnis sapientia, omnis potentia, omnis gloria, et quidquid mens concipere potest, imo infinities plura. Quocirca mens amans hoc bonum immensum, fastidit omnia bona creata, velut umbras, somnium et tenuem picturam illius summi boni. Porro S. Bernardus, S. Bonaventura et Richardus Victorinus, tract. *De Gradibus Charitatis*, hujus amoris varios assignant tum gradus, tum effectus et dotes. *Primus* est, quod amor sit inseparabilis, ut anima cum Apostolo dicere possit: « Quis nos separabit a charitate Christi? » *Secundus*, quod sit insatiabilis: ignis enim nunquam dicit: Sufficit. *Tertius*, quod sit invictus. « Fortis » enim « est ut mors dilectio; et aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem. » *Quartus*, quod sit delectabilis, ut dicat anima hoc amore ebria: « Introduxit me rex in cellaria sua; fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » *Quintus*, quod vulneret animam ardentibus desideriis, et plurimis, quibus optat et procurat quantum potest, ut omnes eum cognoscant, timeant, ament, colant, laudent. *Sextus*, quod semper Deum sitiat, semper eum præsentem habeat; in omni creatura ad eum ascendat, eumque contempletur. *Septimus*, quod desideret dissolvi et esse cum Christo, non tædio vitæ, sed ut fruatur dilecto suo.

Ex hoc amore sequitur quintus actus summi gaudii, quo mens gaudet de Dei Creatoris, Domini, Patris et Redemptoris sui attributis et perfectionibus immensis, nempe quod Deus noster sit optimus, potentissimus, sanctissimus, gloriosissimus, omnibusque bonis quaquaversum circumfluat. Ex gaudio sequitur sextus actus gratulationis, quo illi tanquam Deo nostro tantam majestatem, tantas opes, tantam felicitatem gratulamur, dicentes: In te omnis gloria et dignitas, omnes divitiæ et thesauri, omnes voluptates et consolationes, omnes deliciæ, omnia gaudia, omnes beatitudines. Tibi omnia ista debentur, et si quid illis deesset, aut si quid iis addere possem, omnia mea ad id liberalissime expenderem. Tu enim iis dignissimus es: tuæ divinitati hæc congruunt. Tibi ergo ea gratulor, tibi congaudeo. Ex gratulatione sequitur septimus actus jubili, quo cum Beatis exultantes de tanta Dei nostri gloria, jubilamus et dicimus: « Sedenti in throno et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. » In eo enim jubilat mens, qui infinities pluris est omnibus quæ sunt, et in infinitis mundis esse possunt; qui infinito amore et jubilo dignus est: ac proinde in eum totum cor suum laudando et exultando effundit, optaretque, si fieri posset, infinita corda, quibus eum infinitis amoribus et laudibus celebraret; denique invitat omnes angelos, omnes homines, omnes cœlos, omnia animantia, omnia creata, ut secum ei jubilent, aitque: « Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula. »

# CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Agnus aperit septem libri signati sigilla, nimirum: Primum aperit, vers. 1, et exit equus albus cum equite habente arcum et coronam. Secundum aperit, vers. 3, et exit equus rufus cum equite habente gladium magnum. Tertium aperit, vers. 5, et exit equus niger cum equite habente in manu stateram. Quartum aperit, vers. 7, et exit equus pallidus, cui insidet mors, quem sequitur infernus. Quintum aperit, vers. 9, et prodeunt animæ sanctorum Martyrum petentes vindictam. Sextum aperit, vers. 12, et fit ingens terræ motus, sol obscuratur, luna ut sanguis rubescit, stellæ de cœlo cadunt, omnes homines territi in speluncas se abdunt.*

1. Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis, et audivi unum de quatuor animalibus, dicens, tanquam vocem tonitrui: Veni, et vide. 2. Et vidi: et ecce equus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

albus; et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret. 3. Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens : Veni, et vide. 4. Et exivit alius equus rufus; et qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus. 5. Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens : Veni, et vide. Et ecce equus niger; et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. 6. Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium : Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario, et vinum et oleum ne læseris. 7. Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni, et vide. 8. Et ecce equus pallidus; et qui sedebat super eum, nomen illi Mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terræ. 9. Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant, 10. et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo, Domine (sanctus et verus), non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? 11. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ : et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi. 12. Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, et ecce terræ motus magnus factus est, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis; 13. et stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur; 14. et cœlum recessit sicut liber involutus, et omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt; 15. et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber, absconderunt se in speluncis, et in petris montium; 16. et dicunt montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni : 17. quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?

1. Et audivi unum de quatuor animalibus. — « Unum, » id est *primum*, puta leo, ut patet cap. IV, vers. 7; sequitur enim secundum, tertium et quartum. Porro leo ostendit hanc visionem equi albi S. Joanni, dicens : « Veni, et vide; » quia Christus ejus sessor et eques hic inducitur ut rex, hostiumque debellator, victor et triumphator, uti mox patebit. Hinc vox leonis Christum indicantis est instar tonitrui, quod omnes percellit et sternit. Mystice Rupertus per tonitru accipit doctrinam Christi toto orbe personantem : « Auditur, inquit, vox tanquam tonitrui, quia videlicet non sicut probrosa vanitas susurrat in angulis, sed palam omni mundo prædicari amat plenitudo partus virginalis, ita ut merito comparetur tonantibus cœlis. »

2. Et vidi : et ecce equus albus. — Ex quatuor primis libri signati sigillis quatuor prodeunt equi, scilicet primus albus, secundus rufus, tertius niger, quartus pallidus.

Quæres quidnam hi significent? *Primo*, Victorinus per equum album accipit prædicationem Evangelii, quæ mundum subegit sibi et Christo; per tres reliquos accipit bella, fames et pestes a Christo prædictas in Evangelio.

*Secundo*, Beda per equum album et equitem accipit Apostolorum certamina et victorias; per rufum, passiones Martyrum, qui Apostolos proxime secuti sunt; per nigrum, dolos et malignitatem hypocritarum et falsorum fratrum; per pallidum, versutias et fraudes hæreticorum.

*Tertio*, Andreas Cæsariensis et Aretas in primo et secundo equo consentiunt Bedæ; per tertium vero, puta equum nigrum, accipiunt infirmorum Christianorum a Christo et fide apostasiam; per pallidum autem accipiunt eorumdem punitionem.

*Quarto*, Ambrosius per septem sigilla putat portendi ea quæ septem mundi ætatibus, Sanctis et electis contigerunt, aut contingent. Unde quatuor prima sigilla refert ad vetus Testamentum, puta ad facta et gesta quæ in eo contigerunt; tria vero ultima refert ad novum Testamentum : ut scilicet quintum sigillum pertineat ad Martyres; sextum, ad Judæorum reprobationem et Gentium vocationem; septimum autem, ad Antichristum.

*Quinto*, Rupertus : Septem, ait, sigilla significant septem primaria vitæ Christi mysteria, puta nativitatem, crucem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus Sancti missionem, Gentium vocationem et universale judicium.

*Sexto*, Alcazar per quatuor prima sigilla, puta per quatuor diversi coloris equos et equites, censet repræsentari conversionem et felicitatem Judæorum, qui Christo credent eique se subdent; per tria vero ultima significari infelicitatem et pœnas Judæorum Christo incredulorum et rebellium. Unde ipse hic *notat*. 3 : Quatuor, inquit, amores inordinati homini mundoque dominabantur quasi tyranni : *primus* erat, nimius amor vitæ ac deliciarum; *secundus*, divitiarum; *tertius*, honoris; *quartus*, proprii sensus ac judicii. Ex hisce Christianos, præsertim primitivæ Ecclesiæ, eripuit Christus. Nam a proprii judicii dominatione eos subduxit, dum eos suæ fidei subjecit, quæ spiritualis vitæ fundamentum est. Deinde honoris udium dispulit, dum eos excitavit ut Christi dem libere inter tot Gentilium probra et sannas ofiterentur et prædicarent. Tertio, per Evangecam et voluntariam paupertatem, in eis cupiditem divitiarum exstinxit. Quarto, docuit vitam ntemnere, et amare martyrium : unde quarto equo pallido insidet « mors, » significans mortem et martyrium Judæorum qui Christum sunt secuti; tertio, nigro scilicet, insidet egestas, quam patiuntur pauperes; secundi rufi sessor est ipsa pacis perturbatio, sive audacia, quæ pacem perturbat : unde datus est ei gladius, ut tolleret pacem de terra; primi, albi scilicet, sessor est Christus, transfigens corda, juxta illud *Psalm*. XLIV, 6 : « Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis, » id est eorum qui prius erant inimici. Sessores ergo quatuor equorum sunt, fides et veritas, audacia, egestas, mors: quæ quatuor amores inordinatos jam dictos interimunt. Hinc apte primi equi color est albus, qui est symbolum mansuetudinis; secundi equi color est rufus : hic enim symbolum est audaciæ et ardoris; tertii color est niger, qui est symbolum humilitatis; quarti, est pallidus, quia vehit mortem, quæ facit pallidos. Porro apte equus albus tribuitur fidei, quia color albus proprius est equi cicuris et mansueti : unde quoque equis albis pilus est lenis ac mollis instar fili serici. Hinc etiam equi albi aliis aliorum colorum sunt imbecilliores. Unde Virgilius in *Georg*. : « Color, ait, est deterrimus albis. » Ita fides leniter domat hominis judicium et rationem, illamque quasi infirmam subigit Christo.

Rursum, fides pingitur hic quasi eques gestans arcum, per prosopopœiam, uti per eam Poetæ amori, sive Cupidini, arcum et sagittas affingunt, ut significent efficacissimam amoris vim qua corda ferit et sauciat, ita ut ea trahat et ducat, non quo ratio, sed quo amor ipse ea rapit. Sic enim fides rapuit homines in amorem rei miræ et insolitæ, puta Christi crucifixi, ut in eo omnem spem et felicitatem reponerent. Hinc gestat coronam in signum victoriæ. Unde ait S. Joannes, *epist*. I, cap. V, vers. 4 : « Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. »

Verum hæc omnia allegorica sunt, non litteralia, atque ingeniose adinventa ad aptam sensus præconcepti accommodationem, ut scilicet is singulis visionis partibus congrue adaptetur. Adde, communis Patrum et Interpretum sententia est, sessorem hujus equi non esse fidem, sed Christum.

*Septimo*, Aureolus et Viegas, per quemlibet horum equorum accipiunt Romanum Imperium, sub diversis tamen Imperatoribus, qui per sessores et equites significantur, ut Zacharias, cap. VI, quatuor Monarchias designat per quatuor quadrigas. Cujus symboli ratio *prima* est, quod equus sit animal imperiosum et gloriosum, uti est monarchia; *secunda*, quod imperia quasi equi a Deo gubernentur, laxatis vel restrictis eorum habenis pro Dei libitu; *tertia*, quod imperia perinde ac equi pernices decurrant, et sæpe ruant, suosque sessores et reges excutiant; *quarta*, quod equus sit animal bellicosum, item petulans et lascivum : talia quoque sunt imperia.

Equus ergo primus, puta albus, significat Imperium C. Caligulæ, qui Christi Evangelium non impedivit, sed in Judæos Christi hostes desæviit. Secundus equus rufus significat Imperium Neronis, qui habet gladium magnum, quia fuit crudelissimus et maxime cruentus. Tertius equus niger significat Imperium Titi, qui Hierosolymam obsedit, atraque fame et gladio vastavit. Cui dicitur : « Vinum et oleum ne læseris, » id est, ne tangas Christianos, qui propter charitatem vino, propter misericordiam oleo comparantur. Christianos enim non læsit Titus, sed ii ex Jerusalem Pellam evaserunt, teste Eusebio, lib. III, cap. V. Titus in manu habet stateram, id est, divinam justitiam : hujus enim ipse fuit executor. Equus pallidus significat Imperium Domitiani, qui sua persecutione ingentem metum et pallorem tum Senatoribus Romanis, tum Christianis incussit, quos partim bonis, partim vita spoliavit. Unde ipse vocatur hic mors : quamobrem ipse quoque a suis occisus est, et in infernum ob sua scelera detrusus. Notat Viegas recte huic equo insidere mortem, ob cursus sui velocitatem, qua ipsa non solum homines consequitur, sed et sæpe præcurrit, cum eorum spes quasi antevolans demolitur et præscindit. Rursum, equum hunc esse χλωρὸς, id est *pallidum*, vel, ut Tertullianus, lib. *De Pudicitia*, cap. XX, vertit, *viridem* : quia mors impiis est pallida, id est metuenda et tristis, eosque facit luridos; bonis vero est viridis, id est suavis et placida, spemque præbet messis vitæ æternæ.

Quintum sigillum in lucem proferens animas interfectorum, significat Imperium Trajani, Adriani, Antonini et cæterorum sequentium, usque ad Diocletianum, qui ad sextum sigillum pertinet. Tunc ergo plurimi fuerunt Martyres, qui sub altari clamant, et vindictam a Deo postulant.

Sextum sigillum significat acerbissimam persecutionem Diocletiani, in qua terræ motus significat omnium Romanorum præsidum, ejus jussu, contra Christianos commotionem. Sol, id est Chri-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

stus, visus est tunc obscurari et denigrari apud infideles; luna, id est Ecclesia, facta est rubea; stellæ, id est multi præclari viri, a fide et cœlo exciderunt.

Septimum sigillum, de quo cap. VII, significat magnam Ecclesiæ commotionem, consolationem, pacem et lætitiam sub Constantino Magno, profligatis quatuor angelis malis, id est, quatuor tyrannis. In ea factum est silentium per dimidiam horam, quod significat persecutionem latentem et silentem Juliani Apostatæ, sed brevissimam: tantum enim biennio regnavit Julianus. Ita Aureolus.

Hæc sententia ex ipso rerum eventu apposita et plausibilis videtur: verum ei obstare videtur *primo*, quod tantum futura in Ecclesia a Christo usque ad Constantinum complectatur, a Constantino saliat ad Antichristum: cum tamen inter utrumque multa et mira contigerint, æque notanda et prædicenda, ac tempora Constantini et præcedentium Imperatorum. *Secundo*, quod quatuor equos tantum viderit Joannes, jam autem decem fuerunt Ecclesiæ persecutiones: ergo decem oportuisset eum videre equos. *Tertio*, quod hæc expositio quinto sigillo complectatur sex persecutiones, quæ fuerunt a Trajano usque ad Diocletianum, aliis vero sigillis singulis singulas tantum persecutiones attribuat, cum tamen illæ Trajani et sequentes æque acres, imo acriores fuerint, quam præcedentes. *Quarto*, videtur Joannes quatuor equis omnes Ecclesiæ persecutiones voluisse complecti: nam post eos quinto, sexto et septimo sigillis non equos, sed alias visiones in medium producit. Cur mutat equos in alias visiones, si de iisdem persecutionibus agit? una enim alteri in materia, modo, auctore, acerbitate, etc., fuit simillima. Cum ergo priores per equos apte denotentur, etiam posteriores per equos designandæ fuisse videntur.

Dico ergo septem sigilla significare septem mysteria, æque ac tempora, arcana et secreta, a Deo statuta et signata, quibus res quæ his sigillis continentur, ordine quæque suo, suoque sæculo successive, ante et usque Antichristum, finemque mundi (nam futura sub Antichristo, et in fine mundi, ipso libro signato descripta continentur) manifestabuntur, et reipsa evenient, ita ut uno desinente mox ordine suo succedat alterum, quod proxime sequitur, v. g., ut desitio secundi sit inchoatio tertii, et desitio tertii sit inchoatio quarti, uti docui cap. V, vers. 1. Itaque primo sigillo inducitur hic Christus, quasi eques albatus, qui cum tribus sequentibus equis et equitibus, puta rufo, nigro et pallido, successive certabit, et quasi duellum inibit, singulosque tandem prosternet et debellabit: nimirum Gentiles, quos significat equus rufus; hæreticos, quos significat equus niger; Turcas et Saracenos, quos significat equus pallidus: ita ut cum omni hostium et hominum genere certet, vincat et triumphet. Itaque cum in primo hoc sigillo ait Joannes: « Et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret, » respondeo, explico et dico hoc symbolo albi equi et equitis, significari bellicosissimum et victoriosissimum primitivæ Ecclesiæ statum. Nam equus *primo*, symbolum est belli; unde Virgilius, III *Æneid.*, ait Anchisen, patrem Æneæ, visis albis equis exclamasse:

> Bellum, o terra hospita, portas:
> Bello armantur equi, bello hæc armenta parantur.

Et *duellicam* equorum prolem Lucretius appellat. Hinc equus Marti apud Gentiles sacer erat, eumque Marti Idibus decembris immolabant. Narrat Plutarchus, et ex eo Pierius, *Hieroglyph.* IV, Horum post mortem apparuisse Osiridi, eique sciscitanti quod animal bello esset utilius, respondisse, equum. Cumque Osiris leonem præstare arbitraretur, respondisse Horum, posse quidem leonem auxilio esse, verum ubi semel fugam arripuisset, irrevocabilem abire; cum alioqui bellatori necesse esset nonnunquam cedere, nonnunquam ex inclinata jam acie rursum hostes aggredi: idcirco equum omnibus his officiis magis commodum et officiosum esse. Aristoteles in *Ethicis*, cum præcipue virtutem in equo laudat, quod sit ad currendum portandumque hominem idoneus, et ad invadendum exspectandumque hostem minime formidolosus. Hinc et Zacharias cap. VI, quatuor monarchiarum conflictus repræsentat per equos albos, rufos, nigros et varios; et ad eos alludunt hi quatuor equi et equites S. Joannis. Hinc forte iidem quoque alludunt ad quadriformes illius ævi aurigas, puta ad quatuor Circensium aurigarum factiones, quaternis coloribus discriminatas et denominatas, quæ S. Joannis ætate Romæ et alibi celebres, inter se non raro decertabant: imo postea sæpe, ac nominatim sub Justiniano Imperatore graves in republica seditiones et tumultus concitarunt, teste Procopio in *Anecdotis Justiniani*, Marcellino in *Chronico*, Theophane et Zonara in *Justiniano*; dum quisque in suam factionem plures, etiam principes pertraxit, et ad in adversam factionem per cædes grassandum concitavit, uti avorum memoria in Italia fecerunt Gibellini et Guelphi; erant enim in Circensibus aurigæ, alii albati, alii russati, alii prasini, alii veneti, de quibus omnibus exstant Epigrammata, lib. V *Anthologiæ*, et Dio in *Domitiano*, lib. LIX, et Suetonius in *Vitellio*, cap. XIV. Albati respondent albo equo et equiti S. Joannis, russati rufo, prasini nigro, veneti pallido. Prasinus enim color est porraceus, sive viridis, conflatus ex gilvo et nigro, teste Platone in *Timæo*; venetus color erat cyaneus, sive cæruleus, puta marinus, ait Vegetius, qui ad pallidum accedit.

Porro hisce quatuor coloribus videntur repræsentasse quatuor elementa, eorumque inter se pugnam et concertationem, nimirum rubro ignem: rubet enim ignis; albo aerem: albus enim videtur aer, cum serenus est; veneto, sive cæruleo, aquam et mare; prasino, sive viridi, terram viridi gramine vestitam. Hæc enim quatuor elementa moderatur, interque se committit et contemperat summus auriga Deus. Unde de origine venetorum et prasinorum sic in antiquis *Historiarum Collectaneis*, Cod. Vatic. 96, legimus: « Onomaus primus invenit Circensium colores, quibus terræ et maris quasi certamen repræsentavit. Mittebantur sortes; quem vero contigisset terræ vicem agere certando, ille vestem viridem induebat; cæruleam autem, qui vices maris agebat. Hoc certamen 24 die martii Onomaus constituit. Quod si color viridis vicisset, terræ fertilitatem omnes sperabant; si cæruleus, tranquillam maris navigationem. Quare agricolæ optabant victoriam viridi colori, nautæ cæruleo. »

*Secundo*, equus symbolum est imperii. Carthaginis murorum fundamenta fodientibus oblatum est, ait Virgilius, I *Æneid.*, « caput acris equi. » Hinc urbem fore bellicosam et dominatricem conjecturunt. Narrat Suetonius in *Julio Cæsare*, cap. LXI, in domo Cæsaris natum fuisse equum humanis prope pedibus, ungulis scilicet in digitorum modum subscissis; ac aruspices respondisse, portendi orbis imperium ei apud quem equus hujusmodi editus esset. Eum itaque Cæsar magna cura aluit, nec patientem sessoris alterius primus ascendit. Dedit et Ælio Pertinaci, qui post Commodum imperium arripuit, invadendi regnum signum equus. Nam ea qua natus est hora, equus pullus in tegulas ascendit, atque ibi brevi temporis spatio commoratus, simul et decidit et expiravit. Quod Pertinaci futuræ sublimitatis, quamvis modicum duraturæ, augurium fuit. Denique Suetonius in *Nerone*, cap. XLVI, narrat equis asturconem, quo maxime delectabatur, in somnio visum esse posteriori corporis parte in simiæ speciem commutata, ac tantum capite integro, hinnitus edere canoros: ostento fuit, ait Suetonius, quod illa equi ferocitas in simiæ ludibrium esset abitura.

*Tertio*, equus symbolum est victoriæ. Sic de Marcello canit Virgilius, lib. VI *Æneid.*:

> Hic rem Romanam magno trepidante tumultu
> Sistet eques, sternet Pœnos.

Ex adverso Flaminius Consul contra Annibalem proficiscens, cum in equum insiliret, equus repente corruit, consulemque lapsum super caput effudit, inauspicati incepti signum, ait Plutarchus; quo paulo post ipse cum exercitu, fœdissima clade apud Trasimenum lacum, ab Annibale superatus et cæsus occubuit.

Dico ergo *primo*: Equus albus sunt Apostoli aliique præcones Evangelii, ut S. Ignatius, Polycarpus, Dionysius, etc., per quos Christus orbem debellavit sibique subjecit. Ita Aretas, Andreas, Haymo, Ticonius, Ribera, Pererius et alii passim, qui secuti S. Irenæum, primum et priscum hujus explicationis auctorem, in eo uno ore consentiunt et conspirant omnes.



Nota: Apostoli recte comparantur equo, ut notat Thomas Anglicus. *Primo*, propter ejus alacritatem et ferociam in prælio, quam pulchre hisce ejus elogiis describit Job, cap. XXXIX, vers. 20: « Gloria narium ejus terror, terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus. Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit: Vah! procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus. » Et Virgilius, VIII *Æneid.*:

> Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Quocirca Plato, cum in equum aliquando conscendisset, illico in terram desiliit, dicens, vereri se ne equino quopiam fastu contaminaretur. Tales fuere Apostoli, nimirum in præliando contra dæmones, mundum et peccata feroces, ignemque spirantes. *Secundo*, propter officium equi portandi equitem; de quo adagium: Ἵππος με φέρει, βασιλεὺς με τρέφει, *equus me portat, alit rex*. Cum enim juvenis quidam sub rege Philippo stipendia faceret, monitus est ut missionem peteret, et militia se abdicaret. Ille negavit se facturum, dicens se commodissime vivere, ut qui et pedibus alienis, puta equi, ingrederetur, et aliena pecunia, puta regis, pasceretur. Unde Horatius in *Epistolis*, sub Aristippi persona hoc usurpat:

> Splendidius multo est, equus ut me portet, alat rex.

Idem fuit officium Apostolorum; Apostoli enim quasi equi portarunt equitem Christum, tum per sanctam operationem, tum per Evangelicam prædicationem. Equus ergo Christi fuit Paulus, Andreas, Joannes, etc. *Tertio*, propter miram equi agilitatem et velocitatem. Similiter enim de Apostolis dicitur: « In omnem terram exivit sonus eorum; » et: « Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus, » *Psalm.* XVIII, 7. *Quarto*, propter equi patientiam et obedientiam, qua freno se regi et quaquaversum ad nutum equitis agi sinit. Sic enim Apostoli gratiæ Christi ductum et instinctum per omnia secuti sunt. Denique, quia equus symbolum est salutis et felicitatis, per bellicam fortitudinem et victoriam partæ. Sic enim Apostoli salutem et felicitatem, certando contra infidelitatem et impietatem, pepererunt orbi. Quocirca Zacharias, cap. X, vers. 3, ait: « Posuit Dominus domum Juda quasi equum gloriæ suæ in bello. » Et *Prov.* XXI, 31: « Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit. » Et Habacuc, cap. III, 8: « Ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio. » Et *Psalm.* LXVII, 18: « Currus Dei decem millibus multiplex. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ergo Deum, vel Christum in equum ascendere, est eum in auxilium ac salutem populi sui, quasi bellatorem contra hostes properare et pergere. Sic angeli tutantes Eliseum contra Syros, in equis et quadrigis bellicis apparuerunt, IV *Reg.* VI, 17. Sic equus terribilis pro templo et Judæis pugnans, Heliodoro volenti gazam templi invadere priores calces illisit, II *Machab.* III, 25.

Dico *secundo* : Sessor hujus equi est Christus, ut patet cap. XIX, vers. 11, de quo pulchre Origenes, hom. 2 *in Cant.*, ad illud, *Equitatui Pharaonis assimilavi te* : Equus, inquit, et equitatus Dei et Christi, sunt Apostoli et animæ sanctæ. Sessor est Verbum Dei, cujus illæ frenum suscipiunt, ut quocumque voluerit flectat eas, ita ut ad omnia bona non a se, sed a voluntate sessoris ducantur et reducantur, atque a malo refrenentur. Hæc sessio, inquit Thomas Anglicus, fit media sella, quæ est justitia vitæ, de qua dicitur *Psal.* LXXXVIII : « Justitia et judicium præparatio sedis tuæ. » Hujus sessoris duo calcaria sunt : timor, quo declinatur malum ; et amor, quo perficitur bonum ; frenum est virtus prudentiæ et discretionis.

Dico *tertio* : Arcus Christi est sacra Scriptura, sive verbum Dei, de qua tot procedunt sagittæ, quot verba et sententiæ. Hoc arcu Christus alios occidit, puta dæmonem, mortem, peccatum, infernum ; alios vulnerat ad vitam. Vel potius, arcus hic est Evangelica prædicatio, gratia et vocatio, qua Christus hostes prosternit, et homines salutaribus sagittis vulneratos, ad Deum et salutem adducit. Hoc est quod ait Isaias cap. XLIX, vers. 2 : « Dominus ab utero vocavit me, et posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me. » Vide ibi dicta.

Dico *quarto* : Equus hic est albus, ut significet lætum et festivum fore hoc prælium, utpote finem habiturum certam victoriam. Unde et Christus corona insignitur, quia rex est et victor. Victor, inquam, non ut dux castrorum apud homines, qui hostem dum subigit, subdit ; sed qui eum subigendo ex hoste faciat amicum, ex impio pium, imo faciat eum militem suum, quo quasi nova sagitta utatur ad alios feriendos et subigendos. Christus enim ex hostibus a se prostratis et percussis, conflat sibi novas sagittas, quibus alios et alios sui amore transfigat. Hoc enim facit hæc sagitta, puta charitas et amor Christi, ut ea percussi, non sua solius salute sint contenti, sed omnium aliorum salutem sitiant, eamque ardenter procurent. Quocirca alios eadem sua sagitta, qua ipsi confixi sunt, sagittant et feriunt. Hinc ab Isaia vocatur hæc sagitta electa. Et Psaltes : « Sagittæ, ait, potentis acutæ, » *Psalm.* CXIX ; ubi S. Augustinus : « Sagittæ, ait, potentis acutæ verba Dei sunt. Ecce jaciuntur et transfigunt corda, ut amor excitetur, non interitus comparetur. Sagittat cor amantis ut adjuvet amantem, sagittat ut faciat amantem ; » et : « Sagittæ tuæ acutæ (hinc populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis, » *Psalm.* XLIV, 6. Hujus victoriæ symbolum est equus albus. Unde apud Philostratum *in Heroicis*, legimus Gentiles pullum equinum coloris albi Soli sacrificasse pro victoria consequenda.

Sic quinque angeli in equis fulgidis apparentes, e quibus duo Judam Machabæum in sui medio constituerunt, pro eo et Judæis contra copias Antiochi tela et fulmina jaculando victoriam pepererunt, lib. II *Machab.*, X, 29. Sic sæpe S. Jacobus equo albo insidens, et armis radiantibus fulgens, Hispanis (ut habent eorum Annales) eum invocantibus, opem et victoriam attulit, ac nominatim Ramiro regi anno Domini 834, cum ipse, clade accepta a Mauris, fugiens in montem Clavigium, orans monitus est a S. Jacobo, ut ipse cum militibus confiteretur et communicaret, itaque rursum Mauros invaderet : se enim castra præiturum ; dixit, et fecit : nam equo albo insidens præivit castra, et septuaginta Maurorum millia cecidit, cæteris vel captis, vel fuga elapsis. Idem de Castore et Polluce, quod scilicet in equis albis apparentes Romanis, ad maximas angustias redactis, opem tulerint, castraque præcesserint, narrant vel fabulantur Romani historici.

Atque hinc videtur fluxisse vetus proverbium, « Equis albis præcedere, » dici solitum in eos, qui quapiam in re longe superiores sunt : vel quod antiquitus equi albi meliores haberentur, vel quod victores in triumpho equis albis vectari solerent, uti de triumpho Diocletiani et Maximiani scribit Pomponius Lætus : « Post triumphantium currus ex auro et lapillis pretiosis, quem trahebant quatuor equi candore certantes cum nive, » etc. ; vel quod equi albi fortunatiores et auspicatiores a Gentilibus crederentur.

Denique Romæ die omnium maxime festo, quo novus Pontifex ad Lateranum, Pontificatus possessionem accepturus, deducitur, in communi urbis et orbis applausu, omnes Præsules in equis albis ei adequitare solent. Atque hoc forsan, uti et multa alia, sumptum est ex Apocalypsi hoc loco, scilicet ut repræsentent hunc equum album, cujus sessor est Christus, vicarius et successor est novus Pontifex.

ET EXIVIT VINCENS UT VINCERET, — ut scilicet confligendo cum tribus equis sequentibus, utpote hostilibus, eos vinceret. *Secundo*, ut per Apostolos eorumque successores sensim vinceret et subjugaret suæ fidei et obedientiæ totum orbem. Hæc enim phrasis : « Exivit vincens ut vinceret, » significat sensim eum a victoria unius gentis ad debellationem et victoriam alterius progressurum, idque continuo victoriarum progressu et incremento. Licet enim primo Apostolorum sæculo, per eos multos vicerit et converterit, tamen longe plures vicit secundo sæculo et tertio, scilicet a Trajano usque ad Constantinum ; sub quo deinde totum orbem vicit effecitque christianum, ut publice ubique Christus coleretur, idolorum vero fana Constantini edicto clauderentur.



Moraliter, hæc pulchre adaptat S. Vincentio Ferrerio, Doctori et Prædicatori Apostolico ex Ordine S. Dominici, auctor Vitæ ejus cap. I, quæ extat in Surio, 5 aprilis. « Fuit enim, ait auctor, Vincentius insuperabili animi virtute, ac vicit mundi errores mirifica sapientia ; amores, integra mentis et corporis castimonia ; terrores, incredibili animi fortitudine et patientia. Comparatur equo, quia per totum orbem prædicando discurrit, eique albo, ob nitorem, pudicitiam et fulgorem doctrinæ et coruscationem miraculorum. Super hunc equum album Christus sedit. Nam, ut ait S. Augustinus, Christi gratia est in sancti hominis anima, sicut sessor in equo. Sessor hic habet arcum, qui est veteris novique Testamenti scriptura, qua configitur Judæorum perfidia, et hæreticorum perversitas, defenditur vero Christiana religio. Data est huic equo albo corona triplex : una ex sideribus, et hoc propter mirabilium virtutum multitudinem ; altera ex auro, propter eruditionem magnamque doctrinæ claritatem, de qua *Eccli.* XLV : Corona aurea super caput ejus ; tertia ex lapide pretioso, de quo *Psalm.* XX : Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Hic equus exivit vincens carnis voluptates, mundi delicias dæmonisque versutias. Exivit in campum mundanarum tribulationum, ut vinceret carnem castitate, mundum paupertate, dæmonem humilitate, vita perfecta charitate. » Quæ deinde per exempla fuse auctor libris quatuor enarrat et confirmat.

3 et 4. ET CUM APERUISSET SIGILLUM SECUNDUM, AUDIVI SECUNDUM ANIMAL (habens speciem vituli, cap. IV, vers. 7, idque apposite : ostendit enim Martyrum hostias, quarum symbolum et pars magna olim erat vitulus : ita Andreas Cæsariensis) DICENS : VENI, ET VIDE : ET EXIVIT ALIUS EQUUS RUFUS.

Nota : Tres sequentes equi, scilicet rufus, niger et pallidus, oppositi sunt primo, utpote albo et fausto, cujus sessor est Christus. Nam tres alios non esse Christi patet, quia secundus, scilicet rufus, pacem terræ conturbat, tertius niger stateram habet fraudulentam, quartus sessorem habet mortem, et comitem infernum, qui stragem illam edunt. Ita docent Ticonius, Primasius, Beda, Haymo, Lyranus, Thomas, Joachim, Aureolus, Pannonius, Ribera, Viegas, Pererius, licet id negent Ambrosius, Aretas, Arias et Alcazar, qui censent omnes hosce quatuor equos eumdem habere sessorem, scilicet Christum, ad ejusque salutem, redemptionem et victoriam pertinere.

Verum priorum sententia, uti communior, ita longe est probabilior. Ita tres horum trium priorum equorum colores, ut duos posteriores primo opponeret, imitatus est Tamberlanes, Scytharum imperator sævissimus. Cum enim urbes obsideret, prima die albo tentorio utebatur, secunda rubeo, tertia nigro, ut hoc terrore ad deditionem hostes compelleret. Hac enim re significabat, quod, si prima die se dederent, clementem se habituri essent ; si ad secundam usque pertinaces resisterent, sanguine suo pœnas daturi essent ; si ad tertiam quoque perdurarent, ultimo excidio omnia fumo ac igne ipse vastaturus esset.

Jam præter expositiones quas attuli vers. 1, ac præsertim Alcazaris, qui censent sessorem hujus equi esse audaciam primorum Christianorum in sua fide promulganda, qui pacem mundanam de terra sustulerunt, et veram Dei pacem (qualis est Evangelica) substituerunt ; unde de iis dixit Christus : « Non veni pacem mittere, sed gladium ; veni enim separare hominem, » etc. *Matth.* X, 34. Gladius magnus hujus equitis est Evangelii prædicatio, quæ magnam separationem, discordias et dissidia fidelium ab infidelibus orbi induxit. Verum omissa hac sententia, de qua dixi vers. 1,

*Primo*, Haymo : Equus rufus, inquit, est corpus diaboli, puta multitudo reproborum omnium, quæ opposita est equo albo electorum. Hæc rufa est, quia animarum cæde cruentata. Hujus sessor est diabolus, cujus gladius est prava cupiditatum suggestio.

*Secundo*, magis particulatim magisque apposite Andreas Cæsariensis, Ribera et alii quos citavi in primo sigillo equi albi, sic explicant : Sicut per primum equum album, primus scilicet, Apostolicus Ecclesiæ status significatur : ita per equum rufum significatur secundus, proxime primo succedens, Martyrum status. Equus ergo rufus significat populum Paganum, puta Gentiles et infideles, Ecclesiæ persecutores, adeoque ipsas decem cruentas Christianorum persecutiones, quæ fuerunt a Nerone usque ad Constantinum per annos 250. *Prima* enim persecutio facta est a Nerone, qui capita Ecclesiæ, Petrum et Paulum, occidit. *Secunda* a Domitiano, qui Joannem in dolium ferventis olei conjecit, sed inde illæsum exeuntem in Patmos relegavit. *Tertia* sub Trajano, qui S. Ignatium leonibus Romæ in amphitheatro objecit. *Quarta* sub Antonino, qui tum alibi, ut scribit Eusebius lib. V *Hist.*, cap. 1, tum Romæ ad arcum S. Viti multa Christianorum millia occidit, quorum corpora S. Praxedes et S. Pudentiana in suis ædibus, quæ deinde in templa conversæ sunt, sepelierunt, ut in iis ipsis inscriptum videmus et legimus. Quocirca tunc passi sunt S. Polycarpus, Gervasius et Protasius, Felicitas cum septem filiis, Justinus qui Apologiam pro Christianis ad Imperatorem scripserat, et alii, donec Antoninus in bello Marcomannico, in extrema exercitus siti, pluvia precibus legionis Christianæ, quæ inde Fulminatrix est dicta, impetrata, persecutionem stitit. *Quinta* fuit sub Septimio Severo, qui vere severus fuit et crudelis : sub eo passus est Victor Pontifex, Leonides, pater Origenis, ipseque Origenes puer ambivit martyrium, teste Eusebio, lib. VI, cap. II et III, et alii : unde tunc Tertullianus scripsit Apologiam pro Christianis. *Sexta* fuit sub Julio Maximino, cujus vastitati corporis par respondit arrogantia, ut putaret se esse immortalem, nec posse occidi ; ar-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que crudelitas, ita ut illum alii Cyclopem, alii Busiridem, alii Scironem, alii Phalarim, alii Tiphonem, alii Gigem appellarent: sub eo passi sunt Pontianus et Anterus Pontifices. Vide Orosium, lib. VII, cap. IX, et Eusebium, lib. VI, cap. XXI. *Septima* fuit sub Decio, sub quo passi sunt S. Cornelius, Fabianus, Babylas, S. Apollonia, S. Agatha. *Octava* sub Valeriano, sub quo passi sunt S. Laurentius, S. Cyprianus et alii, donec justa Dei vindicta Valerianus a Sapore Persarum rege captus, illi equum ascensuro dorsum suum instar scabelli præbere coactus, ibidem misere periit. *Nona* fuit sub Aureliano, sub quo passi sunt Athenodorus, frater Gregorii Thaumaturgi; Felix Papa, Agapitus quindecim annorum puer, et alii. *Decima*, eaque sævissima fuit sub Diocletiano et Maximiano, sub quo passi sunt S. Sebastianus, S. Mauritius cum sua legione Thebæorum, SS. Cosmus et Damianus, S. Agnes, S. Eulalia, S. Vincentius aliique plurimi: ita ut uno mense septemdecim Christianorum millia mactarentur. Unde Eusebius, lib. VIII.

Hujus equi sessor est Trajanus, Antoninus, Decius, Diocletianus, aliique Romani Imperatores et tyranni. Hi enim gestant gladium, quia eum exseruerunt in Christianos. His congruit color rufus, qui bellum, pugnas, cædem designat: unde illud *Isaiæ* LXIII, 1: « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? » et vers. 2: « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? » Rubens enim color, igneus et accensus, iram, zelum stragesque notat: hinc Alciatus, Emblemate 117:

At ruber armatos equites exornat amictus.

et Alexander ab Alexandro, lib. I *Genial.*, cap. XX, ac Tiraquellus ibidem, referunt ex Xenophonte, Æliano, Plutarcho et Valerio, Persas et Lacedæmonios euntes ad bellum, rubris vestibus indui solitos.

Et datum, — id est, *permissum est* a Deo. Nihil enim mali possunt in hoc mundo, nisi data a Deo potestate et venia: sicut in republica bene ordinata non possunt esse usurarii et lenones, nisi potestate a principe accepta.

5. Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal (quod erat homo, ut patet cap. IV, vers. 7) dicens: Veni, et vide. Et ecce equus niger.

*Primo*, Haymo per hunc equum rursum accipit reproborum multitudinem. Hi enim in secundo sigillo comparati fuerunt equo rufo, ob crudelitatem; hic vero, inquit, comparantur equo nigro, ob fœditatem vitiorum. Verum hæc sigilla plane alias et alias res ac persecutiones significant.

*Secundo*, Alcazar censet sessorem hujus equi nigri, per prosopopœiam, esse voluntariam paupertatem et indigentiam Christianorum primitivæ Ecclesiæ: unde stateram habet in manu, qua non triticum, sed cujusque necessitatem ponderat, et nummos qui in singulos erogandi erant, ut pro justo necessitatis pondere distribuerentur, ut scilicet pro labore diurno quisque acciperet denarium ad bilibrem, græce chœnicem, id est mensuram tritici, quæ sufficeret ad victum diurnum coemendum: denarius enim significat pretium, quod operario pro labore diurno quotidie solvebatur. Hoc est quod fideles docet Apostolus I *Timoth.* VI, 8: « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. »

Porro, inquit Alcazar, « vinum et oleum, » quia in Græco habent articulum, mystice accipienda sunt, *q. d.* « Vinum et oleum ne læseris, » id est nos Christiani rogamus ne in tantis adversitatibus et ærumnis destituamur oleo, id est luce et cognitione felicitatis, quæ in sancta paupertate quam eligimus, includitur, neve absit Spiritus Sancti unctio, quæ nos recreet et soletur. Rursum, ut detur nobis vinum spiritualis lætitiæ, quo fulti, defectum rerum temporalium pro nihilo ducamus. Nam, ut ait Seneca, lib. I, *epistola* 2: « Honesta res est paupertas læta. Si vero læta est, paupertas non est. » In reseratione ergo hujus tertii sigilli docet Christus rerum abundantiam, quam Messiam allaturum Prophetæ prædixerunt, non esse temporalem, sed spiritualem, adeoque paupertate voluntaria non lædi, sed augeri. Denique significari hic ingentem annonæ caritatem obventuram Christianis in Patmon relegatis, scilicet tantam, ut bilibris, id est 24 unciæ frumenti emendæ sint denario. Verum hæc mystica sunt, non litteralia: atque supponunt hunc equum, æque ac primum, esse Christi, cujus contrarium superius ex communi interpretum sententia docui.

*Tertio*, Aureolus et Lyranus per equum hunc nigrum accipiunt Titum, qui Jerusalem vastavit. Hic tenet libram divinæ justitiæ et vindictæ, quam contra Judæos Christicidas exequitur. Rursum libra, inquiunt, significat et continet quinque Judæos, ob quinque libros Mosis, quos quasi repræsentat: bilibris ergo tritici, sunt decem nobiles Judæi, qui a Romanis venditi sunt uno denario; hordei vero bilibres tres, sunt ignobilium et plebeiorum Judæorum triginta, qui pariter venditi sunt denario uno. « Vinum et oleum ne læseris, » *q. d.* Tu, o Tite, fideles qui in Christum crediderunt, tam ex Judæis, quam ex Gentibus, quique propter charitatem vino, propter misericordiam oleo significantur, ne tangas, ne affligas. Itaque accidit. Nam Christiani ex Jerusalem, imminente obsidione, monitu Dei migrarunt Pellam, ut refert Eusebius lib. III *Histor.*, cap. V. Verum hæc Hierosolymæ vastatio jam præterierat 25 annis, cum hæc vidit et scripsit Joannes, eratque toto orbe notissima et vulgatissima: cur ergo eam ipse hic tam obscure, per ænigmata bilibris, tritici, hordei et denarii significaret?

*Quarto* ergo, aptius Thomas Anglicus, Joachim, Gagneius, Pererius et Ribera, per equum nigrum accipiunt hæreticos, qui in errorum nigris tenebris versantur, suntque veritatis hostes. Unde e diametro primo equo albo, cui Christus insidet, opponuntur. Cernens enim diabolus se per Gentiles imperatores et tyrannos contra Ecclesiam non proficere, quin potius ipsam per persecutiones crescere et inclarescere, excitavit hæreticos, qui magis Ecclesiam vexarunt, magisque ei nocuerunt: ac præsertim mox tempore Constantini Magni, qui persecutiones stitit, pacemque dedit Ecclesiæ, suscitavit Arium et Arianos. Quocirca multi per equum hunc accipiunt Wandalos et Gothos, qui fuerunt Ariani, ac mire Ecclesiam vastarunt per trecentos et amplius annos, ut patet ex Victore Uticensi in *Wandal.*, Procopio, Baronio et aliis. Hi ergo sunt equus ater. Hic enim color denotat deceique tenebriones, lucifugas, calumniatores, improbos; tales autem sunt hæretici, quorum fides, conscientia et mores sunt atri. Sic monebat Pythagoras: « Ne gustaremus de his, quibus nigra est cauda; » quo vetabat cum iis versari, qui nigri essent morum improbitate. Et Horatius: « Hic niger est, hunc, tu Romane, caveto. » Sic idololatræ in Scriptura vocantur Æthiopes, ut *Amos* IX, 7: « Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel, ait Dominus? » Ubi S. Hieronymus: « In omnibus, ait, Scripturis Æthiopes dicuntur, qui penitus in vitia demersi sunt, » quales sunt idololatræ et hæretici. Hinc *Thren.* IV, 8, Nazaræi candidiores nive cum pure Deum colebant, postea ad vitia et idola conversi, audiunt: « Denigrata est super carbones facies eorum. » Hinc et Saul malignus, et calumniator ac persecutor Davidis, vocatur Chus, id est Æthiops, in titulo *Psalm.* VII. Audi et Ciceronem pro *Cæcinna*: « Sextus Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio, » *q. d.* Sextus Clodius æque improbus et audax est, ac Phormio Terentii. Vulgare est proverbium: « Albus, an ater sis, nescio. »

Hujus equi sessor est diabolus, vel ipse hæresiarcha, v. g. Arius. Habet stateram, id est sacram Scripturam, ad quam omnia vult librare et examinare; non in mente, sed in manu, quasi ad libitum versatilem et flexibilem, ut eam ad errores suos, prout libuerit, torqueat et inflectat. Potest quoque cum Pererio per stateram accipi simulata et ostentata justitia, sive simulatus amor veritatis et recti. Sic Arius libravit Filium cum Patre in statera, docens iniquum esse ut Filius Patri æquetur in duratione, dignitate et divinitate. Hosce Joanni ostendit tertium animal, scilicet homo, cujus faciem prefert, quæ est indicium rationis et æquitatis: quia hæretici hominis et humanitatis speciem mentiuntur, cum sint lupi rapaces. *Secundo*, quia omnes pene hæreses Filio hominis, id est Christo, adversatæ sunt, eique vel divinitatem, vel humanitatem, puta corpus, vel mentem, vel voluntatem humanam ademerunt. *Tertio*, quia homo significat doctores et prædicatores, qui hæreses detegunt et confutant.

6. Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario: et vinum et oleum ne læseris, — scilicet, tu, o eques, et eque niger. Hoc enim illi imperat ex Deo tertium animal, sive tertius Cherubinus habens speciem hominis. Pro *bilibris*, græce est chœnix, quæ est mensura aridorum tantum capiens tritici, quantum ad diem unum uni homini ad victum sufficit. Unde proverbium: « Chœnici ne insideas, » id est, ne innitaris, ne fidas diætæ quotidianæ. Porro, licet chœnices fuerint variæ, variæque quantitatis et mensuræ, tamen Attica et communis chœnix, ut docet Alciatus lib. *De Ponder. et mensur.*, ex Polluce et Suida, continebat 27 uncias, id est duas libras, et insuper quartam libræ partem. Unde noster Interpres vertit « bilibris, » quod nomen Latinis notius est quam Græcum chœnix; libra enim continet 12 uncias: bilibris ergo continet 24 uncias. Plura de chœnice vide apud Alcazar, *not.* 7, ubi inter alia citat verba Galeni dicentis: « Chœnix continet cotylas tres; » cotylæ autem tres, inquit ipse, capiunt juste 25 uncias aquæ, frumenti vero vulgaris uncias 24. Dico *vulgaris*: nam optimum frumentum est ejusdem cum aqua ponderis, ut docet Prado, et ex eo Alcazar. Denarius pretium est diurni laboris: operarii enim diurna merces erat denarius. Bilibris ergo significat sacram Scripturam (hæc enim est libra, uti paulo ante dixi), quæ quasi duplex est, scilicet novi et veteris Testamenti. Hæc est chœnix, quia animæ ad victum quotidianum alimoniam sufficit. Denarius significat meritum sanæ fidei, et sanctæ vitæ quotidianæ. Triticum est Evangelium, hordeum est aspera lex vetus. Apposite autem triticum unius chœnicis denario, hordei vero tres chœnices eodem denario æstimantur: quia pretium tritici ad hordeum solet esse triplum: et talis est doctrina novi Testamenti respectu veteris, scilicet triplo melior et perfectior, triploque melius et succulentius animam nutriens. Vinum et oleum sunt medicina Samaritani nostri Christi Domini, ut patet *Lucæ* X, 34, puta sunt S. Sacramenta. Sensus ergo est, *q. d.* Nolite timere hunc equum et equitem nigrum, o fideles mei; licet enim Ariani et Wandali æque, imo magis, quam Decius et Diocletianus in vos sæviant, tamen ego vobis adero, vos alam, pascam et roborabo. Esto conentur illi omnibus viribus doctrinam et animæ pabulum vobis eripere, tamen non poterunt annonam sacræ doctrinæ, veritatis et fidei, quæ vobis quotidie ad victum et robur spiritus sufficiat, adimere: illam enim ego vobis procurabo inter medios hæreticos et hostes, si constanter studio et exercitio Christianæ vitæ, prout debetis, quotidie insistatis: ita Ribera.

Porro voces « bilibris » et « denarius » significant magnam fore caritatem annonæ spiritalis, id est verbi Dei, sub Arianis, Gothis aliisque



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hæreticis. Carum enim est triticum, cum duæ ejus libræ venduntur denario, id est decem assibus, id est decem bajocis Italicis, puta uno Julio, aut regali Hispanico, qui apud Belgas valet quinque stuferos; hic enim est denarius, qui continet drachmam argenti, estque quarta pars stateris, sive sicli : siclus enim continet quatuor drachmas argenti, valetque quatuor regales, hoc est unum florenum Brabanticum. Notat ergo miram arianismi propagationem et sævitiam in Orthodoxos, qua per Constantinum Imperatorem, Ursacium, Valentem aliosque Arianos plerique Episcopi decepti sunt, aut facti Ariani; adeo ut in generali Concilio Ariminensi, uti et in aliis, homousii et Nicænæ fidei damnatio conclamata sit, totusque orbis ingemiscens miratus sit se esse Arianum, ait S. Hieronymus, ita ut homousii et veræ fidei defensio ad unum fere redacta esset S. Athanasium; tunc tamen Christus fideles suos non deseruit, sed per S. Athanasium aliosque sacerdotes et Orthodoxos necessarium fidelibus verbi Dei, homousii, veræque fidei, et S. Sacramentorum alimoniam suppeditavit, licet sobrie, et furtim sæpe (uti fit in locis ubi dominantur hæretici, ut in Anglia, Scotia, Hollandia), ac tantum ad necessitatem, non ad abundantiam.

Aliter Pererius : Triticum, inquit, sunt Prælati virique sancti; hordeum est plebs fidelis. Hi omnes, si in fide persteut, donabuntur eodem denario diurni laboris, scilicet vita æterna, uti legimus in parabola operariorum, *Matth.* xx, Christum eumdem denarium singulis annumerasse.

Aliter quoque Viegas, *sect.* 10 : Triticum, inquit, sunt insigniores Christiani; hordeum sunt segniores. Hi ab hæreticis seducuntur uno denario, id est brevi et vili voluptate hujus vitæ, sive morum licentia, quam affert hæresis et hæretici. Sed « vinum et oleum ne læseris, » *q. d.* Eminentes in charitate, quos designat vinum, et in misericordia, quos designat oleum, o hæretice, seducere non poteris.

7 et 8. ET CUM APERUISSET SIGILLUM QUARTUM, etc., ET ECCE EQUUS PALLIDUS. — Græcum χλωρὸς significat colorem viridem herbarum, indeque earumdem marcescentium et arescentium squalorem et pallorem. Quocirca Chloris ab Ovidio ponitur dea florum : quæ cum nympha esset celebris, et Zephiro nuberet, quasi dotis loco id a marito accepit, ut florum omnium potestatem haberet : unde inquit ipsa apud Ovidium, lib. V *Fastor.* :

> Chloris eram, quæ Flora vocor : corrupta Latino
> Nominis est nostri littera Græca sono.

Hinc χλωρὸν δέος, vocatur *pallidus timor*, eo quod faciat pallidos; atque Constantius, pater Constantini Magni, cognominatus est Chlorus, propter pallorem, inquit Zonaras in *Diocletiano*. Morbidus iste color equo huic congruit, utpote cui insidet ipsa mors.

Jam *primo*, Lyranus et Aureolus per equum hunc pallidum accipiunt persecutionem Domitiani; Andreas Cæsariensis, Diocletiani; Ribera, Trajani, quæ teste Eusebio fuit acerrima, plurimosque occidit. Unde pallido equo comparatur : pallor enim est morientium.

Verum hæ persecutiones omnes equo secundo, rufo scilicet, designatæ sunt, uti paulo ante ostendi.

*Secundo*, Alcazar per mortem hanc accipit mortem tam Martyrum, quam aliorum fidelium, puta Judæorum ad Christum conversorum. Mors enim, inquit ipse, hic per prosopopœiam inducitur, quasi occidens Judæos Christo credentes. Sequitur eam infernus : quos enim ipsa occidit, mox hic devorat, et suis subterraneis includit cavernis, scilicet corpus sepulcro, animam limbo. Hic enim erat communis naturæ ordo ante Christum, Christique gratiam, qua cœlum patefecit, suosque eo subvexit. Hoc ergo sigillo novum et inauditum quid apparuit, scilicet mortem ut Christi ministrum equo insidentem, ad perfectam Judæorum salutem adventare, qui Christum ipsum recipiebant. Quo innuitur mortis sævitiam et stragem in Christi servis editam, non fuisse veram mortem et interitum, viamque ad inferos, uti Gentiles putabant; sed fuisse viam ad absolutam eorum felicitatem. Quocirca primi Christiani mortem non formidabant, sed optabant et ambiebant : sciebant enim ex Paulo, mori corpus et sepeliri in fidelibus, idem esse quod seminari, ut gloriose in resurrectione renascatur et resurgat, I *Cor.* xv, 42. Porro quatuor hic, inquit, genera mortis nominantur, quibus primi Christiani moriebantur. *Primum* est gladius, qui significat carnis castigationem et affectuum refrænationem, quam docet et jubet Christi Evangelium. *Secundum* est fames, quæ significat divinæ gloriæ zelum, et proximorum salutis æmulationem, de qua ait Christus *Matth.* v, 6 : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. » Tertium est mors, qua Deus Christianos peccantes rigide puniebat, uti punivit Ananiam et Saphiram *Actor.* v; et Paulus I *Cor.* v, 5, ait se tradidisse fornicarium Satanæ in interitum carnis; et I *Corinth.* xi, 30, scribit multos mori, quod indigne ad Eucharistiam accederent. *Quartum* sunt bestiæ, per quas significatur martyrium : multi enim reipsa bestiis objecti sunt. Subdit deinde Alcazar : Simplicius tamen et aptius esse censeo, ut « gladio, fame et morte » designentur bella, fames et pestis (mors enim, sive mortalitas sæpe pestem significat), quæ immissa sunt a Deo non solum in Judæos rebelles, sed etiam in eos qui Christum receperant; sed illi per mortem ad infernum, hi ad cœlum et felicitatem ibant. Atque hoc pacto patuit quanta sit Dei sapientia, quæ homines mortificando vivificat, et perdendo salvat, ut egregie depingitur apud Jobum cap. xxxii et xl.

Verum, equum hunc non esse amicum et faustum, sed inimicum et infaustum, nec sessorem habere Christum, Christive ministrum, sed Christi adversarium et æmulum, superius ex communi interpretum sententia docui. Adde hanc explicationem arctiorem esse, quia ad solos Judæos hoc sigillum, uti et præcedentia, restringit; nec satis cohærere, quia per mortem tam accipit mortem Martyribus ob fidei confessionem illatam, quam aliis Christianis ob peccata, vel sua, vel reipublicæ a Deo inflictam. Denique multa miscet, quæ magis tropologica sunt, quam litteralia.

*Tertio*, Thomas Anglicus, Dionysius, Gagneius, Richardus, Viegas et alii multi per hunc equum nigrum accipiunt hypocritas et impios fideles, quia sua mala vita et sceleribus Evangelio adversantur, suoque pravo exemplo non parum nocent Ecclesiæ (ut hi tres equi significent tres hostes equi albi, id est Ecclesiæ et Christi, scilicet rufus significet mundum, niger dæmonem, pallidus carnem). Hi pallidi sunt, quia hypocritæ jejuniis et carnis maceratione, vel certe ejus fuco et ostentatione facies suas exterminant, ait Richardus et Hugo; vel quia charitate et sapientia fulgere se fingunt et ipsa simulatione pallescunt, ait Dionysius; vel quia igneam charitatem sua luxuria perdiderunt, itaque expalluerunt. Huic equo et equiti permissum est homines interficere « gladio » linguæ impiæ, incitantis alios ad peccata; et « fame, » id est penuria verbi Dei; et « morte, » id est pestilentibus moribus; et « bestiis terræ, » id est brutis et irrationalibus vitiis.

Hic sensus generalior est, magisque moralis quam litteralis : nec satis congruo ordine sequitur præcedentem, tertium scilicet equum nigrum. Nam tempore illius, puta tempore hæresium, imo etiam tempore persecutionum Gentilium, adeoque quovis sæculo fuerunt impii et hypocritæ in Ecclesia.

*Quarto* ergo et optime, Joachim, Seraphinus Firmanus, Pannonius et Pererius per equum hunc pallidum intelligunt sectam Mahometis, Turcas et Saracenos, infensissimos et celeberrimos jam mille annis hostes Christianorum. Hi enim post Gothos, Arianos aliosque priscos hæreticos mox Ecclesiam gravissime infestarunt et jugiter infestant : estque hæc quasi quarta ætas Ecclesiæ. Hæc secta recte comparatur equo, quia plane irrationalis est, bruta et carnalis. Unde eam ostendit quartum animal, scilicet aquila, quæ sublimis est et cœlestis. Hic equus est pallidus, quia respondet sessori suo : sessor enim ejus est pallida mors. Rursus, pallor significat Saracenorum invidiam, livorem et odium in Christianos (unde et apposite Turcæ multi vultu sunt pallido), eorumque nequitiam et malitiam, insuper libidinem : in hac enim suis præcelluit Mahomet, eamque lege sua permisit, imo promisit : unde et polygamiam induxit. Libido enim spiritus et sanguinem exhaurit, itaque facit pallidos et luridos. Denique pallor notat eorumdem avaritiam, uti videmus Turcas auri esse cupidissimos, ideoque apud eos auro venalia jura. Avari enim ob curas et metus congerendi et conservandi opes, pallescunt. Quocirca argute Diogenes rogatus cur aurum palleret : « Quia multos, inquit, habet sibi inhiantes et insidiantes; » testis est Laertius, lib. VI. Hujus sessor est mors, id est, Mahomet, qui, deficiente secta Arii, mox ortus est regnante Heraclio Imperatore, anno Christi 630, suamque sectam propagavit gladio, nimirum omnes sibi resistentes occidendo. Hoc enim erat Mahometis symbolum, quod quotidie Saraceni in suis Moskæis sive fanis usque ad ravim inclamant : « Non est Deus nisi unus, et Mahomet Apostolus ejus. » Quicumque hoc recipere et profiteri nolebant, necabantur ab eo; qui vero recipiebant, servabantur, ideoque dicti sunt Musulmani, id est servati et liberati a morte (a radice שלם *schalam*, quæ Hebraice et Arabice significat esse salvum, incolumem, prosperum) : sed hi pejore, scilicet spirituali, morte ab eo occidebantur. Sequitur eum infernus, id est, Antichristus. Est enim ipse præcursor Antichristi, qui erit vitiorum abyssus, et quasi infernus; illique viam præparat : putatur enim secta Mahometis duratura usque ad Antichristum, ait Firmanus; adeoque Joannes Annius et alii putarunt ipsum Mahometem esse Antichristum. Rursum, totus infernus omnesque dæmones ad juvandum Mahometem, ejusque sectam propagandam, videntur concurrisse. Tertio, proprie sequitur eum infernus, quia plurimos ipse præ Gothis aliisque hæreticis ad infernum detrusit. Ipsius enim secta victoriis plurimis, non tantum Trapezuntinum et Constantinopolitanum, duo Orientis imperia, sed et majorem orbis partem occupavit, et plura in dies occupat; adeo ut nuper subacta majori Hungaria et Transylvania, jam Germaniæ, Italiæ et Poloniæ immineat, idque per Christianorum principum dissidia : hisce enim crescit; ac Christiani quasi excæcati id non vident, aut non curant. Unde dicitur hic per quatuor partes terræ grassata : huic proinde datum est interficere gladio, fame, morte et bestiis terræ incolas orbis. Hæ enim sunt quatuor plagæ Dei, de quibus ait Ezechiel, cap. xiv, vers. 21 : « Si quatuor judicia mea pessima, gladium et famem, ac bestias malas, et pestilentiam (quam hic Joannes vocat mortem) immisero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus. » Saraceni enim multos Christianos gladio, alios fame, alios ærumnis, indeque consequente peste, alios aliis generibus mortis, alios etiam leonibus, ursis aliisque bestiis objiciendo occiderunt.

Addunt nonnulli regnum Turcarum vocari mortem et infernum, eo quod ejus vires et milites constent Scythis, præsertim habitantibus juxta Bosphorum Cimmerium et Pontum Euxinum. Ibi enim est Cerberion mons et oppidum, Cocytus, Phlegethon et Tartarus : quocirca Homerus inferni sedem collocat apud Cimmerios, sive ob perpe-

tuas tenebras, sive ob metallorum frequentes fodinas, sive ob valles opacissimas et hiberno soli inaccessas; adeo ut Gentiles censerent illic esse inferni ostium. Sicque accipiunt illud *Isaiæ* XXVIII, 15 : « Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum, » puta cum Cimmeriis, scilicet cum Assyriis regnantibus in Ponto et Bosphoro. Huc facit illud Tibulli :

> Elysios olim liceat cognoscere campos,
> Lethæamque ratem, Cimmeriosque lacus,

caliginosos scilicet et infernos. Huc quoque alludere putant S. Joannem cap. XX, vers. 14, cum ait : « Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis; » nec enim proprie infernus mitti potest in stagnum ignis, id est, in infernum; sed Cimmerii, Turcæ et Scythæ, qui in Ponto quasi in inferno habitant, ferique sunt et crudeles, ac vivunt quasi homines infernales, eo mittentur. Hæc allusio non est incongrua, nec inelegans; plus tamen vult S. Joannes, uti paulo ante dixi.

Sicut ergo per secundum equum rufum significati sunt Gentiles et Pagani Ecclesiæ persecutores; per tertium, nigrum scilicet, Ariani, Gothi, Wandali aliique hæretici : ita per pallidum significantur Saraceni, Turcæ et Tartari (ex quibus prodibit Gog et Magog, de quo cap. XX, vers. 7). Hi enim præ aliis duobus, puta præ Gentilibus et Gothis, fuerunt et sunt acerrimi et continui, per decem sæcula, primi albi equi et equitis, puta Christi et Christianorum, hostes. Itaque significatur hic acre, longum et continuum Ecclesiæ certamen et bellum, æque ac victoria, cum omni hostium et hominum genere. *Primo* enim per trecentos annos certavit cum Gentilibus et Imperatoribus Romanis : hosce tandem subegit, cum Constantinus et sequentes Imperatores colla subdiderunt Christo et Ecclesiæ. *Secundo*, certavit cum Arianis, Nestorianis, Eutychianis aliisque hæreticis per totidem, scilicet trecentos annos proxime sequentes; sed et hos vel profligavit, vel extinxit. *Tertio*, certavit, et adhuc certat cum Turcis et Saracenis : hosce etiam suo tempore dissipabit, præsertim cum eorum monarchia cadere et ruere incipiat, cujus ruinæ initia et præsagia conspicimus. Post hosce omnes quasi ante ambulones et sagittarios sequetur acerrimus hostis Antichristus, qui ex Judæis ortus primum per Judæos, deinde per Gog et Magog gravissime affliget Christianos; sed et hunc mox destruet Christus adventu suo ad judicium, cum Ecclesiam militantem post tot luctas et victorias coronabit, atque triumphantem deducet ad regnum suum cœleste. Tunc enim « suscipient regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum, » inquit Daniel, cap. VII, vers. 18. Hæc est materia, hoc argumentum, hic ordo et series totius Apocalypseos. In ipso enim ejus libro signato continetur certamen et victoria de Antichristo; in sigillis vero libri continentur præviæ omnium Gentium persecutiones jam dictæ. Sicut modo Daniel, cap. VII, vers. 4, quatuor monarchias, quarum una alteram ex ordine bello appetiit et protrivit, ac imperium ad se transtulit, comparat quatuor bestiis, scilicet leænæ, urso, pardo, et quartæ terribili, ac miræ et insolitæ formæ; atque Zacharias, cap. I et cap. VI, easdem comparat quadrigis et equis variorum colorum, æque ac Joannes hic.

Ex dictis sequitur Saracenismum esse quartam et ultimam generalem Ecclesiæ persecutionem, ac post eam mox secuturum finem mundi. Ad illum enim statim transit S. Joannes in sexto sigillo, vers. 12, ac consequenter appropinquare illum in hoc sexto illius annorum millenario : mundi enim ætas est sex millia annorum, uti ostendam cap. XX, vers. 5. Hinc et Saraceni Turcæque clamitant, jactitantque quasi oraculum, suam sectam duraturam mille annis.

9. ET CUM APERUISSET SIGILLUM QUINTUM, VIDI SUBTUS ALTARE ANIMAS INTERFECTORUM, — Martyrum scilicet omnium, qui occisi sunt vel a Romanis Imperatoribus, vel a Gothis, Arianis aliisque hæreticis, vel a Turcis et Saracenis. Cum enim in primo sigillo, equo albo significatum sit lætum et faustum Christi in Ecclesia regnum, mox tria sequentia sigilla reserarunt tres equos illi contrarios, puta tres generales Ecclesiæ persecutiones sibi invicem ordine successuras et duraturas usque ad Antichristum : hinc hoc quinto sigillo apte et consequenter inducitur communis vox fidelium, qui in iis passi sunt, puta Martyrum optantium et orantium pro fine et termino persecutionum, ut scilicet Deus eas terminet, inhibeat et sistat; utque passos et Martyres coronet, persecutores vero puniat et adigat in tartara : quibus respondet Deus, jubetque ut requiescant adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi, scilicet ab Antichristo : hujus enim tempus erit modicum, quo complebitur Martyrum et Electorum numerus, ideoque mox finis omnium ac judicium universale, et regnum Christi ejusque electorum gloriosum adveniet. Perperam ergo, et nimis arcte Alcazar censet in hoc sigillo tantum esse vocem Christianorum a Judæis occisorum.

Quæres, quodnam sit hoc altare? Aliqui ex hoc loco putarunt animas sanctas ante diem judicii non videre Deum, sed esse in locis quibusdam quietis et amœnis, quæ hic vocantur altare; sic *primo*, Origenes, lib. II *Periarchon*, putat animas statim post mortem duci ad loca quædam terrena, ubi depurantur, et multa discunt; inde deduci ad loca aerea, ubi plura addiscunt; tandem supra cœlum ad Christum evehi, ibique plenam scientiam omnium adipisci. *Secundo*, Victorinus putat hoc altare esse loca quædam subterranea amœna et similia campis Elysiis. *Tertio*, Tertullianus, lib. *De Anima*, sub finem, putat hunc animarum locum esse paradisum terrestrem, in quo, ait, deg-



gunt Elias et Henoch. *Quarto*, S. Bernardus, serm. 4 *in Festo omnium Sanctorum*, censet animas mox a morte rapi supra cœlum, ibique degere cum Christo. Ergo sunt sub altari, id est, fruuntur conspectu humanitatis Christi, non autem divinitatis. Sic et alii Patres, ut Irenæus, Hilarius, Ambrosius, Origenes, negare videntur animas Sanctorum ante diem judicii frui visione Dei. Sed hi commode exponendi sunt, scilicet ut tantum velint dicere eas non frui integra beatitudine totius hominis, quia videlicet carent gloria corporis : habere ergo illas beatitudinem incompletam et perfectam, ejusque complementum in resurrectione exspectare.

Quocirca perperam ex ipsis, et ex hoc Apocalypseos loco docent Græci, Vigilantius et Calvinus, animas post mortem sub altari quiescere, et quasi dormire, nec videre Deum, idque usque ad diem judicii. Unde S. Hieronymus scribens contra Vigilantium, jure eum vocat Dormitantium, additque : « Tu vigilans dormis, et dormiens scribis. » Nam animas hasce non dormire patet, quia clamant, petuntque vindictam; et quia sequuntur Agnum quocumque ierit, cap. XIV, vers. 4. Hic ergo est error et hæresis. De fide enim est animas plene a peccatis purgatas, statim a morte videre Deum, esseque beatas. Ita definit Concilium Florentinum, Tridentinum et Benedictus II, ac Innocentius III in *Decretalibus* hac de re editis. Idque hic satis significat Joannes, cum ait animas hasce habere stolas albas, et esse ante thronum Dei, eique servire die ac nocte, cap. sequent., vers. 15. Altare enim hoc sub quo eas vidit Joannes, est proximum Sancto sanctorum, ideoque in Scriptura vocatur altare oraculi, id est Sancti sanctorum, quod repræsentabat cœlum empyreum, Deumque in eo residentem : unde scisso jam per Christi mortem velo intermedio, quod erat inter Sanctum sanctorum et Sanctum, in quo erat altare hoc, clare vident Deum in Sancto sanctorum residentem, uti patebit cap. VIII, vers. 3. Vide Bellarminum, lib. 1 *De Beatitudine Sanctorum*, cap. III.

Orthodoxi ergo, qui credunt animas sanctas jam Deum videre, altare hoc varie interpretantur. *Primo*, Ambrosius, Haymo, Richardus et Ribera, per altare accipiunt Christum Christique curam, æque ac fruitionem, cui, per quem, pro quo et super quo immolati sunt S. Martyres, et sub cujus protectione jam beate vivunt.

*Secundo*, Joachim : Altare, inquit, est Romana Ecclesia, sub cujus fide et obedientia multi Christiani quinto sigillo, id est quinta ætate Ecclesiæ, tunc, puta tempore Joachimi florentis, occisi sunt a Mahometanis in Africa.

*Tertio*, Dionysius ait animas esse sub altari, hoc est, eas esse in securissima Dei tutela, juxta illud *Sapient*. III : « Justorum animæ in manu Dei sunt. »

Verum respondeo significari hic duplex altare, scilicet altare holocaustorum, quod erat in atrio; et altare thymiamatis, quod erat in Sancto. In illo enim quasi immolata, et sub eo quasi sepulta sunt corpora Martyrum : in hoc vero post mortem translatæ animæ eorum quasi requiescunt, juge thymiama laudis Deo exhalantes. Dico ergo primo alludi et notari hic altare holocaustorum. Id patet, quia sub eo latent animæ interfectorum, id est immolatorum in altari; et quia clamant, postulantes vindictam suæ immolationis.

Pro quo nota : Corpora Martyrum, ex antiquo more et sanctione Felicis I Papæ, solebant sepeliri sub altari, uti docent S. Augustinus, serm. 11 *De Sanctis*, Anselmus, Richardus et alii; quia enim Martyres instar holocausti erant immolati Deo super altare hoc, hinc sub eo pariter sepeliebantur. Id fiebat *primo*, ut loco tam sacro honorarent Martyres. Ita S. Ambrosius, inventis reliquiis S. Gervasii et Protasii per revelationem S. Pauli, eas sub altari recondidit, ut ipsemet asserit epist. 54 *ad Marcellinam sororem* : « Succedant, inquit, victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est; isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ergo locum prædestinaveram mihi. Dignum est enim ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem : locus iste Martyribus debebatur. *Secundo*, ut Martyrum corpora et sepulcra orantibus ad altare essent continuum excitamentum devotionis et virtutis, ac fortitudinis, quam imitarentur. *Tertio*, ut Martyres eorum preces apud Deum offerrent et adjuvarent. Hinc altare vocabatur Sepulcrum Martyris, Memoria Martyris, Martyrium, sive Confessio. Martyrium enim græce idem est quod latine Confessio, puta testimonium, ut ait hic Joannes, quod Martyr fidei perhibuit, et sua morte ac sanguine obsignavit. Nam Martyr idem est quod confessor, sive testis fidei. Hinc hisce eorum sepulcris et altaribus postea, cum scilicet sub Constantino Ecclesia pacem adepta est, superædificarunt ecclesiam, sive templum, quod inde pariter vocabant Martyrium. Ita in Concilio Chalcedonensi vocatur Martyrium, id est ecclesia, S. Euphemiæ. Rursum, inde extensa vocis significatione, ecclesia quævis vocata est Martyrium, quia Martyrum, vel certe Sanctorum, reliquias aliquas eo transferebant, ibique condebant, ut ad primævum morem ædificandi altaria et templa super sepulcra Martyrum accederent quantum possent. Hinc jure Canonico sancitum est ut altare non consecretur nisi illatis eo Martyris, vel Sancti alicujus reliquiis. Quocirca sacerdos accessurus ad altare orat, dicitque : « Oramus te, Domine, per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt. » Ita ecclesia Resurrectionis, Hierosolymis in Golgotha erecta, vocata est Martyrium, ait Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* 14. Vide Baronium in *Martyrolog.* 6 julii. Atque hæc est origo et causa cur Romæ in

basilicis S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, S. Sebastiani, S. Cæciliæ, S. Susannæ, et passim in aliis templis videamus gradus et descensus in cryptas, sive in sacella subterranea. In hisce enim cryptis proprie sepeliebantur Martyres : unde ipsa crypta sive sepulcrum Martyris vocabatur Confessio, vel Martyrium; supra quam deinde ædificabant altare et templum, quod exinde quoque Martyrium dicebatur, uti paulo ante dixi. Porro hinc intelligimus illam phrasim, quam toties in Vitis Sanctorum et Martyrologiis legimus : « Hic Sanctus sepultus est in Confessione S. Laurentii, S. Susannæ, S. Priscæ, » etc.; nam « in Confessione » idem est quod in crypta vel sepulcro S. Laurentii, S. Susannæ, Priscæ, etc. : nec enim totum templum vocabatur Confessio, sed Martyrium, uti solerter annotavit Baronius.

Sensus ergo hujus loci est, *q. d.* Vidi per visionem symbolicam, animas Martyrum sub altari, quia secundum corpus sub eo sepulti sunt, qui super altare quasi holocausta suam vitam Deo immolarunt : ut sit synecdoche, scilicet ut pars ponatur pro toto, nimirum anima pro homine, puta pro Martyre. Sic *Genes.* XLVI, dicuntur septuaginta animæ, id est homines, egressæ de femore Jacob. Clamant ergo Martyres, id est, animæ Martyrum per corpora sua; clamant, inquam, ex hoc suo Martyrii loco et sepulcro vindictam, perinde ac sanguis Abel eamdem clamat, *Genes.* IV, 10. Unde sequitur : « Datæ sunt ei stolæ albæ, » quasi in consolationem et mercedem. Agitur enim hic de sigillis, quæ tegebant persecutiones, et res non in cœlo, sed in terra gerendas. Loco ergo animarum vocat altare : quia ubi est corpus, ibi censetur esse et anima. *Secundo*, quia hæ animæ, hoc est hi Martyres, sunt quasi victimæ quæ in altari cremantur, quarum cinis per craticulam dilabebatur sub altare, ut viderentur quasi sub altari sepeliri : ita enim et corpora Martyrum immolata quasi in altari, sub illud delapsa et sepulta sunt; unde et in consecratione altaris dicit Pontifex : « Sub altari Dei sedes accepistis, intercedite pro nobis : » ita Viegas, Ribera et alii, quin et S. Augustinus, serm. 11 *De Sanctis*, quem audi : « Recte sub altari animæ justorum requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur. Nec immerito illic justi vindictam sanguinis postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Convenienter igitur, et quasi pro quodam consortio, ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur. Non immerito, inquam, consortio quodam illic occisis tumulus constituitur, ubi occisionis Dominicæ membra ponuntur, ut, quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius et loci religio copularet. »

Dico *secundo* : Sub hoc symbolo, et symbolica visione animarum sub altari terrestri holocaustorum, in quo corpora Martyrum immolata et sepulta sunt, significatur altare cœleste in quo proprie animæ Martyrum requiescunt. Ad hoc enim post corporis immolationem et sepulturam in altari holocaustorum, translatæ sunt animæ eorum beatæ : ibi enim acceperunt *stolas albas*, jugiterque laudant Deum : unde ibi eorum altare potius vocandum est thymiamatis, quam holocaustorum, uti mox patebit. Hoc ergo altare est secretum et penetrale cœleste, puta locus felicitatis et gloriæ Martyrum in cœlo. Nam hoc altare esse in cœlo patet *primo*, ex eo quod cap. seq., vers. 9, de similibus animabus dicitur, quod sint ante thronum Dei, et in templo, scilicet cœlesti, serviant ei die ac nocte. Dico *similibus* : tam enim hæ, quam illæ, sunt animæ interfectorum; et licet illæ futuræ sint ultimis temporibus Antichristi, tamen æque ac hæ requiescent ad modicum tempus, donec impleatur numerus conservorum eorum. *Secundo*, idem patebit clarius cap. VIII, vers. 3, ubi angelus harum animarum thymiama, id est orationes et laudes, offert Deo in altari thymiamatis. Sub eo ergo quasi requiescunt in cœlo; sed ita, ut distracto per Christum velo, quod hoc altare et Sanctum dirimebat a Sancto sanctorum, videant Deum in Sancto sanctorum residentem, ut ibidem ostendam : unde patet eas jam esse beatas. Itaque sicut locus felicitatis Beatorum vocatur sinus Abrahæ, ob quietem : ita hic vocatur altare, ob Dei laudem, et ob martyrii victimam : proprius enim locus et sepulcrum Martyrum est altare, uti jam dixi. Dicitur et cubile, quia in eo quasi lecto requiescunt; hoc est enim quod ait Psaltes, *Psalm.* CXLIX, 5 : « Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. » Ita prius hoc hemistichium, scilicet : « Exultabunt sancti in gloria, » recitans S. Evergislus, Coloniensis Archiepiscopus, ingrediens templum S. Gereonis et Thebæorum Martyrum, ab iis ipsis posterius subnecti et respondere audivit : « Lætabuntur in cubilibus suis, » uti refert Helinandus in *Vita S. Gereonis*. Ibi ergo se requiescere etiamnum ipsæmet animæ Martyrum confitentur, ibique exspectant gloriam quietæ et beatæ æternitatis. Unde Romæ in cœmeterio S. Priscillæ, hæc eorum vox in ipso limine inscripta legitur : « Hic exspectamus requiem. »

Nota : Alludit hic Joannes, uti et in nonnullis aliis, ad lib. IV *Esdræ*, cap. IV, vers. 35, ubi animæ ex promptuariis clamant ad Deum idem pene, quod hic. Ait enim ibi Esdras : « Nonne de his interrogaverunt animæ justorum in promptuariis suis dicentes : Usquequo spero sic? et quando veniet fructus areæ mercedis nostræ? Et respondit ad ea Jeremiel archangelus, et dixit : Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis; quoniam in statera ponderavit sæculum, et mensura mensuravit tempora, et non commovit, nec excitavit, usque dum compleatur prædicta mensura. » Quanquam Esdras hæc promptuaria animarum viderit non in cœlo, sed in inferno,



sive limbo, uti ipse ait vers. 41; eo enim tum descendebant omnes animæ, utpote quod Christus needum advenerat, qui eis cœlum patefecit. Hac de causa vocat promptuaria, id est cellaria, sive cryptas; atque de iis subterraneis clare ait cap. IV, vers. 41 : « In inferno promptuaria animarum matrici assimilata sunt : quemadmodum enim illa, etc., sic et hæc festinat reddere ea quæ commendata sunt. » Quocirca Tertullianus, *De Resurrectione carnis*, cap. XXVII, citans illud *Isaiæ*, cap. XXVI : « Vade, popule meus, intra in cubicula (id est sepulcra) tua; » ad quem locum alludit Esdras, æque ac Joannes hic; pro *cubicula* legit *cellas promas*, id est cellaria, sive penuaria, « in quibus, inquit, caro salita, et usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore : sic enim et e sepulcris processura sunt corpora, cum jusserit Dominus. » Nam liber tertius et quartus Esdræ suam habent auctoritatem, licet non canonicam S. Scripturæ : unde et libris canonicis subjunguntur, et ab Ecclesia in officio Missæ et Ecclesiastico multa ex iis citantur et recitantur; Patres quoque plerique non raro eos citant, ac nominatim S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, citat hunc de animabus in promptuariis degentibus locum. Quocirca viri graves librum tertium et quartum Esdræ reponunt inter libros canonicos tertii ordinis (qui scilicet, licet canonici non sint, proxime tamen ad eos accedunt), uti et librum tertium et quartum Machabæorum, ac librum Hermetis, qui a veteribus vocatur liber *Pastoris* eo quod in eo angelus specie pastoris loquens et docens inducatur. Immerito ergo Sixtus Senensis, et pauci alii hunc Esdræ librum ut fabulosum rejiciunt, ut dixi in *Esdra*.

Sicut ergo ante Christum dicebantur animæ esse in promptuariis, sive cellis in limbo, exspectantes Christum et beatam resurrectionem, ita post Christum dicuntur esse sub altari, puta thymiamatis in cœlo; quia enim sunt animæ interfectorum pro Christo, hinc, sicut corpus eorum dicitur esse sub altari holocaustorum in terra, ita et anima eorumdem dicitur esse sub altari thymiamatis in cœlo, exspectantes unionem cum corpore, ut illo vestitæ super altare quasi eleventur ad perfectam gloriam et consummatam beatitudinem. Altare enim holocaustorum erat in atrio, quod terram significabat : unde sub eo corpora terrena Martyrum sepulta dicuntur. Altare vero thymiamatis erat altare oraculi, id est Sancti sanctorum, puta cœli empyrei : unde sub eo animæ beatæ collocantur, ut per hoc symbolice significetur, illas esse animas Martyrum, atque exspectare martyrii præmium, puta gloriosum corpus, atque ac vindictam suorum homicidarum; quia enim sunt animæ nudæ, hinc quasi ad tegendam nuditatem earum, dicuntur esse sub altari, sub eoque quasi latere, ac illo tegi, id est ab hominibus abscondi, donec in resurrectione glorioso corpore donatæ et vestitæ, sese suamque gloriam et martyrii lauream publice toti mundo ostentent (1).

INTERFECTORUM PROPTER VERBUM DEI (ideoque Martyrum), ET PROPTER TESTIMONIUM QUOD HABEBANT. — quod tuebantur, scilicet veritatem fidei et vitæ innocentiam : hoc enim est martyrum testimonium; unde Alcazar : Propter testimonium, inquit, id est, propter doctrinam, quam defendebant. Sæpe enim « testimonium » ponitur pro doctrina. Pro *animas interfectorum*, aliqui legunt, ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἐσφραγισμένων, id est *animas hominum signatorum*; sed noster et alii legunt, ἐσφαγμένων, id est *jugulatorum, interfectorum*.

10. ET CLAMABANT VOCE MAGNA. — « Clamor magnus, magnum est desiderium : » animarum enim verba sunt ipsa desideria : tanto enim minus quisque clamat, quanto minus desiderat. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret : « Desiderium cordis eorum audivit auris tua, » ait S. Gregorius, lib. II *Moral.*, cap. IV.

(1) « Videtur loqui Joannes de altari holocaustorum, quod erat æneum exterius, interius vero ex variis lapidibus compositum; et tanto magis, quia habetur quæstio de interfectis pro fide : ergo de illis qui, quomodocumque, vel ubicumque passi essent, et quasi victimæ super altare holocaustorum immolati fuerant. Sub illo autem altari erat concavitas in quam decidebant, per craticulam, cineres et favillæ remanentes ex combustione victimarum; in illis ergo cineribus favillisque supponere videtur quasi ad interim latere animas illorum interfectorum; sed aliquo sensu ad imitationem istius altaris Agni, confecta sunt altaria seu potius unicum altare novæ legis Ecclesiæ : dico *unicum*, quia etsi multæ sint, omnia ut idem et unicum considerari debent, nempe ut altare crucis; et super illud altare quotidie immolatur Agnus divinus; subter vero quiescunt reliquiæ Martyrum, inter quas, vel in quibus videtur Joannes contemplatione animadvertisse eorumdem animas. Itaque locus Agni immaculati est *super altare* in nova lege, locus vero animarum istius Agni sanguine redemptarum, et pro ejusdem fide immolatarum convenienter ostenditur *subtus altare*, ad significandam eorum in omnibus, non solum inferioritatem, sed et dependentiam ab Agno, qui est earum rex; item quod per sacrificium Agni super altare crucis Deo oblatum, et quotidie super altare in nostris Ecclesiis renovatum, a servitute diabolica redemptæ, et gloriæ Agni participes fuerunt. Ideoque antiquitus sepulcra Martyrum uti altaria consecrabantur, ut in illis celebraretur tremendum sacrificium, et nullum adhuc altare consecratur, quin aliquæ in eo condantur Martyrum reliquiæ. Etenim quamvis illæ reliquiæ inanimatæ esse sciantur, cum tamen germen vitæ, et quidem æternæ, in illis maneat ipso promittente Christo, *Joan.* VI, 55, reputantur animæ beatæ cum sacratis corporibus suis communicare, et quidem specialiter attendere ad preces, quæ juxta suas reliquias funduntur; ideoque arida illa ossa, vel cineres, quasi quodammodo viventes, a fidelibus honorantur. Hic loquuntur tantum de *animabus interfectorum propter Verbum Dei*, quamvis multi magnique sancti reperiantur, qui non fuerunt *interfecti* propter fidem; sed hoc fieri omnino videtur, quia Martyres sunt Sancti per excellentiam, et quia omnes Sancti, qui reipsa sanguinem suum propter fidem non fuderunt, tamen animum ad hoc paratum habuerunt, sine *velo* Martyres Christi exstiterunt. » Hæc apposite Verschraege ad h. l.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

DICENTES, — ex zelo justitiæ, non vindictæ, appetentes scilicet, ut destruatur regnum impietatis et peccati, utque pii ab eo liberentur, et impii puniantur, itaque super omnes adveniat regnum Dei, ait S. Augustinus loco citato.

USQUEQUO, DOMINE (utpote qui es) SANCTUS ET VERUS, — id est æquus et justus, cujus proinde est tueri sanctos et veros, id est justos; compescere autem et punire impios et injustos, quales sunt qui nos fideles tuos persequuntur et occidunt. « Sanctus » ergo « et verus, » idem est quod, sancte et verax : nominativi enim ponuntur pro vocativis Attice. Simile est quod canitur in Parasceve : « Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis; » Sanctus, id est Sancte.

NON JUDICAS, ET NON VINDICAS SANGUINEM NOSTRUM DE IIS QUI HABITANT IN TERRA? — Judicium ad causæ cognitionem pertinet, vindicta ad perficiendam et exsequendam rem judicatam, sive sententiam pro insonte contra injuriantem latam.

Quæres, quod judicium, quam vindictam a Deo postulent animæ Martyrum? Respondet *primo* Alcazar, eas petere vindictam de Judaeis Christicidis et Christianorum persecutoribus, eamque in hac vita, scilicet ut Deus eos exscindat per Titum, Adrianum, etc. Non enim, inquit, orant, nec volunt statutum a Deo extremi judicii diem precibus suis accelerare et antevertere, sed petunt ultionem quam Martyrum sanguis de persecutoribus petebat. Verum hæc vindicta et hoc excidium jam per 25 annos facta erant et præterierant : quorsum ergo ea quasi necdum facta, sed futura optant?

*Secundo*, alii passim censent eos petere vindictam condemnationis ferendam et exercendam in persecutores fidelium in die judicii.

Verum dico hasce animas primario non tam poscere injuriantium et persecutorum punitionem et condemnationem, quam innocentium, puta sui, suorumque asseclarum ab injuria liberationem. Hanc enim significat Hebr. נקם *nakam*, id est vindicare, quando construitur cum præpositione מן *min*, id est *a, ex, de*; et Græcum ἐκδικεῖν, quando construitur cum præpositione ἐκ, uti hic fit : optant enim vindicari ἐκ τῶν κατοικούντων ἐπὶ τῆς γῆς, id est, *ex habitantibus in terra*. Sic I *Reg.* cap. XXIV, vers. 14, ait David ad Saul : « Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te; manus autem mea non sit in te. » Ulciscatur, id est, liberet me ex tua tam acri persecutione : non enim in os imprecatur Sauli necem, et ultionem Dei. Ait enim : « Manus mea non sit in te, » *q. d.* Absit ut te occidam, esto habuerim te in manu mea : non enim tibi mortem, sed mihi a et liberationem et salutem opto et quæro. Fuit enim ipse mansuetissimus : unde de eo canimus, *Psalm.* CXXXI, 1 : « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. » Sic *Luc.* XVIII, 3, ait vidua judici : « Vindica, » id est libera, « me de adversario meo. » Sic judices et vindices Israelis in libro Judicum vocantur Josue, Gedeon, Samson et alii, qui Israelem a virga Philistinorum aliarumque Gentium exemerunt, et in libertatem asseruerunt : esto id fecerint sæpe cum hostium strage. Sic vulgo dicimus principem Christianos e manu Turcarum in libertatem vindicasse, cum eos e captivitate Turcarum eripuit, liberosque effecit. Sic ait Simon Machabæus, lib. I *Machab.* cap. XIII, vers. VI : « Vindicabo, » id est liberabo de jugo et tyrannide Antiochi, « gentem meam, et sancta, natos quoque nostros et uxores : quia congregatæ sunt universæ gentes conterere nos. »

Animæ ergo Martyrum hic optant vindictam, id est sui liberationem, eamque duplicem, scilicet *primo*, ut Deus eorum sanguinem injuste effusum et corpora injuste occisa, quæ adhuc in hac injusta occisione et morte manent et detinentur, sibi restituat, iisque rursum animæ spoliatæ nuditatem tegat et vestiat : unde responsum a Deo accipiunt, ut pro corporibus accipiant stolas candidas, quibus se tegant et vestiant, donec compleatur numerus conservorum eorum; tunc enim plene eos corpore glorioso vestiendos esse. Unde S. Gregorius, lib. II *Moral.*, cap. IV : « Quid, ait, est animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremum judicii, et resurrectionem extinctorum corporum desiderare? »

*Secundo*, optant vindictam, id est, liberationem Ecclesiæ et fidelium a persecutorum tyrannide, ut scilicet Deus eam inhibeat et sistat, reddatque Ecclesiæ pacem et quietem : quibus pariter respondet Deus se id brevi præstiturum, sed oportere adhuc modicum exspectare, donec compleatur Martyrum et electorum numerus. Secundario tamen et consequenter optant quoque vindictam proprie dictam ex zelo justitiæ, quasi dicant : Usquequo, Domine juste, non facis justitiam, ut nos et Ecclesiam insontem liberes, persecutores vero punias, ut omnes laudent et celebrent tuam in utrosque justitiam? Hanc enim postulat Martyrum sanguis. Idem enim est dicere animas petere vindictam, quod dicere, sanguinem earum illam deposcere. Alludit ad lib. IV *Esdræ* XV, 8 : « Ecce sanguis innoxius et justus clamat ad me, et animæ justorum clamant perseveranter. » Unde S. Augustinus, serm. 39 *De Tempore*, tom. X, docet animas has petere ut evertatur regnum peccati.

*Tertio*, indirecte et quasi eminus orant accelerari diem extremi judicii : illo enim die facienda est plena hæc vindicta. Non quasi decretum Dei de hoc die jam fixum et statutum mutari et accelerari desiderent : hoc enim fieri nequit; sed quod abstrahant ab hoc decreto, illudque quasi præveniant. Deus enim ob orationes Sanctorum decrevit, ut finis mundi et dies judicii citius adveniat et acceleretur, cum alias illum diutius differre potuisset, et de facto diutius distulisset, nisi hæ Sanctorum preces ab eo prævisæ et acceptatæ fuissent. Pari modo, ob preces Danielis et Prophetarum, dicuntur abbreviatæ 70 hebdomades adventus Messiæ, *Daniel.* IX, 20, juncto cum vers. 24. Hæ ergo preces antecedenter se habent ad Dei decretum, non consequenter : eodem modo se habent preces Sanctorum ad Dei prædestinationem, puta ad electionem hujus vel illius ad salutem et gloriam.



Quocirca S. Augustinus, serm. 11 *De Sanctis*, incusat prædicatorum et fidelium desidiam, quod ea in causa sit, cur differatur resurrectio et regnum gloriosum Beatorum. « Videtis, inquit, quia propter nos (dum ait : Donec compleatur numerus conservorum) Martyrum vindicta differtur. Dum enim nos retardamus, horum sanguis inultus est. Sed hoc contingit nostra desidia, qui non religiose vivimus, qui non pie, sicut congruit, operamur. Nam si bonorum operum ad Dominum justitia nostra præcederet, jam conservorum numerus, qui exspectatur, esset completus. Unde oportet, fratres charissimi, quia primitias Martyrum hodierna festivitate veneramur, de æterna quæ in cœlis est, Martyrum festivitate sedulo cogitemus, eorumque vestigia, in quantum possumus, sequendo, et ipsi ejusdem festivitatis supernæ participes existere curemus, » ut compleamus numerum civium cœlestis Jerusalem, sicque acceleremus regnum gloriosum Christi et Sanctorum.

Moraliter S. Bernardus, serm. 3 *in Festo omnium Sanctorum* : « Unde tibi, o misera caro, o fœda et fœtida, unde tibi hoc? Animæ sanctæ quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant; quas redemit proprio sanguine, te exspectant; et ipsarum sine te lætitia compleri, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodam modo et rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui. Sine macula ergo sunt, » ut ait Joannes, cap. XIV, vers. 5, « sed non sine ruga. »

1. 11. ET DATÆ SUNT ILLIS SINGULÆ STOLÆ ALBÆ, — id est, plena puritas, quies et spes certa beatitudinis, inquit Andreas Cæsariensis et S. Bernardus, loco superius citato. Verum dico : stola alba est gloria et beatitudo animæ, quam Martyres acceperunt, nimirum lumen gloriæ, visio et fruitio Dei, ac consequenter humanitas Christi, B. Virginis, sanctorum Angelorum, ac Beatorum omnium. Hæc enim gloria instar stolæ albæ, animam corpore nudatam et spoliatam vestit et condecorat. Est alba, quia lucida et splendida, et quia symbolum est innocentiæ et puritatis Martyrum, cui in præmium donata est. Hinc et Christi in transfiguratione facies resplenduit sicut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix, hoc est, mira luce candicantia et fulgida. Hæc est ergo stola alba, quam Christus vincenti promisit cap. III, vers. 5, dicens : « Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ. » Vide ibi dicta. Unde patet hasce animas videre Deum, et esse beatas : hæc enim beatitudo vincenti promissa est sub nomine stolæ, sive vestis albæ. Hac etiam de causa ait quod Martyribus datæ sint stolæ « singulæ. » Singuli enim unam tantum acceperunt, scilicet gloriam animæ : nam in resurrectione accipient singuli stolas binas : addetur enim illis gloria corporis. Porro stolas albas symbolum esse gloriæ et felicitatis, patet ex cap. seq., vers. 13 et 14, ubi de gentibus coram throno Dei dantur palmæ et stolæ. Ita S. Gregorius in *Psal.* IV *Pœnitent.*, vers. 10, et S. Anselmus, Richardus, Haymo, Beda hic, ac S. Augustinus, serm. 11 *De Sanctis*. Stola enim priscis erat honestæ et nobilis mulieris vestis, usque ad imos pedes demissa. Unde Horatius, lib. I *Serm.*, satyr. 2 :

> Ad talos stola demissa, et circumdata palla.

Et Martialis :

> Quisquis stolæ purpuræve contemptor,
> Quos colere debet, læsit impio versu.

Hinc stolata mulier vocabatur locuples et primaria : contra togata vocabatur plebeia et secundæ classis, ut videre est apud Horatium, loco citato. Hac de causa stola, præsertim candida et splendida, in Scriptura symbolum est gloriæ, immortalitatis ac felicitatis. Hinc Pharao vestivit Josephum stola byssina, *Genes.* XLI, 42; et I *Paralip.* cap. XV, vers. 27 : « David erat indutus stola byssina. » Judith cap. XVI, vers. 10, post victoriam « accepit stolam novam. » Mardochæus indutus fuit stola et impositus equo ab Aman jussu regis volentis eum honorare, *Esther* cap. VI, vers. 11. De sapientia ait *Eccli.* VI, 30 : « Erunt tibi torques illius in stolam gloriæ; » et vers. 32 : « Stolam gloriæ indues eam. » Et cap. XLV, vers. 12, ait Aaronem jussu Dei induxisse stolam sanctam. Et cap. L, vers. 11, ait Simonem pontificem accepisse stolam gloriæ. *Isaiæ* cap. LXIII, 1, de Christo victore dicitur : « Iste formosus in stola sua. » I *Machab.* VI, 15, dedit Antiochus Philippo intimo suo stolam suam et annulum. Ibidem cap. X, vers. 21 : « Induit se Jonathas stola sancta. » *Marci* XII, 38 : « Cavete, ait Christus, a Scribis, qui volunt in stolis ambulare; » et cap. XVI, vers. 5, mulieres in sepulcro Christi viderunt angelum coopertum stola candida.

Dices : Spes ardens quæ differtur, affligit animam : quomodo ergo hæ animæ Martyrum ardenter sperantes et postulantes vindictam jam dictam, sunt beatæ? Respondeo : Spes hæc est ordinata, est quieta et composita in Beatis : acquiescunt enim in voluntate Dei; non enim sperant, nec volunt ut statim hæc vindicta fiat, sed ut fiat suo tempore quod Deus constituit et ordinavit : illius ergo tantum ingens se habere desiderium, sed in Dei voluntatem resignatum, significant.

Moraliter Tertullianus, lib. *De Cultu feminarum*,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in fine, eas ex hoc loco adhortatur, ut ornent se stolis, non purpuræ, byssi, vel auri, sed innocentiæ, sanctitatis et fortitudinis : « Tempora, inquit, Christianorum semper, et nunc vel maxime, non auro, sed ferro transfiguntur : stolæ martyriorum præparantur, angelis bajulis sustinentur. Prodite vos jam ornamentis exstructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, et spiritus taciturnitate, inferentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi. Caput maritis subjicite, et satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, et plus quam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. »

Et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum. — Alcazar exponit, « ut requiescerent, » scilicet a visione, non Dei, sed vindictæ de hostibus, puta de Judæis, quam postulant, *q. d.* Deus animas Martyrum statim convestivit stola gloriæ, sed quoad petitionem vindictæ eorum, jussit hic ut modicum requiescerent, significans illam differendam esse, donec numerus Martyrum ab eis occidendorum compleatur, quo completo se eos puniturum et excisurum per Titum et Romanos.

Verum, jam sæpius dixi hæc referenda esse ad omnes Martyres, et ad finem mundi. Sensus ergo est, *q. d.* Sicut corpora vestra, o animæ sanctæ, et vestro sanguine purpuratæ, requiescunt in suis sepulturis (quæ inde vocantur græce cœmeteria, id est dormitoria) sub altari holocaustorum, exspectantia gloriam resurrectionis, ita et vos pariter requiescite sub altari thymiamatis in cœlo, in vestris stolis albis, id est in vestro lumine gloriæ et beatitudinis, ac modicum exspectate eamdem resurrectionem : brevi enim corpus, quod hic pro me morti tradidistis, vobis reddam gloriosum, ac simul ulciscar et puniam vestros persecutores et homicidas, condemnando et adigendo eos in tartara; brevi, inquam, scilicet postquam completus fuerit sociorum vestrorum, puta Martyrum, numerus, quod propediem per Antichristum fiet.

Apposite S. Augustinus serm. 11. *De Sanctis* : « Tali, inquit, modo loquitur Deus omnipotens Sanctis, velut quilibet pater familias habens multos filios, singulisque de agro revertentibus, et rogantibus ut cibum sibi tribuat, respondet : Refectio quidem vestra parata est ; sed exspectate fratres vestros, ut, cum in unum positi fueritis, omnes in commune comedatis. » Et S. Gregorius, II *Moral.*, IV : « Respondere eis (animabus) est, ut collectionem fratrum exspectare debeant, eorum mentibus libenter exspectandi moras infundere, ut, cum carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur. »

12. Et vidi cum aperuisset sigillum sextum : et ecce terræ motus magnus factus est, etc. — *Primo*, Aretas hæc refert ad prodigia facta in morte Christi; verum hæc jam diu præterita erant, non futura.

*Secundo*, Ambrosius et Rupertus hæc referunt ad Judæorum reprobationem et excidium per Titum; sicut quæ sequuntur cap. VII, referunt ad lætissimam vocationem Gentium. Vide Pererium singula applicantem pag 462. Huc accedit Alcazar, qui hoc sexto sigillo putat significari minas horribiles, quibus Deus voluit præmonitos Judæos ante excidium, et ante septem plagarum supplicia, quæ septimo sigillo continentur : porro has minas comparari cum prodigiis, quæ minabuntur instantem extremi judicii diem, quia hæ illarum fuerunt typus : unde et Christus, *Matth.* XXIV, confert excidium urbis Hierosolymæ cum excidio orbis, et ab illo ad hoc immediate transit. Minæ autem hæ septem sunt. *Prima* est terræ motus, qui significat magnam rerum commutationem et perturbationem, quæ Hierosolymis accidit, cum seditionem et bellum contra Romanos concitarunt. *Secunda* est obscuratio solis : hæc significat signa et prodigia quæ visa sunt, Dei indignationem contra Judæos testantia. Deus enim supplicia illaturus, lugubri veste quasi se induit, eo modo quo reges Lusitaniæ olim sententiam capitis laturi, saccum induebant. *Tertia* est lunæ sanguis, qui denotat maximum supplicium, quod eis pro Christi sanguine effuso impendebat. *Quarta* est stellarum casus, qui indicat symbolice necem, quam S. Jacobo, Stephano aliisque viris sanctissimis intulerunt, quod etiam Judæis minabatur ruinam. *Quinta* est complicatio cœli, quæ symbolum est Christianorum discessionis ab urbe Hierosolyma, quæ non levis etiam fuit civitati comminatio : quia enim hic Deus per solem, Christus per lunam, Apostoli virique Apostolici per stellas fuerunt significati; hinc consequenter apposite primitiva Ecclesia, sive primi Christiani per cœlum significantur; de iisdem ait Christus : « Virtutes cœlorum movebuntur. » Virtutes enim cœlorum sunt exercitus cœli, puta Ecclesia militans, quæ poterat Jerusalem ab excidio defendere, sed eam deserens ac suo præsidio destituens, eamdem Romanorum prædæ exposuit. Rursum in libro involuto notatur Judæorum excæcatio, quasi omnis eorum sapientia fuerit convoluta et complicata, ut quasi nihil scirent, nullas rationes salvandi se et urbem invenire possent. *Sexta* est migratio ac secessio montium et insularum, quæ portendit Deum Tito et Romanis obices, difficultates et impedimenta omnia amovere et tollere, viamque quasi complanare in Judæam, ut eam subigant et evertant. *Septima* est metus et horror communis omnium, dicentium montibus : Cadite super nos, qui figurat ingentem timorem, qui Judæos pervaserat, evidens esse argumentum, quod Deus severissimam in eos vindictam jamjam exercere velit.

Verum hæc omnia pariter præterita jam erant, non futura, ideoque historica, non prophetica. Constat autem Apocalypsin esse prophetiam de



futuris. Itaque hic sensus est accommodatio quædam, et adaptatio potius quam expositio genuina. Adde vers. 15 nominari reges, quos constat non fuisse Hierosolymæ. Et super, quod dicent montibus : « Abscondite nos a facie Agni, » non congruit Judæis, qui Christum non agnoverunt : nec Agnum, sed ursum potius et lupum eum vocitarunt.

*Tertio*, Aureolus et Lyranus hæc referunt ad persecutionem Diocletiani, quando Christiani montibus, id est Beatis in cœlo, eos invocantes, dixerunt : « Cadite, » id est, protegite nos. Verum hæc expositio violenta est et contorta, ut patet : est et inordinata. Nam persecutio Diocletiani, uti et cæterorum Imperatorum, repræsentata fuit sigillo secundo, puta equo rufo, uti ostendi cap. VI, 2.

Dico ergo S. Joannem hic transire ad tempora novissima, et ad finem mundi. Id patet ex ipsis ejus verbis, quæ proprie nulli alteri competere possunt, præsertim si quis ea conferat cum verbis Christi *Matth.* XXIV, 25 (ubi orbis excidium, signaque ei prævia describit); ille enim videbit pene eadem hic dici cum iis, quæ ibidem dicit Christus. Quod enim hic dicitur : « Sol factus est niger, » ibi dicitur : « Sol obscurabitur ; » hic dicuntur stellæ de cœlo casuræ, ibi idipsum dicitur ; hic : « Luna facta est sicut sanguis, » ibi : « Luna non dabit lumen suum ; » hic dicitur : « Cœlum recessit sicut liber involutus, » ibi : « Virtutes cœlorum commovebuntur ; » hic dicunt « montibus : Cadite super nos, » ibi idem dicent, ut patet *Lucæ* XXIII, 30.

Idipsum poscit ordo Apocalypseos, et septem sigillorum. Cum enim S. Joannes secundo, tertio et quarto sigillis, repræsentarit tres generales et illustriores persecutiones Ecclesiæ, successive duraturas usque ad finem mundi (unde quinto sigillo induxit communem vocem Martyrum, optantium finem) : hinc sexto hoc sigillo ad eumdem transit ; imo ab hoc loco deinceps usque ad finem libri loquitur de extremis mundi temporibus.

Hoc ergo sexto sigillo describit ultimam Dei vindictam in impios, signaque horrenda quæ præibunt, et indicabunt instare extremum judicium. Ita Victorinus, Primasius, Ticonius, Haymo, Andreas, Beda, Ribera, Pererius et alii.

Dices : Hæc signa sequentur Antichristum ; erunt enim proxima judicio : hæc autem septem sigilla significant ea, quæ evenient ante Antichristum : ergo alia sunt ab illis signis Antichristo posthumis.

Respondeo : Aliqui censent hæc omnia signa, uti et cæteras plagas septimo sigillo orbi infligendas, quæ cap. VIII et IX recensentur, fore ante Antichristum : continentur enim in sigillis hisce, quæ prius reserari debent et evolvi, quam liber signatus, id est Antichristi tempora, succedere et videri possint. Sic enim optimo ordine consignatur et progreditur hæc Apocalypseos prophetia, estque quasi historia prophetica de rebus successivo tempore et ordine futuris. Favet et ratio : nam post mortem Antichristi non fore hæc tristia prodigia, probari videtur ex eo, quod post mortem Antichristi summa erit pax et quies in mundo, uti ostendi *Daniel.* XII ; unde et Christus *Lucæ* XII, 40, et *Matth.* XXIV, 37, prædixit se insperato die, et subito venturum ad judicium, cum homines vacabunt gulæ et voluptatibus, uti faciebant in diebus Noe : cum e contrario de hisce signis dicat, quod arescent homines præ timore et exspectatione cæterorum prodigiorum, quæ supervenient universo orbi.

Verum durum et difficile est creditu hæc signa omnia complenda fore ante Antichristum. Sunt enim signa judicii instantis, et judicis advenientis ; unde dicunt impii vers. 16, « montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni ; quoniam venit dies magnus iræ ipsorum : et quis poterit stare ? » Quomodo hæc dicent, si inter hæc signa et diem judicii intercedant plures anni, puta totum tempus regni aut saltem monarchiæ Antichristi, quæ erit trium annorum cum dimidio ? Quomodo hæc signa dicuntur signa judicii, et judicis Christi, cum potius dicenda essent signa adventantis Antichristi ?

*Secundo*, cap. seq., in septimo sigillo audiemus Judæorum conversionem ad Christum, quæ fiet in fine mundi, maxime post occisum Antichristum : ergo quædam ex his sigillis, non erunt prævia, sed posthuma Antichristo. Idem manifestum est ex eo quod in septimo sigillo angelus septimus, tuba canens, dicatur inducere consummationem rerum omnium : quæ utique fiet, non ante, sed post Antichristum. Ita enim habetur cap. X, vers. 7, et cap. XI, vers. 15.

*Tertio*, Christus, *Matth.* XXIV, 29, ait hæc signa fore post tribulationen dierum illorum, id est post persecutionem Antichristi, inquiunt multi ; verius tamen Ribera sic exponit, « post tribulationem, » scilicet inchoatam, non autem perfectam. Inchoabitur autem hæc mundi tribulatio ante Antichristum. Christus enim paucis verbis perstringit et convolvit multa, quæ successive per plures annos fient in fine mundi. Denique ibidem Christus de hisce signis ait : « Cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis, » scilicet dies Domini et adventus Christi ad judicium. Quocirca hæc signa fore, non ante, sed post interitum Antichristi, diserte docet Franciscus Suarez, III *part.*, *Quæst.* LIX, disp. 56, sect. 3, et alii permulti.

Dico ergo hæc signa inchoanda fore ante Antichristum, ideoque poni inter sigilla ; sed perficienda et complenda esse post Antichristum, ita ut quædam ex iis fiant ante, quædam, et quidem plura ac majora, post Antichristum. S. Joannes ut omnia, utpote eodem spectantia, conjungeret, eodem sigillo omnia complexus est : quæ quatenus præibunt Antichristum, eatenus spectant ad sigilla ; quatenus vero sequentur, eatenus pertinent ad librum signatum. Cum enim illa orbis desolatio et excidium sit futurum ultimum et maximum, idcirco Deus eminus per plures annos

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

antequam accidat, idipsum comminari, et plagas ei prævias orbi immittere incipiet. Sic enim fecit in excidio Hierosolymæ, et aliarum urbium et regnorum. Judæos enim impios per Isaiam, Osee, Joelem, imo per Eliam, Elisæum aliosque Prophetas per centum annos admonuit et præmonuit de futuro excidio per Chaldæos, ut ab impietate sua resipiscerent, itaque excidium evaderent. Idem fecit in diluvio : jussit enim Noe anno quingentesimo ætatis suæ fabricare arcam, ut per eam instans diluvium hominibus prænuntiaret et comminaretur, cum tamen diluvium induxerit demum anno sexcentesimo Noe : dedit ergo orbi centum annos ad pœnitendum. Quidni idem, vel simile faciat in ultimo orbis excidio, cum non aquæ, sed ignis diluvio totus obruetur, et conflagrabit? Itaque ante Antichristum inundabit in orbe impietas et impii, quibus Deus minabitur excidium; ideoque signa hæc illi prævia, plagasque ejus prænuntias immittere incipiet, puta insolitos terræ motus, maris fremitus et exundationes, fulgetra, tonitrua, eclipses, obscurationes solis, lunæ et stellarum : ut cœlum, terra, mare et aer in impios fremere, eisque necem et interitum minari videantur; ex quibus consequentur fames, pestilentiæ et bella, quæ Christus tum fore prædixit; sed contemnent ea impii : itaque plagas plagis addet Deus. Superveniet Antichristus, qui erit caput et culmen impietatis. Quocirca Deus acriora in eum, et impios ejus asseclas, supplicia e cœlo vibrabit, adigens eos in tartara; inde in impios cæteros, totumque orbem desæviet, eique mala extrema, ac inter ea solis, lunæ et stellarum plenam obscurationem inducet; ac tandem diem ultimum orbi afferet per ignem conflagrationis, tumque ipse Christus descendet e cœlo, et veniet ad judicium : ita tamen, ut post Antichristi ejusque asseclarum stragem, et plagas impiorum, Deus aliquod tempus quietis daturus sit orbi, quo Christiani in persecutione Antichristi lapsi, Judæi omnesque gentes tot plagis perculsæ, respirare, Deo reconciliari, justificari et salvari possint. Quo tempore mundani homines, sicut pueri amota virga, ad ingenium redibunt, nubent et nubentur, epulabuntur, uti in diebus Noe fecerunt, donec ex insperato Deus mundi finem adducat, Christumque judicem mittat, uti Christus prædixit *Matth.* XXIV, 37, et Joannes *Apocalyp.* XIII et sequentibus, et Daniel cap. XII, vers. 12 : « Beatus, inquit, qui exspectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque, » id est, qui vivet post tempora et mortem Antichristi, uti ibi ostendi.

Quocirca parum probabile est, quod censent S. Hieronymus et S. Chrysostomus in *Matth.* XXIV, et Eusebius Emissenus, homil. *in Domin.* XXIV post Pentecosten, scilicet hæc signa in sole, luna et stellis, fore post generalem resurrectionem in ipso adventu Domini, ac proinde fore non prævia judicio, sed in ipso judicio. Argumentum eorum est : Quia, inquiunt, immediate post hæc signa subdit Christus : « Et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ. » Nam « videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli. » Verum hoc non urget. Nam Christus apud S. Matthæum multa conjungit et conglomerat de excidio urbis et orbis, quæ tamen non simul fient, sed tempore valde disjuncto et separato; quinimo S. Matthæus, cum dixisset Christum venturum cum virtute magna et majestate, subjungit : « Et mittet angelos suos cum tuba; » cum tamen hoc sit futurum non post, sed ante adventum Christi ad judicium.

Et sol factus est niger. — Quæres an ad litteram hæc signa, ut sonant, eventura sint? *Primo*, S. Augustinus, epist. 80 *ad Hesychium*, atque ex eo Primasius, Andreas et Beda, hæc signa mystice accipiunt pro persecutione Antichristi, sicque exponunt : Sol et luna, id est Ecclesia, obscurabitur; stellæ, id est illustres Sancti, a fide, et consequenter a cœlo et salute, excident. Verum hanc expositionem esse mysticam, non litteralem, nemo non videt.

*Secundo*, S. Chrysostomus et Hieronymus ac Beda in *Matth.* XXIV; Eusebius Emissenus, homil. *in Domin.* XXIV post Pentecosten; Hilarius, can. 26 *in Matth.*; D. Thomas in *Opusc.* X, art. 36, putant hæc signa fore in ipso die judicii, scilicet quod Christus adveniens tanto lumine radiabit, ac totum orbem suis radiis perstringet, ut sua claritate obscuret fulgorem solis, lunæ et stellarum. Sic et S. Augustinus, serm. 130 *De Temp.*, ubi hoc peculiariter tribuit fulgori crucis, qui tantus erit, ut solem occultet. Verum jam ostendi hæc signa fore prævia judicio, ac consequenter ante adventum Christi. Unde clare ait Joel II, 10 et seqq. : « Sol convertetur in tenebras, antequam veniat dies Domini. » Et Christus *Lucæ* XXI, 26 : « Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi. »

*Tertio*, Origenes, tract. 30 *in Matth.*, putat solem, lunam et stellas obscuranda a fumo, qui procedet ab igne conflagrationis mundi. Verum hæc signa erunt ante finem mundi, quem inducet hæc conflagratio; unde et Origenes in hac expositione non persistit : imo Suarez loco citato censet, ignem conflagrationis mundi fore post ipsum diem judicii.

*Quarto*, Rabanus in *Matth.* XXIV, idque refert, nec improbat D. Thomas in IV, dist. XLVIII, *Quæst.* I, art. 4, quæstiunc. 2, putat quod sol, et consequenter luna aliaque astra a Deo privabuntur sua luce intrinseca et connaturali.

*Quinto*, Dionysius Carthusianus hæc accipit ad litteram; sed putat ea hyperbolice dici, sicuti Prophetæ dicunt in excidio Hierosolymæ et Babylonis obscurandum fore solem. Verum quia hæc excidia tantum typus fuerunt et tenuis umbra excidii totius orbis, quod maxime erit horrendum et portentosum, hinc

Dico *sexto*, hæc plane ad litteram, ut sonant, esse accipienda. In fine ergo mundi Deus ad vindictam peccatorum solem faciet nigrum instar sacci cilicini, qui niger est ex nigris setis et pilis, e quibus contextus est. Porro id fiet partim ex densitate nubium, quas Deus inter solem et terram interjiciet, ut vult Ribera et Dominicus Soto in IV, dist. 46, Quæst. II, art. 2; partim ex miraculosis eclipsibus, ut vult Pererius, quæ provenient ex insolitis motibus cœlorum, qui nunc tardius, nunc velocius solito movebuntur. Unde Lactantius, lib. VII, cap. XVI, de sole et luna sic ait : « Motus extraordinarios peragent, ut non sit homini promptum aut siderum cursus, aut rationem temporum agnoscere. Fiet enim vel æstas in hieme, vel hiems in æstate : tunc et annus breviabitur, et mensis minuetur, et dies in angustum coarctabitur. » Quæ si vera sunt, facile erit varias tunc produci eclipses. *Tertio*, suspendet Deus non lumen, sed illuminationem solis et astrorum, nimirum negando luci solis et astrorum concursum, sine quo non potest lumen suum spargere et illuminare orbem : unde ex eo sequentur densissimæ et universales tenebræ per totum orbem; idque faciet facillima actione, ac minima rerum ac naturæ immutatione : ita Franciscus Suarez, III *part.*, Quæst. LIX, art. 6, disp. LVI, sect. 3.

Luna tota facta est sicut sanguis. — Id fiet per interpositionem nubis ita dispositæ, ut per impressionem radiorum lunæ, ipsa videatur tota sanguinea, ad significandam divini judicii severitatem, ait Suarez ibidem : nam rubicunda luna repræsentat cruorem, id est stragem impiorum, ob sanguinem Christi ab iis vel effusum, vel neglectum et spretum; item ob effusum sanguinem Martyrum, præsertim Eliæ et Henoch, aliorumque fidelium ab Antichristo et Antichristianis. Rursum rubicunda luna portendit ventos, procellas et tempestates iræ et suppliciorum Dei, quas effundet Deus in peccata et peccatores; nam

> Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Et Virgilius, I *Georg.* :

> At si virgineum suffuderit ore ruborem,
> Ventus erit.

Sanguis enim in Scriptura symbolum est peccati. Unde ait Osee IV, 2 : « Sanguis sanguinem tetigit. » Et Isaias cap. I, vers. 15 : « Manus vestræ sanguine plenæ sunt. » Vide ibi dicta. Erit ergo tunc inusitata solis, lunæ et stellarum partim rubricatio, partim obscuratio, et quasi deliquium. *Primo*, ut significetur obscurari ac finiri jam gaudium impiorum.

*Secundo*, luna fiet rubea, ut videatur quasi pudore vultus sui, de turpissimis et atrocibus hominum sceleribus, noctu præsertim, cum lucet luna, in lectis et tenebris perpetratis, erubescere; visis namque tot tamque enormibus hominum sceleribus, ab initio mundi ad finem usque perpetratis, sol, luna et stellæ quasi erubescent, quod talibus dominis tam impiis servierint, et ad eorum scelera lucem suam præbuerint. Hanc causam dat S. Antoninus, IV parte *Sum.*, tit. XIV, cap. XI, § 2. Ita in martyrio Felicis Episcopi Africani, anno Christi 302, luna conversa est in sanguinem, ut habent ejus Acta fidelia 24 octobris, quæ citat et probat Baronius.

*Tertio*, sol et stellæ, quasi metu Christi judicis venientis perculsa, splendorem suum retrahent : sicut homines in metu solent calorem et sanguinem in intima, ad cor confortandum, retrahere, itaque expallescere, ait Maldonatus, *Matth.* XXIV. Omnia enim hæc signa eo tendunt, ut de hominibus impiis (quales tunc erunt plerique; pauci enim tunc erunt fideles et pii, uti prædixit Christus *Lucæ* cap. XVIII) vindicta sumatur, utque ipsi timore percellantur, majoraque supplicia exspectent.

Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram. — *Primo*, aliqui : « Ceciderunt, » inquiunt, id est occiderunt, subito raptæ ad aliud hemisphærium; sic enim Poetæ significant stellarum occasum, dicendo eas in Oceanum sive mare se præcipitare. Unde Virgilius, II *Æneid.* :

> Et jam nox humida cœlo
> Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnum.

Sic Romæ, et alibi, qui non longe a mari habitant, in æstate jucunde spectant vespere solis occasum. Videtur enim eis sol se librare inter undas identidem, ac tandem subito in eas se demergere. Verum hic dicitur : « Stellæ ceciderunt super terram, » non in mare, nec in aliud hemisphærium.

*Secundo*, Origenes, tract. 30 *in Matth.* : « Stellæ ait, de cœlo ceciderunt, id est lumen suum deficiente fomento amiserunt, ac quod in eis terrestre remansit, in terram decidit : putat enim ipse, ex sententia Platonis in *Timæo*, cœlos et astra ex elementis esse composita et conflata, ac proinde egere nutrimento instar nostri ignis vel lampadis : quare sensim deficiente alimento in fine mundi, astrorum quoque lucem, sive id quod in eis igneum est, defecturum; quod vero terrestre est, ad sua elementa et terram relapsurum. Verum duplici errore nititur : *primo*, cœlos et stellas esse elementares; *secundo*, indigere alimento.

*Tertio*, Jansenius, et Cajetanus in *Matth.* XXIV : Stellæ, inquiunt, retrahent lumen suum et non videbuntur, ut videantur de cœlo cecidisse. Cadent ergo non a loco suo, sed a luce sua.

*Quarto*, Maldonatus ibidem censet stellas proprie dictas in fine mundi de cœlo casuras. Magis enim, inquit ipse, Christo id affirmanti, quam Aristoteli id fieri posse neganti, assentior.

Verum sic findi deberet cœlum, imo cœli omnes Planetarum; et quo deciderent hæ stellæ? Quævis enim stella fixa in firmamento nobis visi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bilis, major est tota terra. Melius ergo Ribera et Pererius per stellas accipiunt cometas, fulgura, ignes cadentes, aliaque meteora ignea instar stellarum, qualia multa erunt in fine mundi, eaque novæ et prodigiosæ magnitudinis, formæ, figuræ, motus et lapsus. Deus enim illa, quasi horribilia fulgetra et tonitrua, jaculabitur et deturbabit in terram, ut homines terrefaciat.

Sicut ficus emittit (βάλλει, id est *abjicit, evertit*. Ita Syrus. Male ergo legunt aliqui *mittit*) grossos suos (ὀλύνθους, id est ficus immaturas) cum a vento magno movetur. — Significat Deum ob scelera, citius opinione hominum et rerum natura, finem mundo impositurum, cum is naturaliter diutius durare posset, sicut fecit in diluvio Noe. Sic enim grossi ex ficu ante maturitatem intempestive decidunt. Rursum « grossi » indicant ver beatitudinis lætissimum et florentissimum, quod tunc inchoabunt Beati. Arabicus vertit, *sicut ficulnea, cum ceciderit graminetum ejus a vento grandi*.

14. Et coelum recessit sicut liber involutus, — ἑλισσόμενον, id est *qui involvitur*, vel *convolvitur*; Syrus, *cœli separati sunt sicut liber qui involvitur*; Arabicus, *cœlum involvetur quasi charta*, *q. d.* Sicut liber more veterum cylindro involutus (uti tela circa radium circumvolvitur) absconsis litteris legi non poterat : ita cœlum, ejusque stellæ quasi litteræ, abscondentur atris nubibus et tenebris, ut videri non possint, videanturque in alium mundum recessisse. Rursum, desinet notus cœlorum usus, motus et splendor, astrorum intuitus, ex iisque prognostica conjectatio et divinatio; sicut libro uti desinimus, nec eum legere possumus, cum eum complicamus, sive claudimus. Alludit, imo citat *Isaiæ* xxxiv, 4, ubi idem dicit Isaias : vide ibi dicta. Unde S. Thomas et Suarez sic explicant, *q. d.* Homines et Astrologi non divinabunt amplius ex astris, quasi ex libro prognostico. Cœlum, inquit Suarez, recedet, non motu locali, sed ab oculis hominum, sicut recedere solet liber involutus, quia litteræ ejus videri non possunt. Ita ipse loco citato, et lib. II *De Superstitione*, cap. xi. Aliam rationem hujus phrasis dat S. Augustinus, lib. V. *De Genesi ad litt.* cap. xx : Deus, ait, secula, quæ cum primum condita sunt, tanquam implicita ediderat, succedentibus temporibus explicat; id est, per cœlorum motus ac vicissitudines temporum, mundum involutum paulatim evolvit, eductis scilicet aliis et aliis e capacitate specierum individuis, aliis ac aliis effectibus e causarum suarum sinubus, ac præsertim e cœli solisque motu et influxu. Cum ergo ab hoc motu et hac providentiæ suæ explicatione cessat, ac individua et effectus inde manantes tollit vel suspendit, uti faciet in die judicii, tunc dicitur suæ providentiæ librum cœlumque complicare et convolvere.

Contrarie explicat Andreas Cæsariensis : Recessit, ait, cœlum a priori complicatione et occultatione rerum quas continebat, quia tunc æterna bona et gaudia, in cœlo Sanctis reposita, patefient.

Aliter quoque Dionysius Carthusianus, *q. d.* Non patebit ulli deinceps aditus in cœlum, quia cœli janua claudetur et obserabitur.

Pro *cœlum recessit sicut liber involutus*, Christus, *Matth.* xxiv, ait : « Virtutes cœlorum movebuntur. » Ubi *primo*, S. Chrysostomus per *virtutes* has accipit angelos, qui, inquit, obstupescent ad tanta prodigia, et, ut ait D. Thomas, a cœlorum motione cessabunt. Unde et S. Augustinus, serm. 130 *De Temp.* : « Sicut, inquit, principe judicante, non solum rei, sed et officia, quæ nihil sibi conscia sunt, timore et tremore comprehenduntur propter judicis terrorem : ita et tunc, cum genus humanum judicabitur, et cœlestes ministri pavebunt, et terribili apparatu de judicis intuentis horrenda formidine contremiscent, » id est videbuntur contremiscere : vere enim contremiscere nequeunt; sunt enim beati, in quos non cadit tremor, nec ulla passio aut perturbatio. Ad hæc cœlo et Deo fruentes, nihil sub cœlo et Deo, utpote exiguum, mirabuntur. Sic et « sapiens, ait Seneca, super terram et lunam animum attollens, nihil in terra aut metuit, aut miratur. » Hoc enim est magnanimi. Ita Cyrus, ait Xenophon, doctus erat nihil admirari.

*Secundo*, Cajetanus, Titelmanus et Pererius per virtutes has accipiunt influentias cœlorum, quæ in fine mundi cessabunt.

*Tertio*, Eusebius, apud S. Thomam in *Catena*, *Matth.* xxiv, per has virtutes accipit januas cœli, quæ Christo descendenti ad judicium, et rursum ascendenti ad thronum cœlestem, aperientur.

*Quarto* et genuine, Jansenius ait has virtutes esse astra cœli : hæc enim in Scriptura vocantur militia cœlorum; ut, sicuti paulo ante dixit : « Stellæ de cœlo cadent, » ita hic de iisdem, sed æthereis et cœlestibus, non autem de aereis, uti paulo ante, dicat, quod commovebuntur et quasi contremiscent. Huc accedunt Hesselius et Maldonatus in *Matth.* xxiv : Virtutes, inquiunt, cœlorum, sunt poli et cardines cœlorum, *q. d.* Cardines ipsi et bases ac fundamenta cœlorum commovebuntur, ut cœli a suis cardinibus concuti et convelli videantur. Hoc est enim quod ait Job, cap. ix, vers. 6 : « Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. » Et cap. xxvi, vers. 11 : « Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus. »

*Quinto*, Franciscus Suarez, III *part.*, Quæst. LIX, art. 6, disp. lvi, sect. 3 : Virtutes cœlorum, inquit, hoc est angeli, commovebuntur; commovebunt enim et comparabunt se, ut fiant ministri divinæ justitiæ, qui cœlos et elementa commoveant, qui nimirum omnes illas admirandas mutationes et motus in sole, stellis, mari et terra causent et efficiant. Erunt enim, ut videtur, majores, quam ut per solam stellarum influentiam, vel virtutem fieri possint. Fient ergo per angelos, quibus recte



accommodari potest illud *Psalm.* cxlix : « Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ut faciant in eis judicium conscriptum. » Et huc etiam referri possunt multa quæ in Apocalypsi dicuntur, scilicet S. Joannem vidisse angelos nunc canentes tubis, nunc effundentes phialas aureas plenas iracundia Dei, et similia, quæ legi possunt a cap. viii usque ad xvi. Hucusque Suarez. Huc accedit Lactantius, lib. VII, cap. xvi, qui per virtutes has accipit angelos motores cœlorum. Hi, inquit, commovebuntur, quia mutabunt ordinem et modum movendi cœlos, eumque nunc accelerabunt, nunc retardabunt, etc., uti superius ipsius verbis commemoravi. Hinc et sequitur :

Et omnis mons, et insulæ, de locis suis motæ sunt, — proprie ut verba sonant. Si enim stellæ de cœlo cadent et cœlum recedet sicut liber involutus, quid mirum si in terra montes et insulæ de locis suis moveantur? Erit enim in die illa horribili quasi occasus mundi, totiusque Universi inversio et eversio, ut omnia inverse sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum pessum eant. Sic « L. Marcio, inquit Plinius, lib. II, cap. lxxxiii, et Sex. Julio Coss. in agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes recedentesque, inter eos flamma fumoque in cœlum exeunte interdiu, spectante e via Æmilia magna equitum Romanorum, familiarumque et viatorum multitudine. Eo concursu villæ omnes elisæ. » Et paulo post : « Non minus mirum ostentum et nostra cognovit ætas, anno Neronis supremo, pratis oleisque, intercedente via publica, in contrarias sedes transgressis, in agro Marrucino. » Et capite sequenti : « Maximus terræ memoria mortalium extitit motus, Tiberii Cæsaris principatu, duodecim urbibus Asiæ una nocte prostratis. » Vide eumdem lib. II, cap. xc et sequent., ubi terras terræ motu mari permutatas, haustas, absorptas recenset. Et cap. xciv, ait terras semper trementes extare in agro Gabiensi et Reatino. Et cap. xcv : « Quædam, ait, insulæ semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, et eodem Reatino, Mutinensi, Statoniensi; in Vadimonis lacu et ad Cutilias aquas sylva opaca, quæ nunquam die ac noctu eodem loco visitur : in Lydia quæ vocantur Calaminæ, non ventis solum, sed etiam contis quo libeat impulsæ. Sunt et in Nymphæo parvæ, Saltuares dictæ, quoniam in symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur. In Tarquiniensi lacu magno Italiæ, duæ nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus; quadratam nunquam. » Tales terræ insulæque fluitantes visuntur juxta Audomaropolim in Belgio, eæque olim mihi ibidem ostensæ sunt. Memorabile est quod scribit Gregorius Turonensis, lib. IV, cap. xxx : « Castrum Tauredunum in Galliis, inquit, situm est in monte supra Rhodanum. Auditus est vero per dies amplius sexaginta mugitum edere mons, donec tandem mirabiliter scissus ab alio sibi vicino monte, cum universo castro omnibusque incolis in Rhodanum præceps rueret. Accidit hoc imperante Justiniano. » Simile quid accidit nuper anno Domini 1618, die 4 septembris. Cum enim tunc agerem in Italia, Romæ certo intellexi oppidum Piure in Valle Telina (quæ subjecta est Rætiis, qui nunc Grisones vocantur) non longe a Como, situm ad radices montis, eo, per ventum internum, qui terræ motum excitavit, corruente, plane oppressum esse et obrutum, omnesque incolas (censebantur ad tria millia) pariter obrutos, quinque tantum evasisse. Indicium præcessit, fluminis, quod oppidum interluebat, siccatio; ac duo examina apum ita furiose inter se depugnantia, ut utrimque omnes mortuæ conciderint. Horribile hoc exemplum Grisones et totam Italiam perculit. Damnum æstimatum fuit duobus millionibus auri. Tradunt veteres Historici Siciliam olim fuisse Italiæ conjunctam, postea dirupta maris fluctibus terra, aquam perviam eam avulsisse insulamque effecisse. Ita Diodorus, lib. IV, cap. xiv.

*Secundo*, ex hisce verbis : « Et omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt, » aliqui opinantur in fine mundi montes deprimendos in valles, iisque æquandos, ut terra sit plane rotunda, qualis creata est die primo mundi. Nam die tertio ad usus hominum et animalium, Deus terram una ex parte aggeravit et erexit in montes, alia sustulit et depressit in valles, uti docui *Genes.* cap. i, 8. Cessante ergo usu vitaque hominum et animalium, videtur terra ad primigeniam suam figuram orbicularem plane reditura : quod si verum est, ergo deprimentur montes. Similiter censent insulas in mari enatas, in fine mundi sorbendas a mari, ut mare plenum suum locum alveumque recipiat, quem accepit primitus *Genes.* cap. i, vers. 9 et 10. Quid hac de re futurum sit, docebit experientia finisque mundi. Nam pro adversa sententia facit, quod montes et insulæ non parum faciant ad decorem et varietatem Universi : unde non primo die mundi rudis et informis, sed tertio, quo terra formata et adornata est, a Deo producta sunt.

15. Omnis servus et liber, — omnis homo cu- V
juscumque conditionis, impius scilicet. Hæc enim est impiorum pœna, æque ac vox et gemitus, qui sequitur. Erunt enim tunc plerique omnes infideles et impii, et mox dominante Antichristo eum, quasi suum regem et monarcham, sequentur, tum ut ejus tormenta evadant, tum ut ab eo opes et honores consequantur. Sic enim hoc seculo vidimus, cum rex fit hæreticus aut schismaticus, totum regnum et pene omnes subditos fieri hæreticos aut schismaticos. Pauci ergo erunt fideles, qui adhæreant Eliæ et Henoch, pauciores qui cum iis Antichristo in faciem resistant. Hoc est quod ait Christus *Lucæ* xviii, 8 : « Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? » Et *Matth.* xxiv,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

12 : « Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. »

ET DICUNT MONTIBUS ET PETRIS (*magnis*, ait Arabicus, puta rupibus) : CADITE SUPER NOS. — Citat verba *Osee* cap. X, vers. 8, sed in sensu allegorico. Nam Osee ad litteram loquitur de captivitate, desperatione et calamitate extrema decem tribuum, cum urbs et regnum Samariæ excisum est a Salmanasar, decemque tribus ab eo in Assyriam sunt traductæ. Pari modo idem dicent homines sentientes plagas Dei in fine mundi, tum ante Antichristum, tum magis sub Antichristo, et maxime post eum, cum jamjam adventabit Christus ad judicium. Eadem verba habet S. Lucas, eaque attribuit Judæis in excidio Jerusalem; utrumque enim horum fuit typus excidii et consummationis sæculi.

Alludit quoque ad *Isaiæ* II, 19, ubi de iisdem Judæis obsessis et oppressis ait : « Introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ, a facie formidinis Domini, et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. »

A FACIE SEDENTIS SUPER THRONUM (cœlestem suæ divinitatis, puta a facie Dei), ET AB IRA AGNI, — puta Christi hominis adventantis ad judicium : licet enim infideles et impii, præsertim Antichristiani et persecutores fidelium, initio non credent Dei et Christi potentiam, vindictam et providentiam, tamen cum audient Martyres in tribunalibus identidem illam deprædicare, ac comminari, illosque pro ea generose et hilariter pati et mori, cumque mox sentient eorum dicta reipsa verificari, plagasque et vindictam ab eis prædictas sibi immitti, vel inviti credent hæc sibi a Deo et Christo infligi, ac acriora mox infligenda esse. Sic enim Antiochus subsannans et occidens Judæos, ridensque eorum sacra et Deum, a Deo percussus, agnovit suam culpam, Deique justam in se vindictam, II *Machab.* cap. IX, 8. Sic et Pharao in mari Rubro cernens fulgetra in se e cœlo vibrari, marique se obrui, dixit : Fugiamus Israelem, « Dominus enim pugnat pro eis contra nos. » Sic Imperator Maximianus, acer Christianorum persecutor, sentiens acres dolores et morbos putidos sibi a Deo immissos, agnovit sibi a Deo Christianorum hæc juste infligi, ac persecutionem sistit. Sic Julianus telo cœlesti confossus : « Vicisti, inquit, Galilæe, vicisti. »

17. IRÆ IPSORUM, — Dei et Agni : græce αὐτοῦ, id est *ejus*. Deus enim et Agnus unum sunt in natura divina. Acute conjicit Leo Magnus, quam formidabilis futura sit potentia irati Agni, ex ipsius lenitate et mansuetudine, serm. 1 *De Passione Domini* : « Ego sum, inquit (*Joan.* XVIII, 5), et ad vocem ejus turba prosternitur impiorum. Quid jam poterit majestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda? » Et Gregorius, lib. XVII *Moral.*, cap. XXI : « Quis ejus iram toleret, cujus et ipsa non potuit mansuetudo tolerari ? »

Porro tantus erit pavor tantusque pudor damnandorum coram Christo judice, qui ita percellet et perterrebit conscientiam ipsorum, ut optent obrui tegique montibus, imo esse in inferno potius, quam in valle Josaphat coram Christo irato. S. Basilius merito existimat acerbissimum cruciatum ultricibus inferorum flammis injustum damnatis, pudore isto et confusione longe leviorem ac tolerabiliorem esse. Ponderans enim acerrimam illam increpationem, *Lucæ* XII, 20 : « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti, cujus erunt? » sic ait homil. *Contra Divites Avaros* : « Superat æternam pœnam irrisio ista stultitiæ. » Lege Cardinalem Toletum, *Lucæ* XII, annotat. 39.

Nota : Hæc eadem signa horrenda, judicio et excidio orbis prævia, prædixerunt alii Prophetæ partim sensu litterali, partim allegorico. Unde Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. XXII, citans verba Christi *Matth.* XXIV, de excidio urbis et orbis, sic ait : « Posteaquam edixit : Et tunc erit Jerusalem conculcatui nationibus, inde jam in orbem et in sæculum prædicat secundum Joelem et Danielem, et universum concilium Prophetarum, futura signa in sole, luna et stellis. »

*Primus* ergo Joel cap. III, vers. 2, de eo ad litteram sic ait : « Congregabo omnes gentes in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi super populo meo; » et *vers.* 14 : « Juxta est dies Domini in valle concisionis. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. » Et cap. II, vers. 1, sub typo excidii Hierosolymæ per Chaldæos : « Venit, inquit, dies Domini, dies tenebrarum et caliginis; » et vers. 10 : « A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui. » Et vers. 30 : « Dabo prodigia in cœlo, et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. »

*Secundus* est Isaias, qui cap. XIII, vers. 9, ad litteram loquens de excidio urbis Jerusalem, allegorice, sub eo quasi typo, diem excidii orbis ita depingit : « Ecce dies Domini veniet, crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam stellæ cœli, et splendor earum non expandent lumen suum : obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, » etc.

*Tertius* est Jeremias, Isaiæ assecla, cap. XV, vers. 9 : « Infirmata est quæ peperit septem, defecit anima ejus : occidit ei sol, cum adhuc esset dies : confusa est, et erubuit. »

*Quartus* est Amos, qui pariter ad litteram urbi Jerusalem, allegorice orbi cladem ultimam intentat, cap. VIII, vers. 9 : « Et erit in die illa : occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis; et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum : et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium; et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum. »

*Quintus* est Ezechiel, qui litteraliter stragem Pharaonis et Ægypti, allegorice Antichristi et impiorum ac mundi ita describit cap. XXXII, 7 : « Operiam, cum extinctus fueris, cœlum, et nigrescere faciam stellas ejus : solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum, omnia luminaria cœli mœrere faciam super te; et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cum ceciderint vulnerati tui in medio terræ. » Vide de horrore extremi judicii S. Basilium, serm. *De Judicio*, et S. Ephrem, serm. *De S. Cruce* et *De Adventu secundo Domini*, item serm. *De Timore Dei*, tom. III.

Moraliter, nota ingens esse et fore malorum supplicium, metum et pavorem, ac pavidam exspectationem plagarum incognitarum et imminentium. « Pejor est bello timor ipse belli. » Ita sæpe rei magis affliguntur timore et apprehensione mortis ad quam damnati sunt, quam ipsa morte : nam singulis momentis ita anguntur, ut mori millies videantur. Quocirca Seneca, lib. *De Vita beata*, cap. IV et seq., miseram vitam sitam esse docet in metu æque ac cupiditate; beatam vero vitam sitam esse in utriusque contemptu et victoria. « Summum, inquit, bonum est animus fortuita despiciens, virtute lætus, quem non extollunt fortuita, nec frangunt; cui vera voluptas est voluptatum contemptio. Quid enim prohibet nos beatum dicere liberum animum, et erectum, et interritum, ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum; cui unum bonum sit honestas, unum malum turpitudo? Cætera vilis turba rerum, nec detrahens quidquam beatæ vitæ, nec adjiciens. Hunc ita fundatum necesse est, velit, nolit, sequatur hilaritas continua, et lætitia alta, atque ex alto veniens. Quo die infra voluptatem erit, et infra dolorem erit. » Et cap. V : « Beatus est, qui nec cupit, nec timet beneficio rationis. Tunc enim mens pura est, et soluta omnibus malis, cum non tantum lacerationes, sed et vellicationes effugerit, statura semper ubi constitit, ac sedem suam etiam irata et infestante fortuna vindicatura. Nam quod ad voluptatem pertinet, licet circumfundatur undique, et per omnes vias influat, quis mortalium, cui ullum superest vestigium hominis, per diem noctemque titillari velit, et deserto animo corpori operam dare? »



# CAPUT SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

***Signantur ab angelo electi, ne tangantur plagis impiorum, puta duodecim millia ex singulis tribubus Israel. Deinde, vers. 9, Joannes videt innumeram turbam ex Gentibus stantem ante thronum Dei cum stolis albis et palmis, gratias agentes et laudantes Deum et Agnum.***

1. Post hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. 2. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, 3. dicens : Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. 4. Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. 5. Ex tribu Juda duodecim millia signati : Ex tribu Ruben duodecim millia signati : Ex tribu Gad duodecim millia signati : 6. Ex tribu Aser duodecim millia signati : Ex tribu Nephthali duodecim millia signati : Ex tribu Manasse duodecim millia signati : 7. Ex tribu Simeon duodecim millia signati : Ex tribu Levi duodecim millia signati : Ex tribu Issachar duodecim millia signati : 8. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati : Ex tribu Joseph duodecim millia signati : Ex tribu Benjamin duodecim millia signati. 9. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis : stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum; 10. et clamabant voce magna, dicentes : Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. 11. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium; et ceciderunt in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, 12. dicentes : Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum. Amen. 13. Respondit unus de senioribus, et dixit mihi : Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt? 14. Et dixi illi : Domine mi, tu scis. Et dixit mihi : Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. 15. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus, et qui sedet in throno, habitabit super illos. 16. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus; 17. quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

Hoc caput pertinet ad sextum sigillum, estque altera ejus pars. Nam post hoc caput, statim initio sequentis capitis VIII, septimum sigillum subnectitur, et reseratur. Itaque est hoc caput pars sexti sigilli, sed ita ut simul sit quasi præambulum et præparatio ad caput sequens, et ad septimum sigillum. Cum enim cap. VI præcedenti, in priore parte sexti sigilli dixisset fore horrenda signa in terra, sole, luna, stellis et cœlo, quæ extrema supplicia mundo, id est impiis portendant et intentent, quæ nimirum in septimo sigillo per septem angelorum tubas et plagas exhibentur : hinc, ne plagæ hæ et supplicia pios et sanctos fideles cum impiis simul involvant et affligant, signantur hoc capite pii et sancti, ut angeli plagas immissuri in orbem et impios, caveant ne hosce signatos tangant, aut plagis suis afficiant. Sicut enim Deus *Exodi* XII, 7, percussurus per angelum primogenita Ægyptiorum, jussit prius signari domos Hebræorum, ut angelus percutiens eas transiliret, et non tangeret; rursum sicut *Ezechiel*. IX, 4, Deus percussurus Jerusalem et Judæos sceleratos, jubet prius in ea signari sanctos, ne illi cum sceleratis perimantur : ita pariter jubebit in fine mundi signari Sanctos, ne communibus orbis plagis involvantur. Unde cap. IX, vers. 4, dicitur : « Præceptum est locustis, ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis. »

Dices : Hi signati vers. 9, dicuntur habere stolas albas et palmas, ac esse ante thronum Dei : ergo sunt beati in cœlo, non autem militantes in terra. Respondeo, S. Joannem per visionem vidisse eos in cœlo, quia signati et conscripti erant cives in cœlo : revera autem adhuc existebant et militabant in terra, uti patet ex jam dictis. Quia enim in media illius ultimi et impiissimi sæculi iniquitate, atque in persecutione Antichristi mansuri sunt constantes in fide et pietate usque ad finem vitæ, hinc signati et destinati sunt ad gloriam cœlestem, II *Timoth.* II, 19. Et propter utrumque jubet Deus illos hic signari ad hoc, ne ab angelis septem plagas ultimas in orbem effundentibus lædantur. Itaque ad litteram agitur de Sanctis victuris sub finem mundi, et tempore Antichristi, quos Joannes per spiritum propheticum vidit in cœlo, quia eo per Dei prædestinationem et præscientiam destinabantur : ideoque eorum gloriam futuram quasi præsentem enarrat, perinde ac Prophetæ de futuris loquuntur ac si præsentia aut præterita forent, ut significent ea tam certo eventura, ac si jam facta essent. Porro hi signati ex Judæis, erunt fideles conversi e Judæis ad Christum partim ante Antichristum, partim et potiori parte post Antichristum : eo enim cæso omnis Israel convertetur ad Christum, uti inferius dicam.

Quare minus congruæ, minusque probabiles sunt aliorum sententiæ, quas hic recensebo, ut lectori plene et plane satisfaciam.

Imprimis ergo Ambrosius, sicut per priorem sexti sigilli partem, in fine cap. sexti recensitam, accepit Judæorum reprobationem : ita hic per alteram ejusdem sigilli partem, accipit Gentium omnium vocationem, electionem et glorificationem tum in terra, tum in cœlo.

*Secundo*, Lyranus, Aureolus et Viegas, sicut priorem partem retulerunt ad persecutionem Diocletiani, ita hanc referunt ad Ecclesiæ pacem mox secutam sub Constantino, profligatis quatuor angelis, id est, quatuor tyrannis, itaque hic Constantini cum illis bella et victorias describi.

*Tertio*, Primasius, Haymo et Ansbertus hæc referunt ad tempus quod Christum antecessit.

*Quarto*, verisimilius Andreas, Beda, Ribera et Pererius : Sicuti, inquiunt, priore parte sigilli sexti tristia Antichristi tempora, mundique supplicia Joannes, vel potius Christus, reseravit; ita hic Ecclesiæ lætitiam et felicitatem, mox post Antichristum secuturam, cum innumeri ex Judæis et Gentibus eligentur ad gratiam et gloriam, subtexit. Verum, ut recte objicit Alcazar, non servant ipsi acoluthiam, sive debitam Apocalypsis sequelam et ordinem. Perperam enim ponunt hæc inter sigilla, cum ipsi censeant sigilla omnia continere ea, quæ præambula erunt Antichristo, non posthuma. Rursum, perverso ordine, ponunt hæc post Antichristum futura in fine sexti sigilli, ante septimum, quod continet plagas prævias Antichristo. *Tertio*, hæc signatio signatorum non fiet directe et proprie ad gloriam, sed ad hoc, ne angeli





plagis suis eos attingant. Potest tamen hæc expositio commode explicata, cum nostra conciliari eique accommodari.

*Quinto*, Alcazar putat hanc signationem Sanctorum non pertinere ad sextum sigillum, sed esse præambulum septimi sigilli. Quia enim ipse censet primis quatuor sigillis recenseri felicitatem Judæorum in Christum credentium, tribus vero ultimis infelicitatem et plagas incredulorum et rebellium, ac præsertim excidium eorum per Titum : hinc censet signari hic Christianos, qui Judæis in Jerusalem erant permixti, ut ex ea egrediantur, itaque plagas ejus septimo sigillo reserandas evadant. Ita factum est : nam Dei monitu evaserunt ipsi in Pellam urbem, ait Eusebius, lib. III *Histor.*, cap. V. Quocirca congrue Dei nutu, inquit Alcazar, hæc urbs, vel anterius, vel posterius, a Christianis dicta est Pella, id est *mirabilis separatio*, quia Deus mira sua providentia eos ibidem servavit, ac separavit a Judæis pereuntibus in Jerusalem; sicut olim terram Gessen separavit a reliqua Ægypto, cum eam a muscis, grandine, tenebris aliisque plagis Ægypti servavit intactam et immunem : Pella enim hebr. derivatur a rad. פלא *pala*, id est *separavit*, vel *mirabilem fecit*. Unde *Exodi* cap. VIII, vers. 22, ubi nos legimus : « Faciam mirabilem terram Gessen, » pro *faciam mirabilem*, hebr. est הפליתי *hiphleti*, a rad. *pala*, *q. d.* Ego faciam illam Pellam, ego illam ab Ægypto dividam, et mirabilem reddam. Similiter *Exodi* IX, 4 : « Faciet Dominus mirabile, » hebr. est הפלא *hiphla*, hoc est, *faciet pele*, faciet mirabile, et separabit Gessen a reliqua Ægypto.

Verum hæc omnia subverso ejus fundamento (de quo superius sæpius actum est) corruunt, et ingeniosæ tantum allusiones sunt, ludusque ingenii.

Vers. 1. 1. POST HÆC VIDI QUATUOR ANGELOS STANTES SUPER QUATUOR ANGULOS TERRÆ, TENENTES QUATUOR VENTOS TERRÆ, NE FLARENT SUPER TERRAM, NEQUE SUPER MARE, NEQUE IN ULLAM ARBOREM. — Quatuor primarii sunt venti, flantes a quatuor orbis partibus, puta Aquilo a Septentrione, Auster a Meridie, Eurus ab Oriente, Zephyrus et Favonius ab Occidente. Et hos quatuor tantum nominabant veteres, teste Plinio, lib. II, cap. XLVII. Verum posterioribus sæculis nautæ hosce quatuor in plures alios subdiviserunt, et singulis duos, imo quatuor laterales addiderunt.

Quatuor angeli et venti, qui? Prima expositio. Quæres, quinam sint hi quatuor angeli et quatuor venti? Respondet *primo* Ambrosius, quatuor angelos esse Romanum Imperium, quatuor ventis, id est mundi plagis, imperans. Sic et Primasius, Ansbertus, Anselmus et Beda per quatuor angelos accipiunt quatuor præcipua mundi regna, quæ, cum Christus venit in mundum, tenebant ventos, id est pacem, lætitiam, opes et commoda orbis, quia suis rapinis et cædibus homines divexabant.

*Secundo*, Aureolus et Lyranus : Quatuor angeli inquiunt, fuerunt quatuor tyranni tempore Constantini, puta Maximinus in Oriente, Severus in Italia, Licinius in Ægypto, Maxentius Romæ, qui tenuerunt ventos, id est, doctores, ne disseminarent fidem Christi. Sic fere et Ambrosius, Primasius, Beda, Anselmus, Richardus, Ansbertus, Rupertus, Hugo, Dionysius, Pannonius et Viegas.

*Tertio* et melius, Andreas Cæsariensis, Ribera et Pererius proprie accipiunt angelos, qui justitiæ Dei administri in fine mundi improbos affligent, sicuti terræ motu, obscuratione solis et stellarum, ita et cohibitione ventorum, summaque malacia, ita ut nec folium arboris agitetur. Quæ ingens est plaga : per hanc enim necesse est consequi *primo*, ut mare navigari nequeat; *secundo*, ut fructus tempestivam maturitatem consequi nequeant; *tertio*, ut aer crassus et infectus non possit depurari, nec attenuari, sed corrumpi et putrescere debeat; ac consequenter *quarto*, omnia quæ in terris vivunt, tabescere, deficere et emori. Venti enim suo flatu fovent omne vivens, ut pulchre docet Seneca, lib. V *Naturel.*, Quæst. XVIII. Unde vers. 3, idipsum explicat Joannes dicens : « Nolite nocere terræ et mari, » scilicet tenendo ventos, ne flent in terra. Ventorum necessitas quadruplex.

*Quarto* et optime, Alcazar putat Angelos hosce fuisse quasi quatuor Æolos, ventorum dominos, qui eos quasi furentes vinculis et carcere frænent, ut ait Virgilius, ne flent et sæviant in terram. Unde hi angeli græce vocantur κρατοῦντες, id est tenentes et comprimentes ventos, sicut qui rabidum molossum tenet et comprimit, ne dimissus in obvios irruat; quomodo Virgilius Æolum vocat tempestatum potentem. Itaque angeli hi nocebant terræ, non tenendo, sed laxando ventos : hi enim laxati vehementi impetu et insano murmure furentes, sævissimam excitabant tempestatem. Probat id *primo*, nam quod hic dicitur, angelos hos tenuisse ventos ne flarent, id eis dictum et jussum fuit antequam servi Dei signarentur; ergo hoc ipsum non fuit plaga, sed potius retinaculum plagæ : mox enim jubet eis angelus, ut nullam plagam terræ inferant, donec servi Dei signentur; retentio ergo ventorum præcessit plagam, ac consequenter non fuit plaga. *Secundo*, quamvis malacia et compressio ventorum damnum aliquod inferat, idipsum tamen lentum est, remissum et languidum : multo autem vehementius et horribilius damnum inferunt venti, idque subito, si omnes eis habenæ laxentur, adeo ut arbores, domos, templa, turres et palatia prosternant; qualem tempestatem ante paucos annos vidimus in Belgio altera Paschatis. Sic enim ait Daniel, cap. VII, vers. 2 : « Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari. » *Tertio*, compressio ventorum æque nocebat signatis, atque non signatis; frustra ergo dicitur eis : « Nolite nocere terræ et mari, etc., quoadusque signemus servos Dei Quarto optimo.

nostri. » Secus est in laxatione ventorum : in hac enim jubentur eos ita laxare et moderari, ut procellas excitent quæ impios plectant, pios autem et signatos non attingant. Sensus ergo est, *q. d.* Vos, o quatuor angeli, qui præestis quatuor ventis, eosque paratis laxare, ut tempestates concitent, qua plectantur impiissimi hoc ævo in fine sæculorum homines, retinete eos donec signemus servos Dei nostri, ut scilicet mox eos laxaturi, ita eos laxetis et dirigatis, ut solos impios eorumque domos, hortos et arbores feriant, signatis autem abstineant.

Nota hic quatuor ventis, utpote e quatuor orbis partibus prodeuntibus, quatuor præsidere angelos, puta singulos singulis; unus ergo præest vento Orientali, secundus Occidentali, tertius Aquilonari, quartus Meridionali. Discimus ergo hic ventos eorumque motus et gyros, non tam a vapore, aliave causa naturali (quam difficile est reddere, aut mente capere : unde in ea laborat Aristoteles, et omnes Physici), quam ab angelis concitari, agi ac dirigi. Deus enim per angelos regit et moderatur orbem, sicut dominus per aurigam regit et moderatur equos et currum.

Porro hosce ventos, procellas et tempestates recte poni in sexto sigillo, jungique cum obscuratione solis, lunæ et stellarum, patet ex eo quod Christus hæc omnia conjungat *Lucæ* XXI, 25, dicens : « Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum; » hunc enim sonitum, et hosce fluctus excitabunt venti. Quare non recte Alcazar hosce ventos refert ad septimum sigillum, putatque illos cum eo idem esse : septem enim plagas septimo sigillo contentas censet non esse aliud, quam horum ventorum, sive tempestatis ab iis excitatæ in septem procellas sive nimbos divisionem : hosce enim nimbos excitabunt venti quatuor contrarii, inter se confiictantes. Nam hosce ventos, ab illis septem plagis septimi sigilli, aliam et diversam esse plagam, patet tum ex dictis, tum ex ipsismet septem plagis, ut patet eas intuenti cap. VIII; nam, v. g. vi ventorum non potuit excitari plaga quarta, quæ ibidem describitur, vers. 12, scilicet percussio solis, lunæ et stellarum : nec quinta, quæ describitur cap. IX, vers. 1, scilicet apertura abyssi : nec sexta, vers. 14, scilicet solutio quatuor angelorum, qui ligati sunt in Euphrate. Quod enim Alcazar hasce plagas interpretatur ignorantiam, concupiscentiam et iram, Judæis a Deo inflictas, patet mysticum esse, non litterale.

Angeli si boni sint, an dæmones. Quæres an hi quatuor angeli sint boni, an mali, puta dæmones? Noster Martinus Delrio, lib. II *De Magia*, Quæst. XI, censet esse genios Alastores, id est, truces et sævos dæmones, citatque pro hac sententia Clementem Romanum, lib. IV *Recognit.*; Hieronymum, lib. VII *in Isaiam*; Augustinum, lib. V *Contra Julianum*, cap. III, et alios. Ratio est, quia nocent : ergo videntur esse mali. Verum hæc ratio non concludit : nam etiam boni angeli nocuerunt, cum incenderunt Sodomam tanquam vindices Dei, *Genes.* XIX. Rursum, per eosdem multæ aliæ plagæ orbi immittentur in fine mundi, ut patebit cap. VIII et sequent. Adde, angeli cum mali sunt, solet Scriptura iis addere aliquod epithetum alienans, vel ex circumstantiis satis significans, se non bonos, sed malos intelligere. Denique hi angeli sunt proprii et directi executores divinæ providentiæ, ejusque loco sunt præsides ventorum, ut eos moderentur et dirigant, præsertim ad puniendum impios, et ad tuendum pios : ergo sunt boni, non mali. Confirmatur, quia, *Ezech.* I, Deus vectus curru Cherubico, stipatus quatuor Cherubinis (qui utique boni erant, non mali), pergit ad exscindendam Jerusalem : ergo pari modo per angelos bonos peraget plagas ultimas, quibus orbis excidium conficiet. Ita Alcazar, Ribera, Pererius et alii.

NE FLARENT, — donec Dei voluntate cognita, angeli laxarent eos ad flandum; hanc autem hic cognoverunt per alium angelum dicentem : « Nolite nocere (laxando ventos) terræ et mari, quoadusque signemus servos Dei nostri. » Unde liquet, postquam signati fuerunt servi Dei, revera angelos laxasse ventos, ac per eos graves procellas et clades impiis intulisse : licet id reipsa factum esse, in sequentibus non narretur.

Ubi nota moraliter, Deum per angelos ita moderari vim et ictus fulminum, tonitruorum, ventorum, grandinum et aliarum procellarum, ut hunc tangant, non illum; hunc agrum, non illum; hanc urbem aut regionem, non illam; præsertim ut impios eorumque agros et bona affligant, non pios, uti hic juberi et fieri videmus. Hoc est quod ait Psaltes *Psal.* CXLVIII, 8 : « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. » Quocirca dum tonat, fulminat, grandinat, etc., metuant impii, ac per contritionem, vel etiam confessionem Deo se reconcilient, ne hisce ejus plagis tangantur.

Cum ergo ait : « Ne flarent, » intelligit flatum non communem et ordinarium, sed validissimum et vehementissimum, ita ut venti furere videantur, ac sævissimas procellas et tempestates concitent, quibus gravissimas tam in mari, quam in terra clades et damna impiis inferant. Tales enim erunt in fine mundi.

2. ET VIDI ALTERUM ANGELUM ASCENDENTEM AB ORTU SOLIS, HABENTEM SIGNUM DEI VIVI. — Quis hic? *Primo*, Ambrosius censet hunc angelum esse Christum, quia ab Isaia, cap. IX, juxta Septuaginta, vocatur « Magni consilii angelus, » et a Zacharia, cap. VI, vers. 12, « Vir oriens. » Clamor hujus angeli significat efficaciam Christi, qua effecit ut in sua nativitate, sublatis bellis, esset ubique pax, ut hac ratione citius ipse suum Evangelium per omnes gentes spargeret. Huc refertur expositio Ansberti, Primasii, Haymonis, Anselmi, Richardi et Bedæ, censentium angelum hunc esse



Christum, qui ascendit ab ortu solis, quia mane surrexit, et Apostolos statim misit ad illuminandum orbem. Hic suo clamore coercet dæmones, ne impediant prædicationem Evangelii.

*Secundo*, Alcazar censet hunc angelum esse Spiritum Sanctum, qui fideles signat se ipso suaque gratia, eosque ab omni plaga liberos et incolumes præstat; aut potius angelum hunc esse ipsam Spiritus Sancti gratiam : hæc enim formaliter fideles et sanctos signat.

*Tertio*, Aureolus et Lyranus per angelum hunc accipiunt Constantinum Magnum, qui quatuor tyrannos jam dictos, Evangelii prædicationem impedientes, profligavit : ex quo ingens Ecclesiæ pax, lætitia et propagatio est consecuta. Hic habet signum Dei vivi, id est signum crucis, quod e cœlo ei contra Maxentium pugnaturo, quasi victoriæ omen datum est cum hac inscriptione : *In hoc signo vinces.* Unde tunc multi baptizati, et in baptismo a sacerdotibus signo crucis signati sunt.

Quarta. *Quarto*, Victorinus et Gagneius, per angelum hunc accipiunt Eliam, qui sæviente Antichristo, ei, ejusque angelis, id est ministris, se opponet, multosque convertet ad Christum, eosque cruce Christi signabit et insigniet. Hæc sententia in speciem est plausibilis.

Quinta. *Quinto*, S. Bonaventura, in prologo *Vitæ S. Francisci*, asserit hunc angelum esse S. Franciscum ejusque asseclas Franciscanos. S. Franciscus enim signum Dei vivi, puta crucis, prætulit, cum Christi crucifixi sacra stigmata corpori suo cœlitus impressa sensit. Idem præferunt Franciscani, puta signum pœnitentialis crucis, et habitum cruci conformem, ut omnes ad pœnitentiam et crucis amplexum excitent. Idipsum S. Bonaventuræ certo revelatum esse scribit S. Bernardinus, tom. II, *serm.* 60, in principio. Idem dicit Leo X Pontifex, et alii, quorum verba et sententias citat Sedulius in elogiis S. Francisci, et Antonius Daça, lib. *De Stigmatibus*.

Sexta genuina. *Sexto* et optime, Ribera et Pererius censent hunc verum fuisse angelum. Hic dicitur ascendisse, quia prius descenderat e cœlo, eratque in terra, ut hominum salutem curaret et tueretur. Rursum, quia cum sole quasi oriri, et in horizontem, in quo erat S. Joannes, ascendere videbatur : quocirca dicitur ascendisse « ab ortu solis, » tum quia venerat ut læta et prospera nuntiaret, tum quia novam lætitiam, et quasi lucem afferebat. Nasci enim ab Oriente idem est quod exoriri tanquam novum solem, ad illustrandum eos qui in tenebris et umbra mortis sedent. Quomodo de Judæis ab Aman et a morte liberatis dicitur, quod eis « nova lux oriri visa est, » *Esther* VIII, 16. Et *Malach.* cap. IV, vers. 2, ait : « Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus. » Habet hic angelus « signum, » græce σφραγῖδα, id est *sigillum*, quod frontibus electorum imprimat, « Dei vivi, » qui scilicet suos a communi exitio impiis parato in fine mundi servabit et vivificabit. Vox enim *vivi* est epithetum Dei. Deus enim est ipsa vita increata, quæ omnis angelorum, hominum, animalium et plantarum vitæ, tum naturalis, tum spiritalis, tum beatæ, tum gloriosæ fons est et auctor. Quodnam fuerit hoc signum, jam dicam.

3. QUOADUSQUE SIGNEMUS SERVOS DEI NOSTRI IN FRONTIBUS EORUM. — Alludit ad servos, sive mancipia, quæ olim ab hero stigmate fronti inusto, æque ac pecora, notabantur, ut si fugerent, vel errarent, aut caperentur, ex stigmate cognosceretur cujus heri vel domini essent, eique redderentur. Sic Paulus ait se stigmata Domini Jesu in corpore suo portare, *Galat.* cap. VI. Vide dicta *Ezech.* IX, 4.

Rursum et potius, alludit, inquit Pererius, *primo*, ad sanguinem Agni paschalis, quo signabantur domus Hebræorum, ne percuterentur ab angelo cædente primogenitos Ægyptiorum, *Exodi* XII. *Secundo*, alludit ad titulum tiaræ pontificis : tiaræ enim inscriptus erat hic titulus : *Sanctum Domino*, *Exodi* XXVIII, ut ex eo quasi signo cognosceretur, quod esset pontifex Dei sancti.

*Tertio* et maxime, alludit ad signum *tau*, quo signati sunt gementes in Jerusalem, idque in fronte, *Ezech.* IX, 4. Unde sequitur hoc signum fuisse signum crucis Christi : hujus enim formam habebat littera *tau*; hoc etiam signum impressum erat domibus et ostiis Hebræorum, uti docet S. Hieronymus in *Isaiæ* LXVI, cujus verba citavi *Exodi* XII, 7. Ratio est, quia nemo a morte æterna (quæ hisce plagis hacque morte temporali Antichristianis infligenda significatur et inchoatur) liberari potest, nisi virtute crucis Christi, et nisi hoc crucis signo insigniatur.

Denique alludit ad *Esdræ* lib. IV, cap. II, vers. 38 : « Surgite, et state, et videte numerum signatorum in convivio Domini; » de quo plura vers. 14, in fine. Vox *signemus* tacite continet mandatum, quo jubet hic angelus aliis ut secum signent servos Dei. Unde Arabicus vertit, *donec signetis servos Dei super frontes eorum.*

Signabunt ergo angeli in fine mundi electos signo crucis : *Primo*, per sacerdotes signo crucis in Baptismo et Confirmatione visibiliter eos consignando.

*Secundo*, spiritualiter inducendo et exhortando eos per se et per præcones Evangelii ad liberam, publicam et constantem fidei et crucis Christi coram Antichristianis aliisque ejus hostibus professionem usque ad mortem. Hujus enim publicæ professionis symbolum est frons. Nam, ut ait Cicero, *De Petit. consul.* : « Janua animi frons est; » unde et frons dicitur a ferendo (licet Varro deducat a foraminibus oculorum, quæ sunt in fronte), quod indicia animi vel hilaris, vel mœsti, vel timidi, vel audacis præ se ferat, ut ait Plinius, lib. XI, cap. XXXVII. Hinc rursum ostentatio est in fronte, ait Cicero; unde ipse orat. 1 *in Catilin.* :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

« Sit, ait, inscriptum in fronte uniuscujusque civis, quid de republica sentiat. » Frontones ergo, animosos et resolutos sui cultus professores diligit et signat Deus. Hæc signatio est spiritalis, fitque per gratiam Christi. Unde de ea ait Paulus, *Ephes.* I, 13 : « Signati estis Spiritu promissionis Sancto; » et cap. IV, vers. 30 : « In Spiritu Sancto Dei signati estis. » Et de Christo ait Joannes, cap. VI, vers. 27 : « Quem Pater signavit Deus. » Clare vero Paulus, II *Corinth.* I, 21 : « Qui, ait, confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus : qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. » Vide ibi dicta.

*Tertio*, Andreas Cæsariensis : « Tempore, inquit, Antichristi signo crucis fideles se distinguent et secernent ab infidelibus et Antichristianis. Tunc enim fideles intrepide, citraque ruborem signum crucis Christi in eorum conspectu deferent, uti cruces et rosaria publice deferunt et gestant Helvetii Catholici, ut inter medios hæreticos profiteantur suam fidem, seque esse orthodoxos, Christi et Virginis Deiparæ cultores. Græcum enim σφραγῖδα significat sigillum visibile et expressum. Idem exigit τὸ *in frontibus* : signum enim in fronte est visibile et omnibus conspicuum. Sic in die Cinerum, omnes Christiani in Ecclesia signantur in fronte cruce cinerea : quin et omnes dum surgunt, dum orant, dum prandent, dum incumbunt, et alias sæpe per diem signant se cruce in fronte. Qui adeo usitatus et vetus est mos, ut Tertullianus, lib. *De Corona militis*, cap. III, dicat : « Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. » Nota : Non ait : Signamus, sed « terimus; » ita enim crebro signabant frontem, ut eam terere viderentur. Idem docet S. Cyprianus, *epist.* 63, et lib. III *Testim. ad Quirinum*, cap. XXII, et alii quos ibidem contra Calvinistas citat Pamelius. Simili ergo modo angeli in fine mundi « signabunt » sua suggestione, id est, excitabunt fideles et sanctos ut signent se signo crucis, illudque in fronte visibiliter forment, pingant aut gestent, quasi symbolum Christi et christianismi, quo se ab Antichristianis omnibusque impiis discriminent. Eodem modo milites Christiani cum Godefrido Bullonio, S. Ludovico et aliis, per decem expeditiones pro recuperanda terra sancta contra Saracenos pugnaturi, quasi insigne belli sacri gestabant signum crucis, uti etiamnum nonnulli Ordines gestant. Unde vocabantur expeditiones Cruciatæ, de quibus singulis fuse agit Gretserus, tom. III *De Cruce*, lib. II toto. Sic et Episcopi crucem auream vel argenteam, ipse vero summus Pontifex adamantinam, etiam dum celebrat, gestat in pectore. Hi enim quasi duces fidelium in bello sacro ad tuendam Christi crucem debent esse fortes ut adamantes.

Denique, si quis proprie ad litteram, ut verba sonant, velit et contendat, quod angeli per se signabunt fideles, videlicet illos designando et denotando per signum crucis, quod invisibiliter et spiritualiter in frontibus eorum formabunt et impriment; idque ad hoc, ut per hanc designationem et denotationem angeli, plagas sequentes illaturi, sciant quos percutere debeant, quos præterire et servare : si quis, inquam, hoc sentiet, itaque hunc locum exponat, non traham cum eo contentiosum funem. Angeli enim ignorant secreta cordium et conscientiarum, nec in iis vident gratiam et dona Dei : hæc enim pendent a libero hominis arbitrio (quod solus penetrat Deus, qui scrutatur renes et corda). Quocirca nesciunt an quis sit Dei servus et amicus; multo magis nesciunt an quis sit prædestinatus et electus ad gloriam, nisi id Deus eis revelet, aut aliquo signo indicet. Quocirca jubentur hic Sancti signari, ut ex hoc signo angeli percussores eos cognoscant, eosque in mente et memoria sua consignent, ut eos a plagis indemnes servent. Verum quid in hac re verius sit, mox indicabo.

Signantur ergo hic fideles tum in frontibus, tum in mentibus angelorum, illi, qui in fine mundi cum abundabit iniquitas, ac præsertim in persecutione Antichristi, dirissima patientur, fortesque et constantes in fide et pietate persistent, ideoque eligentur ad vitam æternam. Signantur, inquam, speciali Dei providentia et gratia ad hoc, ne communibus orbis cladibus involvantur, neve cum impiis reprobis paria mala et plagas, quas angeli eis inferent, patiantur, sed iis eximantur.

Crux in fronte, corde et brachio [illegible]

Ad hanc signationem et sigillationem sponsus invitat sponsam, dicens *Cantic.* VIII : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » Quod S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. VIII, sic explicat : « Signaculum, inquit, Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculum in brachio : in fronte, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur. » Quare Origenes, homil. 8 *in Diversos* : « Gaudentes, ait, hoc signum (crucis) levemus in fronte, quod dæmones, cum viderint, contremiscant. Nam qui aurea capitolia non timent, crucem timent. » Signum enim crucis est tacita invocatio, æque ac professio Christi crucifixi. Hinc a SS. Patribus vocatur frontis decus, fidele signum, arma cœlestia, cassis Christiana, munimentum vitæ, magnum bonum, salutaris armatura, scutum inexpugnabile, gladius et flagrum regium, quod omnem diaboli impetum fundit; vivificum signum, insuperabilis Christianorum armatura, immortale vexillum, quo viso dæmones contremiscunt. Citat Patres noster Gretserus, lib. IV *De Cruce*, cap. LXIV.

Ita signo *Tau* in fronte signatus fuit R. P. Henricus Garnetus, e Societate Jesu, Angliæ martyr. « Cum enim Sociis in Anglia per viginti annos magna cum laude in quotidianis mortis periculis



præfuisset, tandem anno Domini 1606, die tertia maii, pro Catholica fide gloriosum obiit martyrium. Catholicus, qui spectator aderat, purpuratam sanguine spicam, ex substrato martyris corpori stramine religiose sustulit : quam dum domi conspicatur attentius, vividam Patris imaginem in ea expressam conspexit. Verticem capitis ingens cingebat corona. Crux in fronte rutilabat stellæ inclusa, signaculum cordis illius utique, in quo fasciculus myrrhæ commorabatur; ut ideo etiam optata Inventioni crucis dicata die, martyrii palmam sit consecutus. Sub mento Cherubinus visebatur alatus, vel angelicam ejus puritatem, vel sapientiam et doctrinam, vel utrumque indicans. Quia enim ad justitiam erudiit multos, Doctorum laurea decoratur, et quasi stella inter Cherubinos lucet in perpetuas æternitates. Imago hæc vultus ejus in spica sæpius excusa, per omnes Christianorum provincias sparsa est. » Miraculosam autem hanc ejus effigiem in prototypo etiamnum perdurare, viri graves oculati testes mihi constanter affirmarunt. Primis Ecclesiæ temporibus moris erat Christianis signum crucis, aut nomen Jesu candentibus notis carni inurere, uti testatur Procopius in cap. XLIV *Isaiæ*.

« S. Wenceslaus, Bohemiæ rex et martyr, cum adolescens in aula Ottonis imperatoris vitam ageret angelicam, ideoque a principibus cæteris despiceretur, cruce aurea divinitus signatus, ab angelis in conspectum Imperatoris perductus est : quo viso commotus Imperator, eum in suum consessum recepit, et brachio S. Viti magnisque muneribus donavit. Hæc crucis signatio martyrii fuit prænuntia, quod ipse fortiter obiit ante templi fores orans, cæsus a fratre Boleslao, qui coronæ ejus et regno Bohemiæ inhiabat, anno Domini 938. » Ita Æneas Sylvius, qui postea creatus Pontifex, vocatus est Pius II, in *Histor. Bohem.*, XIV, Baronius, anno jam dicto, et alii.

Signatio hæc fuit imaginaria, non realis.

Quæres, an hæc signatio ostensa Joanni sit tanquam futura realiter, an vero fuerit tantum visio imaginaria, imaginarie tantum futura?

Respondeo, fuisse visionem imaginariam. Id patet *primo*, ex eo quod ait : « Et vidi. » Visus est ergo S. Joannes sibi videre angelum clamantem et dicentem : « Nolite nocere terræ, etc., quoadusque signemus servos Dei nostri. » Et mox vidit eum singulos signantem, et colligentem numerum signatorum 144 millia. *Secundo*, quia vers. 9 pariter vidit in cœlo cum palmis, stolis et coronis, animas fidelium Gentilium, qui adhuc vivebant in terra, et æque ac Judæi signabuntur, ne lædantur ab angelo ventorum præside, qui per ventos clades illaturus est orbi. Ergo hæc omnia fuerunt visio imaginaria. Nec enim hæ animæ erant beatæ, sed beandæ, nec revera habebant, aut habituræ erant coronas, palmas et stolas, cum sint animæ et spiritus; sed per hasce symbolice repræsentabatur Joanni earum victoria et gloria.

*Tertio*, quia plane alludit Joannes ad *Ezech.* IX, ubi signantur signo *Tau* pii gementes, quos Deus in excidio Hierosolymæ per Chaldæos, intactos servari volebat. Illa autem signatio fuit tantum imaginaria, ut ibi dixi. Nam Ezechieli in visione tantum signari videbantur ab angelo gementes, ac signati servari, non signati occidi : ut per hoc significaretur gementes pios, quasi ab angelo signatos et protectos, a cæde Chaldæorum fore immunes; alios vero omnes, utpote impios, ab eis occidendos. Talis prorsus fuit et hæc visio signatorum Joanni exhibita. Ratio est, quia angeli, cum sint puri spiritus, non egent signo *Tau*, crucis aut aliarum rerum sensibilium, ut cognoscant qui sint servi Dei et servandi, qui non; sed sufficit eis minimum Dei vel angeli alterius indicium, sive revelatio. In fine ergo mundi Deus vel per se, vel per angelum indicabit angelis plagas illaturis, dicetque : Ne percutiatis tales et tales, v. g. talem Petrum, Jacobum, Joannem, Agnetem; hi enim servi mei et amici sunt. Ex hoc enim indicio, angeli eos in mente et memoria signabunt, cavebuntque ne plagas eis inferant : non ergo signabunt eos angeli visibiliter in frontibus.

Hæc tamen visio imaginaria fundamentum habebat in re, significabatque signationem realem, qua Sancti in fine mundi, tum in Baptismo et Confirmatione; tum per persecutionem et martyriorum tolerantiam, in iisque fidei de Christo crucifixo professionem publicam; tum proprie per formationem et gestationem signi crucis re ipsa signabuntur cruce, uti paulo ante dixi, idque ad hoc, ut ostendant se servos Dei et Christi crucifixi : ostendant, inquam, non angelis percussoribus, sed hominibus, præsertim Antichristi ministris et asseclis : coram iis enim profitebuntur suam fidem et religionem Christianam, cujus symbolum est crux; sicut ex adverso Antichristus suos asseclas signabit suo signo et charactere : de quo audiemus, cap. XIII, vers. 16.

Moraliter crux signum est electorum Dei.

Crux ergo est signaculum amicorum et electorum Dei, ideoque non fugienda, sed ambienda; uti multis ostendi *Ezech.* IX, 4. Deus enim cum cruce simul dat robur et consolationem, ad eam læte et fortiter ferendam, uti aiebat S. Teresa. Hoc est enim quod ipse promisit dicens *Ps.* XC : « Cum ipso sum in tribulatione. » Hinc viri prudentes et sancti quotidie orant per crucem, utque Deus eam indies augeat, ac majorem semper immittat. Certi sunt enim *primo*, per hoc gratiam et spiritus robur pariter sibi additum iri; *secundo*, se similiores esse Christo crucifixo, ideoque Deo esse gratissimos. Si quid enim Deo gratius esset quam crux, utique illud dedisset Filio suo. *Tertio*, per crucem crescere patientiam, humilitatem, charitatem omnesque virtutes. « Virescit enim vulnere virtus. » Quocirca uti calx aqua, ita humilis tolerantia et charitas afflictione et persecutione magis accenditur et inflammatur. Hoc est quod aiebat Paulus : « Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita

et per Christum abundat consolatio nostra, II *Cor.* cap. I, vers. 5. Et Psaltes : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, » *Psal.* XCIII, vers. 19. Quocirca a Deo jugiter petebat S. Teresa : « Domine, da aut pati aut mori. » Et S. Xaverius in naufragiis, persecutionibus aliisque periculis et ærumnis maximis orabat : « Domine, ne auferas a me hanc crucem, nisi des majorem. » Christus enim in hac vita non invenitur, nec apparet, nisi in cruce, ut aiebat S. Martinus, teste Sulpitio. Atque hæc est causa, cur Martyres tam avidi fuerint tormentorum et martyrii, ut ad ea quasi ad epulas hilares accederent, imo procurrerent.

Mirabile est, quod legimus in actis SS. Ruffinæ et Secundæ, sororum et martyrum, 10 julii. Cum enim judex curaret Ruffinam acerbe flagellari in præsentia Secundæ, ut eam percelleret et flecteret, Secunda accensa desiderio patiendi pro Christo, magna et constanti voce ita judicem compellavit : « Quid agis, o perverse, et inimice omnis virtutis? Cur honore afficis sororem meam, et me relinquis intactam, ut non sim particeps ejus coronæ et gloriæ? » Cui judex : « Stultior videris esse sorore tua. » Ait illa : « Nec soror mea stulta est, nec ego; quia ambæ sumus Christianæ, ac proinde æquum est ut ambæ pro Christo feriamur : nam animus et fortitudo Christianis crescit in plagis et tormentis. » Cumque judex ei minaretur violentiam stupri, respondit : « Nequit virgo perdere virginitatem, nisi ipsa eam ex mente abjiciat, et flagitio consentiat. Si enim vis ei invitæ inferatur, id tormentum est : tormentum autem præmium et coronam adauget. Fac ergo quod vis; præpara ignes, gladios, furcas, equuleos, bestias : quo plus tormentorum dederis, eo magis, tantumque ex æquo augebis coronam nostram. » Quocirca in bulliens oleum ambæ immissæ, sed illæsæ exeuntes, projectæ in Tiberim; ibi quoque servatæ ab angelo, tandem præcisione capitis gloriosum obiere martyrium.

Mystice, Matthias Sueciæ, præceptor S. Bernardini Senensis, qui Apocalypsin usque ad cap. XV spiritaliter, subtiliter et pie explicat, exstatque apud me manuscriptus : Servi, inquit, Dei dicuntur habere in frontibus signum divinæ contemplationis, sicut vers. 9 dicuntur in manibus habere palmas bonæ actionis. E contrario servi Antichristi, cap. XIII, dicuntur habere characterem bestiæ in dextera manu, et in frontibus : qui character est perversa actio in opere, et malignitatis studium in mente.

Mystice quoque Alcazar (quanquam ipse putet hunc sensum esse litteralem, non mysticum : censet enim ipse hic signari primitivæ Ecclesiæ Christianos, ne plagis quibus Judæi increduli afficientur, tangantur) : Signantur, imo signant se ipsos fideles signo crucis, qui severe suis cupiditatibus imperant easque mortificant et crucifigunt, ut fiant viri pii et spiritales, Christique crucem imitentur : hoc enim signo spiritus Christi notat ipsos, et hac ratione remanent ipsi immunes et liberi, ut eos nulla tangat vexatio, nulla e septem angelorum plagis; liberi ergo sunt a fame, bello, peste, ignorantia, concupiscentiis, furiis et obduratione : licet enim eas sentiant, aut iis subinde tententur, tamen amore et virtute crucis Christi omnia fortiter tolerant et superant. Quocirca D. Taulerus in opusc. quod *Vaticinium* inscripsit, pag. 671 : « Signum, inquit, *Tau* in frontibus habent omnes, qui per fidem Christi vivam in quodam melioris vitæ initio atque profectu inventi fuerint : atque ii erunt immunes ab his plagis, quas Joannes describit cap. IX, sub obscuris quidem verbis, sed luce clarius a B. Hildegarde detectis. » Hactenus ea in operibus B. Hildegardis non inveni.

SERVOS, — sive qui jam sunt servi, sive qui paulo post convertendi sunt, et futuri servi Christi, firmi scilicet et constantes usque ad finem vitæ. Hi enim in præscientia Dei jam existunt, suntque signati. Nam, ut ait Apostolus II *Timoth.* II, 19 : « Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus; et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. » Vide ibi dicta.

Vers. 4. Centum quadraginta quatuor millia signati qui? Prima sententia.

4. ET AUDIVI NUMERUM SIGNATORUM, CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR MILLIA. — Multi putant hic numerum definitum poni pro indefinito. Unde primo, Aureolus et alii censent hoc numero tantum significari plurimos fore convertendos tempore Constantini Imperatoris tam ex Judæis, quam ex Gentibus; signatos enim et numeratos esse Judæos, turbam vero innumeram vers. 9, esse Gentilium. Verum, quia pauci Judæi fuerunt conversi ad Christum tempore Constantini, uti et deinceps, hinc Lyranus per Israel accipit quoslibet fideles, tam ex Gentilibus, quam ex Judæis. Hi enim sunt Israel secundum spiritum, non secundum carnem; et hi plurimi fuerunt tempore Constantini.

*Secundo*, Primasius, Ambrosius, Haymo, Ansbertus, Anselmus, Beda, Ribera, Richardus, hunc numerum mystice accipiunt : censent enim eo significari numerum omnium electorum. Hi enim filii sunt Israelis, et duodecim Patriarcharum : filii, inquam, vel naturales, ut Judæi; vel spirituales per fidei imitationem, ut Gentiles. Hisce subscribit Alcazar, sed ita, ut hunc numerum accipiat, non universe de electis omnibus quovis sæculo futuris, sed tantum de primis Christianis, qui eo tempore vivebant quo septem plagæ in pertinaces Judæos (ut ipse censet) Christum abnegantes effusæ sunt. Christianis, inquam, tam Judæis, quam Gentilibus. Hi enim æque ut illi, sunt spirituales verique Israelitæ, ac filii duodecim Apostolorum, qui veri sunt Israelis Dei Patriarchæ. Juda ergo, inquit, est Petrus, libere et veraciter confitens Christum, quod sit Filius Dei vivi : Benjamin est Joannes, minimus et ultimus



apostolorum in hac vita viventium : Manasse, id est oblivio, est Matthæus, quia oblitus est sui telonii. Dan omittitur, quia convenit Judæ proditori, cujus reprobatione occultissimi Dei judicii mirum exstitit documentum. In ejus locum succedit Levi, id est Matthias. Cuique horum tribuuntur duodecim millia, quia quisque plurimos convertit, juxta illud *Isaiæ* LX, 22 : « Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam. » Addit in fine capitis suspicari se hoc numero 144 millium, non omnes fideles primos, sed tantum primarios, scilicet eos qui socii fuerunt Apostolorum in prædicando et propagando Evangelio, ac fidelium duces significari : unde eis tribui numerum duodenarium, quia hic est numerus collegii Apostolorum, quorum ipsi cunei et quasi decuriæ fuerunt. Verum repugnat textus : ait enim, « Donec signemus servos Dei, » non duces, uti fatetur Alcazar : qui proinde tandem ab hac suspicione resilit ad priorem suam expositionem.

Tertia sententia.

Verum cum, ut dixi initio capitis, hæc omnia spectent ad sextum sigillum, ac in eo conjungantur cum obscuratione solis et lunæ, stellarum casu et cœli recessu, etc., ideoque spectent ad finem mundi, et ad tempora Antichristi : hinc sequitur hunc numerum 144 millium signatorum tantum esse eorum, qui in fine mundi tum ante Antichristum, tum sub ipso, tum maxime post ipsum occisum (hi enim erunt plurimi) ad Christum convertentur, et salvabuntur. Tunc enim omnis Israel salvus fiet, ait Apostolus, *Rom.* cap. XI, prædicante eis Elia, uti prædixit *Malach.* cap. IV : ita Irenæus, lib. V, cap. IX, et cap. XXX, Andreas Cæsariensis, Pannonius, Ribera et Pererius. In fine ergo mundi ex singulis Judæorum tribubus, duodecim millia convertentur ad Christum : duodecim enim millia multiplicata per duodecim faciunt 144 millia.

Nota : Hæc signatio, cum sit sexti sigilli, fiet ante Antichristum. Tunc enim angeli signabunt, id est, signare incipient, electos (ne ventorum clades, uti dixi vers. 1, eis inferant), eosque signare pergent ipso etiam tempore Antichristi, imo post Antichristum : tunc enim plures convertentur; omnes enim toto hoc tempore, puta in fine mundi, signandi et eligendi, hic describuntur, simulque recensentur hoc sexto sigillo, ut integer eorum numerus constet, præsertim quia in mente, præscientia et prædestinatione Dei omnes, etiam futuri, jam sunt signati. Præscientia enim divina, in qua hæc vidit Joannes, omnia tempora complectitur. Unde et Joannes statim post hos signatos in terra, transvolat ad turbam Gentilium in terra æque signatam, sed in cœlo quasi existentem, jamque beatam et gloriosam; quia videlicet, esto in terra adhuc consisteret, tamen ad illam beatitudinem et gloriam a Deo signata erat et conscripta, brevique ab eo beanda et glorificanda.

An præcise 144 millia salvandorum in fine mundi ex Judæis?

Quæres, an in fine mundi præcise ex singulis Judæorum tribubus duodecim millia, non plures, nec pauciores signandi et salvandi sint, ita ut Judæi ex omnibus tribubus salvandi, præcise futuri sint 144 millia? Affirmat Ribera, additque neminem ex tribu Dan (quia ea hic omittitur) salvandum fore. Verisimilius Andreas Cæsariensis, Pererius et alii censent plures ex singulis tribubus salvandos esse, et per duodecim millia significari omnes. Probatur id *primo*, quia non est verisimile ex qualibet tribu in fine mundi nascituros, æque ac salvandos, fore præcise eodem numero, ut ne unus quidem amplius e Juda, quam ex Ruben, aliave tribu nascatur et salvetur; non etiam dignum videtur Apocalypseos majestate, ad hasce præcisas minutias descendere, etiam si veræ essent. *Secundo*, non est verisimile nullum omnino ex tribu Dan salvandum esse : Danitæ enim cum videbunt Antichristum occisum, seque ab eo delusos, eum exsecrabuntur, et saluti suæ consulent. *Tertio*, quia Apostolus docet *Roman.* XI, 26, quod tunc omnis Israel salvus fiet; Israel, inquam, non spiritalis et fidelis, uti explicat Ribera, sed carnalis sive naturalis : de eo enim agit Apostolus, ut patet intuenti. Hic enim eo usque derelictus a Deo, tunc ab eo suscipietur et eligetur. Hoc est quod ait Christus *Matth.* cap. XVII, 11, quod « Elias venturus est, et restituet omnia; » omnes autem Judæi ex una tribu plures erunt quam duodecim millia, et universi plures erunt quam 144 millia. Nam olim ex una tribu Juda bellatores erant sexcenta millia, quibus si parvulos, senes, feminas, ancillas addas, habebis facile trigesies centena millia, sive tres milliones hominum ex Juda; quin etiamnum in una provincia duntaxat invenies plusquam 144 millia Judæorum. Erunt ergo in fine mundi plures Judæi, ac consequenter plures salvandi quam 144 millia : totidem tamen hic nominantur, quia vere totidem, puta duodecim millia e singulis tribubus salvabuntur, sed non tantum. Erunt enim multo plures : vocantur tamen duodecim millia, quia duodenarius symbolum est perfectionis et universitatis : fuerunt enim duodecim Patriarchæ veteris, et totidem novi Testamenti, puta Apostoli, ad quorum familiam omnes signandi pertinebunt. Audi Bedam, et ex eo Petrum Bongum, lib. *De Numer. mysteriis*, in duodenario : « Quia in quibuscumque singuli fidelium virtutibus profecerunt, antiquorum necesse est Patrum semper fide roborentur, atque informentur exemplis. Ad augmentum autem perfectionis pertinet ipsa duodecies multiplicari, et ad summam millenarium perfici, qui est denarius numerus quadratus solidus (decies enim decem faciunt centum : decies centum faciunt mille), Ecclesiæ significans stabilem vitam : quare etiam duodenario signatur, quia per orbem quadratum, id est, per quatuor mundi cardines in fide consistit SS. Trinitatis. Ternarius enim quater ductus duodecim conficit. Hinc Christus duodecim elegit Apostolos, ut mundi salutem quam

verbo prædicaturi erant, suo quoque numero repræsentarent. » Sic et S. Augustinus lib. III *De Doctrina Christian.*, XXXI, docet numero 144 significari universitatem. Est enim quadratus : duodecies enim duodecim faciunt 144. Significat ergo integram et perfectam fidelium Judæorum multiplicationem, eorumque inter se miram concordiam, et quasi ex quadro et æquo commensurationem. Idem docent passim alii Interpretes. Vide duodenarii symbola et attributa, quæ recensui *Ezech.* XLVIII, initio capitis.

4. Ex omni tribu. — Nota : Omittitur hic tribus Dan, et pro ea ponitur tribus Levi, ait S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, quia, ut tradit S. Irenæus, lib. V, cap. XXX; S. Augustinus, Quæst. XXII *in Josue*; Theodoretus, Quæst. ult. *in Genes.*; Ambrosius, lib. *De Prædict. Patriarch.*, cap. VII; Hippolytus, tract. *De Consummat. sæculi*; S. Gregorius, XXXI *Moral.*, XVIII; item Cyrillus, Isidorus, Eucherius, Prosper, Ruffinus et alii, quos citant Ribera et Pererius; item Andreas, Haymo, Richardus, Anselmus, Beda, Rupertus, Lyranus et alii hic, ex tribu Dan orietur Antichristus, ideoque Danitæ pene omnes illum ut contribulem suum sequentur, sicuti Simeonitæ secuti sunt ducem tribus suæ Zambri, in fornicatione et cultu Beelphegor, ideoque tribus illa pene a Deo excisa est, uti dixi *Num.* XXV (1).

Probant idipsum Patres citati, *primo*, ex *Genes.* XLIX, 17 : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita; » qui locus vel ad litteram, vel certe allegorice intelligitur de Antichristo, uti ibidem docui. *Secundo*, ex *Jerem.* VIII, 16 : « A Dan auditus est fremitus equorum ejus, a voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra. » Quæ verba ad litteram loquuntur de Nabuchodonosor, allegorice de Antichristo. Quare non recte Abulensis in *Genes.* XLIX, 17, ait incertam esse hanc traditionem; pejus Olcaster ait eam esse fabulosam; præsertim cum fundamentum habeat in S. Scripturæ sensu, vel litterali, vel allegorico. Adhuc enim Judæi servant suas divisiones et origines tribuum, ut hic dicat se esse ex tribu Juda, ille ex Levi, iste ex Dan, sive vere hoc dicant, sive fallantur. Plerique ergo Danitæ, id est, qui putabunt et jactabunt se esse ex tribu Dan, suum cognatum Antichristum sequentur, ideoque peribunt : quæ causa est cur hic non signentur.

5. Ex tribu Juda. — Non servatur hic ordo nativitatis, nec excellentiæ tribuum, sed ordo conversionis ad Christum, ait Ribera : putat enim ipse, in fine mundi primo convertendam esse tribum Juda, utpote ex qua natus est Christus, deinde tribum Ruben, deinde tribum Gad, et ita consequentes. Verum, licet de tribu Juda ratio ab eo allata probabilis sit, nulla tamen de aliarum ordine ratio probabilis adferri potest, quin potius promiscue videntur ex singulis tribubus Judæi, prædicante Elia, convertendi ad Christum.

Mystica causa ordinis distinctionis tribuum.

Mysticam causam hujus ordinis dat Ambrosius, Primasius, Rupertus, Beda et Viegas : Quia, inquiunt, in conversione hominis et vita spirituali *primus* est Judas, id est confessio veræ fidei et peccatorum suorum. *Secundus* est Ruben, id est filius visionis. Filii visionis sunt opera virtutum quæ præscribit ipsa fides. *Tertius* est Gad, id est accinctus ad tentationes superandas. Nam, ut ait Sapiens : « Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. » *Quartus* est Aser, id est beatus. « Beatus enim est vir, ait S. Jacobus, qui suffert tentationem : quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. » *Quintus* est Nephthali, id est latitudo : quia qui vicit tentationes cordis, magnam latitudinem et fiduciam in Deo acquirit. « Quia, inquit Rupertus, hujus beatitudinis firma spe securi, non angustantur, sed firma spe gaudentes, in tribulatione patientes, cum Psalmographo decantant : In tribulatione dilatasti mihi. Et iterum : Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum. Et cum matre Samuelis, exultantes dicunt : Dilatatum est cor meum super inimicos meos; propterea Nephthalim succedit, quod est latitudo, » quasi post tentationem victam et beatitudinem partam, cordis et oris dilatatio subsequatur. *Sextus* est Manasse, id est oblivio : quia qui tentationis victor divinam experitur consolationem, terrenorum omnium obliviscitur. *Septimus* est Simeon, id est auditio : quia qui terrena obliviscitur, capax est ut audiat et percipiat divina. *Octavus* est Levi, id est mutuatus : quia qui totus ad Deum aspirat, peregrinum se in mundo, et quasi mutuatum arbitratur. *Nonus* est Issachar, id est merces, quæ tali peregrino ampla debetur. *Decimus* est Zabulon, id est habitatio : quia in tali inhabitat Deus. *Undecimus* est Joseph, id est additio vel incrementum : quia talis quotidie gratia et virtute

(1) Rosenmullerus : « Danitæ viles erant animæ et Judæi carnales, ex quibus nemo signatus est. Omnibus temporibus dediti erant idololatriæ præ reliquis Judæis. Vide loca a Wetstenio allata. Forte hæc tribus diu ante ea tempora funditus perierat, aut ad perpaucos erat redacta; nec enim numerata fuit inter tribus e captivitate reduces, I *Chron.* II. Jam vero aliud Israeliticum nomen in Danitarum locum substituendum erat. Quapropter Joannes numerosa Josephi prole, quæ in duplicem excreverat stirpem, Manassitas puta, et Ephraimitas, ita usus est, ut altera ejus parte, Manassitis, locum Danitarum suppleret. » Auctor Dissertationis *De septem mundi ætatibus* (Bible de Vence, tom. ult.), cum quibusdam aliis opinatur, olim per exscriptores textus Græci nomina abbreviata non fuisse bene exarata, ita ut ubi græce reperiebatur Δαν, id est *Dan*, aliquis, forte indebita quadam lineola deceptus, litteram Δ mutaverit in M, et scripserit Μαν. Inde per Μαν, sumptum pro nomine abbreviato *Manasses*, relicta *tribu Dan*, quæ adesse debebat, irrepsisse videtur tribus Manasses, quæ adesse non debebat; quia cum adsit nomen *Joseph*, patris *Manasses* et *Ephraim*, et propterea nomen *Ephraim* omittatur, eadem ratione omittendum erat nomen *Manasses*. Itaque probabilissime, aiunt, Joannes non annotavit *tribum Manasses*, quæ includebatur in *tribu Joseph*, sed scripsit *tribum Dan*.



accrescit. *Duodecimus* est Benjamin, id est filius dexteræ : quia talis ad dexteram Dei evehitur in cœlo.

Rursum possumus, inquit Viegas, hæc ad Ecclesiam referre. Ipsa enim in Juda, est in fidei confessione fortissima : in Ruben, bonis operibus fecunda : in Gad, tentationibus et persecutionibus probata : in Nephthali, charitate dilatata : in Manasse, ea quæ ante sunt obliviscens : in Simeone, divinis auditionibus et revelationibus illustrata : in Levi, cœlibatu continentium illustris : in Issachar, futuræ mercedis exspectatione suspensa : in Zabulon, Dei ipsius habitaculum : in Joseph, mire propagata : in Benjamin, ad dexteram Dei collocata. Vide et dicta *Num.* I et II.

Paulo aliter Matthias Sueciæ, præceptor S. Bernardini : Duodecim, inquit, gratias et virtutes Deus dat servis suis, quibus eos ordinat ad divinam contemplationem, nimirum priores sex pertinent ad purgandas malas cogitationes, inter quas *prima* est Juda, id est confessio; *secunda* Ruben, id est cognitio; *tertia* Gad, id est promptitudo; *quarta* Aser, id est benignitas; *quinta* Nephthali, id est latitudo, puta lata bonitas et beneficentia; *sexta* Manasse, id est oblivio malorum. Posteriores sex ordinantur ad mentis per bonas cogitationes illuminationem. In his *prima* est Simeon, id est obedientia; *secunda* est Levi, id est pœnitentia; *tertia* Issachar, id est prudentia; *quarta* Zabulon, id est perseverantia; *quinta* Joseph, id est sapientia; *sexta* Benjamin, id est charitas.

8. Ex tribu Joseph, — id est, ex tribu Ephraim, qui licet junior, a patre Josepho, vel potius ab avo Jacobo, *Genes.* XLVIII, 14, prælatus est Manasse seniori : unde retinuit nomen patris ut dignior. Hinc tribus Ephraim amplior et nobilior (quia regalis) fuit, quam tribus Manasse.

Porro suffecisset dicere : Ex singulis duodecim tribubus signati sunt duodecim millia; sed iterat hunc numerum per singulas tribus dicendo : « Ex tribu Juda 12 millia signati, ex tribu Joseph 12 millia signati, » etc., tum quia hic mos est Hebræorum, uti ostendi *Num.* VII, 18; tum quia Deus, æque ac Joannes, hac iteratione sortis cujusque tam felicis et beatæ delectatur, et quasi cum ipsis signatis dissuaviatur, ut significet quanti eos faciat, simulque illos ipsos sigillatim compellando et designando honoret et decoret, sibique acceptissimos esse judicet. Ita Alcazar. Rursum, ut ostendat quanti hæc signatio sit facienda a nobis, quantumque conari debeamus ut inter signatos inveniamur, nimirum ut per bona opera certam nostram electionem et vocationem faciamus, ut ait S. Petrus. Si enim inter signatos reperiamur, bene viximus; si non, præstaret nunquam esse natos, præstaret saxa et bruta fuisse potius quam homines.

Duodecim millia signati. — Pro *signati* græce est ἐσφραγισμένοι, id est *signo notati*, sigillati, signo quasi sigillo obsignati; τὸ *signati* in Græco non exprimitur, nisi hic in fine et in principio. Interpres tamen recte et fideliter in singulis tribubus illud repetiit et expressit, quia in singulis intelligitur.

9. Post hæc vidi turbam magnam. — Nota : Hæc turba distinguitur a 144 millibus signatorum; licet enim id negare videatur Ticonius et Andreas, tamen communiter asserunt alii omnes, idque patet ex textu; nam signati sunt definito et certo numero, scilicet 144 millia, hæc autem turba est innumera; illi sunt ex omni tribu filiorum Israel, hæc ex omnibus Gentibus : illi ergo sunt Judæi, hi Gentiles. Unde de his ait Joannes : « Post hæc (post recensitos Judæos signatos) vidi turbam magnam, » quia Gentiles initio Ecclesiæ post Judæos conversi sunt. Judæis enim primo promissus fuit Christus, justitia et salus : eis ergo primus locus datur et debetur. Quare minus recte Alcazar censet turbam hanc esse eamdem cum signatis : quasi quos prius Joannes audivit numeratos et signatos, postea viderit eosdem quasi turbam innumeram. Censet enim ipse signatos Israelitas, non esse carnales, sed spiritales, puta fideles tam ex Gentibus, quam ex Judæis primitivæ Ecclesiæ.

Dices : Cur ergo signantur et numerantur Judæi? nil autem tale dicitur de Gentilibus, qui æque a Deo signati et numerati sunt? Respondeo quia Judæi, ut dixi, fuerunt primi in regno Dei, iique pauci, unde facile numerabiles; Gentiles vero fuere posteriores, iique plurimi et quasi innumerabiles. Porro Gentiles, æque ac Judæi, signati fuerunt. Hoc enim intelligitur ex eo quod promisit vers. 3 : « Donec signemus servos Dei nostri. » Itaque cum ait : « Post hæc vidi turbam magnam ex omnibus Gentibus, » intellige signatorum; de his enim agitur : τὸ ergo *signati*, quod in Judæis expressum est, hic in Gentibus subintelligitur; sicut e converso stolæ, palmæ, gloria et hymnodia, quæ turbæ Gentilium in sequentibus attribuitur, a paritate Judæis signatis attribuenda significatur.

Turba magna quæ? Prima sententia.

Quæres : Quænam hæc est turba magna? *Primo*, Ambrosius, Ticonius et Beda censent esse Beatos omnes, qui Dei visione fruuntur. *Secundo*, Joachim censet esse Martyres quolibet sæculo occisos. *Tertio*, Lyranus censet esse Martyres occisos a Diocletiano. Hi enim fuerunt innumeri, adeo ut uno mense occisa sint ab eo 17 millia Christianorum, teste Eusebio; ac a Maximiano tota Thebæorum legio simul. *Quarto*, Aureolus censet esse Gentiles conversos ad Christum, tempore Constantini Imperatoris. Verum ex dictis patet hæc spectare ad Gentiles Christianos, qui futuri sunt in fine mundi sancti, ideoque signati et electi, ac intacti futuri a plagis septem angelorum septimi sigilli, de quibus cap. seq. Hi enim licet adhuc in terra militarent, tamen Joannes spiritu prophetico prævidens eorum constantiam et victoriam usque in finem vitæ, vidit pariter eorum gloriam et coronam, ipsosque quasi victores et triumphatores in cœlesti beatitudine; coronis, stolis,

Secunda.
Tertia.
Quarta.
Quinta genuina.

et palmis amictos, ut dixi initio cap. Ita Ribera et Pererius.

Porro turbam Beatorum magnam fore, colligere licet ex ingenti numero solorum Martyrum, qui tamen cæteris Sanctis minor est. Nam sub uno Diocletiano, quolibet mense cæsa sunt 17 millia Martyrum : multiplica hunc numerum per decem annos, quibus ea persecutio duravit, invenies vicies centena millia, sive duos milliones Martyrum. Unde non excedit fidem, posse nos in singulis totius anni diebus honorare triumphos Martyrum, tanquam tali die in cœlis coronatorum, usque ad triginta millia. Quin etiam ex antiquarum scripturarum monumentis haberi legimus in lib. III *Revelationum* S. Brigittæ, solum Romæ, qualibet die in anno, 7 millium Martyrum posse festa celebrari. De sanctis vero Confessoribus, si cum Martyribus conjungantur, in eodem lib. *Revel.* ita di-

Lib. V *Revel.* cap. XXVII. citur : « Si mensurares terram centum pedum in longitudine, et totidem in latitudine, ut seminares eam plenam puris granis tritici, quolibet vero granum daret fructum centuplum, adhuc essent plures Martyres et Confessores Romæ a S. Petri tempore usque ad Cœlestinum, » nempe illius ætatis Summum Pontificem. Atque hæ sane revelationes magnum apud nos et doctos viros, teste Joanne Cardinali de Turrecremata, qui eas descripsit, auctoritatem obtinuerunt. Quid igitur erit ab Adam usque ad nostra tempora, et non in una tantum urbe Roma, sed in universo terrarum orbe; non unius tantum ordinis aut chori Sanctos recensere, sed omnes Patriarchas, Prophetas, Apostolos et Apostolicos viros, Martyres, Virgines, Confessores, omnis generis, ætatis, sexus et con-

*Genes.* XV, 5. *Genes.* XXII, 17. ditionis justos et electos? « Suspice cœlum, dixit Abrahæ Deus, et numera stellas si potes, sic erit semen tuum. Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam, quæ est in littore maris. » Hæc autem divina promissio non tam ad carnalem, quam ad spiritualem referenda est propagationem : « illa enim repetita comparatione cœlestium stellarum, ait S. Augustinus lib. XVI *De Civit.*, XXIII, mihi magis promissa videtur posteritas cœlesti felicitate sublimis. » Ita noster Thomas Massutius, lib. VIII *Cœlest. Convers.*, cap. V. Sane Thomas Bozius, *De Signis Eccles.* lib. XII, cap. XXII, ex historiis et actis Martyrum colligit, in sola Roma extitisse plusquam trecenta millia Martyrum, inter quos antesignani fuere 27 Summi Pontifices. Noster Franciscus Arias, lib. III *De Imit. Christi*, cap. XXXII et seqq., per singula sæcula, provincias et persecutiones discurrendo, ostendit ingentem fuisse numerum Martyrum, ac tandem in fine cap. XXXV, concludit facile quolibet die anni numerari et coli posse triginta Martyrum millia; quæ si per annos a Christo hucusque elapsos multiplices, efficient undecim milliones Martyrum. Idem censent alii apud Genebrardum in *Psal.* LXXVIII, vers. 4. Ex dictis æstimare licet quod in fine mundi omnium omnino Sanctorum et electorum, qui quovis sæculo ubivis gentium vixerunt, numerus aliquot centenos milliones conficiet : reproborum vero longe major erit turba, quæ plures non tantum centenos, sed et millenos milliones efficiet. Sæpe enim ex mille hominibus, imo ex decem millibus vix unus salvatur, uti probant revelationes quas recensui *Num.* cap. XIV, vers. 30.

QUAM DINUMERARE NEMO POTERAT. — Quia erat collecta ex omnibus Gentibus totius orbis, ac proinde ingens, et quasi innumera, cum Judæi, utpote pauci, scilicet una gens tantum, jam numerati fuerint, repertique 144 millia. Est hyperbole; vere enim erat finita, imo pauca respectu pereuntium. Quare facile ab angelo numerari poterat : dicitur tamen innumera, quia homo, v. g. Joannes eam videns, eamdem numerare non poterat.

EX OMNIBUS GENTIBUS ET TRIBUBUS. — Vox *tribubus* non significat ex omni omnino particulari familia, aliquos in fine mundi fore fideles et salvandos; sed sumitur generice pro familiis amplis et famosis, quæ numerosum populum, et multas particulares familias ab eadem stirpe prognatas complectuntur, quales sunt in Scotia et alibi. Scotia enim distributa est in primarias familias Hamiltoniorum, Gordoniorum, Haiorum et aliorum, ita ut quisque etiam plebeius sciat, ex qua familia sit prognatus, et ad quam pertineat : atque quæque familia suum habet caput, scilicet primogenitum familiæ, qui fere est Comes vel Baro; ac tempore belli, si v. g. inter Comites oriatur dissensio, quisque suam tribum, suæque tribus i. familiæ caput sequitur, illiusque causam quasi suam, ad mortem usque tuetur. Alludit ad 12 tribus Israel : hæ enim tales fuerunt quales jam di... ideoque singulæ populum ingentem constituerunt. Rursum alludit ad familias et tribus filiorum Noe, *Genes.* cap. X. Hæ enim in fabrica turris Babel a Deo in varias terras, æque ac linguas, dispersæ et dispertitæ, varias nationes et populos procrearunt.

STANTES ANTE THRONUM, ET IN CONSPECTU AGNI. — Græce ἐνώπιον τοῦ θρόνου καὶ ἐνώπιον τοῦ Ἀρνίου, id est, *coram throno et coram Agno*; ergo non tantum videntur a Deo, sed et vident Deum et Agnum : habent enim oculos non clausos, sed apertos; ergo sunt beati. Erant enim in terra; sed Joannes per visionem vidit eos quasi beatos in cœlo, quia mox a Deo erant beandi, utpote qui puritatem, constantiam, et vitæ cœlestis imitationem, illius felicitatem et gloriam quasi jam inchoabant et præcipiebant.

Nota τὸ *stantes*. Ex eo enim B. Petrus Damianus, lib. III, *epist.* 8, reprehendit Archiepiscopum Bisuntinum, quod permittat clericos et laicos tempore officii divini in ecclesia sedere : Quia, inquit, S. Joannes hic vidit omnes Sanctos, et vers. 11 omnes Angelos non sedentes, sed stantes coram Deo. Sic eosdem illi assistere, non sedere vidit Daniel, cap. VII, vers. 10, et Isaias Seraphinos,



cap. VI, vidit stantes. « Ubi Seraphini, inquit, sedere non audent, sedet homo luteus, et tanquam pannus menstruatæ luridus et immundus? » Sic et Moses jussu Dei stetit coram eo *Deut.* V, 31, *Exod.* III, 5; sic et Elias, III *Reg.* XVIII, 15; et David, II *Reg.* VI, 14; Aaron quoque et Levitæ jubentur stare in conspectu Dei, *Num.* III, 6, tum quia stare est vigilantis, reverentis et attenti, sedere dormitantis, audentis et torpidi; tum quia « cum oramus, tunc velut in acie contra malignorum hostium tentamenta confligimus. » Unde *Cantic.* VII, 1 : « Quid videbis, ait, in Sulamite, nisi choros castrorum? »

AMICTI STOLIS ALBIS. — Stola alba, uti dixi cap. VI, vers. 11, erat vestis honoris, gloriæ et triumphi. Hinc erat vestis sacerdotalis, puta poderis byssina. Et ad hanc hic alluditur; ait enim vers. 14 : « Laverunt stolas suas, etc.; ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus. » Erunt enim Sancti in cœlo reges et sacerdotes Dei, uti dixi cap. V, vers. 10. Stola ergo hæc significat Sanctorum, *primo*, conscientiæ puritatem, castitatem et candorem; *secundo*, inde consequentem serenitatem, hilaritatem et lætitiam; *tertio*, felicitatem et gloriam; *quarto*, hymnos, gratiarum actiones et doxologias, quas quasi sacerdotes jugiter canant Deo, qui eis dedit victoriam, triumphum et gloriam æternam. Unde S. Gregorius in *Marci* XVI, ubi mulieres venientes ad Christi sepulcrum, dicuntur vidisse « Angelum coopertum stola candida : » Stola candida, inquit, significat gaudium et solemnitatem mentis.

Licet hoc loco hæc S. Joannis verba et oracula pie meditari et admirari. « Vidi turbam magnam. » O turbam sine turba ordinatissimam, maximam, felicissimam! « Ex omnibus gentibus. » O pulchram et variegatam ex tot gentibus varietatem! « Et linguis. » O musicam harmonicam omnium linguarum dissona consonantia, consonoque concentu Deum laudantium! « Stantes ante thronum. » O stationem augustam Deum intuentium et contemplantium! « Et in conspectu Agni. » O conspectum gloriosum Agnum stipantium, et comitantium quocumque ierit! « Amicti stolis albis. » O splendidas stolas immortalitatis et gloriæ! « Et palmæ in manibus eorum. » O palmas magnificas triumphantium! O nobilem victoriam et triumphum! « Et clamabant voce magna. » O lætas voces, o jubilos perpetuos!

Stolæ an albæ, an purpureæ? Quæritur hic, an stolæ vere fuerint albæ, an vero purpureæ? Petrus Faber, lib. II *Agonistic.*, cap. XII, censet hic alludi ad hieronicas, id est ad sacros victores, puta ad eos qui in sacris ludis et certaminibus Jovi, Marti, Apollini aliisque diis dicatis, victores evadebant, qui albis, et subinde purpureis, stolis donabantur. Itaque censet ipse stolas hasce albas fuisse purpureas. Audi eum : « Stolas albas Martyribus attribuit S. Joannes, quia hæc nivea puraque vestis olim magistratuum erat ac sacerdotum, teste Plutarcho : quæ tamen purissimo Agni sanguine tinctæ, inardescentem defæcatissimi veluti muricis ruborem imbiberant. Nam quod dicitur, eos stolas dealbasse, idem est quod depurasse. » Probat id *primo*, nam sanguine non dealbantur, sed rubricantur, itaque depurantur vestes. Græcum ergo λευκαίνειν, id est dealbare, sumitur pro καθαρίζειν, ut ait S. Joannes cap. I, vers. 7, id est mundare, et pro λαμπρύνειν, id est clarum, pellucidum, atque omnibus maculis detersis purum et nitentem, λαμπρύνειν, candidatum seu candidum reddere. Stolæ ergo λευκαί, id est albæ dicuntur, quia ὑπόλευκοι, διάλευκοι, vel μεσόλευκοι, id est subalbæ, puta purpureo-albæ, sive rubro-albæ erant. *Secundo*, quia vestis propria Martyrum est rubra, sive purpurea, qua et Ecclesia in eorum festis utitur, Missasque celebrat. Hæ ergo dicuntur albæ, id est splendentes et fulgidæ, quomodo in transfiguratione Christi ait Lucas cap. IX, vers. 29, quod vestis ejus erat alba, et ἐξαστράπτων, id est effulgurans. Et Christi vestis alba, qua indutus ab Herode remissus est ad Pilatum, fuit splendida : hoc enim significat Græcum λαμπρά, *Lucæ* XXIII, 11; unde a Syro vocatur *coccinea*. De martyribus enim hunc locum accipiunt S. Augustinus, serm. 11 *De Sanctis*, et S. Gregorius, hom. 17 *in Ezechiel*. *Tertio*, quia alludit Joannes ad hieronicas : horum autem triumphantium vestes sæpe erant purpureæ. Unde de purpura ait Plinius, lib. IX, cap. XXXVI : « In triumphali miscebatur auro. *Quarto*, quia λευκόν Græcis sæpe idem est quod nitidum, limpidum, splendidum. Unde aqua, ver, æstas, fluvius, sermo, versus vocantur λευκά, id est alba, hoc est serena, nitida, lucida. *Quinto*, quia purpureum subinde idem est, quod candidum et fulgidum. Sic enim cycnus vocatur purpureus, id est candidus et splendidus.

Ex adverso Alcazar censet albas stolas plane fuisse candidas, non purpureas, idque videtur verius. Nam *primo*, vincenti cap. III, vers. 5, promisit Christus vestes albas, non purpureas. *Secundo*, quia alluditur ad stolas sacerdotales : hæ autem erant byssinæ et candidæ. *Tertio*, quia alludit ad *Isaiæ* I, 18 : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. » *Quarto*, quia Christi in transfiguratione vestis facta est alba quasi nix, ex mira Christi luce et gloria : talis autem erit et horum servorum Christi, ut patet cap. XIX, vers. 14 : ubi de Sanctis jam gloriosis, Christum ducem equo albo insidentem sequentibus ad prælium cum Antichristo ineundum, dicitur : « Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. » *Quinto*, quia sæpe triumphantium, æque ac magistratuum, vestes erant candidæ, uti fatetur Faber. *Sexto*, quia esto purpureum ponatur subinde pro albo, nunquam tamen album ponitur pro purpureo. Fuerunt albæ.

Ad *primum*, respondeo sanguine Christi dici

animas dealbari metaphorice, id est emundari. Nam sanguis Christi propriè et physice non tangit animam, ut eam suo colore tingat, inficiat et purpuret. Hoc est quod ait Joannes *epist.* I, cap. I, vers. 7 : « Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. » Itaque, ut notat Alcazar, consideratur hic sanguis Christi instar saponis efficacissimi, qui maculas omnes et sordes penitus erodit et abstergit, itaque lintea facit candida, esto ipse non sit candidus.

Ad *secundum*, respondeo animas hasce fuisse non tantum Martyrum, sed quorumvis fidelium Sanctorum et electorum, qui post baptismum vel pœnitentiam tentationibus et persecutionibus omnibus, præsertim Antichristi, fortiter et constanter restiterunt, ideoque vestem candidam baptismo acceptam, aut pœnitentia renovatam non sordidarunt, sed candidam conservarunt, uti docent Ticonius, Beda et alii. Fateor tamen inter eos multos fore Martyres; verum et horum stolæ, quia animas tantum vestiunt, non corpora, sunt candidæ : quia gloria beatifica, quam stola significat, cum sit spiritalis lux et claritas, potius candori quam rubori comparatur : lux enim est candida, non rubea. Unde in hymno : *Te Deum laudamus*, canit Ecclesia : « Te Martyrum candidatus laudat exercitus. » Quod ergo Martyribus datur color rubeus, fit propter eorum corpora, ut repræsentet sanguinem ab eis effusum mereri purpuram et regnum cœleste. Quocirca verisimile est, etiam in cœlo dotem claritatis, quæ erit in corporibus Martyrum, ita candidam fore, ut simul sit rubea, sive vermiculata ex candido et purpureo, uti cum D. Soto dixi *Daniel.* XII, 3.

**Animæ Martyrum habent stolam candidam, corpus habebit candido-purpuream.**

Jam ergo animæ omnium Sanctorum, etiam Martyrum, habent stolam candidam, id est gloriam beatificam; post resurrectionem vero corpora Martyrum habebunt claritatem candidam quidem, sed ita ut ei insit aliqua purpurei species et reflexio : quomodo videmus in gemmis quibusdam candidis et pretiosissimis rubrum inesse halitum, et purpuream quasi animam. Nimius enim candor, præsertim lucis, ita splendescit, ut rubescere et purpurascere videatur, uti patet in fulgure. Et hoc est quod de Christo in transfiguratione ait Lucas.

Ad *tertium, quartum* et *quintum* patet responsio ex dictis.

Porro, Martyres vestiuntur candidis, *primo*, quia candida designat eos pro cana candidaque fide usque ad mortem decertasse. Color enim candidus notat fidei antiquitatem et canitiem. Unde a Virgilio vocatur « cana fides ; » ita Giraldus, *Syntag.* I. *Secundo,* quia candida vestis symbolum est victoriæ et triumphi. Hinc *Apocal.* III, 5 : « Qui vicerit, inquit, vestietur vestimentis albis. » Quocirca Tertullianus, lib. *De Corona milit.*: « Totus, ait, de Apostolo armatus, et de martyrii candida, laurea melius coronatus, donativum Christi in carcere exspectat. » Et S. Cyprianus, serm. *De Lapsis,* sub initium : « Adest militum Christi cohors candida, qui persecutionis ferociam turbulentam stabili congressione fregerunt. » *Tertio,* quia color albus indicium est pacis, quam Martyres post prælium æternam in cœlis adipiscuntur. Hinc olim deditionis pacisque petitio, non nisi sublata alba veste, firma et rata habebatur. Unde Æneas, lib. III *Æneid.*, ex candore equorum, qui in conspectu Italiæ apparuerunt, pacis omen accepit. Tamberlanes obsidens urbem, primo die vexillum candidum, quasi signum pacis, si se dederent, prætendebat; secundo die, atrum; tertio die, cruentum. *Quarto,* candida notat gloriam et immortalitatem, ac præsertim dotem claritatis, Martyrum. Hinc Angeli post resurrectionem Christi apparuerunt Magdalenæ et Apostolis in stolis candidis. Hac de causa S. Antonius veniens Alexandriam candidatum se stitit judici, ut ab eo martyrii lauream adipisceretur. Audi de eo S. Athanasium in *Epistol.* ad solitariam vitam agentes : « Candente præcinctus veste, procedentem judicem suo provocabat aspectu, flagrans cupiditate martyrii. » Ita SS. Gervasius et Protasius Martyres, albati apparuerunt S. Ambrosio, cum ipse indicio S. Pauli eorum corpora quæsivit et invenit, ut ipse refert in *Epist. circulari,* quam de hac inventione scripsit ad Episcopos Italiæ.

**Symbolice.**

Symbolice S. Bernardus, serm. I *De die Paschæ* : « Agmina, inquit, hæc sunt Sanctorum dealbatorum, qui laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni ; quia exivit cum eo, et in eo aqua dealbans, et testimonium perhibet ipse qui vidit. Aut certe, candidas in sanguine Agni novelli, sanguine lacteo, candido et rubicundo, sicut habes in *Cantico Canticorum,* cap. V : Dilectus meus, ait sponsa, candidus et rubicundus, electus ex millibus. » Præclare S. Hieronymus, tom. II, *epist.* 11 : « Fruatur, ait, ille virtutis corona, et ob quotidiana martyria stolatus Agnum sequatur. »

Et palmæ in manibus eorum. — Palma apud Historicos, et sacros et profanos, symbolum est victoriæ. Unde et in templo Salomonis, æque ac Ezechielis, palmæ erant insculptæ, quasi ingredientibus ostentantes bravium, si pro Deo generose certarent et vincerent, uti fusius dixi *Ezech.* cap. XLI, in fine cap. Hæc enim turba quam vidit Joannes, est victorum : nam de iis ait cap. XV, vers. 2 : « Vicerunt bestiam (id est Antichristum) et imaginem ejus, et numerum nominis ejus. » Præclare S. Augustinus, serm. 11 *De Sanctis* : « Stolis fulgent albis, et palmas in manibus habent, quia præmia in operibus habent, dum corpora quæ pro Domino ignibus ustulari, a bestiis dilacerari, flagris absumi, per præcipitia dissolvi, ungulis abradi, omnimodo pœnarum genere passi sunt dissipari, per resurrectionem glorificata recipiunt, » hoc est, in die judicii se recepturos sperant, imo credunt.

Alludit ad victores in Olympicis aliisque certaminibus, præsertim sacris, id est ad hieronicas : hi enim veste alba, florida et triumphali, atque palma, subinde etiam corona palmea donabantur. Unde et Tertullianus, lib. *De Fuga in persecutione*, sub initium, docet hic similitudinem desumi a re athletica. « A quo, inquit, certamen edicitur, nisi a quo corona et præmia proponuntur? Legis edictum agonis istius, quibus præmiis ad victoriam invitat (dicens cap. III, vers. 5 : Qui vicerit, hic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ), ita agnosces ad eumdem agonothetam pertinere certaminis arbitrium, qui invitat ad præmium. » Rursum, hieronicæ etiam post mortem coronabantur, eisque divinis prope honores habebantur, imo vocabantur [illegible]. Ita Pausanias in *Arcadicis,* fol. 219, tradit olim in agonibus, præsertim sacris, victori datam fuisse φοινικοῦν στέφανον, id est palmeam coronam; additque a Theseo, cum a Creta rediens apud Delum Apollini agonem instaurasset, coronas palmeas victoribus datas, indeque isti consuetudini factum initium, cujus palmæ apud Delum Homerum quoque meminisse. Et Plutarchus in *Theseo* : « Ludos, ait, cum edidisse ferunt in Delo, ac victores ab illo tunc primum palmæ ramis donatos. »

**Palma datur victori, cur?**

Porro palmam hanc in medio stadii loco eminentiore, in mensam spectandam proponebant, uti ex S. Chrysostomo, Virgilio et aliis docet Petrus Faber, lib. II *Agonist.*, XXV. Causam dat Plutarchus in *Sympos.*, Quæst. IV, in fine : « In certaminibus, inquit, placuit palmam signum esse victoriæ, quoniam ejus indolis est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat, » sed fortius assurgat. Rursum, palma significat manibus et laborando acquiri victoriam. Nam a similitudine palmæ, id est concavæ manus, quæ in digitos desinens decore patet, dicta est palma arbor, quod illius adinstar comam habeat in cacumine circum extensam, et ramos in digitorum modum protensos. Unde et fructus ejus dactylos, id est digitos, vocamus, quod digitorum sint similes. Hinc et palma victori in manum dabatur, quasi palma palmæ : manu enim et palma certando, acquiritur palma triumphi. Quocirca Romæ in Capitolio, bis bello Persei enata palma victoriam portendit. Sic et palma Trallibus in basi Cæsaris Dictatoris, circa bella ejus civilia exorta, ejus triumphos præmonstravit, teste Plinio, lib. XVII, cap. XXV. Hic verum istud : « Aurum tibi domi nascitur. » Sic Claudianus in *Laud. Stiliconis* :

> Cum totis exurgens ardua pennis,
> Ipsa duci sacras victoria panderet ædes,
> Et palma viridi gaudens, et amicta tropheis.

Insuper palma in Persei capite enata procellis prostrata est, et eodem loco ficus enata, M. Messalæ et C. Cassii lustro, a quo tempore pudicitiam subversam Piso gravis auctor prodit, ait Plinius, lib. XVII, cap. XXV. Ita mollities castitatis,



deliciæ virtutis robur auferunt. Iis victa est Roma, quæ nullis armis vinci potuerat, cum, ut ait Juvenalis :

> Sævior armis luxuria incubuit

Palma ergo hic datur Sanctis futuris in fine mundi, quia acre habebunt certamen cum carne, mundo et dæmone, ac præsertim cum Antichristo aliisque impiis, ac plerique occumbent Martyres; imo omnes erunt Martyres, saltem in voto et præparatione, et quantum erit ex parte Antichristi. Ipse enim omnes fideles sibi reluctantes, edicto communi ad mortem damnabit, uti fecerunt olim Decius, Diocletianus et alii tyranni. Nam, ut docet S. Cyprianus, Martyres dici possunt omnes illi, qui, decretis principum infidelium et tyrannorum, pro Christi fide damnantur ad mortem. Unde et Confessores olim, qui in carcere degebant, sententiam mortis exspectantes, vocantur Martyres. Hinc S. Cyprianus scripsit librum ad hosce Martyres, quo eos ad martyrium reipsa obeundum animat. Gaudeant ergo, et in Domino glorientur hoc titulo martyrii Religiosi, qui hoc ævo in Japone, China, Anglia, etc., edictis principum infidelium vel hæreticorum proscribuntur, et ad necem damnantur.

Notat Hugo cardinalis folia palmæ esse instar gladii vel pugionis arcta et acuta, ut vere lædant et pungant tangentem, ac per hoc significari *primo*, gladium quo feriuntur Martyres, in palmam, id est triumphum, verti. *Secundo,* palmam gloriæ non nisi gladio, id est dimicatione, comparari. Sic et malum punicum symbolum est martyrii, de quo dicitur *Cantic.* IV : « Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ; » quia, ut explicat Beda, inter omnia poma solum punicum est coronatum, ac granis rubicundum; ideoque significat pulcherrimam et pretiosissimam Martyrum sanguine suo russatorum ac purpuratorum coronam. « Palma, inquit S. Ambrosius, *sermone* 24, Martyribus suavis est ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ, atque ideo non marcescit palma, quia Martyrum victoria non marcescit. » Pulchre Tertullianus, *Apolog.* L : « Prælium, ait, est nobis, quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Ea victoria habet et gloriam placendi Deo, et prædam vivendi in æternum : ergo vincimus cum occidimur, evadimus cum obducimur. Licet nunc Sarmenticios et Semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. » Palmatam vocat vestem et tunicam, quod ei palmæ essent intextæ, quæ etiam Livio, lib. X, nota est in triumphis, a quibus togam palmatam dictam esse notavit quoque Servius in lib. XI *Æneidos.* Censet Paschalius, lib. VI *De Coronis,* cap. XXI, Tertullianum alludere ad

palmas nascentes in rupe Vulcani, quæ ardet perpetuo. Etsi enim ibi radices palmæ ignitis saxis angustiantur, tamen et florent, et uberes fructus edunt; quod instar miraculi est : ita Martyres inter sarmenta et ignes virent, et fructus cœlestis charitatis et fortitudinis producunt.

Insuper palma salsum solum diligit, a fimo aliena est, ait Ruellius, lib. I *De Natura stirpium*, cap. CXVIII. Ita virtus sale patientiæ condita non patitur se vitiorum sordibus inquinari, sed intaminatis fulget honoribus. Idem de palma docet Theophrastus, lib. II *Histor. plant.*, cap. VIII : « Solum, ait, arenosum salsuginosumque concupiscit; idcirco ubi tale non est, agricolæ salem aspergunt. » Plutarchus, lib. *De Orac. silentio*, scribit in templo a Cypselo consecrato, palmam fuisse æneam, ad cujus radices sculptæ visebantur plurimæ ranæ et hydri : palma ranis obsessa significat quod virtuti comes sit invidia. Rursum palma succisa renascitur : mirumque de ea accepimus cum phœnice ave, quæ putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepisse (φοῖνιξ enim palmam et phœnicem significat), iterum mori et renasci ex seipsa, ait Plinius, lib. XIII, cap. IV. Ita Martyres morientes renascuntur ad immortalem vitam. « Te stante virebo. » Insuper Q. Calaber describens clypeum Achillis, ait in eo effictum fuisse montem divinæ virtutis, in quo ipsa stabat palmæ vertici pedibus innitens, ardua, ad cœlum pertingens. Virtus enim, ut ait Claudianus in *Consul. Theodosii*,

> Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
> Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Horatius, lib. I *Carm.*, profitetur homines heroicis et palmatis virtutum victoriis evehi ad deos, et humanitatem pene cum divinitate commutare :

> Palmaque nobilis
> Terrarum dominos evehit ad deos.

Ita heroes et Martyres Dei robur et gloriam participant, suntque quasi dii quidam terrestres.

Denique Plutarchus in *Sympos.*, et ex eo Carolus Paschalius, lib. VI *De Coronis*, cap. XX et XXI, notat palmam *primo*, esse longissimæ vitæ; *secundo*, non aliunde quam ex seipsa renasci; *tertio*, perpetuo virore superare laurum, oleam, myrtum, quarum arborum foliis cadentibus alia succedunt, cum ipsa nihil amittat sui. Palmam ergo censeri pulchritudine, jugi virore, invicto robore, ideoque esse symbolum heroicæ virtutis et victoriæ. Hinc a Virgilio, V *Æneid.*, palma vocatur ardua, sicut ad virtutem non itur nisi per ardua. Quocirca Tertullianus, *Contra Gnosticos* : « Pyctes, inquit, ipse non queritur, dolere se non vult : corona premit vulnera, palma sanguinem obscurat; plus victoriarum est quam injuriarum. » Et rursum : « Innumera multitudo albati, et palmis victoriæ insignes revelantur (hoc loco *Apocal.*), scilicet de Antichristo triumphales. »

Porro Olympionicarum præmium erat palma, eamque gestabant manibus; alii etiam capite ex ea coronato. Hinc Virgilius, III *Georg.* :

> Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ.

Et Cassiodorus, *Variar. lect.* lib. VIII, cap. XXII : « Certantes, ait, in stadio numerosior corona glorificat, Olympicos currus frequens palma nobilitat. » Hinc in Actis Martyrum passim legimus hunc illumve Martyrem gladio, igne, cruce, etc., palmam martyrii adeptum. Martyribus ergo quasi legitimis hieronicis, verisque Olympionicis palma hic a S. Joanne, imo a Christo assignatur. Ita S. Paphnutius Anachoreta, palmæ affixus, palmam martyrii obtinuit, cujus diem natalem recolit Ecclesia die 26 septembris, de quo eleganter Poeta :

> Palma est victorum : palmæ tu affixus es; ergo
> Lætus obi, quoniam non nisi victor obis.

Ita S. Petrum Episcopum Alexandriæ Martyrem capite plexum, fideles in throno Episcopali (in quo vivens humilitatis studio sedere noluerat) collocarunt cum palmis in signum victoriæ, hymnosque Deo cecinerunt. Quin et audita vox e cœlo : « Petrus principium Apostolorum, Petrus finis Martyrum Episcoporum Alexandrinorum. » Ita habet ejus Vita.

10. ET CLAMABANT VOCE MAGNA (ingenti gratitudi- Vers. 10
nis, exultationis et jubilationis affectu) : SALUS DEO NOSTRO, QUI SEDET SUPER THRONUM, ET AGNO. — Subaudi, *tribuatur*; vel quasi dicant : Apprecamur et congratulamur toto corde Deo suam salutem, gloriam et felicitatem, a quo omnis nostra aliorumque salus et gloria dimanavit. Ipse enim non tantum a plagis angelorum, in fine mundi orbi inferendis, sed et a peccato ac damnatione æterna salvavit, vitaque, salute et beatitudine æterna donavit nos. Unde Vatablus et Erasmus Græcum σωτηρία, id est *salus*, vertunt *salvatio*, quasi dicant : Quod salvati sumus, hoc debemus Deo et Christo. « Magna, inquit S. Augustinus, serm. 11 *De Sanctis*, voce salutem Deo decantant, qui magna gratiarum actione recolunt, non sua se virtute, sed ipso auxiliante, tribulationum impugnantium superasse certamina. »

11. ET OMNES ANGELI, — applaudentes clientum Vers. 11
suorum, puta hominum signatorum et electorum, saluti, pro eaque Deo gratias agentes, eumque collaudantes. Vide dicta cap. V, vers. 11 et 12.

12. DICENTES : AMEN. — « Amen » hoc primum Vers. 12
dupliciter accipi potest : *Primo*, ut sit nomen, significans *veritas, fidelitas, stabilitas*, quasi hoc sit primum elogium et epithetum, quod angeli tribuunt Deo, *q. d.* Deo tribuatur veritas, celebretur ab omnibus Dei veritas, qua fideliter uti decrevit et promisit, servos suos a se signatos per tot tentationes et procellas in portum salutis deduxit. Vide dicta cap. III, vers. 12. Ita Ribera.



*Secundo* et simplicius, « Amen » potest accipi ut adverbium, quasi applaudant turbæ Beatorum clientium : « Salus Deo nostro et Agno; » hisce enim quasi alterna voce et choro respondent angeli, « Amen, » quasi dicant : « Fiat, fiat. » Unde et Biblia Romana, atque alia post « Amen » ponunt punctum; quo plane significat « Amen » esse clausulam doxologiæ præcedentis, ac non pertinere ad novam eorum doxologiam quæ sequitur : « Benedictio et claritas. » Cum enim omnes Beati suam protulissent, Angeli eam confirmant dicentes : « Amen; » ac insuper ex ingenti gratitudinis affectu novam suam subjungunt, cui iterum subnectunt « Amen. »

Ubi notat Alcazar hanc τοῦ *Amen* iterationem significare vehementem asseverationem, ortam ex majori penetratione majorique admiratione divinæ bonitatis, quæ homines miseros et peccato perditos, per Christi sanguinem et mortem ad tantam salutem et gloriam evexit.

BENEDICTIO ET CLARITAS. — Græce δόξα, id est *gloria*; subaudi, tribuatur Deo, quasi dicant : Omnes Angeli, homines et creaturæ benedicant et glorificent Deum, qui hosce suos signatos adeo fideliter, sapienter et benefice salvavit et beavit. Hinc Syrus et Arabicus pro *claritas*, vertunt *gloria*. Benedictio proprie est boni imprecatio, ut cum quis voto aut verbo alteri bene precatur : Dei est efficax, hominis inefficax.

ET GRATIARUM ACTIO. — Græce εὐχαριστία. Hoc elogium hic ponitur pro *divinitate*, quæ tribuitur Agno cap. V, vers. 12; nam cætera sex elogia quæ dantur ibi Agno, dantur hic Deo. Angeli hic indicant homines beatos immensas Deo agere gratias, monentque viventes et militantes ut idem agant. Hi enim beati, vel potius beandi in fine mundi, erunt in gravissimis persecutionibus, tentationibus et periculis damnationis : tentabit enim eos modis omnibus Antichristus, tentabit mundus, caro, omnesque dæmones. Cum ergo evaserint ad portum salutis, palmamque assequentur, dum videbunt se tot salutis naufragia, tot peccandi discrimina, in quibus milleni et milleni, imo eorum socii, contubernales, parentes, filii, cognati, amici, perierunt et damnati sunt, tota eorum mens et spiritus in gratiarum actionem effundetur, corque eorum gaudium suum non capiet, imo præ gaudio creparet, nisi Deus illud contineret, præsertim dum videbunt se collocatos in tanta felicitate, gloria et regno cœlesti, in eaque confirmatos et securos, ut ab ea nunquam possint excidere, sed plane certi sint eam fore sibi perpetuam, et in omnem æternitatem duraturam. Unde totis præcordiis canent : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare. » Et reliqua quæ Moses cum Hebræis, transito mari Rubro et submerso Pharaone, cecinerunt, *Exodi* XV; ac præsertim illud : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Quamobrem optima ratio impetrandi a Deo donum perseverantiæ, et pertingendi ad salutem et beatitudinem, est jugis gratiarum actio. Hæc enim est inchoatio vitæ cœlestis, hæc est stimulus ad iter hoc in cœlum usque jugiter prosequendum; hæc est tacita invocatio Dei, quæ novam et continuam ab eo gratiam elicit et provocat. Nam, ut ait S. Chrysostomus, homil. 20 *ad Pop.* : « Optima beneficiorum custos est, ipsa memoria beneficiorum et perpetua gratiarum confessio. » Et noster Thomas Theodidactus, lib. II *De Imitatione Christi*, cap. X : « Esto gratus pro minimis, et eris dignus majora accipere. Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro ablata; oret ut redeat, cautus sit et humilis ne amittat. » Et superius : « Ideo non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus auctori, nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia digne gratias referenti; et aufertur ab elato, quod dari solet humili. »

Est hic ergo locus moralis de gratiarum actione. Moraliter de gratiarum actione
Quam enim illa sit necessaria, utilis, sancta, Deo grata, liquet ex eo quod in utroque Testamento sæpe a Deo sit præcepta et sancita sub gravi culpa et pœna, non utique ad Dei ipsius (quid enim Deo accedit ex homunculorum gratitudine?), sed ad nostrum commodum. Vere S. Augustinus in *Psal.* CXXXIV, initio : « Si, inquit, non laudaverint servi Dominum, ingrati, irreligiosi erunt. Quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum? » Itaque statim ab initio creationis mundi, Deus jussit hoc beneficium hebdomadatim recoli, ac gratias agi, ideoque ex tunc instituit et sanctificavit sabbatum, *Genes.* II, 3. Sic beneficium conservationis et gubernationis rerum creatarum, grata memoria jussit recoli et expendi primo quoque die mensis, ideoque instituit festum Neomeniæ, *Numer.* XXVIII, 11, uti ibi docui. Sic beneficium liberationis a Pharaone et Ægypto, memori gratitudine rememorari quotannis jussit celebrando Pascha, *Exod.* XII, 27. Datæ legis memoriam jussit renovari in Pentecoste; protectionis et deductionis per desertum 40 annis, in festo Tabernaculorum, et ita de cæteris. Quin et *Levit.* cap. VII, vers. 12, peculiare sacrificium pro gratiarum actione, cum suis libaminibus et cæremoniis sanxit. *Deut.* vero cap. XXVI, vers. 2 : « Tolles, inquit, de cunctis frugibus tuis, etc., accedesque ad sacerdotem, et dices : Profiteor hodie coram Domino Deo tuo quod ingressus sum in terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis. » Sic frugum decimas et primitias exegit in gratiarum actionem, ut ipsæ essent quasi homagium terræ sanctæ, Hebræis quasi in feudum datæ.

Longe clarius, arctius et sæpius hæc gratiarum actio in novo Testamento præscribitur. Christus eam sanxit verbo et exemplo. *Matth.* cap. XIV, 19, *Luc.* IX, 13, quinque hominum millia in deserto pasturus quinque panibus et duobus piscibus;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conjectis oculis in cœlum gratias Deo egit, panesque benedixit, atque hac prece et gratiarum actione quasi vim multiplicandi et nutriendi elicuit, ut pauci panes tot millia satiarent. « docens nos, ait S. Chrysostomus, hom. 50 *ad Popul.*, non esse ad mensam accedendum, quousque gratias agamus ei qui cibum nobis præbuit. » Rursum *Luc.* cap. XVII, vers. 17, leprosorum a se mundatorum ingratitudinem increpans : « Nonne, inquit, decem mundati sunt? et novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. » S. Paulus, *Ephes.* V, 3 : « Omnis, ait, immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, etc., sed magis gratiarum actio. » Et vers. 20 : « Psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. » *Philip.* IV, 6 : « Nihil solliciti sitis; sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. » *Colos.* III, 15 : « Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote. » Et cap. IV, vers. 2 : « Orationi instate, vigilantes in ea gratiarum actione. » I *Thess.* V, 16 : « Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite : hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis. » II *Thess.* cap. I, vers. 3 : « Gratias agere debemus semper Deo pro vobis. » Et sane quis Christianorum considerans tum communia, tum privata beneficia, quæ in dies, imo singulis horis a Deo haurit et sentit, eaque tot tantaque, non jugiter dicat cum Psalte : « Benedic, anima mea, Dominum, qui coronat te in misericordia et miserationibus. » Certe coronat, cingit et circumvallat nos Deus undique suis donis et miserationibus, idque quotidie.

Gratiarum actio est victima novi Testamenti, et oblationes.

Gratiarum actio ergo propria est Sanctorum novi Testamenti, ob ingentes gratias et dona, quæ ipsi in eo per Christum acceperunt, et quotidie accipiunt. Hoc prædixit *Isaias*, LI, 3 : « Consolabitur, ait, Dominus Sion, et ponet solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. » Hinc enim *primo*, vocatur ipsa sacrificium laudis : hoc enim laudis, est novi Testamenti, cum veteris sacrificia fuerint boum et victimarum. *Psalm.* XLIX, vers. 13 : « Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. » Et vers. 23 : « Sacrificium laudis honorificabit me; et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. » Quæ verba citans S. Augustinus, lib. I *Contra adversarios legis*, cap. XVIII, subdit : « Quod est autem sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum? » Et unde majores agendæ sunt gratiæ Deo, quam pro ipsius gratia per Jesum Christum Dominum nostrum? Quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cujus umbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum.

*Secundo,* quia unicum et præstantissimum legis novæ sacrificium et Sacramentum, Christus gratias agens Patri, ad gratiarum actionem pro beneficiis omnibus, præsertim redemptionis nostræ, instituit, quod inde dictum est Eucharistia, id est gratiarum actio, uti docet S. Chrysostomus, hom. 26 *in Matth.*

*Tertio,* S. Paulus, I *Timoth.* cap. II, vers. 1, inter orationes ultimum, id est dignissimum, locum dat gratiarum actioni : « Obsecro, inquit, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, » etc., uti docet et explicat Cassianus, *Collat.* lib. IX, cap. XIV, et S. Chrysostomus, homil. 1 *ad Populum* : « Magnus, ait, thesaurus est gratiarum actio, magnæ divitiæ, inconsumptum bonum, armatura fortis; sicut blasphemia ingentem jacturam intendit iis qui pejerare solent, plura insuper perire facit. Perdidisti pecunias : si gratias egeris, animam lucratus es, et majores nactus es divitias, quia Dei benevolentiam hausisti amplius. Si vero blasphemaveris, et salutem tuam amisisti, et animam occidisti. »

*Quarto,* quia hoc unicum est quod Deo præstare possumus et debemus, quodque ei maxime est honorificum et gratum. Unde S. Augustinus, *De Spir. et Litt.*, XI : « Cultus, ait, Dei in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata; unde in ipso verissimo et singulari sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur. Deus enim bonorum nostrorum non indiget. » Disce hic tempore S. Augustini in Missa ante Canonem, sacerdotem excitasse præsentes ad gratiarum actionem, dicendo : « Gratias agamus Domino Deo nostro; » ac ministrum pro præsentibus respondisse : « Dignum et justum est. » S. Chrysostomus, homil. 8 *in epist. ad Coloss.* : « Si in adversis, inquit, gratias agis, *primo*, lætificas Deum; *secundo*, diabolum pudefacis; *tertio*, quod male factum est, nihil esse facis : nam et tu simul gratias agis, et Deus dolorem amputat, et diabolus abscedit. »

*Quinto,* quia Dei in nos beneficia omnem gratiarum actionem et laudem exsuperant; unde S. Chrysostomus, hom. 62 *in Matth.* : « Putasne, ait, si quotidie pro eo qui nos tam mirifice amat moriamur, condignas nos posse referre gratias, imo vero minimum quid reddere? nequaquam. » Et S. Augustinus, lib. VII *De Civit.*, cap. XXXI : « Pro eo quod sumus, quod vivimus, quod cœlum terramque conspicimus, quod habemus mentem atque rationem, quod obrutos peccatis non deseruit, misitque nobis verbum suum, etc., quæ corda, quot linguæ ad agendas gratias satis esse contenderent? »

*Sexto,* S. Chrysostomus in *Psalm.* XLIX : « Nihil, ait, æque facit in virtute crescere, atque cum Deo assidue versari et colloqui, eique perpetuo gratias agere et psallere. » Causam dat S. Bernardus, serm. 13 *in Cant.* : « Ad locum, ait, unde exeunt, revertantur gratiarum flumina, ut iterum fluant. Qualiter? inquis. Qualiter dicit Apostolus : In omnibus gratias agentes. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, Dei sapientiæ deputa Christo. » Dicamus ergo jugiter et ubique : « Deo gratias. Gratiæ Patri et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Ita fecerunt omnes Sancti. Vis exempla? David ex *Psalm.* CXV, vers. 12 : « Quid, ait, retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? » Porro David multos scripsit psalmos Eucharisticos : talis enim est psalmus VIII, CII, CIII, CVI, CX, CXIII, CXVI, CXVII, CXXXIV et CXXXV, in quo singulis versiculis proposito novo Dei beneficio, subjungitur hoc hemistichium intercalare et Eucharisticum : « Quoniam in æternum misericordia ejus. » Tales quoque sunt CXXXVII, CXLIII, CXLIV, CXLVI, CXLVII, CXLVIII, CXLIX, CL. Christus, *Joan.* XI, 41, suscitaturus Lazarum : « Pater, ait, gratias ago tibi, quoniam audisti me. » Rursum instituturus sanctam Eucharistiam, gratias agens Patri, ab eo petiit et impetravit virtutem transsubstantiandi panem in suum corpus, et vinum in suum sanguinem. Paulus, *Rom.* I, 8 : « Primum quidem, ait, gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis. » Et cap. VI, vers. 17 : « Gratias Deo quod fuistis servi peccati; obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis. » I *Corinth.* cap. I, vers. 4 : « Gratias ago Deo meo semper pro vobis. » II *Corinth.* cap. II, vers. 14 : « Deo autem gratias, qui semper triumphat (id est triumphare facit) nos in Christo Jesu. » Cap. IX, vers. 15 : « Gratias Deo super inenarrabili dono ejus, » scilicet eleemosynæ vestræ. *Ephes.* cap. I, vers. 16 : « Non cesso gratias agens pro vobis. » *Philip.* I, 3 : « Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri. » II *Timoth.* I, 3 : « Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura. » Denique tam creber est Paulus in gratiarum actione, quam in nomine Jesu nominando et iterando. Quid enim aliud est nominare Jesum, quam confiteri salvatorem et salutem ab eo acceptam? Pœnitentes ergo, et olim peccatores assidue dicant cum Paulo, I *Tim.* cap. I, vers. 12 : « Gratias ago ei qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro; quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. » Rursum cum *Isaia*, cap. I, vers. 9 : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. » Et cum Psalte et S. Magdalena : « Misericordias Domini in æternum cantabo. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti; » ac cum S. Augustino converso a S. Ambrosio concinant hymnum : « Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. » Legant et imitentur Confessiones ejusdem S. Augustini, quæ non sunt aliud quam gratiarum actiones continuæ. Denique, quia Deo pro tanta gratia nil rependere possunt, rependant proximis, qui Dei imago sunt, ac quoscumque possunt convertant, ut ex hostibus Dei amicos et filios ejus efficiant, qui jugiter pro se suisque gratias Deo agant, eumque verbis et vita celebrent. »

Sancti vero et innocentes canant Christo in se concepto et nato innocentiæ Eucharisticum, dicantque cum Virgine Christum Dei dono concipiente : « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo; quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. » Et cum S. Anna concepto Samuele : « Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo. Non est sanctus, ut est Dominus : Dominus mortificat, et vivificat; deducit ad inferos, et reducit. Pedes sanctorum suorum servabit. »

S. Augustinus, epist. 5 *ad Marcellinum* : « Quid melius, inquit, et animo geramus, et ore promamus, et calamo explanemus quam Deo gratias? Hoc nil dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. » Idem in *Psalm.* CXXXII, docet communem Monachorum et Religiosorum sui ævi (uti etiamnum apud multos eadem in usu est) salutationem fuisse, ut sibi occurrentes dicerent : « Deo gratias, » ideoque a Circumcellionibus Donatistis irrisos fuisse, et per scomma vocatos « Deo gratias. » Quod refellens S. Augustinus : « Vide, inquit, si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum? Nonne enim locus est gratulationis, quando se invicem vident qui habitant in Christo? Et tamen vos *Deo gratias* nostrum ridetis, *Deo laudes* vestrum plorant homines. »

Denique Ecclesia per sacerdotes nomine omnium fidelium quotidie gratias agit Deo, jubetque ut idipsum singuli agant, dum in Præfatione Missæ jubet ab omnibus vel audiri devota et consona mente, vel recitari et cani : « Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : per quem majestatem tuam laudant angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, cœli cœlorumque Virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth; pleni sunt cœli et terra gloria tua : Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini : Hosanna in excelsis. »

Porro non tantum in prosperis, sed et in adversis æque Deo gratias agere debemus, ac dicere cum Psalte, *Psalm.* XXXIII : « Benedicam Dominum in omni tempore. » Ita S. Job bonis et fi-

His omnibus spoliatus, gravique ulcere a dæmone percussus : « Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit : sit nomen Domini benedictum; » qua voce vicit et confudit diabolum, ait S. Chrysostomus, hom. 2 *in epist. ad Rom.* Ita Angeli et Beati hic gratias agunt Deo pro tribulatione et lucta, quæ eis fuit materia et causa tantæ victoriæ et gloriæ. S. Augustinus in illud *Psalm.* CXLIV, *Per singulos dies benedicam te,* inquit : « Sive ergo in ejus donis, sive in ejus flagellis, lauda eum qui tibi aut blanditur dando, ne deficias; aut corripit exsultantem, ne pereas. Laus flagellantis medicina est vulneris. » S. Basilius, homil. *in Julittam* : « Nullo, inquit, tuo merito plecteris? gaudium tibi ingerat futurorum spes. Justo es supplicio addictus? gratias agito quod hic potius luas pœnas, quam in futuro. » Uti fecit Mauritius Imperator, in cujus conspectu cum filii et uxor trucidarentur a Phoca Imperatore, ad singulos exclamabat : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. » S. Hieronymus in cap. V *ad Ephes.* : « Christianorum, ait, propria virtus est, etiam in his quæ adversa putantur, gratias referre Creatori, ac dicere : Benedictus Deus; minora me scio sustinere quam mereor. Hic animus Christiani est. Hic crucem suam tollens sequitur Salvatorem; quem nec orbitas, nec damna debilitant. » S. Gregorius a Longobardis aliisque ærumnis pressus et pene oppressus, ac coactus calamum de tabula tollere, Commentaria *in Ezech.* gratiarum actione ita concludit : « Tædet animam meam vitæ meæ, quia versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. Quid igitur restat, nisi ut inter flagella quæ ex nostris iniquitatibus patimur, cum lacrymis gratias agamus? Ipse enim qui nos creavit, etiam pater nobis factus est per adoptionis spiritum, quem dedit. Et aliquando filios pane nutrit, aliquando flagello corrigit, quia per dolores et munera ad hæreditatem perpetuam erudit. Sit itaque gloria omnipotenti Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. » S. Bernardus, serm. 21 *in Cant.* : « Eris, inquit, inter adversa et prospera mutabilium temporum, tenens quamdam æternitatis imaginem, benedicens Dominum in omni tempore. » Vere S. Chrysostomus, hom. 8 *in epist. ad Coloss.* : « Nihil, inquit, hac lingua sanctius, quæ in adversis Deo gratias agit. Certe non inferior est lingua Martyrum : utraque pariter coronatur. »

Martyres equidem in tormentis, licet acerbissimis, ob martyrii tamen lauream exsultabant, et toto corde Deo gratias agebant. Ita Theodorus Martyr, dum toto corpore lacerabatur, canebat : « Benedicam Dominum in omni tempore. » Ita S. Laurentius : « Gratias, inquit, ago tibi, Domine Jesu, quia januas tuas ingredi merui. » Ita tres pueri in fornace Babylonia cecinerunt : « Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula, » *Daniel.* III. Ita Deo gratias egerunt in ignibus cum jubilo S. Agnes, S. Cæcilia, S. Lucia aliæque plurimæ.

Denique S. Chrysostomus, homil. 10 *in epist. ad Coloss.*, viri cujusdam sancti pulchram orationem et formulam gratias agendi recenset : « Novi, inquit, ego virum sanctum qui ita orabat : Gratias agimus tibi pro omnibus beneficiis tuis, a primo die usque in hunc præsentem indignis nobis impensis, sive nota nobis sint, sive incognita; tam pro occultis, quam pro manifestis, quæ vel opere nobis, vel sermone facta sunt; et quæ voluntariis, et quæ invitis sunt præstita; pro omnibus quæ immeritis nobis sunt exhibita, pro afflictionibus, pro quiete, pro gehenna, pro supplicio, pro regno cœlesti. » Causam subdit : « Multis enim nos Deus etiam invitos beneficiis afficit, multis etiam et pluribus quoque ignaros. »

HONOR. — Singulis septem hisce elogiis in Græco præponitur articulus ἡ ad emphasin, *q. d.* illa claritas, illa sapientia, ille honor, etc., scilicet summus, immensus et divinus tribuatur Deo, uti debetur.

VIRTUS. — Græce ἡ δύναμις, id est illa *potentia*, puta omnipotentia divina et increata, qua omnia ex nihilo creavit, potestque mille, imo infinitos mundos alios aliis semper perfectiores creare, et creatos conservare, vegetare et perficere.

ET FORTITUDO. — Græce ἡ ἰσχύς, id est *illud robur* immensum, cui nihil potest resistere, quo attingit a fine usque ad finem fortiter, et tamen disponit omnia suaviter : fortitudo ergo significat robustam executionem externam; virtus vero, internam Dei potentiam.

DEO NOSTRO, — scilicet tam hominum beatorum quam angelorum : homines enim beati sunt angelorum cives et quasi fratres. Utique enim sunt filii et hæredes Dei.

IN SÆCULA SÆCULORUM, — per omnia sæcula sibi continuo succedentia, per omnem æternitatem. Immenso affectu et jubilo angeli apprecantur Deo æternitatem horum septem elogiorum, per modum congratulationis. Nihil enim ei sua hac apprecatione reipsa addere, uti nec demere possunt. Vere ergo dixit S. Basilius : « Laus Dei est opus Angelorum. » Quocirca S. Ephrem in lib. *De Beatitudinibus*, has tres quasi primarias assignat. *Prima* : « Beatus, qui factus est sicut Seraphim et Cherubim, et in divino ac spirituali officio nunquam est segnis, sed assiduus glorificat Dominum. » *Secunda* : « Beatus, qui in cella sua in Domino, tanquam Angelus cœlestis, castas retinet cogitationes, suoque collaudat eum ore, qui omnium spirituum potestatem habet. » *Tertia* : « Beatus, qui semper spirituali gaudio plenus est, nec in portando suavi jugo Domini pigrescit : coronabitur enim in gloria. »

Et S. Bernardus, serm. 11 *in Cantic.* : « Nihil, ait, ita proprie quemdam in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum, dicente Scriptura : Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te. » Et S. Augustinus in *Psal.* CXLIV : « Sicut, inquit, ejus (Dei) magnitudinis non est finis, sic tuæ laudis non erit finis. » Idem in *Psal.* XLVI : « Non potest, ait, esse laus Dei nisi in sanctis ejus. Nam qui male vivunt, non eum laudant, et si prædicant lingua, blasphemant vita. » Unde idem in *Psalm.* XXXII, 1, *Exultate, justi, in Domino* : « Ipsi, inquit, laudant Dominum, qui subdunt se Domino. » Et in *Psal.* CXL : « Transi, ait, ad tuam vituperationem, et laudabis Dominum. » Et in *Psal.* LXXXIII : « Si deficies, ait, ab amore, deficies a laude. » Denique epist. 120 *ad Honoratum*, docet quod laus Dei sit sacrificium novi Testamenti : explicans enim illud *Psal.* XXI, *Qui timetis Dominum, laudate eum,* ait : « Quis autem veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat? Tantumdem est ergo ac si diceret : Qui timetis Dominum, amate eum. Timentes enim Deum homines veteris Testamenti currebant cum sacrificiis ad templum; nunc vero in gratia novi Testamenti, qui timetis Dominum, laudate eum. » Et rursum *Psal.* XLIX : « Immola Deo sacrificium laudis. »

Vis ergo assidue laudare Deum? vis æmulari angelorum vocem et vitam? accipe, rumina, et crebro usurpa, cum eisque jubila quinque eorum et Sanctorum hymnos.

*Primus* sit Seraphicus *Isaiæ* VI, 3, et Cherubicus *Apoc.* IV, 8 : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum : plena est omnis terra gloria ejus. Omnis spiritus laudet Dominum. »

*Secundus* Angelicus *Lucæ* II, 14 : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. » « Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen, » *Apocal.* cap. VII, vers. 12.

*Tertius* Paulinus *Rom.* XI, 33 : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen. »

*Quartus* Ecclesiasticus ex officio S. Trinitatis : « Benedicta sit sancta Trinitas, et indivisa unitas; confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Quoniam creasti nos in brachio tuo, redemisti nos in sanguine Christi tui, sanctificasti nos in Spiritu tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione; et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. Benedicam ergo Dominum in omni tempore, » tam desolationis, quam consolationis; tam adversitatis, quam prosperitatis.

*Quintus* Davidicus, *Psal.* CII, 1 : « Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. »

O Sacra Trinitas, Trina Unitas, Una Deitas!

O Trina Charitas, Una Felicitas, Felix Æternitas, tua et nostra. Amen.



13. ET RESPONDIT UNUS DE SENIORIBUS. — « Respondit, » id est, mecum colloqui cœpit, me interrogavit ut me erudiret, sicut præceptor interrogat discipulum ut eum doceat et erudiat. Hoc enim est Hebræis ענה *ana*, id est *respondit*. Hinc Christus Dominus, et alii sæpe, dum ordiuntur sermonem, in Scriptura dicuntur respondere. Quis fuerit hic senior, incertum est. Lyranus vult fuisse S. Petrum, Alcazar S. Lucam, qui conscripsit in *Actis Apostolorum*, signatos Christi gratia, id est Gentes credentes in Christum. Vide dicta cap. V.

14. HI SUNT QUI VENERUNT DE TRIBULATIONE MAGNA. — Græce est duplex articulus : ἐκ τῆς θλίψεως τῆς μεγάλης, *q. d.* Ex illa tribulatione, illa, inquam, ingenti et celebri, de qua Christus *Matth.* XXIV, vers. 21 : « Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, » id est, nullus homo salvaretur. Alludit ad egressum Hebræorum ex Ægypto : Ægyptus enim hebr. vocatur *Misraim*, id est tribulatio, angustia, a rad. צרה *tsara*, id est arctavit, afflixit, tribulavit. Ita enim Hebræi ante Mosen afflicti fuerunt in Ægypto, indeque a Mose liberati et educti. Sicut enim in signatis v. 4, allusit ad domos Hebræorum signatas sanguine agni pascalis : ita hic alludit eodem in voce *tribulatione*, et in voce *agni*, *q. d.* Sicut olim Hebræi fuerunt in magna tribulatione sub Pharaone, sed signati et quasi abluti sanguine agni paschalis, ex ea per Mosen liberati fuerunt : ita et hi fideles in fine mundi erunt in magna tribulatione et tentatione, tum carnis, tum mundi, maxime Antichristi; sed signati cruce, et abluti sanguine Agni, ex ea eluctabuntur, ac generose eam superabunt; imo multi obibunt martyrium, ideoque donabuntur stolis albis et palmis, et quasi victores ducentur ante thronum Dei. Disce hic : sicut frigus hiemis parturit et parit fruges æstatis, ita tribulatio præsens parturit et parit coronas æternas. Hoc est quod ait æterna Veritas : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » *Matth.* V, 10.

Vide hic quam nobile et gloriosum sit pati pro Christo, nimirum fortia agere Romanum est, fortia pati Christianum. Ita Apostoli « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, » *Act.* V. Ita Paulus : « Mihi, ait, absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, » *Galat.* VI, 14. Ita S. Chrysostomus in exilio pro Christo, fa-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

me, siti, febri, fatigatione, solis ardore, hostium Isaurorum incursu dire exagitatus, et tandem exanimatus, excelso animo exsultabat, aliosque similia patientes animabat, et ad exsultandum in persecutionibus excitabat. Unde scribens ad carcere detentos Episcopos, *epistol.* 4, ex septem : « Beati, ait, vos ob carcerem, ob catenas, ob injecta vincula! Beati, inquam, et ter beati, imo sæpius! Totum orbem vobis conciliastis : ubique terrarum et marium canuntur vestra præclara facinora, fortitudo, constans sententia, animusque minime servilis. Nihil quod aliis videtur grave, vos deseruit : non minæ, quæ innumeras mortes nuntiabant; non tribunal, non carnifex, non tormentorum coacervationes; non judex, qui ignem ab ore flabat; non adversarii, qui frendebant dentibus, et innumeris aliis insultandi modis gestiebant; non tantæ calumniæ, non impudentissimæ accusationes, non mors ante oculos quotidie proposita; sed hæc omnia vobis uberem potius consolationis materiam præstitere. Et idcirco clari quidem vos : et celebrant et prædicant vos omnes, non amici solum, sed et inimici ipsi qui hæc effecerunt. Tanta res est virtus, ut etiam illam impugnantes admirentur. Tanta res est malitia, ut etiam ii qui operantur, condemnent. Et ita in hac vita res vestræ se habent. Quæ autem in cœlis sunt, quis sermo digne explicabit? Inscripta sunt nomina vestra in libro vitæ; cum sanctis Martyribus connumerati estis. » Idem *epist.* 118 : « Carcerem incolitis, et catena vincti estis, et cum squalidis et sordidis inclusi. Ecquid tandem hoc nomine beatius fingi queat? Quid enim habet tale aurea corona cingens caput, quale catena propter Deum manum circumdans? Quid tale ingentes et splendidæ domus, quale carcer caliginis ac sordium, atque ingentis fœtoris et calamitatis plenus, Dei causa? Quæ cum ita sint, gaudete et exsultate, coronis caput cingite, tripudiate, quod molestiæ in quas incidistis, magnam vobis commodorum materiam comparent. Hoc nimirum semen est, messem omni sermone subliminiorem prænuntians : hoc luctæ, victoriam et palmas afferentes : hoc navigatio, amplum et uberem quæstum conciliens. Hæc igitur animo repetentes, gaudete et lætamini, nec ullum tempus intermittite, quin Deum in omnibus rebus collaudetis, ac mortiferas diabolo plagas inferatis, ingentemque vobis ipsis in cœlis mercedem recondatis. Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. » Idem epistola 130 *ad suos Antiochenos* : « Hoc, ait, habetote nos stomachi imbecillitate liberatos esse, commodeque valere, ac nec obsidione, nec latronum incursionibus, nec loci solitudine, nec sexcentorum adversorum casuum turba, nec denique ullo alio hujusmodi incommodo dejici ac conturbari : verum ingenti securitate, otio ac quiete frui, ac singulis diebus de rerum vestrarum statu in cura esse. » Ibi denique scripsit ad Olympiadem ultimam lucubrationem vere auream, *Quod nemo læditur, nisi a seipso* : « Id enim pharmacum, inquit, tibi sufficit. » Hæc fuit cycnæa aurei oris vox. Nam paulo post febri et itineris incommodis confectus, evocatus in cœlum a S. Basilisco Martyre, candidas vestes induens, quasi candidatus cœli Martyr, canensque : « Gloria sit Deo omnium causæ, » speciosos illos pedes extendit, atque excusso pulvere mortalis vitæ migravit ad Christum anno ætatis 52, Christi 407, ait Palladius in *Dialog.*, et ex eo Baronius. Idem sapiebat S. P. Ignatius, fundator Societatis nostræ, qui tanti æstimabat persecutiones ac vincula, quibus pro Christo sæpe fuerat constrictus, ut diceret, si quæ a Deo creata sunt omnia altera in parte stateræ collocarentur, in altera carcer, catenæ, probra, vix illa omnia præ istis momentum ullum apud se habitura. Neque vero creatam ullam naturam posse lætitiam talem in anima procreare, quæ æquare possit gaudium illud Spiritus Sancti, quod Deus infundit mentibus eorum qui multa magnaque pro ejus amore pertulerunt. Ex quo interrogatus a Patre quodam : « Quænam esset compendiosissima ad perfectionem via, respondit : Si multa adversa magnaque pro Christi amore patiare. Pete hanc gratiam a Deo. Nam cui Dominus hoc tribuit, multum tribuit : hoc enim uno beneficio multa magnaque ejus continentur beneficia. » Ita P. Ribadeneira oculatus et auritus testis, lib. V *Vitæ ejus*, cap. x.

Symbolice et tropologice Alcazar (licet ipse putet hunc esse sensum litteralem), tribulatio hæc est captivitatis, peccati et exulceratæ conscientiæ infelicitas, ex qua evadunt qui ad Christum confugiunt : lavant enim stolas in sanguine Agni : itaque ad lætissimam sortem, puta bonæ conscientiæ felicitatem, transgrediuntur, atque a dæmonis servitute transferuntur in virorum sacerdotalium numerum, qui justitiæ indumentis ornati, Deo in ejus templo deserviunt.

Et laverunt (aliqui legunt ἐπλάτυναν, id est dilataverunt. Ita Vatablus et Erasmus, sed perperam : legendum est enim cum Complut. ἔπλυναν, id est laverunt, ut dealbarent eas, ut sequitur) stolas suas, — id est vestimenta et corpora sua, id est seipsos et conscientias suas depurarunt et sanctificarunt per sanguinem et merita Christi. Est metaphora et catachresis : loquitur enim de purificatione animæ spirituali, per metaphoram lotionis stolæ corporalis, nobis notæ; sed per eam intelligit lotionem animæ : animæ enim quasi stola et vestis est conscientia, vel sordida, vel pura et munda. Nam, ut ait S. Hieronymus, vel potius Maximus Taurinensis (illi enim tribuit Marianus, illiusque stylum redolet, epist. *De Viro perfecto*, quæ extat tom. IX operum S. Hieronymi) : « Nobis ovium vellera, et operatio mulieris indumenta procurant : illis (animabus) faciunt merita vestimentum. »

Porro hi Sancti laverunt animæ suæ stolam,



*primo*, in baptismo; *secundo*, in pœnitentia et aliis Sacramentis; *tertio*, crebro gemitu, oratione et compunctione; *quarto*, per opera misericordiæ; *quinto*, per continuam charitatis, patientiæ omniumque virtutum exercitationem et fervorem; *sexto*, per martyrium. Hisce enim omnibus sanguinem et merita Christi nobis applicamus, eoque nos quasi abluimus et dealbamus, ut albi, id est puri et mundi, magis magisque in dies evadamus. Selemnus amnis amoris est remedium, quo qui loti fuerint, cupiditatis obliviscuntur, ait Pausanias in *Achaicis*. Selemno nobilior et efficacior est Christi sanguis, qui amores omnes impuros restinguit, et, ut ait S. Chrysostomus, regiam in nobis imaginem reformat.

Alludit omnibus hisce visionibus S. Joannes ad illustrem illam visionem Esdræ, lib. II, cap. XXXIV et sequent. Ubi *primo*, beatos et signatos, æque ac Joannes hic, eorumque præmia ita depingit : « Exspectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis; quoniam in proximo est ille, qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis; fugite umbram sæculi hujus; accipite jucunditatem gloriæ vestræ : jucundamini gratias agentes ei, qui vos ad cœlestia regna vocavit; » quæ verba transtulit Ecclesia in officium Ecclesiasticum tempore Paschali. Subdit Esdras de signatis : « Surgite, et videte numerum signatorum in convivio Domini : qui se de umbra sæculi transtulerunt, splendidas tunicas a Domino acceperunt. Recipe, Sion, numerum tuum, et conclude candidatos tuos, qui legem Domini compleverunt. Filiorum tuorum quos optabas, plenus est numerus. » Pergit deinde ad turbam, quam hic vers. 9, et deinceps describit Joannes, aitque : « Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, et omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas, et magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogavi angelum, et dixi : Qui sunt hi, Domine? Qui respondit mihi : Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, et immortalem sumpserunt, et confessi sunt nomen Dei. Modo coronantur, et accipiunt palmas. Et dixi angelo : Ille juvenis quis est, qui eis coronas imponit, et palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi : Ipse est Filius Dei, quem in sæculo confessi sunt. Ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt. »

Dealbaverunt, — depurarunt, emundarunt illas. Stolæ enim hæ sunt conscientiæ, quæ proprie nec rubri, nec albi coloris sunt capaces. Vide dicta vers. 9.

15. Ideo sunt ante thronum Dei. — Alludit ad thronum Dei in templo (hoc enim mox nominabit) : in eo enim Deus sedebat in Sancto sanctorum super propitiatorium et Cherubim. Hic ergo erat thronus Dei in templo : similem vidit hic Joannes in templo cœlesti. Significat *primo*, animas hasce esse in cœlo beatas : habent enim in conspectu præsentem Deum, ejusque visione fruuntur et beantur. *Secundo*, eas mire esse charas et familiares Deo, ac cum eo jugiter versari, sicut summi et intimi principes jugiter versantur cum rege. *Tertio*, eas esse quasi sacerdotes : « Serviunt enim ei die ac nocte in templo ejus, » Græce λατρεύουσιν, id est *latria colunt*, nimirum juge thymiama adorationis, laudis et gratiarum actionis ei offerentes, ut patet ex dictis vers. 10, et cap. v, vers. 9. Alludit enim ad sacerdotes et Levitas, qui cum suis stolis, id est lineis tunicis, serviebant tabernaculo, die ac nocte illud custodiendo, et sacrificia aliaque munia obeundo et consummando. Nam alioqui in cœlo empyreo non est nox, sed jugis unus idemque dies claræ et beatæ æternitatis. *Nocte* ergo et *die*, id est, semper seu tota die. Meminit noctis, quia sacerdotes tota nocte per vices in templo vigilabant, ac vicissim imponebant altari partes sacrificii jugis, puta agni vespertini : hoc enim tota nocte cremabatur, ut dixi *Levit.* vi, 9.

Habitabit super illos, — eos jugiter intuendo, regendo, protegendo, beando, seque suaque omnia illis ostendendo et communicando, quasi e turri suæ potentiæ et providentiæ, qua quasi habitat super illos, illisque quasi incumbit. Est metalepsis; nec enim Deus proprie habet domum aut habitaculum : « Domini enim est terra et plenitudo ejus. »

16. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus. — Alludit ad *Isaiæ* XLIX, 10, ubi iisdem verbis utitur Isaias. Tam Isaias, quam Joannes, alludit ad athletas et pugiles victores, atque ad hieronicas jam emeritos, ut notat Petrus Faber, lib. II *Agonist.*, cap. XII. Milites enim et pugiles sæpe sitim et famem patiuntur; sæpe sub dio degere, ac in medio solis ardore aggeres agere, castra munire, excubare, urbes invadere, hostem aggredi, et cum eo dimicare debent; at jam victores et emeriti, ab hisce omnibus liberi, quiete et bravio donantur. Ita accidit et animabus hisce beatis, *q. d.* Beati olim in hac vita certantes, fortiterque tolerantes famem, sitim, solem et æstum, id est mille labores, dolores, ærumnas et molestias, jam transacto omnium certaminum tempore, quasi arena et pulvere excedentes, ab iis omnibus deinceps erunt immunes, ac æterna quiete gaudio et triumpho, quem in stadio suis illis laboribus et ærumnis fortiter toleratis meruerunt, perfruentur.

Mystice Ambrosius per æstum accipit tentationes. Et Alcazar : « Sermo, inquit, est de cupiditatis fame et siti, ac de æstu luxuriæ atque invidiæ. »

17. Quoniam Agnus qui in medio throni est (eo sensu quem dedi cap. v, vers. 6), reget illos, — græce ποιμανεῖ, id est *pascet eos*, quasi pastor dili-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gentissimus et amantissimus suarum ovium. Alludit ad *Isaiæ* cap. XLIX, 10 : « Quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. » Alludit rursum Isaias ad bonos Pastores gregum : illorum enim adinstar Christus, tum in terra, tum maxime in cœlo (de quo hic agitur) suas oves, id est electos, pabulis uberrimis pascit, et limpidissimis fontibus potat, mollique aura et umbrosis arborum foliis opacat, ait Alcazar : licet ipse hæc referat ad Ecclesiam militantem, quam Deus pascit SS. Sacramentis, sacra Scriptura et mysteriorum fidei contemplatione, quæ famem explent, sitimque extinguunt cupiditatum hujus vitæ bonis inhiantium ; et leni divini spiritus aura, atque umbra protectionis suæ, et optimorum exemplorum, arcet luxuriæ, invidiæ et cæterarum animi appetitionum æstus, eamque incitat et roborat ad solidarum virtutum exercitationem. Verum hæc moralia sunt, non litteralia. Agit enim ad litteram de Beatis, quos Deus pascit in cœlo.

Tropologice tamen hæc apposite fidelibus in hac vita Deo in spiritu et veritate ex toto corde servientibus, ac præsertim Religiosis, accommodari possunt. Hi enim inchoant vitam cœlestem, beatam et angelicam. Unde *primo*, Deo quasi in templo jugiter assistunt : est enim religio quasi cœlum quoddam terrenum, ait Climachus, *gradu* 4 ; sive paradisus Dei terrestris, ac templum, ait S. Bernardus, serm. 1 *De Dedicat. Eccles.* Quamobrem ab eodem S. Bernardo *ad Fratres de Monte Dei*, Religiosi vocantur angeli terrestres, et homines cœlestes : corpus enim habent in terra, sed animum et mentem in cœlo.

*Secundo*, de his vere dici potest, quod λατρεύουσι, id est, religionis cultu et latria jugiter serviunt Deo, quia se totos divino cultui dicant et consecrant : faciunt enim omnes suas actiones ex præscripto Regulæ et Superiorum, puta ex obedientiæ voto ; itaque omnes eorum actiones sunt actus religionis et cultus divini, tum quia fiunt ex voto, tum quia fiunt ex obedientia, quæ a virtute religionis imperatur. Obedientiæ enim jugum susceperunt unius Dei amoris, et honoris causa : propter Deum enim obediunt homini.

*Tertio*, amicti sunt stolis albis, easque dealbaverunt in sanguine Agni in ipso Religionis ingressu. Hic enim est instar baptismi : confert enim plenam peccatorum omnium remissionem, omnemque culpam et pœnam abolet, quasi secundus sancti propositi baptismus, ut docent S. Hieronymus *ad Demetriadem*, et S. Bernardus, lib. *De Præcept. et Dispens.*; Thomas Waldensis, *De Sacram.*, tit. IX, cap. VIII ; Sylvester verbo *Religio* III, dub. 23, et alii.

*Quarto*, habent palmas in manibus, quia sæculum cum suis pompis reliquerunt et vicerunt. Rursum, in dies se suosque affectus domant et vincunt. Unde B. Laurentius Justinianus, lib. *De Monast.*, cap. XVIII : « Quid aliud, inquit, dixerim Religiosorum monasteria et Deo famulantium loca, quam stadia militaria et spiritalia castra pugnantium ? » Unde Religiosi a S. Basilio Nazianzeno, Chrysostomo, Cassiano et aliis vocantur *Ascetæ*, id est, exercitatores, quasi luctatores, athletæ et pugiles in stadio et agone virtutis.

*Quinto*, sunt in conspectu Agni, quia jugiter Christum Christique crucem præ oculis habent, ac totos se Christo crucifixo unire, seque in eum transformare conantur ; unde vocantur crucifixi a Cassiano, lib. IV, cap. XXXII.

Rursum, suam vocationem, gratiam, libertatem, donaque omnia Christo accepta referunt ; ideoque jugiter clamant : « Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno. Benedictio, claritas, et sapientia, et gratiarum actio ; » quocirca mutua eorum inter se consultatio est : « Deo gratias. »

*Sexto*, « Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna » afflictæ et perturbatæ conscientiæ ex recordatione peccatorum, quibus in sæculo obstricti, et diabolo quasi mancipati versabantur. Rursum « ex tribulatione, » quam variam in mundo, et cum mundo, carne et sanguine habuerunt, præcipue dum statum mutarunt, atque a mundo ad Religionem transierunt.

*Septimo*, serviunt Deo die ac nocte per assiduas meditationes, psalmodias, orationes, perque continuos charitatis, zeli, patientiæ, aliarumque virtutum actus. Unde, ut ait Eusebius, lib. I *Demonst. Evang.*, cap. VIII : « Quasi ab hac mortali vita sejuncti, ipsumque duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione vero atque animo in ipso cœlo degentes, quasi quidam cœlites, reliquorum omnium vitam despiciunt ; quippe qui pro converso genere, summo omnium Deo sacrati sint. » Et S. Ambrosius, *epist.* 82 : « Hæc angelorum militia est, semper esse in Dei laudibus. »

*Octavo* : « Qui sedet in trono, habitat super illos. » Sunt enim ipsi in domo ac familia Dei, Deique potentiam semper in mente gerunt, eique in omni difficultate et negotio dicunt : « Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. » Quocirca Deus a suis illis invocatus, iis adest, eos pascit et protegit in corpore et spiritu, eisque dicit idipsum quod olim dixit Abrahæ, *Genes.* XV : « Noli timere, ego protector tuus, et merces tua magna nimis. » Et illud *Psal.* XC : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur ; » et illud *Psalm.* XXXIII : « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus ; » maxime vero illud *Zachariæ* II : « Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. »

*Nono*, « Non esuriunt, neque sitiunt ; » quia famem deliciarum, sitim opum et honorum abdicarunt et extinxerunt : unde non regnat inter eos



cupiditas vel ambitio, nulla ibi est sollicitudo proprium et familiæ, nec concupiscentiæ æstus et ardores sentiunt ; quia omnem peccandi illecebram et materiam a se, per claustra et septa sua removerunt. Quocirca eis convenit illud S. Bernardi, serm. 21 *in Cant.* : « Eris, inquit, inter adversa et prospera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem et inconcussam constantis animi æquabilitatem ; benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vindicans tibi etiam in hujus mutabundi sæculi dubiis certisque defectibus perennis quodam modo incommutabilitatis statum, dum te coperis renovare in illud insigne antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippe sicut ipse est, ita et tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus. »

*Decimo* : « Agnus regit illos, et deducit illos ad vitæ fontes aquarum. » Agnus enim inter eos versatur, eos illuminat, inflammat, roborat, vitales gratiarum fontes immittit. Est enim Agnus hic quasi herus et paterfamilias, uti olim fuit in cœtu Apostolico. Quid enim sunt aliud Religiones, quam collegia Apostolorum et Societates Jesu ? Itaque in his verum est illud *Proverb.* XVIII : « Turris fortissima nomen Domini ; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. » Quin et seipso crebro pascit eos Agnus in Eucharistia : nusquam enim crebrior ejus usus et dignior, quam in Religione.

*Undecimo* : « Abstergit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, » tum in hac vita lacrymas compunctionis et pœnitentiæ leniens et mulcens lætitia sanctæ, serenæ et hilaris conscientiæ, atque consolationibus divinis et gaudiis cœlestibus ; tum potius in altera vita hoc ipsum, et cætera quæ præcesserunt, longe cumulatius præstabit. Denique collecti sunt ex omni gente, tribu et lingua, atque in eadem domo quasi fratres habitantes fraterne se diligunt, omniaque habent communia. Nam, ut ait S. Basilius, *Constit.* 19 : « Eis sunt communes animi, mentes, corpora, victus, vestis. Communis Deus, communis pietatis mercatura, communia præmia et certamina, communes labores et coronæ ; ubi multi unus, et unus non solus, sed in pluribus. Hi vitæ communitate retenta angelorum vitam æmulantur. » Vide Hieronymum Platum, lib. I *De Bono status Relig.*, cap. I, XIII, XVI, XVII, XXII, et lib. II, cap. XI, XIV, XVII, XVIII.

ET DEDUCET (græce ποιμανεῖ, id est *pascet*, sive reget et minabit quasi pastor) EOS AD VITÆ FONTES (id est ad vivos (unde pro ζωῆς, id est *vitæ*, aliqui legunt ζώσας, id est *vivos*) perennesque fontes) AQUARUM — omnis gratiæ et gloriæ beatificæ. Hi fontes erunt una Dei immensi (id est summi, omnisque boni) visio et fruitio, quæ unus est fons originalis, multos continens particulares fontes, inde scaturientes, puta plenitudinem scientiæ omnium rerum, abundantiam omnis gaudii, thesaurum infinitum opum cœlestium, exuberantiam honoris et gloriæ, aggregationem deliciarum, voluptatum et bonorum omnium, de quibus dixi *Isaiæ* cap. XXV, in fine, et cap. XXXIII, vers. 20.

Notat Vitalis Cardinalis in *Speculo morali sanctæ Scripturæ*, verbo *pulchritudo*, delicias spiritales potius denotari per potum quam cibum, ob septem causas et analogias. *Prima* est, quod potus tam claritate quam colore delectet aspectum ; *secunda*, quod sua subtilitate sine medio immutet gustum ; *tertia*, quod sua limpiditate ad membra singula deportet, eisque inseparabiliter uniat nutrimentum ; *quarta*, quod sua potestate restauret deperditum ; *quinta*, quod sua subtilitate penetret corpus totum : unde famelici et deficientes, hausto vino, statim resumunt vigorem et vires ; *sexta*, quod sua satietate sedet sitim, et tamen edendi provocet appetitum ; *septima*, quod sua facilitate et suavitate facile subeat intima ventris. Addit hisce septem dotibus potius denotari septem præmia, vel dotes præmii Beatorum, scilicet *primo*, contemplationem sine discontinuatione ; *secundo*, fruitionem sine interruptione ; *tertio*, dilectionem sine separatione ; *quarto*, potentiam sine corruptione ; *quinto*, sapientiam sine occultatione ; *sexto*, munditiam sine rebellione ; *septimo*, concordiam sine discretione. Deinde hæc septem adaptat totidem classibus sanctorum : *primum*, fidei Patriarcharum ; *secundum*, spei Prophetarum ; *tertium*, fervori Apostolorum ; *quartum*, fortitudini Martyrum ; *quintum*, prudentiæ Doctorum ; *sextum*, temperantiæ Virginum ; *septimum*, justitiæ Confessorum.

ET ABSTERGET DEUS OMNEM LACRYMAM AB OCULIS EORUM, — sicut mater abstergit lacrymulas sui parvuli, dum eum uberibus admovet ; et sicut agonotheta abstergit guttas sudoris et sanguinis, omnemque pulverem ab athleta et pugile, dum is in agone cum hoste certando victor evasit et bravium promeruit. Unde Syrus vertit, *delebit*, vel *diluet omnem lacrymam ab oculis eorum.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS
®

# CAPUT OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Aperit Christus septimum sigillum, et prodeunt septem Angeli cum tubis. Primus canit, et fit grando et ignis, qui comburit tertiam partem terræ et arborum. Secundus canit, vers. 8, et mons igneus cadens in mare perdit tertiam partem piscium et navium. Tertius, vers. 10, canit, et stella cadens in flumina amaricat tertiam eorum partem. Quartus, vers. 12, canit, et tertia pars solis, lunæ et stellarum obscuratur.*

1. Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora. 2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ. 3. Et alius Angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum; et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. 4. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo. 5. Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram, et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræ motus magnus. 6. Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tuba canerent. 7. Et primus Angelus tuba cecinit: et facta est grando, et ignis, mixta in sanguine, et missum est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum concremata est, et omne fœnum viride combustum est. 8. Et secundus Angelus tuba cecinit: et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis. 9. Et mortua est tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit. 10. Et tertius Angelus tuba cecinit: et cecidit de cœlo stella magna, ardens tanquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum. 11. Et nomen stellæ dicitur Absinthium: et facta est tertia pars aquarum in absinthium, et multi hominum mortui sunt. 12. Et quartus Angelus tuba cecinit: et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret tertia pars, et noctis similiter. 13. Et vidi, et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium angelorum, qui erant tuba cantituri.

1. ET CUM APERUISSET SIGILLUM SEPTIMUM, FACTUM EST SILENTIUM IN COELO, QUASI MEDIA HORA. — *Primo*, Primasius et Victorinus: « Silentium, inquiunt, semihoræ ostendit initium quietis æternæ: et partem silentii vidit Joannes, quia adhuc eadem visurus erat. »

*Secundo*, Ambrosius per hoc silentium intelligit nativitatem Christi, in qua toto orbe fuit silentium, id est pax, quam Nero persecutione in Ecclesiam concitata, postea abrupit. Rursum, Christus silenti, id est media nocte natus est, *Sapient.* XVIII, 14: « Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo a regalibus sedibus, etc., in mediam terram prosilivit. »

*Tertio*, Haymo et Ansbertus: Per silentium, inquiunt, mediæ horæ significatur brevitas quietis in contemplatione rerum cœlestium, quam Deus Sanctis in hac vita concedit, ut futuram felicitatem prælibent et prægustent. Dico *brevitas*: nam mox post eam ingerunt se, et obtrudunt animo varii cogitationum tumultus. Unde et quidam doctor recentior hoc silentium exponit de quodam divini amoris actu, qui languescere facit animum, et rerum omnium humanarum oblivisci. Verum hoc mysticum est et symbolicum, ut inferius dicam. Tale est illud Matthiæ Sueciæ: In fine mundi silentium aget fides, virtus et pietas, quia dominabitur iniquitas.

*Quarto*, Lyranus et Aureolus per hoc silentium, ut dixi cap. VI, accipiunt silentem et brevem persecutionem Juliani Apostatæ, qui silentium indixit Christianis tam in Ecclesia, quam in militia, academia et scholis. Verum hæc persecutio significata est secundo et tertio sigillo.

*Quinto*, Rupertus: Silentium, ait, hoc significat, quod nullus in die judicii, contra Christum judicem hiscere audebit. Rursum, significat Sanctorum quietem futuram post diem judicii. Sed hæc erit æterna: quomodo ergo post hoc silentium Joannes novas orbi plagas inducit?

*Sexto*, Alcazar: Septimi, ait, sigilli mysterium nihil est aliud quam magna severitas, qua Deus per septem plagas animadvertit in Judæos Christum repudiantes. Silentium vero plagis prævium significat insignem Christianorum tolerantiam, qua silenter et constanter passi sunt sævissimam persecutionem a Judæis, ob quam plagæ Judæis parantur in septimo sigillo, quando jam Christianorum patientia ad perfectionis cumulum pervenerat. Licet enim hæc persecutio primitivæ Ecclesiæ durarit quadraginta annos, vocatur tamen hic media hora, sicut a Paulo, II Cor. IV, 17, vocatur « momentaneum et leve tribulationis nostræ. » Hora enim significat totum persecutionis tempus, quod quia contrahit Deus, hinc vocatur media hora. Alludit ad *Tobiæ* cap. XI, vers. 14, ubi cum Tobias junior linivisset oculos patris sui cæci felle piscis, subditur: « Et sustinuit quasi dimidiam fere horam; et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi; quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit. » Sicut enim dimidia hora Tobias senior tolerans acerbitatem fellis, meruit visum recipere: ita primi Christiani, tolerantes persecutionem Judæorum, meriti sunt ingentem felicitatem, puta Ecclesiæ incrementum et propagationem per Gentes: quando vicissim Deus Judæos per Titum punivit et excidit. Porro dimidia hora tolerationis Tobiæ, qua visum recepit, symbolice et tropologice significat, quod ad maximam Dei lucem et cognitionem compendiaria via sit labor et tribulatio. Hæc apposita sunt, sed mystica et tropologica. Ad litteram enim agitur de silentio, non patientium in terra, sed Beatorum in cœlo.

*Septimo*, Pererius opinatur septimum sigillum præcise in hoc silentio consistere, et septem plagas, septem Angelorum tubis, quæ sequuntur, significatas, prævias fore huic silentio, sed per hysterologiam illi postponi. Porro per silentium hoc significari 45 dies quietis, qui dabuntur Ecclesiæ et hominibus post mortem Antichristi, ut qui in ejus persecutione lapsi sunt pœniteant, uti prædixit Daniel cap. XII, vers. 12. Ita sentiunt quoque Beda, Anselmus, Richardus, Thomas, Dionysius. Accedit et Pannonius, qui tamen insuper addit eamdem Ecclesiæ post mortem Antichristi quietem significari per mille annos, qui dicuntur fore post primam resurrectionem, cap. XX, vers. 4 et 6. Hoc enim spatium hic breve, puta mediæ horæ, cap. vero XX longum, puta mille annorum, fore dicitur, ne quis certo ejus longitudinem definire audeat. Quo tempore pace et otio fruentes Christiani, rursum ad vitia diffluent, ita ut, cum venerit Filius hominis, vix inventurus sit fidem, uti ipse prædixit *Lucæ* XII; ac proinde homines genio et vitiis indulgentes, perinde ac in diebus Noe, Dei vindicta et extremo judicio Christi ex improviso obruentur. Verum nimis magna distantia est inter mediam horam et mille annos. Rursum, isti mille anni non sequentur, sed finientur in persecutione Antichristi, uti patebit cap. XX.

*Octavo*, Andreas Cæsariensis et Aretas putant per septimum sigillum significari terreni regni, vitæ et conversationis finem, cui subserviunt septem Angeli, ad supplicia impiis irroganda constituti. Silentium ergo significare summam Angelorum erga Deum, tot hominum peccatis offensum et iratum, reverentiam ac pudorem. Sic enim rege irato omnes aulici, etiam innoxii, ex veneratione et pudore se colligunt, contrahunt, et præ timore obmutescunt. Aut certe silentium hoc significare ignorantiam diei adventus Christi ad judicium: prudentes enim de eo quod ignorant, conticescunt. Dimidiam vero horam significare brevitatem temporis, quod inter novissimas plagas mundo inferendas, et regni Christi manifestationem diemque judicii intercedet.

*Nono*, optime Viegas et Ribera censent septimum sigillum non consistere in hoc silentio, sed in sequentibus septem tubis, quibus Angeli supplicia denuntiant et quasi evocant in eos qui non sunt signati cap. VII, 3 et sequent., sicut sigillo sexto significata est felicitas eorum, qui sunt signati. Unde cap. IX dicitur: « Et præceptum est ne læderent, nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis. » Silentium ergo hoc fuit peristasis, sive circumstantia prævia, aut potius comitans septem tubas et plagas, atque significat tacitam exspectationem et considerationem septem tubarum et plagarum, quasi rerum magnarum, insolitarum et stupendarum, indeque consequentem quasi admirationem et ad silentium usque stuporem cœlitum, stupentium nimirum et admirantium tum gloriam Sanctorum signatorum, visam sexto sigillo, tum pœnas impiorum septimo sigillo contentas. Jam enim apertum erat septimum sigillum. Ait enim: « Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora. » Et statim subdit: « Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ, » quibus scilicet septem plagas edicerent et evocarent in impios. Licet ergo Beati in terra, rebusque naturalibus et terrenis, utpote parvis, nihil admirentur: admirantur tamen divina et cœlestia, utpote supernaturalia, ac præsertim ineffabilia et incomprehensibilia Sanctorum præmia et impiorum supplicia. Oculus enim non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascendit bonum quod diligentibus, et malum quod odientibus se Deus præparavit. *Secundo* et potius, breve hoc silentium significat gloriam hanc Sanctis præparatam, quam Joannes vidit cap. præced. in sexto sigillo, Sanctis non illico obventuram, sed post mediam horam, puta post prodigia et supplicia



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

impiorum, septimo sigillo et septem tubis contenta. Post hæc enim plena beatitudo eis obtinget, quam enarrat S. Joannes cap. XXI et XXII. Silentium ergo hoc mediæ horæ fuit eodem tempore, quo septem Angeli effuderunt septem plagas : tunc enim siluerunt cœlites, ut hoc silentio significarent Sanctos similiter tacituros in terra, nec evehendos in cœlum ad hymnos Angelicos, quos audivit Joannes in sexto sigillo, cap. præced., vers. 12, audiendos et pariter concinendos, donec plagæ istæ peragantur (1).

Tropologice, silentium hoc denotat Sanctorum quasi pudorem et verecundiam, ac gratitudinem; nam Sanctorum est, viso improborum supplicio, propriæ vilitatis ac suorum delictorum reminisci, et pudere ac gratos esse Deo, quod se salvatos et electos, illos repulsos et damnatos videant. Rursum, silentium signum est laudis et modestæ cujusdam approbationis, qua divinæ justitiæ integritatem et æquitatem Beati tacite approbant et collaudant. Huc spectat illud *Psalmi* LXIV : « Te decet hymnus Deus in Sion; » ubi Hebræa habent : *Tibi silentium Deus in Sion*; pio enim et reverenti silentio, æque ac voce et hymnis honoratur Deus.

Hæ tres ultimæ sententiæ probabiles sunt, et inter eas probabilior est ultima Riberæ. Hæc enim sigilla, ut sæpius dixi, non sequuntur, sed præeunt Antichristum; atque septem tubæ et plagæ sequentes plane videntur esse mysterium septimi sigilli, non autem nudum hoc et frigidum silentium : præsertim cum silentium necessario ad plagas hasce referendum sit. Nemo enim silet propter se, sed propter aliud, puta ob insolitas vel plagas, vel præmia, quæ conspicit. Quocirca opinantur aliqui hoc silentium durasse usque ad excidium impiorum et Babylonis : nam ea excisa abrumpitur, cap. XIX, ubi dicitur : « Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia, salus, et gloria, et virtus Deo nostro, etc., qui judicavit de meretrice magna. » Mox enim post Babylonis excidium, quasi præludium, sequetur simile excidium Antichristi et Antichristianorum, quo plene evertetur regnum impietatis et impiorum, post quod felicitas et gloria visa in sexto sigillo Sanctis obtinget, tumque abrupto silentio æternos hymnos cum Angelis canent Deo.

Moraliter, disce hic quanta sit virtus silentii, quam etiam in cœlo servant, et nobis commendant Beati : de qua virtute multa dixi *Isaiæ* cap. XXX, 15, et cap. XXXII, vers. 17, et *Threnor.* III, 26. Quocirca « S. Mechtildis silentium tantum indixerat sibi, ut mutam crederes : si vero loqueretur, cum Angelo te conferre putares, » ait Engelhardus in ejus Vita, cap. V; quæ proinde, ut idem narrat, cum quadam vice ei inadvertenter verbum otiosum excidisset, illud diu multis lacrymis et pœnis castigavit. Silentium ergo angelicum eam ejusque similes angelice docuit et docet loqui.

Ex dictis liquet resolutio quæstionis illius hic adeo controversæ, an videlicet septimum sigillum consistat in hoc silentio duntaxat, an vero etiam septem plagas septem Angelorum complectatur. In solo silentio consistere affirmant Rupertus, Beda, Joachim, Aureolus, Pannonius et Pererius, qui et citat pro hac sententia Primasium, Ticonium, Victorinum, Anselmum et Richardum, eo quod docent in septem hisce plagis retrogredi Apocalypsin, ac rursum ad primordia Ecclesiæ Christianæ redire. Verum hæc ratio non convincit : potest enim dici in septimo sigillo quædam repeti.

Negant idipsum Andreas, Aretas, Ribera, Viegas, Arias Montanus, Alcazar et alii, asseruntque septem plagas plane et proprie pertinere ad septimum sigillum, silentium vero esse tantum circumstantiam sigilli et plagarum; unde sequitur septimum sigillum porrigi usque ad finem cap. XI. Favet ipsa capitum sectio probata et recepta ab Ecclesia. Nam hoc capite septimum sigillum reseratur, vers. 1. Et mox, vers. 2 et seq., recensentur angeli plagas inferentes. Quod si vers. 2 nova plane incipit materia, inde certe inchoari debebat cap. VIII, et vers. 1 remitti ad caput septimum, ibique finire septem sigilla.

Hæc sententia probatur *primo*, quia silentium hoc refertur ad plagas sequentes, earumque causa factum est : ergo ab eis non debet divelli. *Secundo*, quia signati in sexto sigillo, cap. præced., ad hoc signati sunt, ne plagis hisce septimi sigilli tangerentur : ergo hæ plagæ sequuntur sextum sigillum, et pertinent ad septimum. Idipsum satis significat Joannes, dum silentium cum plagis conjungit dicens : « Factum est silentium in cœlo, et vidi septem Angelos, et datæ sunt illis septem tubæ. »

Symbolice S. Gregorius, homil. 14 *in Ezech.* : « Cœlum, inquit, est anima justi : cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cœlo, quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum auris animum apponat; sed est quasi media hora, quia mox ut se animus sublevare cœperit, et quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum strepitu de semetipso confunditur, et confusus cæcatur. » S. Gregorium secutus S. Bernardus, hom. *De Duobus Discipulis eunt. in Emmaus*, docet in meditatione subinde exoriri radium contemplationis et jubili, sed qui instar fulguris illico pertranseat. « Ilic, inquit, est ille radius suavissimus contemplationis, quo anima per cincinnum capitis elevatur, cum, meditatione exardescente et oratione scintillante, nascitur in corde jubilus quidam, scilicet mellifluus cordis risus, quem

(1) Profundum hoc semihoræ silentium et pausa ad ornatum et dramaticæ actionis τρόπον pertinet. Quemadmodum nempe terra in superioribus (VII, 1) rerum horrendarum præsagio occupata erat, ita in similem nunc cœlites rapiuntur terrorem. Ita Allioli.



nemo scit nisi qui sentit, nec etiam ipse qui sentit, quia cito pertransit. Felix hora, sed brevis mora, quia factum est silentium in cœlo quasi media hora. » Et subdit : « Norunt experti quæ dico, qui hæc experientia suavitatis intimæ didicerunt; quia cum in fervore orationis admiscetur ardor meditationis, erumpit ille contemplationis radius de medio earum quasi species electri, hoc est de medio ignis. Et scintillæ quasi æris candentis, suspiria scilicet conscientiæ jubilantis. »

2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei. — Hi sunt septem primores Angelorum in aula cœlesti, et principes Ecclesiæ, quibus cura hominum et Ecclesiæ a Deo demandata est, de quibus dixi cap. I, vers. 4. Ita Andreas, Aretas et Ribera. Aliter alii. Nam *primo*, aliqui putant hosce Angelos esse septem dæmones, eo quod plagas inferant. Alii per Angelos accipiunt ipsasmet plagas, quas Deus in impios immittit. Sic enim venti vocantur Angeli *Psalm.* CIII, 4 : « Qui facit Angelos suos spiritus, » id est ventos. Ita Arias Montanus. *Quarto*, Ticonius, Primasius, Beda, Anselmus, per septem Angelos putant significari omnes Ecclesiæ doctores et concionatores. Sic fere et Ambrosius. *Primus*, ait, Angelus designat concionatores qui fuerunt ante legem Mosis; *secundus*, Mosen et legis doctores; *tertius*, Prophetas; *quartus*, Christum et Apostolos; *quintus*, fidei defensores; *sextus*, Martyres; *septimus*, Eliam et Henoch, aliosque prædicatores in fine mundi. Sic fere et Andreas et Joachim, nisi quod Joachim eos tantum notari putet, qui a Christo erunt per septem quasi ætates et sæcula Ecclesiæ, usque ad finem mundi.

Denique Alcazar censet septem tubas esse septem prophetias de septem plagis Judæis inferendis, quas refricarunt Judæis in primitiva Ecclesia Angeli, id est Prophetæ et prædicatores. Verum primus sensus est litteralis et genuinus. Nam de hisce Angelis dicitur, quod erant « stantes in conspectu Dei : » ergo erant veri Angeli, iique boni et primi ac primores. Idem confirmatur ex Antiphona, quam recitat Ecclesia in officio S. Michaelis ad Vesperas, in qua dicitur : « Dum sacrum mysterium cerneret Joannes, Archangelus Michael tuba cecinit : Ignosce, Domine Deus noster. » Ergo unus ex hisce septem Angelis fuit Michael. Ubi obiter nota ex Alcazario, τὸ *ignosce, Domine*, non esse tubam, nec vocem Angeli, puta Michaelis, sed Ecclesiæ : quæ videns S. Michaelem classicum quasi canere ad plectendos sceleratos, procumbit in genua pro iisque intercedens ait : « Ignosce, Domine. »

Et datæ sunt illis septem tubæ. — Multi has tubas ænigmatice accipiunt et explicant, sed violenter, uti videre est in explicatione Aureoli et Lyrani, paulo ante recensita. Noster Alcazar censet, hisce septem tubis earumque plagis significari gravissima supplicia, quibus Deus severitatem suam adversus Judæos rebelles ostendit sub primitivæ Ecclesiæ tempora, scilicet primo Christianæ Ecclesiæ sæculo. Porro septem plagas esse has : « Famem, bellum, pestilentiam, ignorantiam, concupiscentiam, iram, obdurationem. »

Verum hæ pariter ænigmaticæ et mysticæ sunt plagæ, non litterales. Adde hic non agi de plagis Judæorum jam præteritis, sed de futuris totius orbis in ejus fine. Dico ergo, ad litteram, hosce septem Angelos septem habere tubas, ut eas inflando et clangendo per prædicatores, gravissimas mundi (sub ejus finem, paulo ante Antichristum) calamitates et pœnas hominibus prænuntient et quasi evocent. Clangor ergo hic tubarum non est realis, sed symbolicus. Visus enim fuit Joannes sibi videre Angelos tubis clangentes, non quod vere iis clangent in fine mundi, sed ut hoc clangore quasi symbolo significaretur, eos per Prophetas et concionatores quasi tubas, hasce plagas in orbe proclamaturos, concionaturos et inducturos. Clangor ergo hic Angelorum erit prophetia et concio prædicatorum, eis ab Angelis suggesta : quæ vocatur tuba, allusione ad septem tubas Hebræorum clangentium, quibus corruit urbs Jericho, *Josue* VI, 4, de quibus ibidem dicitur : « Quarum usus est in jubileo, » quibus scilicet promulgabatur jubileum. Itaque sicut Deus prosternendo urbem Jericho, ejusque cives tradendo Hebræis ad necem, Hebræis dedit de hostibus victoriam, triumphum et quasi jubileum : ita in fine mundi Deus per hasce tubas et plagas plectendo impios, hoc ipso significabit piis et sanctis instare redemptionem et jubileum perenne in cœlis, juxta illud *Luc.* XXI, 18 : « His autem fieri incipientibus respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. » Adde : forte etiam ipsi Angeli sensibili organo, uti tuba, aut voce tubali, easdem plagas proclamabunt ac reipsa efficient et producent. Sic enim vere Archangelus evocans et citans mortuos ad judicium, canet tuba, I *Cor.* XV, 52. Id enim maxime litterale et planum videtur, itaque videtur explicari vers. 6 et seq. Clangor ergo tubarum est præconium quoddam, et quasi promulgatio ac inchoatio belli : unde clangorem mox sequitur plaga, æque ac cap. XVI effusionem phialæ sequitur plaga. Sicut ergo judex sententiam latam contra reum per præconem proclamari, et statim executioni mandari jubet : ita et hic Deus per Angelos plagas hasce proclamari, et reipsa inferri jubet.

Symbolice et tropologice S. Hildegardis anno Domini 1146, pollens luce et revelatione divina, adeo ut de ea scribat Taulerus in libro *Vaticinii*, pag. 671, « B. Hildegardem luce clarius exposuisse caput nonum Apocalypseos : » Hildegardis, inquam, in epist. *ad Abbatissam S. Glodesindis*, pag. 105 et 106, hasce septem plagas ita explicat et nominat : « *Prima*, inquit, est vana gloria; *secunda*, delectationis amplexatio; *tertia*, vivere quasi Deo mortuum; *quarta*, de prædictis peccatis se excusare; *quinta*, superbia; *sexta*, quærere

solatium a creatura, et non a Deo; *septima*, idololatriæ servitus, quæ diabolum adorat. » Subjungit deinde hæc septem vitia superari per septem dona Spiritus Sancti.

3. ET ALIUS ANGELUS VENIT, ET STETIT ANTE ALTARE (thymiamatis) HABENS THURIBULUM AUREUM. — Alcazar *thuribulum*, græce λιβανωτὸν accipit improprie pro acerra, sive arcula thuris, quam naviculam (quia ejus figuram habet) vocant sacristæ, *q. d.* Angelo accedente ad altare, navicula ejus impleta fuit thymiamate, ut illud imponeret altari, in eoque illud cremaret et adoleret. Censet enim Alcazar thymiama in ipso altari fuisse crematum, non autem in thuribulo aut prunario altari imposito: ipsum enim altare fuisse prunarium. Verum contrarium, uti decentius, ita et verius est. Solet enim thus et thymiama non immediate in ipso altari, sed in foculo, sive thuribulo altari imposito suffiri et adoleri; itaque hic factum ostendi *Exodi* XXX, 8. Proprie ergo hic thuribulum accipio; nam illud mox Angelus vers. 5, implevit igne, qui non solet in naviculam conjici. Tale ergo habuit Angelus, illudque implens incenso, sive thymiamate sibi dato, posuit super altare, ibique illud suffitum edere et evaporare permisit.

Quæres: Quisnam fuit hic Angelus? *Primo*, Alcazar respondet esse charitatem Christianam: charitati enim hic per prosopopœiam dari nomen et personam Angeli. Illa enim Christianos primos impulit, ut pro Judæis persecutoribus ardentes preces effunderent, quibus ab eis supplicia Dei, quæ eis impendere cernebant, averterent. Illa quoque ignem et prunas sui amoris in terram projecit. Significat ergo Christum exspectasse, ut charitas primorum Christianorum in persecutione Judæorum exardesceret, itaque suam plenitudinem acciperet antequam iram et vindictam suam in Judæos effunderet.

*Secundo*, Aureolus consequenter ad superiora censet Angelum hunc esse S. Damasum Papam, sub quo valde floruit et crevit Ecclesia, quia instituit ut psalmi in Ecclesia canerentur, eisque in fine adderetur: « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. » Unde dicuntur hic ei data incensa multa; et mox « factæ sunt voces, » id est, illo tempore floruerunt Doctores, qui Ecclesiæ sunt quasi os et vox, nimirum S. Hieronymus, Ambrosius, Nazianzenus, Augustinus; ac « fulgura, » id est, Sancti ferventes, uti Eremitæ agentes vitam cœlestem, ut S. Macarius, Moses et alii per Ægyptum; atque « tonitrua, » id est patratores miraculorum, uti fuit S. Martinus et alii, ex quibus magnus in Ecclesiam, tam terræ, quam animorum factus est motus.

*Tertio*, Viegas censet hunc Angelum esse Christum: Christi enim est universæ Ecclesiæ incensa, id est orationes, Deo offerre; ipseque est magni consilii Angelus, qui de igne sui thuribuli misit in terram, cum Spiritum Sanctum in Pentecoste misit, et Apostolos charitate inflammavit. Quocirca Christus hic apparet quasi sacerdos cum thuribulo, quia mediator est Dei et hominum. Porro accipit Christus ignem de altari, holocaustorum scilicet, id est de cruce. Crucis enim suæ merito obtinuit et misit nobis Spiritum Sanctum, ac mox cœperunt fulgura, tonitrua, et terræ motus; quia mox cœperunt Apostoli variis linguis detonare, fulgurare et coruscare miraculis, omnesque homines Dei metu concutere.

Verum hæc licet plausibilia videantur, tamen mystica sunt, nec satis congrue cum littera et textu cohærent. Nam Christus hic cap. IV, vers. 5 et seq., Joanni visus est ut Agnus (non ut Angelus assistens sedenti in throno) et reserans septem sigilla libri signati; ita ut Angelus hic tam Agno, quam sedenti in throno hoc orationum thymiama offerret.

Dico ergo: Angelus hic vere et proprie fuit Angelus, æque ut alii septem, qui tuba canunt plagas immittunt. Ita Aretas, Ribera et alii. Putant aliqui Angelum hunc fuisse Gabrielem, vel Raphaelem; hos tamen Alcazar et alii potius inter Angelos tubarum, utpote primores stantes in conspectu Dei vers. 2, referunt.

Porro ex hoc loco Apocalypsis et similibus colligunt viri docti peculiarem esse Angelum, qui sacerdoti celebranti assistat, eum juvet et dirigat, ejus preces et hostias Deo offerat, sive is angelus sit custos celebrantis, sive custos altaris et templi, ad hanc custodiam et sacrificiorum oblationem peculiariter a Deo deputatus, de quo legimus in *Prato Spirituali* apud Joannem Moschum, cap. IV, Leontium Abbatem dominica euntem in ecclesiam ad sacra mysteria, vidisse Angelum astantem altari, ac ab eo audiisse: « Ex quo sanctificatum est altare istud, ego jugiter illi astare jussus sum. » Sic in Vita S. Chrysostomi legimus milites ab Eudoxia ad Chrysostomum in templum missos, ab Angelo pro foribus vestibuli stante, et romphæam vibrante repulsos, re infecta domum rediisse. Sic Ado in *Chronicis*, ætat. 6, sub annum 774, narrat Saxones, volentes invadere ecclesiam a S. Bonifacio consecratam, a duobus juvenibus (Angelis utique) miræ claritatis et splendoris eam defendentibus, in fugam actos. Hic ergo Angelus vel est custos altaris, vel custos sacerdotis, qui celebranti attentius et efficacius assistit; vel uterque. Unde de eo legimus et oramus quotidie in canone Missæ, dicentes: « Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuum in conspectu divinæ Majestatis tuæ, » etc. Ita D. Thomas, III *part., Quæst.* LXXXIII, art. 4, ad 9. Simili modo Zachariæ offerenti thymiama « apparuit Angelus Domini (Gabriel) stans a dextris altaris incensi, aitque: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua; et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem, » *Lucæ* I, 12. Sic Angelus apparens Manue, eique promittens filium Samsonem, astitit oblationi Manue: « Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. » *Judic.* XIII, 20. Sic Angelus astitit Gedeoni sacrificanti, ac virga tangens victimam elicuit ignem de petra, qui victimam incendit et consumpsit, *Judic.* cap. VI, vers. 21. Sic Angelus astitit Abrahæ volenti sacrificare Isaac, gladiumque ejus continuit, ac pro Isaac substituit arietem, *Genes.* XXII, 11. Sic Angeli ascendentes et descendentes in scala, quasi per eam preces Jacobi sursum in cœlum ferentes, et dona e cœlo in terram ad eum deferentes, apparuerunt Jacobo; adeoque locum Deo dedicarunt, ut vocatus sit Bethel, id est domus Dei, *Genes.* XXVIII, 12. Sic Angelus apparuit Davidi in area Areuna Jebusæi, hoc ipso locum templo ibidem a Salomone ædificando designans. Unde David jussu Gad prophetæ in eodem altare erexit, et holocausta et pacifica obtulit, itaque plagam pestilentiæ stitit et cohibuit, II *Reg.* XXIV, 16 et seq. Sic Angelus astitit et apparuit celebrantibus S. Basilio, S. Chrysostomo, S. Gregorio et aliis pluribus. Refert P. Ludovicus de Ponte in *Vita P. Balthazaris Alvarez*, cap. VI, ipsi celebranti astare et apparere solitum Angelum, qui eum dirigeret, eique necessitates eorum pro quibus celebraturus erat, panderet et suggereret, ut easdem Domino commendaret. Angelorum enim proprium munus est duplex: prius, Deum laudare et honorare; summus autem honor Dei est sacrificium: illi ergo cooperantur Angeli. Posterius, curare hominum salutem: hæc autem salus minime curatur per sacrificia, quibus hominibus a Deo gratia impetratur. Illa ergo Deo offerunt Angeli, ut gratiam ejus hominibus concilient et impetrent. Quocirca sacerdos dum celebrat, meminerit sibi astare Angelum; eumque veneretur et invocet, ut se dirigat, illuminet, accendat ad digne sacrificandum. Huc facit quod in *Vitis Sanctorum* legimus, Angelos nonnullos ministrasse S. Eucharistiam, nimirum Marco monacho, teste Sozomene, lib. IX, cap. XXIX, et Palladio in *Lausiaco*, cap. XX, S. Bonaventuræ, S. Bertrandæ, ut habetur in *Vita S. Elzearii*, cap. XVII. Onuphrio quoque Dominicis singulis Angelus Domini S. Synaxin divinitus deferebat. Ita habetur in *Vitis Patrum*. Nostrum B. Stanislaum Kostkam ex Angelorum manibus, assistente S. Barbara, sumpsisse S. Eucharistiam, indeque visitatum a B. Virgine, ab incurabili morbo miraculose curatum convaluisse, habet ejus Vita. Dicat ergo sacerdos dum celebrat, dicant assistentes et communicantes cum Davide *Psalm.* CXXXVII, vers. 2: « In conspectu Angelorum psallam tibi. » Audiat S. Ephrem, tract. *De V[illegible]*, tom. I: « Esto, ait, toto orationis tempore velut cœlestis Angelus: sicque confende ut oratio tua sit sancta, ac pura, et immaculata, et irreprehensibilis, ut, cum illam sursum ascendere viderint portæ cœlestes, gaudentes ultro ei aperiantur, ut ipsam cernentes Angeli et Archangeli cuncti lætantes illi occurrant, et coram sancto atque excelso throno immaculati Dei ipsam offerant. Sic ergo semper orationis hora esto Deo conjunctus ut Cherubim et Seraphim. »



Singulare est quod Damascenus, orat. *De iis qui cum fide dormierunt*, scribit, S. Gregorium I Pontificem, « cum sacris operaretur, cœlestem ac divinum Angelum sacrosancti muneris socium habuisse. » Nec id mirum; nam, ut ait S. Ildefonsus Toletanus, *De Viris illustr.*, « S. Gregorius ita cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, ut exclusis omnium virorum illustrium comparationibus, nihil illi simile demonstrarit antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum. »

ANTE ALTARE — thymiamatis, super quo incensum adolebatur coram Deo residente in Sancto sanctorum, cui hoc altare in Sancto obversum planeque vicinum erat, *Exodi* XXX, 1.

Per altare hoc Primasius, Beda, Ansbertus et alii accipiunt Ecclesiam, sive fideles ipsos, in quibus hæc incensa, id est orationes, offeruntur per Dominum nostrum Jesum Christum. Thuribulum aureum est Christi humanitas charitate ardens, ait S. Augustinus, serm. 98 *De Tempore*; unde Deo grata et exaudita fuit hæc ejus thurificatio, et interpellatio. Hoc est quod subditur:

4. ET ASCENDIT FUMUS INCENSORUM DE ORATIONIBUS SANCTORUM IN MANU ANGELI CORAM DEO. — Vir ergo sanctitate præstans est altare thymiamatis, quia per cœlestium contemplationem terrena despicit, Deoque sancta desideria et preces in ara cordis sui adolet: qua ex re evadit instar altaris lapideus et quadratus, id est, fixus et immobilis inter prospera et adversa; quatuor habet cornua sive pomella speciosissima, scilicet prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam; offertur in eo mane et vespere thymiama simul, id est, eodem tempore quo in altari holocaustorum offerebatur agnus, sive juge sacrificium, quia charitas et oratio, sive contemplatio jungi debet mortificationi.

Verum pro responsione adverte S. Joannem hic passim alludere ad vetus tabernaculum et templum (ejus enim tempore Christiani necdum habebant templa qualia nunc, sed oratoria), ut patet cap. VI, vers. 9, et cap. VII, vers. 14, 15 et seq. Locus enim Beatorum in cœlo optime repræsentatur per templum, tum quia templum erat Deo sacrum Deique thronus; tum quia erat augustissimum, ditissimum et pulcherrimum, ita ut esset orbis miraculum; tum quia erat locus sacerdotum, qui erant sancti et Christi Dei: pariter enim in cœlo Beati sunt sacerdotes Dei, uti dixi cap. V, vers. 10, unde

Nota *primo*: Duæ fuerunt præcipuæ veteris templi partes, scilicet Sanctum et Sanctum sanctorum, velo interjecto divisæ. In Sancto erat altare hoc thymiamatis obtensum et oppositum Sancto sanc-

torum, habens a dextris candelabrum aureum septifidum, a sinistris vero mensam panum propositionis. In Sancto sanctorum autem erat arca cum propitiatorio et Cherubim, qui suis alis junctis quasi thronum exhibebant Deo iis insidenti.

Nota *secundo* : Allegorice Sanctum sanctorum significabat cœlum empyreum Dei et gloriosæ ejus divinitatis, in quo Deus est et apparet Angelis et Beatis in sua gloria et beatitudine, ac quasi in throno majestatis suæ. Itaque arca facta ex lignis setim imputribilibus, significabat corpus Christi non jam corruptibile et mortale, sed incorruptibile et gloriosum post resurrectionem. Propitiatorium, quod erat supra arcam ex puro auro, significabat thronum divinitatis, humanitati Christi (quam repræsentabat propitiatorium) quasi insidentis, et præcedentis, cui astant undique et ministrant Cherubim omnesque Angeli.

Nota *tertio* : Sanctum significabat Ecclesiam hominum justorum, quæ in hac vita Deo servit, et ad Deum tendit : item illa quæ in ea sunt. Itaque altare thymiamatis, quod erat in Sancto, significabat locum precum, gratiarum actionis et laudis, quatenus ea super Christo, quasi altari, et per Christum, ejusque passionem et mortem Deo offeruntur. Mensa panum propositionis significabat tum sacramentum Eucharistiæ, tum opera charitatis et misericordiæ ; candelabrum, lucem et fulgorem doctrinæ Christianæ.

Nota *quarto* : Christus sua passione et morte scidit velum intermedium dividens Sanctum sanctorum a Sancto, quia morte sua Sanctum sanctorum, id est cœlum, hominibus patefecit, *Hebr.* IX, 12. Vult ergo dicere hic S. Joannes, quod animæ Sanctorum, quæ in hac vita quasi sacerdotes spirituales versabantur, Deoque serviebant in Sancto, id est in Ecclesia, per preces et laudes, ac puram piamque vitam, itidem et in cœlo eidem deserviant in Sancto quasi perpetui et regales sacerdotes, illique perpetuum thymiama orationum et laudum offerant. In Sancto, inquam, non terræ, sed cœli, ubi jam per Christum diffracto omni velo, altare hoc thymiamatis (in quo degunt animæ Sanctorum, ut dictum est cap. VI, vers. 9, ac serviunt Deo die ac nocte, uti dictum est cap. VII, vers. 15) conjunctum est arcæ, propitiatorio et Sancto sanctorum, id est throno Dei : adeo ut in cœlo unus idemque sit locus Sancti et Sancti sanctorum ; ac animæ beatæ ex suo Sancto, et suæ felicitatis loco, in templo cœlesti jugiter intueantur Deum in Sancto sanctorum, seu in cœlo suæ divinitatis existentem. Vide ea quæ dixi *Exodi* XXVI, XXVII et XL. Animæ ergo beatæ dicuntur esse sub altari ; quia altare hoc erat in Sancto, quod proprie erat locus sacerdotum, quales sunt hæ animæ in cœlo ; sicut Sanctum sanctorum proprie erat locus et thronus solius Dei : unde in illud solus ingrediebatur summus Pontifex, idque semel tantum in anno. Pontifex autem repræsentabat Christum, non Sanctos.

Nota *quinto* : Quod dicitur : « Ut daret de orationibus Sanctorum, » sensus est, *q. d.* Ut in suum thuribulum ejusque ignem conjiceret thymiama confectum ex variis orationibus et desideriis Sanctorum, petentium everti regnum peccati, impiosque puniri ; ut illud deinde imponeret ipsi altari thymiamatis, ibique illud Deo per suffitum adoleret et offerret. Non enim hic fuit aliud incensum vel thymiama, quam orationes Sanctorum. Adverte : Græca habent ταῖς προσευχαῖς ; quod Beza vertit, *cum orationibus*, subaudiendo præpositionem σύν. Sed perperam : nil enim aliud cum orationibus, sed nudas et solas orationes Sanctorum Deo obtulit hic Angelus. Quocirca melius Noster, quin et Erasmus et Vatablus vertunt, *de orationibus Sanctorum* : est enim hebraismus. Nam Hebræi dicunt העלה מתפלות *heela mittephillot*, id est *obtulit de orationibus* ; præpositio enim מן *min* apud Hebræos est index et nota ablativi, æque ac apud Latinos *de*. Voluit id ipsum eodem casu Græco exprimere S. Joannes ; sed quia Græci præpositionem non habent, quæ significans *de* vel *ex*, apte cum ablativo vel dativo construatur, hinc eamdem omisit, eamque subaudivit, ac solum posuit nomen προσευχαῖς, id est *orationibus*. Porro Angeli offerunt Deo preces hominum, quorum quasi clientum suorum, ipsi custodes, patroni et advocati sunt ; non ut Deo illas manifestent, cum nihil ipsum lateat, sed ut ipsi pro iis simul Deum deprecentur, itaque eas efficaces reddant : quo fiat ut optatum sortiantur effectum, et impetrent illud quod postulant.

Nota *sexto* : S. Joannes vidit in cœlo altare incensum, thurificationem, hymnos, adorationem, Agnum occisum instar victimæ et sacrificii, tum quia Christi passio, mors et sacrificium cruentum hisce omnibus adumbratum, virtute et merito permanet, suoque aspectu jugiter provocat Deum ad miserandum hominibus ; tum quia reipsa et actu, quoad hostiam id ipsum permanet in sacrificio Eucharistiæ, in quo quotidie, ut aiebat S. Andreas, Christum quasi Agnum Deo immolamus, ita ut post immolationem Agnus semper supersit integer et vivus.

Quocirca Christus ipse jam in cœlis gloriosus, subinde visus est in terris sacrificium hoc suum iterare et peragere. Audi memorabile quod narrat Nauclerus ad annum Domini 1011 : « Fertur de Henrico hoc, quod semper post primam noctem ingrediens Urbem solitus fuerit in ecclesia S. Mariæ Majoris manere : contigit autem semel quod, dum solitarius oraret, visus sit sibi Christus pontificalibus indutus procedere Missam celebraturus, quem sequebatur S. Laurentius, et loco subdiaconi Vincentius : post hos Virgo Dei genitrix cum multitudine virginum et Angelorum ; dehinc Joannes Baptista cum Patriarchis et Prophetis ; post hos Petrus et Joannes cum cæteris Apostolis et Evangelistis, S. Stephanus cum Martyribus, S. Martinus cum Confessoribus. Angeli inceperunt in-



troitum : Suscepimus, Deus, misericordiam ; et cum cantaretur : Dextera tua plena est justitia, omnes Chrá tum et B. Virginem imitantes extenderunt digitum in Henricum. Post Evangelium indicibili jubilo Angelus librum deosculatum a Christo præsentavit B. Mariæ, et post eam omnibus per ordinem deosculandum. Demum innuit B. Virgo Angelo, ut porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum, dicens : Præbe ei pacis osculum, cujus mihi virginitas placet ; et cum præ nimio gaudio raptus nesciret ad plenum intendere, Angelus ipsum in nervo tangens dixit : Hoc tibi erit signum dilectionis Dei propter tuam castitatem et justitiam, et exinde usque ad mortem claudicabat, ex quo eventu vocatus est Henricus Claudus. »

Alterum huic ferme geminum beato Godrico contigit, qui duodecimo a Virginis partu sæculo solitariæ vitæ in Anglia sectator, prodigiorum mirus opifex, et alter istorum temporum Thaumaturgus audiit, a B. Thoma Cantuariensi cultus unice, cuique et exilium, et honorificam post septennium restitutionem, ac denique gloriosam pro Ecclesiæ defensione mortem longe ante prænuntiavit. De hoc inter pleraque alia divinitus concessa beneficia, recenset et istud Nicolaus Harpsfeldius, Archidiaconus Cantuariensis, ad historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ duodecimum sæculum, cap. XL : « Inter alia illustre, quod idem Petrus Apostolus sacræ Missæ mysteria, Ecclesiæ more, apud eum celebraverit ; ejusque confessione et exomologesi, quam exquisite Godricus de omnibus peccatis suis, quæ ad memoriam revocare potuit, eo ita jubente fecit, audita, omnium delictorum gratiam fecerit, et sacrosanctam illi de altari Eucharistiam ministrarit. » Similia nonnulla hoc sæculo, atque adeo hoc anno 1622, in canonizatione nostrorum S. Ignatii et Xaverii contigere Duaci, quæ recensentur in libello hac de re ibidem edito. Sic Christus stipatus Angelorum multitudine visitavit S. Dionysium Areopagitam in carcere, eique porrigens S. Eucharistiam, animavit ad instans martyrium. Ita Hilduinus in Vita S. Dionysii S. Honoratum quoque, quartum Ambianensem Episcopum, e Christi manu communicasse, indeque deln eps ab omni inquinamento carnis illæsum permansisse, habet Breviarium Ambianense. Idem S. Catharinæ Senensi contigisse, habet Vita ejus scripta a Raymundo Capuano, lib. II, cap. XXXII.

ET ASCENDIT, — *q. d.* Ad Deum pervenit, Deus accepit, excepit et exaudivit orationes Sanctorum. Unde hujus exauditionis fructum et effectum subdit, dicens :

5. ET ACCEPIT ANGELUS THURIBULUM (post suffitum et evaporationem thymiamatis, indeque simul ignis consumptionem et incinerationem), ET IMPLEVIT ILLUD DE IGNE ALTARIS, — puta de igne, qui erat in aliis thuribulis quibus in eodem altari Deo adolebatur et cremabatur thymiama. Nec enim in ipso altari thymiamatis erat ignis : nam sacerdos incensurus thymiama, ignem et thuribulum accipiebat ex altari holocaustorum, illique imponens thymiama deferebat et imponebat thuribulum altari thymiamatis, in eoque illud adolebat, ut dixi *Exodi* cap. XXX, vers. 7 et 8.

ET MISIT IN TERRAM, — non thuribulum, sed ignem, sive prunas thuribuli : idque ad hoc, ut eo quasi symbolo significaret, quod per orationes Sanctorum (hæ enim fuerunt thymiama thuribuli) poscentium vindictam de impiis suisque persecutoribus, perque charitatem Christi, qua suos fideles et sanctos prosequitur, ignis vindictæ, id est tonitrua, fulgura et plagæ sequentes septem Angelorum et tubarum, in impios sint demissæ. Nam ignis hic tonitrua et plagas defert ; ergo est vindex. Ignis autem charitatis est symbolum, perinde ac altare significat Christum : charitas enim zelat Dei honorem, ideoque impiorum Dei hostium est vindex. Quocirca apposite Haymo : Thuribulum, inquit, significat corpus Christi, quod in passione multis plagis quasi fenestris, vel cancellis instar thuribuli apertum est. Et quia per Christi passionem nobis charitas et spiritus orationis datur, hinc congrue in thuribulo ignis et incensa ponuntur.

Rursum, quia Christus sua vulnera Patri ostendit pro Sanctis in terra laborantibus, suamque in eos charitatem, indeque Pater ad puniendum impios Sanctorum hostes excitatur, hinc thuribulum de igne altaris impletur et mittitur in terram : charitas enim quasi ignis hanc vindictam procuravit ; hoc est, ignis charitatis Christi exivit a Deo, et in terram demisit ignem vindictæ in impios, piorum persecutores et homicidas.

Porro orationes has Sanctorum vindictam, non veniam precari patet *primo*, quia has orationes statim non venia, sed supplicia subsequuntur, scilicet tonitrua, tubæ et plagæ. *Secundo*, quia cap. VI, vers. 9, animæ sub altari clamarunt postulantes vindictam : « Usquequo, Domine, non judicas et non vindicas sanguinem nostrum ? » *Tertio*, quia cap. IX, vers. 13, prodit hæc vox ex cornibus altaris : « Solve quatuor Angelos, » qui soluti gravia impiis intulerunt supplicia. *Quarto*, quia alluditur ad *Ezech.* X, 2, ubi Angelus unus jubet alteri accipere prunas ignis ex altari, easque effundere in Jerusalem, ut eam vastet et comburat per Chaldæos. Ait enim : « Imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, et effunde super civitatem, » etc. Vide ibi dicta ; sicut enim ibi cap. IX, signantur prius servi Dei, ne in urbis excidio lædantur : ita hic cap. præced. prius signati sunt servi Dei, ne ab Angelis plagarum sequentium effectoribus tangantur. Ergo, sicut ille ignis Ezechielis fuit vindictæ et conflagrationis Jerusalem, ita hic ignis erit vindictæ et excidii orbis.

Contrarium sensit Alcazar, scilicet hasce orationes Sanctorum petivisse veniam, non vindictam. Hic enim est spiritus Sanctorum novi Testamenti, scilicet amare inimicos, pro iisque orare : Angelus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ergo, inquit, misit in terram ignem non vindictæ, sed charitatis et religionis, de quo ait Christus *Lucæ* cap. XII, vers. 49 : « Ignem veni mittere in terram : » quia licet hasce suis precibus non potuerint impetrare Judæorum rebellium et infidelium conversionem, nec ab eis avertere supplicia septem tubarum, tamen mitigarunt iram et vindictam Dei, ac impetrarunt ut multi ex Judæis, puta Paulus, Stephanus, Ananias, Gamaliel, etc., ad Christum converterentur, atque Deus supplicia septem tubarum non pauca ad tertiam partem coarctaret, uti significatur cap. XI, vers. 13, cum dicitur : « Decima pars cecidit. » Voluit enim Deus ut Christianorum patientia, charitas, oratio et zelus ad perfectionis velut culmen perveniret, antequam plagas in perfidos Judæos immitteret, eosque disperderet. Verum hæc non Judæos, nec primitivam Ecclesiam, sed finem mundi, quando Deus pluet plagas et omne suppliciorum genus in impios, spectant, uti multoties jam dixi et docui.

Nota : Hæc omnia fuerunt visio imaginaria, Joanni exhibita ad significandum ea quæ dixi. Nam in cælo non est altare thymiamatis, nec thuribulum, nec ignis. De igne tamen credibile est, quod in fine mundi Angelus realiter ignem in terram demittet, quasi indicium et initium plagarum sequentium, unde sequitur :

Et facta sunt tonitrua. — Hæc omnia prænuntia sunt calamitatum ingentium, quas Deus in fine mundi in impios immittet. Unde tunc ante illas revera præmittet crebra tonitrua, fulmina et terræ motus, uti prædixit Christus *Lucæ* XXI. Ita Ribera et alii. Aliter Alcazar, qui ad suam expositionem apposite et consequenter censet hic per tonitrua, fulgura et terræ motus significari admirabilem primitivæ Ecclesiæ prædicationem, cum sanctimoniæ splendore et verbi efficacitate conjunctam, et magnam vitæ mutationem (hanc enim repræsentat terræ motus) in eorum animabus, qui cœlesti illi prædicationi se subjugabant.

6. Præparaverunt se (accipiendo tubas suas, easque ori admovendo), ut tuba canerent.

7. Et primus Angelus tuba cecinit, et facta est grando, et ignis, mixta in sanguine. — Tò *mixta* est neutrum plurale; unde tam ad grandinem, quam ad ignem refertur, ut patet ex Græco μεμιγμένα (1).

Quæres : Quinam sunt hi septem Angeli, et quænam eorum tubæ ac plagæ, præsertim prima hæc? *Primo*, Alcazar, juxta dicta vers. 2, per hanc plagam accipit famem immissam Judæis tempore excidii per Titum. Solent enim teneræ quæque segetes, fruges et stirpes grandine decuti, exuri igne, et sanguine putrefieri; unde sequitur fames. Vide *Psalm.* CIV, 32. Sanguis notat crudelitatem famis, quæ tanta fuit, ut mater filium proprium coqueret et voraret, teste Josepho. Verum hæc mystica et ænigmatica, ac potius accommodatitia sunt, quam litteralia.

*Secundo*, Lyranus et Aureolus per hos septem Angelos accipiunt quatuor celebres hæresiarchas, ac tres principes qui eorum hæreses secuti, valde Ecclesiam turbarunt sub tempora Constantini et Juliani Apostatæ, quem ipsi putant notari per silentium vers. 1. Hæresiarchæ fuerunt, Arius, Macedonius, Eutyches et Pelagius, contra quos (scilicet contra tres primos, non contra Pelagium) congregata fuere prima quatuor Concilia œcumenica, scilicet Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum et Chalcedonense. Primus ergo angelus est Arius, quem fovit et promovit Valens Imperator Arianus; hic tuba suæ hæresis et persecutionis insonuit, indeque facta est grando animositatis et schismatis inter Episcopos, ac ignis æmulationis et zeli, quæ mixta sunt sanguine, quia usque ad mortes et martyria in Catholicos desævierunt. Unde tertia pars terræ, id est, fidelium communium et populi simplicis, ac tertia pars arborum, id est, Episcoporum, igne Arianismi afflata, prostrata et combusta est. Tunc etiam fœnum viride, id est, nova gens prodiens et quasi enascens, Gothi scilicet, petentes a Valente Imperatore Episcopos Christianos, qui se docerent, baptizarent, facerentque Christianos, submissis a Valente Episcopis Arianis, pro Catholicis facti sunt Ariani.

*Tertio*, Ansbertus, Haymo, Richardus, Pannonius et Viegas per septem Angelos, sive nuntios, accipiunt septem diversos concionatorum Catholicæ fidei in Ecclesia ordines, qui variis temporibus suæ prædicationis tuba orbi insonuerunt. Sed quia eis Judæi et Gentiles infideles resistebant, ac contra Ecclesiam pugnabant, hinc variæ plagæ eis a Deo immissæ et inflictæ sunt : inde etiam tumultus ac seditiones exortæ sunt, quæ hic per terræ motus, uti plagæ per grandinem, ignem et sanguinem significantur. Primus ergo Angelus significat primum concionatorum ordinem, puta Apostolos; grando et ignis mixta sanguine significant iram Dei in infideles, eorumque æternam damnationem. Ita Haymo, Ambrosius, Ansbertus. Infideles enim et impii hic vocantur *terra*, quia terreni sunt; et *arbores*, quia omni vento agitantur; et *fœnum*, quia omnis gloria mundi instar fœni evanescit. Rursum, Pannonius per grandinem et ignem cum sanguine accipit iram et furorem non Dei, sed Gentilium et infidelium contra Apostolos et Ecclesiam : ex qua tertia pars terræ et arborum, id est multi fideles tam plebeii, quam magnates et primores, a fide defecerunt.

Verum dico cum Irenæo, lib. IV, cap. L, et Lactantio, lib. VII, cap. XV, Areta et Ribera hæc omnia ad litteram, ut sonant, esse accipienda. Hæc enim signa et hæ plagæ litteraliter præcurrent, saltem inchoate, id est, inchoabunt et fieri incipient ante judicium et ante Antichristum (continentur enim septimo sigillo, cujus resignatio et explicatio præit resignationem et explicationem libri signati, qui continet futura sub Antichristo et deinceps usque ad judicium et finem mundi), idque ad hoc, ut Deus per hasce plagas terreat et puniat impios fidelium persecutores. Et hoc est quod prædixit Christus *Lucæ* XXI, 11 : « Terroresque de cœlo et signa magna erunt. » Illa enim signa quæ Christus paucis et generatim complexus est, S. Joannes hic particulatim ex ordine explicat et enarrat.

Atque hæc eadem prædixit Sibylla, lib. II *Oracul.*, ubi sic inter cætera canit : Ἔσται κόσμος ἄκοσμος ἀπολλυμένων ἀνθρώπων, *Mundus erit non mundus*, id est, sine ornatu et specie, *pereuntibus hominibus*, æque ac plantis per grandinem, ignem, sanguinem, etc. Et Sapiens *Sapient.* V, 18 : « Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. » Ad litteram ergo grando et ignis sunt fulmina et exhalationes ignitæ, ac lapides grandinis. His miscebitur sanguis sive pluvia sanguinea; hanc enim sæpius accidisse narrat Plinius, lib. II, cap. XXVI.

Porro pluvia sanguinis semper cœlestis iræ fuit indicium, et instantis vindictæ prænuntium, uti hic est : nam prosternitur et crematur tertia pars germinum et arborum. Rursum, sanguine puniuntur impiorum cædes, quibus piorum et Martyrum sanguinem effuderunt, ut patebit cap. XVI, vers. 6. Alludit ad septimam plagam Ægypti de qua dicitur *Exodi* IX, 24 : « Grando et ignis mixta pariter ferebantur. » Vide ibi dicta. Simili modo tenebræ plagæ quartæ respondent et alludunt ad plagam nonam Ægypti, quæ pariter fuit densissimarum tenebrarum. Et plaga quinta locustarum cap. IX, vers. 3, respondet plagæ octavæ Ægypti, quæ pariter fuit locustarum, *Exodi* X, 4. Et plaga tertia aquarum amararum et impotabilium respondet primæ plagæ Ægypti, quæ fuit conversio aquarum Ægypti in sanguinem, *Exodi* VII, 17. Illæ enim plagæ Ægyptiacæ fuerunt typus et præludium harum ultimarum totius orbis, uti docet et asseverat S. Irenæus, lib. IV, cap. L, et Lactantius, lib. VII, cap. XV.

Et missum est (totum hoc aggregatum, scilicet grando, ignis et sanguis inter se commixta, ita ut facerent quasi unum quoddam compositum) in terram.

Et tertia pars terræ combusta est. — Tertiam hanc partem terræ, arborum et germinum accipe non conjunctim, et simul ac continue eodem loco, sed mixtim et sparsim, scilicet ut aliqua in Hispania, alia in Italia, alia aliis locis et provinciis combusta et vastata sint, scilicet illa et illis locis, in quibus erant pessimi incolæ et maximi persecutores fidelium (hæ enim illorum sunt plagæ, non fidelium et justorum) : ita nimirum ut, omnibus computatis quæ sparsim vastata sunt, tertia pars terræ, arborum et germinum, quæ in toto orbe tunc erunt, hac prima plaga et strage disperdatur et comburatur.

Porro tertiam tantum partem percussit grando, non vero totum et omnia, quia noluit Deus hac prima plaga disperdere terram, et homines ejus incolas, sed per eam castigare eos, et admonere ut pœniteant, itaque cæteras plagas jam paratas evadant; quod si tanta plaga moniti resipiscere et pœnitere nolint, reservat eis sex atrociores plagas, quas sensim majores et majores per sex Angelos sequentes evocabit et producet.

Et omne fœnum viride, — omnis herba, omne germen herbescens et virescens : hoc enim significat Græcum χόρτος, ut patet *Marci* IV, 28 : « Terra, inquit, fructificat primum herbam (Græce χόρτον), deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. » Alludit enim ad sextam Ægypti plagam, de qua dicitur *Exodi* IX, 25 : « Cunctamque herbam agri percussit grando. » Et vers. 31 : « Linum ergo et hordeum læsum est, eo quod hordeum esset virens, etc.; triticum autem et far non sunt læsa, quia serotina erant. » Ubi nota majorem fore hanc Apocalypseos stragem, tum quia in ea non excipitur triticum aut far, tum quia in ea additur etiam tertiam arborum partem hac grandine fuisse prostratam. Herba ergo vocatur fœnum metonymice, quia per hanc plagam exaruit, factaque est fœnum. Sicut e converso virga Mosis versa jam in colubrum, vocatur tamen virga, quia fuerat virga, *Exodi* VII, 12, cum dicitur : « Devoravit virga Aaron virgas eorum, » id est, serpens Aaronis ex virga ejus productus, devoravit serpentes Magorum, ex eorum virgis productos.

*Primo*, Alcazar per hanc plagam accipit bellum quod Titus intulit Judæis, quo eos perdidit et consumpsit : sanguis enim significat Judæorum necem et stragem; « tertia pars maris » significat magnam partem imperii Romani in eo bello Judæorum sanguine esse conspersam, ita tamen, ut multi ex eis fuga elapsi necem evaserint. Unde « mortua est tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, » id est hominum navigantium, puta Judæorum, non piscium. Nam « habere animas in mari » dicuntur navigantes, quia animam, id est vitam, credunt et committunt mari cum magno periculo, juxta illud *Sap.* XIV, 5 : « Exiguo ligno credunt homines animas suas. » Pisces enim sunt filii aquæ. Navigantes vero sunt filii terræ, qui habent animas in mari, quia per mare divagantur causa lucri, cujus Judæi sunt avidissimi. Ergo navigantes per catachresin vocantur Judæi, quia institores et lucriones; consequenter cum dicitur : « Et tertia pars navium interiit, » naves intelliguntur ipsorum Judæorum urbes et oppida; in bello enim et excidio Titi facile tertia pars urbium Judææ interiit.

(1) Quæ sequuntur septem plagæ, recto ordine sibi invicem succedunt : nempe prioribus quatuor affliguntur entia irrationalia, terra, mare, cœlum, etc.; quinto autem et sexto homines; septima vero universus est interitus atque exitium. Nec studiosius videtur quærendum, cujus rei imago sit grando, ignis, etc. : describitur enim variis imaginibus et figuris una eademque res, maxima videlicet calamitas.

Navim enim civitatis esse symbolum patet ex *Ezech.* XXVII, et ex Poetarum allegoriis.

*Secundo* Aureolus : Hic, ait, secundus Angelus fuit Macedonius hæresiarcha, qui docuit Spiritum Sanctum esse creaturam et servum Filii, contra quem congregata fuit secunda Synodus generalis Constantinopolitana. Tunc ergo mons magnus igne ardens, id est, grandis et tumens hæresis missa est in mare, id est in Ecclesiam, quæ dicitur mare, propter aquas baptismi et propter multitudinem gentium omnium quas continet. Hæc facta est sanguis, quia a Macedonio deturpata, et sanguine, id est hæresi, infecta est; atque tertia pars piscium, id est fidelium, per hæresim mortua est; ac naves interierunt, quia plures Episcopi qui alios ferre et gubernare, ac ad fidam stationem fidei et salutis dirigere debebant quasi naves et naucleri, facti sunt Macedoniani, suosque secum traxerunt et demerserunt in abyssum. Quibus adde, ob hæresim de Spiritu Sancto, scilicet quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, sed tantum a Patre, Græci schismate a Latinis divisi, igne et sanguine puniti sunt, præsertim cum Constantinopolis vi capta, et cum Imperio Orientali eversa est a Mahomete, Turcarum rege, ipso festo Spiritus Sancti, puta in Pentecoste anno Domini 1453. Tunc enim mons magnus igne ardens, id est ingens exercitus Turcarum furore ardens, missus est in mare, id est, in Græciam et Constantinopolim adjacentem mari, puta Bosphoro; ac tertiæ, id est magnæ, partis incolarum sanguis effusus est, quin et Constantinus Palæologus, Imperator, et ipse matre Helena (uti et primus Constantinus urbis et imperii conditor) genitus, capite truncatus, regni simul et vitæ, ac Orientis pariter Imperii finem fecit.

*Tertio*, Viegas et alii citati in plaga prima, vers. 7 : Secundus Angelus, inquiunt, est secundus concionatorum ordo, tempore decem persecutionum sub decem Imperatoribus in primitiva Ecclesia. Mons magnus est dæmon superbus et ardens invidia, qui per tyrannos quasi mons obruere voluit mare, id est Ecclesiam, quæ tunc facta est sanguinea ob crebra martyria. Tunc multi pisces, id est fideles, imo et naves, id est Prælati virique magni, qui alios ad portum salutis vectare debebant, præ metu fecere fidei naufragium. Prælati enim recte vocantur naves, æque ac currus. Unde illud Elisæi ad Eliam, dum raperetur in cœlum : « Pater mi, currus Israel et auriga ejus, » IV *Reg.* II.

*Quarto*, planissime et simplicissime Ribera, per montem igneum accipit ingentem globum ardentem et igneum, quem mittet Angelus in mare, eoque afflabit et comburet tam naves quam pisces, puta tertiam navium et piscium partem. Non enim homines navigantes, sed pisces sunt *creaturæ* et animalia quæ habent *animas in mari*; Græce enim est, καὶ ἀπέθανε τὸ τρίτον τῶν κτισμάτων ἐν τῇ θαλάσσῃ τὰ ἔχοντα ψυχάς, id est, *mortua est tertia pars creaturarum in mari habentium animas*, quod proprie piscibus convenit. Atque hoc est quod canit Sibylla :

> Et trepidi cuncti morientur in æquore pisces,
> Nec sulcabit aquas jam pondere navis onusta.

Montem hunc in terra, et terrenum fore innuit Alcazar, ut scilicet significet ingentes reipublicæ perturbationes, juxta illud *Psalm.* XLV, vers. 3 : « Dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. » Mons ergo hic, instar Ætnæ, succensus ab angelo, ardebit et comburetur, ac mittetur in mare, suoque igne et ardore occidet pisces, ac aquas maris vertet in sanguinem, non tam naturali sua vi, quam supernaturali Dei imperantis virtute et potentia. Verius tamen videtur hunc montem fore aerium, puta exhalationes multas et magnas collectas, quæ incensæ videbuntur esse mons igneus, tum quia dicit : « Tanquam mons magnus; » vox enim *tanquam* innuit non fore verum montem, sed montis similitudinem ; tum quia plagæ hæ cœlestes sunt, et a cœlo per angelos evocantur, ac depluunt in terram tanquam tela a Deo e cœlo in impios vibrata. Erit ergo hic mons ardens, ingens massa pinguis materiæ in aere concreta et accensa, quæ instar montis ardentis ruet in mare : quo fiet ut tertia pars maris vertatur in sanguinem, et tertia pars piscium moriatur, et tertia pars navium intereat. Verisimile est hanc massam primo in sublimi, et in initio lapsus, instar montis ardentis conjunctim appariturам oculis hominum ; deinde in progressu spargendam in varias partes, ut variis locis mare inficiat. Similis fuit pluvia ignis sulphurei, qua Sodoma et Pentapolis conflagravit, *Genes.* XIX. Quare sicut illa, ita et hic mons ardens erit formidabilis, magnumque terrorem et pavorem hominibus incutiet, præsertim ubi cernent et sentient ejus effectus, damna et strages. Jam quod per hanc plagam tertia pars maris facta sit sanguis, spectat tum ad stragem piscium : hi enim extra suum elementum, puta extra aquam in sanguine vivere nequeunt ; tum ad horrorem impiis incutiendum, dum videbunt et terram per plagam primam, et mare per hanc plagam secundam cruentari, ut terra et mare videantur repræsentare impiorum tum culpam, præsertim homicidia et cædem Martyrum ; tum pœnam, dum suo cruore innuunt tantam fore impiorum occisionem, ut rivi sanguinis eorum terram et mare cruentent, eaque saltem quoad superficiem in sanguinem convertant. Sic sanguis significat ingentem hostium stragem a Christo edendam, *Isai.* LXIII, 1, 2 et 3 : « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? » Et : « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? calcavi eos in furore meo, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. » Et *Psal.* CIX, 7 : « De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. » *Psal.* LVII, vers. 11 :



« Lætabitur justus cum viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris. » Porro sanguis animæ et vitæ est symbolum. Unde de graviter saucio et emoriente ait Poeta : « Purpuream vomit ille animam, » id est, vomit sanguinem in quo quasi vehiculo residet vita et anima. Quin et prisci Philosophi nonnulli, teste Aristotele, lib. I *De Anima*, censuerunt sanguinem esse ipsissimam animalis animam. Quocirca per effusionem tanti sanguinis, significatur multarum animarum et vitarum profusio, et multorum hominum internecio. Hoc est quod ait *Ezechiel*, cap. XXVIII, vers. 22 : « Judicabo eam peste et sanguine. »

Mystice Rupertus : « Hic mons, inquit, est Pharao, exemplar superbiæ diabolicæ. » Nam sicut Pharao, orante Moyse, dejectus est in mare Rubrum : ita Christo Domino magni consilii Angelo in mundo prædicante, cecidit ex suo imperio diabolus, in abyssum miseriarum deturbatus. Tanta vero celeritate ruit ac cessit, ut quamvis sua mole, seu potius sua malitia mons magnus esset, tamen sua velocitate lubricus quidam ac volubilis serpens fieret, et per antonomasiam fugitivus diceretur, juxta illud : « Visitabit Dominus super Leviathan serpentem vectem, » *Isai.* cap. XXVII, 1. Seu, ut habent Septuaginta : « Super Leviathan serpentem fugientem. » Nam ille serpens, qui primum Adamum victor invasit, a secundo facile victus, tanquam timidus serpens effugatur.

*Primo*, Alcazar per tertiam hanc plagam accipit pestem, qua Deus Judæos punivit : post famem enim in obsidione Hierosolymæ toleratam, de more secuta et grassata in eos est pestis, teste Josepho, lib. VII *Belli*, cap. XVII, et Eusebio, lib. II, cap. VI, et lib. III, cap. III. Est catachresis : per aquas enim amaras significatur pestis, veluti si aquæ veneno forent penitus imbutæ. Porro τὸ *cecidit de cœlo stella magna*, non significat stellam vere ac proprie e cœlo delapsam, sed ejus influxum sive influentiam, qua pestem creavit.

*Secundo*, Aureolus et Lyranus : Stella cadens de cœlo, inquiunt, est Pelagius monachus et hæresiarcha, qui aquas gratiæ et baptismi fecit amaras. Docuit enim, sine gratia, per solas naturæ vires nos posse recte vivere et salvari. Rursum, aquas baptismi non prodesse infantibus, utpote sine peccato originali (hoc enim ipse negabat, asserens hominem nasci in puris naturalibus) natis : ideoque multis ei credentibus hæ aquæ factæ sunt insipidæ, amaræ, imo mortiferæ. Verum minus recte : nam per Angelum quartum qui sequitur, accipiunt ipsi Eutychetem, qui Pelagio fuit prior et antiquior.

*Tertio*, Viegas : « Tertius, inquit, Angelus est tertius prædicatorum ordo, cui Arius et hæretici restiterunt, sicuti secundo Angelo restiterunt imperatores et tyranni. Stella magna et ardens sunt ipsi hæresiarchæ. Hi ergo sunt absinthium, quia amarissimi et mortiferi : occidunt enim animas. Hæc stella cecidit in fontes, id est, in S. Scripturas; et in flumina, id est, in scripta et libros SS. Patrum : hæc enim depravant hæretici, ea vel corrumpendo, vel detorquendo et perverse explicando. Sed sicut absinthium, licet amarum, oculos acuit, ita hæretici studium et scientiam Ecclesiæ auxerunt, ait Aretas.

*Quarto* et proprie, stella hæc erit non cœlestis, sed aerea, puta cometa, stella cadens; aut similis meteoron, quæ de cœlo cadet, suoque casu dissiliens, comminuta dividetur in multas faculas seu exhalationes, quæ in varios fontes et flumina incidentes, eos inficient. Vocatur absinthium, quia amaricabit aquas, idque in pœnam sceleratæ voluptatis, ac præsertim gulæ et crapulæ impiorum, ut qui biberunt vina dulcissima et sapidissima, iisque ventrem ingurgitarunt, jam bibant absinthium, eoque crucientur et enecentur.

10. Cecidit de coelo stella magna. — Docent medici corpus vitamque hominis ab aeris cœlique influxu pendere, adeoque pestem alias ex contagione, alias ex cœli et astrorum influxu, alias ex aeris infectione oriri; quinimo, inopinatos ignotosque morbos et mortes vocant siderationes.

11. Et nomen stellæ dicitur absinthium. — Ita et Syrus; sed Arabicus vertit : *Et nomen stellæ dicitur absenymum; et tertia pars aquarum facta est amara sicut absinthium.* Videtur ergo *absenymum* scriptoris incuria irrepsisse pro *absinthium.* Nam et Syrus, æque ac Græcus et Latinus habet : *Et nomen stellæ dicitur illud absinthium*, per antonomasiam, quasi excellens et peramarum. Græce ἄψινθος in abstracto, *q. d.* ipsa absinthii amarities, ipsa amaritudo. Nota est amaritudo eximia herbæ quæ vocatur absinthium, de qua Plinius, lib. XXVII, cap. VII, et Dioscorides, lib. III, cap. XXV, et Ovidius, lib. III *De Ponto* :

> Tristia deformes pariunt absinthia campi,
> Terraque de fructu quam sit amara docet.

Quocirca dicitur ἀψίνθιον, ab ψίνθαι, id est *tangere*, per antiphrasin, eo quod nullum animal hanc herbam ob summam amaritiem attingat. Veteres Græcocomici eamdem affini vocabulo Apinthion, id est impotabilem, vocaverunt, quod hanc nemo ob insignem amarorem possit ebibere. Huc alluditur in hisce aquis, quæ ob absinthium factæ sunt apinthion, id est impotabiles.

Rursum, sicut absinthium oculos corporis exacuit, ita hoc aquarum absinthium oculos cordis hominibus in fine mundi ad pœnitentiam aperiet, inquit Aretas. Ita locus, in quo S. Bernardus primum sui Ordinis ædificavit monasterium, vocabatur *Vallis absinthii*, tum ob absinthii in ea germinantis copiam, tum ob amaritudinem eorum qui in ea cadebant occisi a latronibus; erat enim vallis latronum. Sed S. Bernardus Vallem absinthii in *Claravallem* et nomine et reipsa commutavit.

ET MULTI HOMINUM MORTUI SUNT. — Hinc patet amaritiem hanc fuisse excessivam, ac proinde venenosam et lethiferam; alioqui amarities moderata sana est, corpusque a putredine conservat, uti patet in absinthite, id est, in cerevisia vel vino absinthiaco. Italorum vox est : *Il vino amaro te sia caro.* Denique axioma medicorum est . *Omnia dulcia stomacho sunt inimica*; amara ergo amica. Erit ergo amarities hæc extrema, ideoque venenata, qualis est in colocynthidis, de quibus merito dicebat ille Elisei discipulus : « Mors in olla. » Sic et herba quæ dicitur absinthium, tantæ est amaritudinis, ut, si distilletur, vel in magna quantitate sumatur, instar veneni sit. Itaque aquæ hæ extrema amaritie a stella affectæ et infectæ in fine mundi, mortiferæ erunt, ita ut ex eis bibentes (aquæ enim potus vitari non potest) permulti emoriantur. Nam, ut docet Galenus, lib. I *Epidem.*, comment. 1, prooemio : « Potest interdum efficere morbum universalem haustus aquæ infectæ, quod quidem memoria proditum est in castris accidisse. » Aqua enim venenata si ebibatur, quia liquida est et penetrans, statim ad hepar et cor, quæ sunt partes vitales, pervadit, easque inficit et enecat, suo nimio vel calore, vel frigore, aut alia intemperie. Quocirca Aristoteles, lib. VII *Polit.*, cap. XI, ut urbs aliqua commodo et sano loco constituatur, primum, inquit, situs spectandus est. « Ad orientem enim solem conversæ urbes, et ad eos ventos qui inde perflant, salubriores sunt; secundo loco, quæ sunt secundum Boream sitæ : hæ namque sunt ad hiberna potiores. » Et inferius : « Secundum est in aquarum salubrium usu; quibus enim plurimum et frequentissime utimur ad corpus, ea plurimum important ad sanitatem : aquarum autem et ventorum potentia talem habet naturam. Quocirca in civitatibus quæ recte sapiunt, distinguendus est aquarum usus, si non omnes sint pares, nec abundantia sit earum aquarum, ut aliæ seorsim aquæ ad cibum et potum, aliæ ad aliam indigentiam deputentur. » Ea nimirum vis est aquæ, æque ac aeris jugiter corpus ambientis, imo in intima vel potu, vel respiratione attracti, eaque penetrantis et pervadentis, ut docet Cicero, lib. *De Fato*, ubi inter alia ait : « Athenis tenue est cœlum, ex quo acutiores etiam putantur Attici; crassum Thebis, itaque pingues Thebani et valentes. »

*Primo*, Alcazar per hanc plagam obscurationis siderum, accipit ignorantiam et excæcationem qua Deus percussit Judæos, quia mundi lucem, scilicet Christum, aspicere et recipere noluerunt. Excæcati ergo non viderunt solem, id est, non agnoverunt Deum trinum et unum; nec lunam, id est, humanitatem Christi; nec stellas, id est, Apostolos, eorumque Evangelicam doctrinam et sanctimoniam. Porro tertia pars siderum dicitur obscurata, quia non plane cæci fuerunt. Mansit enim in eis cognitio unius Dei, Mosis et Prophetarum; quin et viderunt miracula Christi et Apostolorum; sed hæc lux et cognitio eis in gravius peccatum, et majorem excæcationem ac damnationem cessit. Ex iis enim agnoscere poterant et debebant Christum, viamque salutis. Hoc est quod de eis ait Christus, *Joann.* IX, 41 : « Si cæci essetis, non haberetis peccatum. » Rursum, cognitio de Deo tripliciter acquiritur : *primo*, per opera ejus admirabilia, quæ fiunt per ejus potentiam, quæ attribuitur Patri; *secundo*, per doctrinam, quæ attribuitur Filio; *tertio*, per internam illuminationem, quæ attribuitur Spiritui Sancto : duo priora habuerunt Judæi, sed tertium eis defuit, ideoque dicitur eis obscurata tertia pars solis et siderum.

*Secundo*, Aureolus et Lyranus per Angelum hunc accipiunt Eutychetem et Nestorium hæresiarchas. Ille enim in Christo posuit unam tantum naturam, conflatam ex deitate et humanitate; hic in eo posuit duas personas, unde negavit Christum hominem esse Deum, ac B. Virginem esse Deiparam. Ab his per hæresim percussa est tertia pars solis, id est excellentia et dignitas Christi : illius enim vel personæ, vel naturæ fuerunt injurii; et lunæ, id est Ecclesiæ; et stellarum, id est Episcoporum, quos sua hæresi infecerunt, inter quos fuit Dioscorus, Patriarcha Alexandrinus.

*Tertio*, Viegas per quartum hunc Angelum accipit quartum concionatorum ordinem, qui contra quartæ Ecclesiæ hostes, puta hypocritas, tuba verbi Dei insonuerunt. Hypocritæ enim transfigurantes se in angelos lucis, occulte nova falsaque dogmata sparserunt, quasi essent Dei oracula. Ex quo tertia pars solis, lunæ et stellarum, id est, fidelium nobilium et ignobilium obscurata est.

*Quarto*, planissime Ribera hæc ad litteram, ut sonant, accipit; vere enim in fine mundi obscurabitur sol, et luna et stellæ, uti audivimus cap. VI, vers. 12. Ita ut diei non luceat eorum tertia pars, id est, ut dies, æque ac nox, tertia parte fiat obscurior solito; non autem quod tertia temporis, puta diei et noctis, parte sol, luna et stellæ plane obscurabuntur, et duabus tantum reliquis temporis partibus lucebunt, ut aliqui imaginantur.

Alludit ad nonam plagam Ægypti, quæ fuit densissimarum tenebrarum, de qua dicitur *Exodi* X, 22 : « Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat. » Et *Sapient.* XVII, 2 : « Vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. » Vide ibi dicta.

13. ET VIDI (aquilam quæ sequitur) ET AUDIVI. — Syrus quædam addit : *Et vidi*, inquit, *et audivi aquilam unam volantem, in medio cauda sanguinem habentem, dicentem voce magna : Væ, væ, væ, illis qui habitant super terram !*



*Primo*, Alcazar censet hanc aquilam esse doctrinam Evangelicæ sapientiæ (hujus enim symbolum est aquila) : volat per medium cœli, id est, Ecclesiæ; inclamat Judæis ter væ, ut significet tres sequentes plagas trium Angelorum, scilicet concupiscentias, iras et obdurationem, infligendas Judæis, majores et formidabiliores fore quatuor jam recensitis, scilicet fame, bello, peste et ignorantia.

*Secundo*, Lyranus, Aureolus et Viegas putant hanc aquilam fuisse ipsummet S. Joannem. Commode enim et congrue potuit Deus imaginariam aquilam per visum S. Joanni ostendere, clamantem voce magna : Væ, væ, væ, ut per illam significaret ipsummet Joannem tres adhuc plagas prodigiosas conspecturum, easque orbi denuntiaturum, et hoc libro descripturum.

*Tertio*, Abbas Joachim per aquilam hanc accipit S. Gregorium Magnum Pontificem, qui floruit anno Domini 590, et multa composuit moralia ad correctionem populi Dei, in quibus sæpe exclamat instare væ, id est tempora amara, et horrendas grassationes Longobardorum, ideoque finem mundi appropinquare.

*Quarto* et genuine, Beda, Aretas et Ticonius per aquilam, vel, ut multi Græci codices habent, Angelum, accipiunt prædicatores, qui in fine mundi, illi imminentes plagas, exertamque vindicis Dei manum, strictumque gladium denuntiabunt. Quocirca aptissime Ribera per aquilam hanc intelligit aliquem sanctum et cœlestem Prophetam, quem Deus in fine mundi excitabit, ut hominibus toto orbe existentibus prænuntiet sequentes tres plagas, atque Antichristi adventum imminere. Unde volabit per medium cœlum, id est, celerrime per mediam terram discurret, ut prædicet graviora instare impiis supplicia, ni vitam moresque mutent. Clamat ter « væ, » ut indicet quod tres plagæ gravissimæ trium Angelorum proxime sequentur, et incumbent impiis. Denique, si quis per aquilam accipiat Angelum, qui assumpta aquilæ forma volabit per orbem, hæcque ubique proclamabit, non repugnabo (1).

Tropologice, talis aquila fuit S. Paulus, ait S. Gregorius in illud *S. Job* cap. XXXIX, vers. 27 : « Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum ? » De his etiam ait Isaias, cap. XL, vers. 31 : « Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ. » Vide ibi dicta, quibus adde :

*Primo*, aquilæ cornicum garritus obstreperos contemnunt. Cornices enim aquilas irritant, sed aquilæ eas despicientes sursum evolant, ait Ælianus, lib. V, cap. XXII. Ita doctores virtute illustres æmulos et invidos contemnunt, quoque magis ab eis lacessuntur, eo altius se librant, et infra se volantes obstreperas corniculas rident, dicentes : « Sola virtute sequantur. »

*Secundo*, aquilæ fel Attico melle temperatum, illitum oculis hebescentibus, visum facit acutissimum, ait Ælianus, lib. I *De Animal.*, cap. XLII. Ita sapientis correptio suavitate condita docet voluptuarios sapere, eosque ad frugem revocat « Blando vis latet imperio, » ait Ausonius ad Theodosium.

*Tertio*, aquila quædam in Septentrione ova in pelle vulpina soli exponit, calefacit et fovet, ait Albertus Magnus : ita sapiens robori addit calliditatem.

*Quarto*, aquila senescens se cum pennis renovat : ita sapientes dicunt docentque illud Psaltis : « Renovabitur ut aquilæ juventus mea. »

*Quinto*, Auctor *Geoponicon*, lib. I, scribit ad avertendum grandinis periculum multum valere chalazitem lapidem, vel aquilæ alam dexteram in medio agro defixam : ita sapientes Dei præcones suis concionibus et orationibus avertunt procellas iræ Dei.

*Sexto*, in Imperatorum exequiis fiebat ingens pyra, in cujus cacumine considebat aquila, quæ, inferne omnibus conflagrantibus, in cœlum evolabat, ut animam Imperatoris in cœlum deferre videretur, ait Herodianus in *Severo*, et Xiphilinus in *Augusto*. Sic mundus instar pyræ deflagrabit : soli sapientes quasi aquilæ in apice derident flammas, et se librant in cœlum. Ita Maximilianus II Imperator pro insigni habuit aquilam in nubibus volantem.

*Septimo*, licet aquilæ feris captis vescantur, una tamen quæ Jovis dicitur, sola herba vescitur, ait Ælianus, lib. IX, cap. X. Ita doctores religiosi Deo consecrati abstinentiæ vacant, ut purius cœlestia contemplentur. « Puriorum enim mentium propria est abstinentia, » ait Isidorus Pelusiota, *epist.* 52.

*Octavo*, Pythagoras dictitabat se aquilam albam advolantem sinu excepisse, ex quo se divinum hominem factum, et multa supra mortalium captum scivisse asserebat, ait Ælianus, lib. IV, cap. XVII. Tales sunt eruntque in fine mundi, qui aquilarum, id est cœlestium doctorum, voces excipient.

*Nono*, aquila ex insperato subinde advolans, destinatos gladio et neci eripuit, uti Tilgamum, qui postea rex Babylonis creatus est. Sic et Achemenes Persa, a quo nobilis Achemenidarum stirps descendit, aquilæ fuit alumnus, ait Ælianus, lib. XII *De Animal.*, cap. XXI. Sic et Valeriam Lupercam immolandam Junoni ad avertendam pestem, aquila eripuit, cultrumque victimarium buculæ juxta templum pascenti infixit, inquit Aristides, lib. IX *Ital.* Ita cœlestes viri et præcones peccatores convertendo, eos a morte et gehenna liberant, suntque eis quasi *Deus ex machina*, ut vulgo dicitur.

Nota hic Dei clementiam, qua licet ab hominibus graviter offensus, iisque iratus et indignans,

(1) Aquila hæc, juxta Allioli, alludit ad aquilas Romanorum militum qui Judæorum gentem erant eversuri.

mittit tamen Prophetas, qui eos ad peccatorum agnitionem et pœnitentiam adducant, ne cogatur eos punire.

VÆ HABITANTIBUS IN TERRA! — Væ hominibus terræ incolis! Mystice, væ terrenis et mundanis, qui corde et affectu habitant in terra, imo eidem prorsus affixi sunt! « Sanctus enim non est habitator terræ, sed advena atque peregrinus, dicitque : Advena sum et peregrinus sicut omnes patres mei. Quamobrem et Abraham Hebræus, id est περάτης, et peregrinus transitorque memoratur, » ait S. Hieronymus in *Ezechiel.* VII. Et S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. VII, citans hunc locum : « Væ habitantibus in terra! » explicansque subdit : « Non utique omnes homines comprehendit, qui tunc vitæ hujus cursum conficiunt (sunt enim et in terris positi, quorum conversatio in cœlis est), sed eos quos terrenæ conversationis affectus, ac sæculi hujus vicerit gratia. Ergo non habitatores, sed accolæ sumus terræ hujus. Accola enim temporalis diversorii spem gerit : habitator autem spem omnem, atque usum suæ illic substantiæ locare videtur, ubi habitandum putaverit. Itaque qui est terræ accola, habitator cœli est; qui autem habitator terræ, possessor est mortis. »

# CAPUT NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Canit tuba quintus Angelus, et stella cadens e cœlo aperit puteum abyssi : unde prodeunt locustæ monstrosæ similes equis, coronatæ, habentes capillos mulierum, et dentes leonum, et caudas scorpionum, quæ cum rege suo Abaddon cruciant homines per quinque menses. Secundo, vers. 13, canit sextus Angelus, et solvuntur quatuor angeli ligati in Euphrate, qui colligunt maximum et terribilem exercitum, a quo cæsa est tertia pars hominum; et tamen hisce plagis cæteri impii a suis sceleribus non sunt avulsi et aversi, ut dicitur vers. 20.*

1. Et quintus Angelus tuba cecinit : et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi. 2. Et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ; et obscuratus est sol et aer de fumo putei; 3. et de fumo putei exierunt locustæ in terram, et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ; 4. et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. 5. Et datum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarent mensibus quinque; et cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii cum percutit hominem. 6. Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam : et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis. 7. Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium; et super capita earum tanquam coronæ similes auro, et facies earum tanquam facies hominum. 8. Et habebant capillos sicut capillos mulierum; et dentes earum sicut dentes leonum erant. 9. Et habebant loricas sicut loricas ferreas, et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. 10. Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum : et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque; et habebant super se 11. Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollyon, Latine habens nomen Exterminans. 12. Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc. 13. Et sextus Angelus tuba cecinit : et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei, 14. dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam : Solve quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. 15. Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum, ut occiderent tertiam partem hominum. 16. Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum. 17. Et ita vidi equos in visione; et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas, et capita equorum erant tanquam capita leonum;



et de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur. 18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne et de fumo, et sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum. 19. Potestas enim equorum in ore eorum est, et in caudis eorum; nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita; et in his nocent. 20. Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare. 21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.

1. VIDI STELLAM DE COELO CECIDISSE. — Quæres, quænam hæc stella, quis fumus, quæ et quales locustæ? *Primo*, Alcazar censet hoc cap. IX, enarrari quintam et sextam plagam Judæis incredulis immissam. Hæ duæ plagæ, inquit, sunt « locustæ horribiles et equi furiosi, » sive Sirenes et Furiæ. Traditi enim sunt Judæi Sirenibus, id est, suis effrenatis concupiscentiis, juxta illud quod eis minatus est David *Psal.* LXXX, 13 : « Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. » Hinc consequenter traditi sunt furiis conscientiæ, ut illæ ex scelerum memoria, et pœnæ ac plagarum atrocitate, eis cor arroderent, eosque quasi in amentiam adigerent, de quibus ait Cicero *Pro Roscio Amerino* : « Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas a consceleratissimis filiis repetant. » *Secundo*, per stellæ lapsum significatur, non id quod Astrologi aliqui volunt, scilicet Deum subinde permittere, ut astrorum impressio et depravatæ indolis vis, stultis et improbis dominentur, eosque sui cordis cupiditatibus subjiciant, quomodo ait Horatius, lib I, ode 19 :

> In me tota ruens Venus deseruit Cyprum;

et in Anacreontem (ut ipse fingit) sese immittit Cupido. Sed potius stella hæc significat legem Mosis, quæ quasi desuper ruens Judæos oppressit, et per occasionem concupiscentiam in eis accendit, *Rom.* cap. VII, vers. 7; locustæ enim sunt cordis desideria et concupiscentiæ effrenatæ, quæ stella hac aperiente abyssum inde prodierunt. *Tertio*, puteus abyssi non est infernus, sed puteus profundissimus, ut sine fundo esse videatur. Hic puteus symbolum est justi judicii Dei (juxta illud *Psalm.* XXXV, 7 : « Judicia tua abyssus multa »), quo Deus tradidit Judæos suis concupiscentiis, juxta illud *Proverb.* XXII, 14 : « Fovea profunda est meretrix : cui iratus est Dominus, incidet in eam. » Sicut enim hic judicium Dei, ita ibi meretrix fingitur esse puteus altus, in quem justo Dei judicio præceps ruit peccator. Porro concupiscentiam hic accipe, non tantum libidinis, sed etiam opum, honorum, gulæ omniumque vitiorum; ἄβυσσος enim, sive ἄβυθος est vorago, sive aquarum copia carens fundo : hanc enim significat Hebr. *tehom.* Unde *Genes.* I, 2, dicitur : « Tenebræ erant super faciem abyssi. » Et S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum* : « Abyssus, inquit, est inæstimabilis aquarum profunditas. » Scapula quoque in Lexico : « Abyssus, inquit, est aquarum vorago; idem de Hebr. *tehom* dicit Pagninus. Allegorice tamen abyssus significat infernum, tum quia infernus est quasi mare, cui damnati immerguntur, estque profundissimus instar putei, sive carceris profundissimi et tenebricosissimi; tum quia ipse est profundum Dei judicium, id est supplicium, quod Deus juste de damnatis sumit. *Quarto*, fumus putei significat concupiscentias esse tenebras obscurissimas, nec animo licere per eas sole, id est cœlesti luce, imo nec rationis lumine frui. Ex hoc inferni fumo, id est errore jam dicto, atque ex inordinatæ affectionis ac deceptionis tenebris prodeunt locustæ, id est inconstantes et carnales cupidines : locusta enim est animal ventosum et vorax; unde apte significat appetentiarum esuriem, et cupiditatum ac sollicitudinum varietatem et infinitatem, æque ac gulosorum ventrem insaturabilem. Rursum, locusta est animal inquietum, vagum, sordidum, noxium, impudens, mordax : talis est et concupiscentia. « Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones : » sunt enim quædam locustæ quæ habent caudam instar scorpionis. Apte significat locustas, id est cupiditates abeuntes, infigere aculeum menti æque ac corpori, sicut scorpius in cauda habet dentes, teste Plinio, lib. XI, cap. XXXVII, juxta illud *Prov.* XXIII, 31 : « Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. » Quocirca dixit Seneca : « Qui desiderium claudit, mehercule cum Jove de felicitate contendit. » *Sexto*, præcipitur locustis hisce ne noceant herbis, sed hominibus; quo significatur spirituales has esse locustas, et mysticas, non physicas et naturales, scilicet concupiscentias jam dictas. *Septimo*, cum dicitur : « Ut cruciarent mensibus quinque, » alluditur ad *Genes.* VII, 24, et cap. VIII, 1, ubi dicitur diluvium occupasse et tenuisse terram centum quinquaginta diebus (tot enim dies continent menses quinque). Sicut ergo tunc aquarum in orbe, et postea sub Mose locustarum fuit diluvium operiens totam Ægyptum, *Exodi* XX, 15 : ita significatur hic concupiscentiarum diluvium immissum in Judæos duraturum per 150 dies, id est diutissime, donec Deus misertus eorum, Noe mystici, id est Christi salvatoris nostri, meminerit, et suum spiritum

mittit tamen Prophetas, qui eos ad peccatorum agnitionem et pœnitentiam adducant, ne cogatur eos punire.

Væ habitantibus in terra! — Væ hominibus terræ incolis! Mystice, væ terrenis et mundanis, qui corde et affectu habitant in terra, imo eidem prorsus affixi sunt! « Sanctus enim non est habitator terræ, sed advena atque peregrinus, dicitque : Advena sum et peregrinus sicut omnes patres mei. Quamobrem et Abraham Hebræus, id est περάτης, et peregrinus transitorque memoratur, » ait S. Hieronymus in *Ezechiel.* VII. Et S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. VII, citans hunc locum : « Væ habitantibus in terra! » explicansque subdit : « Non utique omnes homines comprehendit, qui tunc vitæ hujus cursum conficiunt (sunt enim et in terris positi, quorum conversatio in cœlis est), sed eos quos terrenæ conversationis affectus, ac sæculi hujus vicerit gratia. Ergo non habitatores, sed accolæ sumus terræ hujus. Accola enim temporalis diversorii spem gerit : habitator autem spem omnem, atque usum suæ illic substantiæ locare videtur, ubi habitandum putaverit. Itaque qui est terræ accola, habitator cœli est; qui autem habitator terræ, possessor est mortis. »

# CAPUT NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Canit tuba quintus Angelus, et stella cadens e cœlo aperit puteum abyssi : unde prodeunt locustæ monstrosæ similes equis, coronatæ, habentes capillos mulierum, et dentes leonum, et caudas scorpionum, quæ cum rege suo Abaddon cruciant homines per quinque menses. Secundo, vers. 13, canit sextus Angelus, et solvuntur quatuor angeli ligati in Euphrate, qui colligunt maximum et terribilem exercitum, a quo cæsa est tertia pars hominum; et tamen hisce plagis cæteri impii a suis sceleribus non sunt avulsi et aversi, ut dicitur vers. 20.*

1. Et quintus Angelus tuba cecinit : et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi. 2. Et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ; et obscuratus est sol et aer de fumo putei; 3. et de fumo putei exierunt locustæ in terram, et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ; 4. et præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. 5. Et datum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarent mensibus quinque; et cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii cum percutit hominem. 6. Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam : et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis. 7. Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium; et super capita earum tanquam coronæ similes auro, et facies earum tanquam facies hominum. 8. Et habebant capillos sicut capillos mulierum; et dentes earum sicut dentes leonum erant. 9. Et habebant loricas sicut loricas ferreas, et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. 10. Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum : et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque; et habebant super se 11. Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollyon, Latine habens nomen Exterminans. 12. Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc. 13. Et sextus Angelus tuba cecinit : et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei, 14. dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam : Solve quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. 15. Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum, ut occiderent tertiam partem hominum. 16. Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum. 17. Et ita vidi equos in visione; et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas, et capita equorum erant tanquam capita leonum;



et de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur. 18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne et de fumo, et sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum. 19. Potestas enim equorum in ore eorum est, et in caudis eorum; nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita; et in his nocent. 20. Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare. 21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.

1. Vidi stellam de cœlo cecidisse. — Quæres, quænam hæc stella, quis fumus, quæ et quales locustæ? *Primo*, Alcazar censet hoc cap. IX, enarrari quintam et sextam plagam Judæis incredulis immissam. Hæ duæ plagæ, inquit, sunt « locustæ horribiles et equi furiosi, » sive Sirenes et Furiæ. Traditi enim sunt Judæi Sirenibus, id est, suis effrenatis concupiscentiis, juxta illud quod eis minatus est David *Psal.* LXXX, 13 : « Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. » Hinc consequenter traditi sunt furiis conscientiæ, ut illæ ex scelerum memoria, et pœnæ ac plagarum atrocitate, eis cor arroderent, eosque quasi in amentiam adigerent, de quibus ait Cicero *Pro Roscio Amerino* : « Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas a consceleratissimis filiis repetant. » *Secundo*, per stellæ lapsum significatur, non id quod Astrologi aliqui volunt, scilicet Deum subinde permittere, ut astrorum impressio et depravatæ indolis vis, stultis et improbis dominentur, eosque sui cordis cupiditatibus subjiciant, quomodo ait Horatius, lib I, ode 19 :

> In me tota ruens Venus deseruit Cyprum;

et in Anacreontem (ut ipse fingit) sese immittit Cupido. Sed potius stella hæc significat legem Mosis, quæ quasi desuper ruens Judæos oppressit, et per occasionem concupiscentiam in eis accendit, *Rom.* cap. VII, vers. 7; locustæ enim sunt cordis desideria et concupiscentiæ effrenatæ, quæ stella hac aperiente abyssum inde prodierunt. *Tertio*, puteus abyssi non est infernus, sed puteus profundissimus, ut sine fundo esse videatur. Hic puteus symbolum est justi judicii Dei (juxta illud *Psalm.* XXXV, 7 : « Judicia tua abyssus multa »), quo Deus tradidit Judæos suis concupiscentiis, juxta illud *Proverb.* XXII, 14 : « Fovea profunda est meretrix : cui iratus est Dominus, incidet in eam. » Sicut enim hic judicium Dei, ita ibi meretrix fingitur esse puteus altus, in quem justo Dei judicio præceps ruit peccator. Porro concupiscentiam hic accipe, non tantum libidinis, sed etiam opum, honorum, gulæ omniumque vitiorum; ἄβυσσος enim, sive ἄβυθος est vorago, sive aquarum copia carens fundo : hanc enim significat Hebr. *tehom*. Unde *Genes.* I, 2, dicitur : « Tenebræ erant super faciem abyssi. » Et S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum* : « Abyssus, inquit, est inæstimabilis aquarum profunditas. » Scapula quoque in Lexico : « Abyssus, inquit, est aquarum vorago; idem de Hebr. *tehom* dicit Pagninus. Allegorice tamen abyssus significat infernum, tum quia infernus est quasi mare, cui damnati immerguntur, estque profundissimus instar putei, sive carceris profundissimi et tenebricosissimi; tum quia ipse est profundum Dei judicium, id est supplicium, quod Deus juste de damnatis sumit. *Quarto*, fumus putei significat concupiscentias esse tenebras obscurissimas, nec animo licere per eas sole, id est cœlesti luce, imo nec rationis lumine frui. Ex hoc inferni fumo, id est errore jam dicto, atque ex inordinatæ affectionis ac deceptionis tenebris prodeunt locustæ, id est inconstantes et carnales cupidines : locusta enim est animal ventosum et vorax; unde apte significat appetentiarum esuriem, et cupiditatum ac sollicitudinum varietatem et infinitatem, æque ac gulosorum ventrem insaturabilem. Rursum, locusta est animal inquietum, vagum, sordidum, noxium, impudens, mordax : talis est et concupiscentia. « Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones : » sunt enim quædam locustæ quæ habent caudam instar scorpionis. Apte significat locustas, id est cupiditates abeuntes, infigere aculeum menti æque ac corpori, sicut scorpius in cauda habet dentes, teste Plinio, lib. XI, cap. XXXVII, juxta illud *Prov.* XXIII, 31 : « Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. » Quocirca dixit Seneca : « Qui desiderium claudit, mehercule cum Jove de felicitate contendit. » *Sexto*, præcipitur locustis hisce ne noceant herbis, sed hominibus; quo significatur spirituales has esse locustas, et mysticas, non physicas et naturales, scilicet concupiscentias jam dictas. *Septimo*, cum dicitur : « Ut cruciarent mensibus quinque, » alluditur ad *Genes.* VII, 24, et cap. VIII, 1, ubi dicitur diluvium occupasse et tenuisse terram centum quinquaginta diebus (tot enim dies continent menses quinque). Sicut ergo tunc aquarum in orbe, et postea sub Mose locustarum fuit diluvium operiens totam Ægyptum, *Exodi* XX, 15 : ita significatur hic concupiscentiarum diluvium immissum in Judæos duraturum per 150 dies, id est diutissime, donec Deus misertus eorum, Noe mystici, id est Christi salvatoris nostri, meminerit, et suum spiritum

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

zephyrumque terræ immittat, qui locustas has auferat, et Judæos ad Christum convertat, quod erit in fine mundi. *Octavo*, quærent homines mortem, et non invenient; quia inordinata desideria tot metus, angores et cruciatus menti afferunt, ut homines iis obnoxii sæpe optent mortem. Unde Plinius lib. VII, cap. L: « Tot, ait, metus, tot curæ, toties invocata mors, ut nullum frequentius sit votum. » Hæc ergo clarum est a concupiscentiæ fomite exoriri, sine quo nullus est metus, nulla cura, nulla sollicitudo. Unde sapienter S. Bernardus: « Tolle propriam voluntatem, et infernus non erit. » *Nono*, sunt « similes equis paratis in prælium, » quia maxima est vis, ardor et impetus concupiscentiæ ad proterendum omnia quæ sibi obsistunt: ita videmus libidinosos et iracundos in ignes et enses ruere, dum æstro libidinis vel iræ aguntur. *Decimo*, habent in capite coronas ex auro, quia homines, suis concupiscentiis dediti, falso putant eas quasi reginas esse, quibus subjici et per omnia obsequi debeant: illis enim cordis sui regnum et imperium deferunt. Unde ait Paulus *Rom.* v, 21, et vi, 12: « Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. » *Undecimo*, habent facies hominum et capillos mulierum, quia blandas et molles prima facie se exhibent, et ita incautos homines pelliciunt. Hoc est quod ait S. Jacobus, i, 14: « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. » *Duodecimo*, habent dentes leonum, quia animam mordent, lancinant, et funestum habent exitum. Unde de iis *Eccli.* xxi, 3, dicitur: « Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas. » *Decimo tertio*, stridorem edunt alis suis instar curruum, quia suis clamoribus dicentes: « Affer, affer, » *Prov.* xxx, 15, ita aures mentis obtundunt et opplent, ut ejus attentionem absorbeant, nihilque loci supersit ad aures consiliis salutaribus accommodandas. *Decimo quarto*, habent super se regem Abaddon, puta diabolum, qui per concupiscentias quasi milites suos, bellum hominibus infert. Unde de eo ait Paulus II *Timoth.* ii, 26: « A quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. » Hic vocatur Exterminator, quia ipse concupiscentias acuit et inflammat, ut per eas exterminet omne semen virtutis. Nam, ut ait Apostolus: « Desideria mergunt homines in interitum et perditionem, » I *Timoth.* vi, 9. Ubi pro *perditionem* græce est ἀπώλειαν; unde vocabatur hic Ἀπολλύων, id est *perdens*, vel *exterminans*, nimirum hæc sunt « sepulcra concupiscentiæ, » de quibus *Num.* xi, 34. Notum est illud: « Plures occidit crapula quam gladius. » Aut per Angelum abyssi accipe amorem proprium; hic enim rex est concupiscentiarum, easque dirigit, immittit et inflammat, cui recte accommodes illud *Habacuc* iii, 5: « Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus. » Vere enim amor proprius ipsi animæ est quasi dæmon nocentissimus. Hucusque Alcazar apposite ad tropologiam, sed non ad litteram, ut ipse contendit.

*Secunda* expositio est Aureoli, Lyrani et S. Antonini, I parte *Chronic.*, titul. VI, cap. i, qui censent hic prædici persecutionem Wandalicam, quæ gravissima fuit quinque mensibus, id est sub quinque Wandalorum regibus, scilicet Gunderico, Genserico, Hunerico, Thrasamundo et Gilimer. Nam Stilico Wandalus, militiæ dux strenuus sub Theodosio seniore, ab eo moriente relictus est tutor filiorum ejus, et totius Imperii: quocirca ipse duas filias suas Honorio successive in uxores dedit. Tandem volens imperium ab Honorio ad se suumque filium Eucherium transferre, occulte contra Honorium concitavit Wandalos; sed proditione ejus detecta, perduellis ipse cum filio ab Honorio capite mulctatus est. Post Stiliconis mortem Wandali sibi regem crearunt Corsiconem, qui omnia quæ inter Alpes et Pyrenæos sunt vastavit. Wandali a Gothis facti sunt Ariani. Corsico obsidens Arelatum a Præfecto urbis capitur et occiditur. Huic succedit Fredebaldus II, Wandalorum rex, quo mortuo succedit tertius rex Gundericus, primus in Hispania Wandalorum rex: huic pariter succedit frater Gensericus, quartus eorum rex, qui Africam vastavit, et Hipponem, in eaque S. Augustinum, urbis Episcopum, obsedit; deinde trajiciens in Italiam, Romam cepit et diripuit, mox et Capuam et Nolam, in qua Episcopus erat S. Paulinus, qui se pro filio viduæ captivum Wandalis dedit. Prædicatus fuit Gensericus omnium regum felicissimus et gloriosissimus, quod duarum totius orbis potentissimarum et principum urbium, Romæ et Carthaginis, fuerit expugnator. Genserico succedit filius Hunericus, quintus Wandalorum rex, qui trecentos Episcopos, Diaconos, Presbyteros, laicos vero 4940 in exilium misit, multosque martyrio affecit; Trachenses cives, quod Arianum Episcopum pati nollent, male mulctavit, eisque linguas et dexteras manus amputavit; qui tamen per miraculum, Deo dante, ita locuti sunt ac si linguas habuissent: quorum unus dum peccat et prolabitur in libidinem, donum hoc perdidit, teste S. Gregorio, lib. III *Dialog.*, cap. xxxii. Hunericus, postquam octo annis regnasset, vermibus consumptus interiit. Hunerico succedit Guntabundus: huic deinde Thrasamundus frater, qui regnavit annis 26. Thrasamundo successit filius Hilpericus, quem genuit ex filia Valentiniani Imperatoris, qui proinde a matre orthodoxam fidem cum lacte suxit. Quocirca Gilimer, Hilperici frater consobrinus, regni avidus, Hilpericum proditionis accusavit, quod cum Justiniano occulte colluderet. Hilpericus ergo a Wandalis regno privatus custodiæ traditus est, eique suffectus Gilimer, qui quinque annos regnavit. Justinianus Imperator volens restituere Hilperico regnum, bellum movit Gilimero, mittens contra eum Belisarium, a quo Gilimer superatus et captus, argentea catena vinctus, Constantinopolim in triumphum ductus est ad Justinianum Imperatorem anno Domini 536. Ubi visa Justiniani magnificentia, merito Gilimer ex-



clamavit: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Ego heri fui rex, nunc captivus et catenatus quasi mancipium. » Tunc ergo desiit regnum Wandalorum, anno scilicet 95 ab invasa et occupata ab iis Africa, uti futurum prædixerat S. Cyprianus, teste Evagrio, lib. IV, cap. xvi.

Consent ergo Lyranus, Aureolus et S. Antoninus stellam cadentem esse Valentem Imperatorem Arianum, vel Gensericum, qui primus ex regibus Wandalorum fuit Arianus, primusque a Bonifacio Comite vocatus in Africam, eam invasit, tenuitque ipse et posteri ejus per 95 annos usque ad Gilimerum, ut dixi. Locustæ ergo sunt Wandali; quinque menses censent esse quinque reges Arianos jam dictos, vel regum tempora: hi enim, utpote Ariani, graviter Ecclesiam afflixerunt, uti inter alios enarrat oculatus testis, et cum aliis orthodoxis ab iis gravia passus, Victor Uticensis libris tribus, quos *De Persecut. Wandal.*, dignos sane lectu conscripsit. Verum, uti jam sæpius ostendi, hæc omnia a sigillo sexto et deinceps usque ad finem Apocal. spectant ultima mundi tempora.

*Tertia* ergo expositio est nostri Blasii Viegas, qui secutus S. Augustinum, Bedam, Primasium, Gagneium et alios plurimos, per quintum hunc angelum accipit quintum concionatorum ordinem. Stella cadens, inquit, est Lucifer (Alcazar, Judam proditorem; Cardinalis Bellarminus, Lutherum; alii, Calvinum et similes hæreticos ex clericis laicos, ex monachis maritos, ex castis incestos, ideoque ex summo in imum abyssi, id est hæresis, indeque gehennæ prolapsos accipiunt. Unde nonnulli conjectarunt Lutheri hæresin duraturam quinque mensibus, sive 150 diebus, id est, 150 annis: dicunt enim diem pro anno accipi). Lucifer ergo olim instar stellæ cadentis lapsus est de cœlo, et nunc rursus ejus lapsus per visionem imaginariam repræsentatus fuit Joanni. Unde de eo ait Christus: « Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem, » *Lucæ* x, 18. Locustæ sunt hæresiarchæ et hæretici, qui in fine mundi plurimi erunt quasi locustæ, uti præmonuit Christus, *Matth.* xxiv, 24. Hos ex inferno educet Lucifer cum fumo, id est, densis errorum et hæresum nebulis, qui solem, id est, Christi divinitatem et dignitatem; ac lunam, id est, Ecclesiam; et stellas, id est, fideles, obscurabunt. Horum potestas erit ut scorpionum, id est, maxime dolosa et perniciosa. Eis præceptum est ne lædant fœnum, id est, fideles qui habent fidem et charitatem, sed teneram et delicatam: nec viride, id est, fideles in fide et charitate virentes et fortes; nec arbores, id est, sanctos excelsos et Prælatos; sed tantum eos qui non habent signum Dei, id est, qui non habent fidem et charitatem: hi enim facile in hæresin labuntur. Hi ergo persequentur Ecclesiam usque ad mortem et martyria: unde habent arma, equos, loricas, etc.

Quæres, cur hæretici vocentur locustæ? Respondent auctores citati, et pulchre ac fuse Cardinalis Bellarminus in oratione quam ultimo tomo præposuit, atque Viegas hic: *Primo*, quia, sicut locustæ maxime nocent virentibus, sic hæretici fidei et virtutibus. *Secundo*, quia contra Ecclesiam conspirant, sicut locusta egreditur universa per turmas suas, lib. *Proverb.* cap. xxx, vers. 27. *Tertio*, ob locustarum saltus, quos imitantur hæretici sua inconstantia, qua ab uno errore et hæresi saliunt in alium. *Quarto*, quia hæretici sanioso ore cuncta polluunt, suntque ut locustæ in ventrem, id est gulam et libidinem, propensi. Quocirca sicut ambitio et libido sunt gradus ad hæresin, ita humilitas, castitas vitæque innocentia efficacissimum esse medium, ut quis fidem sanam conservet, nec labatur in hæresin

Nota *primo*: Hæ locustæ habent coronas in capite, quia hæretici reges et principes seducunt (uti Arius Constantinum et Constantium, Euthychiani Justinianum, Monothelitæ Heraclium, Lutherus Ducem Saxoniæ), qui eos eorumque hæreses armis tuentur et propagant. Coronæ hæ similes sunt auro, *primo*, quia hæretici, et principes eorum asseclæ præ se ferunt fidei zelum et charitatis ardorem; *secundo*, quia eorum victoria contra Ecclesiam futilis est, umbratica et evanida; hinc videtur aurum, sed non est; quia sua persecutione non vincunt, sed vincuntur tam hæretici, quam tyranni per patientiam et constantiam Orthodoxorum, uti pulchre ostendit Viegas, sect. 7, num. 3. Insuper Cardinalis Bellarminus per coronas quasi ex auro, accipit hæreticorum fastum, ut Lutheri, qui in epist. *ad Georgium*, ducem Saxoniæ, dicit se superare S. Augustinum et Ambrosium. Item in libro *Contra Bullam Leonis X*, ausus est Pontificem Maximum, cum universa quæ illi adhæret Ecclesia, excommunicare. Hinc vocant se Prophetas, Evangelistas, Elias tertios, reformatores Ecclesiæ, instauratores fidei et religionis.

*Secundo*, habent faciem humanam, id est simulant humanitatem et benevolentiam, sed mordent, quia habent dentes leoninos. Tropologice talis est detractor, de quo *Psalm.* cxxxix: « Acuerunt linguas suas sicut serpentis. » Serpentis enim lingua, ut ait Plinius, lib. V, cap. xxxvii, tenuissima est, trisulca, vibrans, atri coloris, et si eam extrahas, perlonga. Similis est lingua detractoris, ac imprimis trisulca, quia nocet sibi, audientibus et iis quibus detrahit; itaque unico ictu tres ferit et lædit. Ita ministri hæreticorum jugiter detrahunt monachis, Clericis, Pontifici; quin et Sanctis ac B. Virgini.

*Tertio*, habent capillos sicut mulierum. *Primo*, quia effeminati sunt et libidinosi. *Secundo*, quia infirmi sunt et debiles instar mulieris, ut Ecclesiam quæ virago est, vincere non possint. *Tertio*, quia hæresis nisi comam et fucum sibi inducat, displicet omnibus. *Quarto*, quia omnes pene hæretici, teste S. Hieronymo *ad Ctesiphontem*, auxilio feminarum suas hæreses propagarunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

*Quarto*, pectus lorica ferrea armatum significat eorum obstinationem, quæ tanta est, ut licet clare convincantur, malint tamen mori quam ab errore recedere. Similitudo equorum signum est audaciæ et temeritatis. *Quinto*, habent caudas aculeatas instar scorpionum, quia licet os blandum habeant offerantque carnis illecebras, tamen in fine animam et corpus multis implicant difficultatibus in hac vita, et æternis ignibus in futura. *Sexto*, volantes currus significant miram celeritatem, qua hæresis instar pestis et flammæ grassando, varias provincias corripit et devastat. *Septimo*, præsidet eis rex abyssi Abaddon, id est, exterminator; quia, ut recte ait Bellarminus, hæretici, v. g. Lutherus, ejusque prosapia et propago, grassatur in cœlum, terras, Purgatorium, infernum. In cœlo Deum spoliarunt trinitate, Christum deitate et humanitate, Sanctos homines beatitudine, eosdem cum angelis omni cultu et veneratione. In terra et Ecclesia magnam S. Scripturæ partem, omnia pene Sacramenta, omnes traditiones, sacerdotium, sacrificium, vota, jejunia, festa, templa, altaria, reliquias, cruces, imagines, monumenta omnia pietatis, leges Ecclesiasticas, disciplinam atque ordinem universum, populorum erga principes obedientiam, principum erga subditos potestatem, denique omnem modestiam, pudorem, reverentiam, omnem virtutem et spiritum, omnem domus Dei decorem et pulchritudinem exterminarunt. Purgatorium funditus evertere conantur. Quin et inferos veros et locales multi Lutheranorum negant, et imaginarios nescio quos inferos ex capite suo fingunt. Itaque nec a suo abyssi rege linguam virulentam abstinent, quin ei injurientur, eique jurisdictionem cum subditis adimant. Certe Calvinus docet infernum ejusque cruciatus non esse aliud, quam apprehensionem qua reprobi apprehendunt Deum sibi iratum. Scilicet hoc valde cruciat impios, qui, si non sentirent verbera et ignes Dei irati, ad Deum iras suas ablegarent, nec hilum iris aut minis ejus moverentur, multo minus cruciarentur.

Verum hæc licet apposite dicantur, mystica tamen potius videntur, quam litteralia. Adde : huic expositioni repugnat, quod hæ locustæ crucient homines, ita ut optent mori, quod hæreticis non competit : horum enim est homines pervertere in fide et moribus, non cruciare vel occidere; imo ab eis perversi et seducti, cum non nisi voluptates et commoda hujus vitæ spectent, summe amant vitam et horrent mortem. *Tertio*, hæ locustæ cruciabunt eos qui non habent signum Dei; hæretici vero cruciant eos qui habent hoc signum, puta fideles et Orthodoxos.

Porro insulsi et impudentes hic sunt nostri hæretici, præsertim Calvinistæ Angli, qui, ut se vindicent, talionem hic reddunt Catholicis. E quibus unus (ab uno disce omnes) recentior commentans in hunc Apocalypseos locum, per hanc stellam e cœlo lapsam et reserantem puteum abyssi, intelligit Mahometem et Antichristum, id est Pontificem Romanum; uterque enim, inquit, cœpit sub idem tempus, scilicet sub annum Domini DC. Tunc enim Romani Pontifices a puritate fidei et religionis suorum Patrum desciscentes, superstitiones induxerunt, puta Missas, invocationes Sanctorum, orationes pro defunctis, cultum reliquiarum, imaginum, cæremoniarum. Tunc Bonifacius III a Phoca Imperatore impetravit ut Universalis Episcopus vocaretur. Mox Bonifacius IV Pantheon, templum Gentilis idololatriæ, omnibus Sanctis consecravit, eamdem exercens impietatem, scilicet colendi novum deorum exercitum, dum festum eorum sanxit per totum orbem, ne scelus foret unius urbis Romæ. Plura alia affert de Bonifacio V, Theodato et aliis, sed plane falsa, quæ per calumniam ipsis impingit; quin nec a S. Gregorio lacerando maledicam linguam et calamum abstinet. Fumus ergo, inquit, est hæresis in doctrina, et in cultu superstitio, quibus sol et aer, id est lux veritatis, in Ecclesia obscurata est. Ex hoc fumo prodierunt locustæ : Orientales locustæ sunt Mahometani; Occidentales sunt monachi, moniales, numerosa cohors Religiosorum, Cardinales cum tota hierarchia Pontificia. Hi omnes scarabæi scaturiverunt ex eodem fumo, vel fimo ignorantiæ et erroris. Hi, utpote Mendicantes fratres, non occidunt, sed cruciant homines; quia spoliant hæredes patrimoniis, assidendo moribundis parentibus, eisque extorquendo partim minis Purgatorii, partim inde liberandi per suas preces et Missas spe, opima prædia, fundos, agros, magnam pecuniam, quin et filios et filias : docent enim licere filiis Religionem ingredi invitis parentibus. Major cruciatus et carnificina fuit, conscientiis injiciendo laqueum, eisque imponendo necessitatem quotannis confitendi omnia peccata cum singulis circumstantiis. Habent coronas in capite, quia sunt attonsi in modum coronæ. Habent capillos mulierum, quia sunt cultores B. Virginis, ejusque nomine se tegunt et velant, uti Carmelitæ ab Honorio III vocantur familia Virginis, ideoque pallio albo utuntur. Ita hæreticus nugatur et blasphemat, vomitque calumnias, quæ singulæ jam millies a Cardinali Bellarmino, Greisero, Sandero, Stapletono aliisque plurimis confutatæ sunt.

Verum, quid hæc ad septimum et ultimum *Apocal.* sigillum, quod ultimas orbi plagas, cum iisque finem et exitum adducet? Jam enim mille anni et amplius elapsi sunt ab ortu Mahometis, et a S. Gregorio et Bonifacio III. Rursum, quæ conventio Mahometis cum Pontifice, ut una eademque sint stella? quæ consensio Saracenorum cum monachis, ut utrique eædem sint locustæ? cum constet hos ab illis in fide, gente, loco, vita et moribus toto cœlo distare, ita ut Saraceni monachorum sint hostes infensissimi. *Tertio*, ante Mahometem et S. Gregorium, fuit Pontifex Romanus caput totius Ecclesiæ, fuit sacrificium Missæ, fuerunt monachi et anachoretæ, fuit invocatio Sanctorum, cultus reliquiarum, imaginum, etc., ut patet ex S. Hieronymo *Contra Vigilantium*, ex S. Augustino, lib. XXII *De Civitate*, cap. VIII, ex S. Basilio, hom. *De XL Martyribus*, et *De Constitut. Monast.* Ipse enim Basilius fuit monachus, ac monachis regulas et constitutiones præscripsit; imo e quatuor Ecclesiæ Doctoribus, tam Græcis, quam Latinis, tres fuere monachi, scilicet e Græcis S. Basilius, S. Nazianzenus, S. Chrysostomus; e Latinis S. Augustinus, S. Hieronymus et S. Gregorius. Ergo falso horum inventio tribuitur Bonifacio III ejusque successoribus. Mirum vero Anglos ita obstrepere S. Gregorio et monachis, cum ab ipso ejusque monachis, S. Augustino et sociis, ab eo in Angliam missis, ab ethnicismo ad Christi fidem sint conversi, uti Venerabilis Beda aliique omnes testantur. Nimirum effrons est hæresis, estque instar meretricis, quæ in adulterio deprehensa, quoslibet testes, etiam oculatos, lenones et meretrices esse clamitat; ita enim Lutherus, Calvinus, aliique hæretici hæresis crimen Orthodoxis impingunt, eosque vocant hæreticos et idololatras, quia ab iis se damnari vident. *Quarto*, Mahometani non cruciarunt mensibus quinque, sed occiderunt et occidunt Christianos; gladio enim propagant suam sectam ex præcepto Mahometis. *Quinto*, Saraceni non a mensibus quinque, sed jam a mille annis vexant Ecclesiam; monachi vero pene cum Christo nati sunt, uti patet ex S. Dionysio, lib. *De Eccles. Hierarchia*. *Sexto*, monachi habent coronas in capite, sed non ex auro, uti habent hæ locustæ : esto habeant capillos B. Virginis, non tamen habent capillos mulierum, uti habuit apostata Lutherus moniali suæ astrictus, ejusque mollis et effeminata Ministrorum progenies. Denique monachi non habent caudas scorpionum, nec dentes leonum, nec loricas ferreas, etc.

*Quarta* ergo explicatio magis congrua, est Riberæ, cui favet Primasius et ejus sequaces, dicens : « Equi homines sunt, sessores sunt spiritus nequam. » Ait itaque Ribera : Angelus quintus tuba canit, et mox stella, id est angelus unus e bonis, qui præsidet inferno, e cœlo descendit habens clavem abyssi, id est, habens potestatem aperiendi et laxandi infernum. Claves enim infernalis carceris non committuntur Lucifero aut dæmonibus, utpote damnatis et incarceratis, sed angelis bonis, utpote Dei ejusque justitiæ ministris. Ex inferno prodit fumus, id est, furibundæ et dirissimæ machinationes dæmonum in homines. Hinc obscuratus est sol et aer, id est excæcatæ sunt hominum mentes, ut cœlum non suspicerent, sed proni terram spectarent et ambirent, ait Richardus. Hæc enim symbolice et figurate accipere cogimur, quia nulla datur proprie clavis inferni; nullum etiam ejus ostium, vel hiatus, qui fumum exhalet super terram, ut solem obscurare possit : et liquet ex sequentibus locustas, utpote tot bestiis similes, figurate accipi debere.



Locustæ ergo erunt exercitus quidam barbarorum, a dæmone in impios immissus, ut eos per quinque menses vastet et cruciet, ut olim fecerunt Gothi, Alani, Wandali et Longobardi. His *primo* datum, id est permissum est, ut non occidant, sed morte gravius diutissime excrucient quasi cruciatu scorpii, qui est furtivus et crudelis. *Secundo*, sunt similes equis paratis in prælium, quia erunt equites bellicosissimi. *Tertio*, coronas habent similes auro, id est, galeas micantes ut aurum. Sic enim corona pro galea accipitur a Virgilio, *Æneid.* V :

Omnibus in morem tonsa coma, pressa corona.

Ubi Servius : « Corona, ait, id est galea; et sermone Homeri usus est, qui galeam στέφανον, id est *coronam*, dixit. Unde explicans subdit : Galeam ante pedes projecit inanem. » *Quarto*, facies tantum est hominum, quia cor et animus erit quasi leonum. *Quinto*, habent capillos sicut mulierum; quia molles et effeminati erunt, idque præ se ferent cultu corporis, maxime cincinnis et tortis crinibus. *Sexto*, dentes habent quasi leonum, ut validissime mordeant et lædant. *Septimo*, loricas habent sicut ferreas, id est ferreas; sed dicit *sicut*, quia hæc erat visio; et quia hos milites vocavit locustas, quibus proprie non competit lorica. *Octavo*, vox alarum est celer eorum impetus et strepitus, qui erit ex multitudine curruum expeditorum procurrentium ad prælium. *Nono*, habent caudas quasi scorpii, ut, sicut scorpii per caudam occulte nocent, ita et hi occulte noceant, idque in fine et abitu suo. *Decimo*, regem habent angelum abyssi, id est, diabolum eos excitantem.

Verum, non recte armati milites comparantur imbellibus locustis. *Secundo*, cum equi hic nominantur, nulli nominantur sessores vel equites; ergo nulli fuerunt. *Tertio*, locustæ hæ varias et monstrosas habent formas, plane diversas a forma et habitu militum. *Quarto*, milites gladiis et lanceis pugnant : hæ autem locustæ caudæ aculeo, quasi scorpiones pungunt et lædunt. *Quinto*, hæc plaga quinti angeli distinguitur a plaga sequenti sexti angeli, in qua ducenti milliones militum per quatuor angelos in impios immittuntur : ergo hæc non fuit militum.

Dico ergo : Planissimus et aptissimus sensus est (quod etiam probabile esse censet Ribera), ut hæc proprie, sicut sonant, accipias. Locustæ ergo hæ erunt dæmones, qui speciem et formam locustarum induent, sed novam et monstrosam, utpote ex variis animalibus, puta leone, scorpione, equo et homine commixtam et consarcinatam. Hæc sententia probatur *primo*, ex refutatione aliarum; non enim apparet quid planius et congruentius per locustas has ita monstrosas, quam monstrosi dæmones, et monstrosa eorum corpora, in quibus ipsi apparere solent, accipi possint, præsertim quia ceteræ omnes plagæ ad litteram, uti sonant, accipiendæ sunt : ergo et hæc. *Secundo*,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia prodeunt ex puteo abyssi, id est inferni : ergo sunt infernales; ergo dæmones. *Tertio,* quia in fine mundi plagæ erunt novæ, insolitæ et inauditæ; tuncque Satanas, ejusque dæmones, solvetur, ut dicitur cap. xx, vers. 3, qui soluti omnem suam vim et furias exerent in homines. Sicut ergo nunc invisibiliter tentant vexantque homines, ita tunc visibiliter vexabunt et cruciabunt. *Quarto,* etiam nunc in morte hominum solet dæmon morienti visibiliter apparere, ut extremam luctam et agonem cum eo obeat, animamque ejus sibi vindicet si possit, uti apparuit S. Martino morienti, et in dies moribundis apparere, ab iis ipsis audimus et cernimus; quod pluribus confirmat Bartholius Sibylla, lib. *Peregrin. quæst.,* Quæst. ultima : ergo idem faciet in fine et quasi agone mundi, post quem amplius homines tentandi et cruciandi non habebit potestatem. *Quinto,* rex harum locustarum est dæmon dictus Abaddon, vers. 11 : hunc enim dæmonem esse omnes consentiunt; ergo et subditi ejus, puta locustæ hæ, erunt pariter dæmones. *Sexto,* S. Antonio, Hilarioni et aliis Sanctis apparuerunt dæmones simili terrifica et monstrosa forma ursorum, leonum, luporum, imo mixta variorum animalium forma et specie. Ergo multo magis ita apparebunt in fine mundi, utpote amplius se non ostensuri, nec apparituri mundo. *Septimo,* hominum conceptus est dæmones monstrosas esse creaturas ex variis horrificis animalibus conflatas; itaque in imaginibus, puta in typo inferni et similibus, eos depingunt pictores, scilicet capite horrifico et vario cornuto, cauda hispida et aculeata, alis horrificis, ore et dentibus leoninis, etc. Idque apposite, quia dæmones talia corpora monstrosa assumere solent ex Dei nutu et jussu, ut per ea monstrosa animæ ipsorum (singularumque ejus potentiarum) tot vitiis deturpatæ deformitas demonstretur. Denique hac monstrosa specie apparituros dæmones in excidio Babylonis, aliarumque infidelium et impiarum urbium, ac multo magis in excidio orbis, cujus illa fuere typus et præludium, docet Isaias, cap. xxxiv, vers. 14 : « Occurrent, inquit, dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum : ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem. » Et cap. xiii, vers. 21 : « Requiescent ibi bestiæ, et replebuntur domus eorum draconibus; et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi : respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis. » Qui enim vastitatis et excidii fuere auctores, par est ut quasi urbis et orbis victores, in eo jam vastato et pene exciso habitent et dominentur. Itaque cum tubante quinto angelo stella, id est angelus e cœlo se librans deorsum, aperiet et laxabit infernum, fiet hiatus, et quasi caminus, ex quo exhalabit ingens caligo infernalis, qualis solet exhalare ex Ætna et Vesuvio (quæ proinde a multis putantur et vocantur fornax et os inferni), eaque tanta, ut aerem et solem obscuret, de quali canit Virgilius, *Æneid.* I :

> Eripiunt subito nubes solemque diemque
> Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.

Ex hac fornace, ejusque tetro fumo et caligine prodibunt agmina, hoc est innumeri dæmones, copia et forma similes locustis ingentibus. Est enim locusta animal fœdum, noxium, superbum, alatum et volitans, mordax, pungens, inquietum, inconstans et putridum (unde una e plagis maximis Ægypti fuerunt locustæ, *Exodi* vii, 17). Tales autem per omnia sunt dæmones. Rursum, locusta symbolum est conviciatoris et invidi (quales sunt dæmones), eo quod in cordis gremio, tanquam in stomacho, dentes habeant, quia habent os et dentes declives, ideoque pectori et cordi vicinos; imo alios habent insuper dentes in occipitio, quibus stridorem edunt, si credimus Plinio et aliis, quos citat Aldrovandus, tract. *De Insectis,* pag. 420. Rursum, Ægyptii volentes significare tyrannice in suos dominantem, pingebant polypum et locustam. Nam locustæ, ut ait Horus, et ex eo Aldrovandus in *Locusta,* in polypos exercent vires, eosque vincunt. Tyranni autem omnium sunt dæmones. Ad hæc Pierius, *Hierog.* 18, docet popularis seditionis symbolum esse, si quis pingat locustas duas sese invicem incursantes; locustæ enim cornibus inter se dimicant et arietant instar arietum. Dimicant autem pro pascuis, vel fœtu, vel feminis, uti ex Alberto docet Aldrovandus. Tales sunt dæmones inter se tumultuantes, rixantes et dimicantes.

Ad hanc expositionem accedit sententia nostri P. Lessii, lib. XIII *De Perfectionibus divinis,* cap. xviii, ubi censet hasce locustas non tantum speciem et apparentiam locustarum habituras, sed veras et animatas fore locustas, licet peregrinas et monstrosas. Virtute enim divina profundissimus hiatus (forte usque ad inferos : nam paulo post ingens hiatus, quo omnes impii absorbebuntur in tartara, eousque aperietur) alicubi in terra, vel in montibus pandetur; unde quasi ex puteo abyssi, id est abyssali et profundissimo, immensa vis fumi exibit, sicut ex Ætna et Vesuvio crebro exisse legimus. Ex quo liquet in terræ visceribus multa et immania latere incendia, quæ jam compressa tenentur, ut sub finem mundi erumpant, et primo omnia fumo et cinere infestent, deinde simul cum igne conflagrationis terram exurant. Jam durante isto fumo, facile erit divina virtute procreari peregrinum genus locustarum pungentium et virulentarum, quod e fumo exeat, et omnia longe lateque occupet; sicut olim immensa agmina, primo ranarum, deinde locustarum, postea ciniphum, postremo muscarum, totam Ægyptum occuparunt, idque repente, divina virtute ea animalia formante, ut patet *Exodi* cap. vii et seq. Simili modo agri Philistinorum subito effuderunt infinitam vim murium, I *Reg.* v. Quod ad formam earum attinet, non opus est ut facies earum plane sint similes faciei humanæ, aut ejusdem magnitudinis, sufficit esse rudem similitudinem, qualis reperitur in simiis. Idem censendum de capillis seu cirris earum, et dentibus. Probatur hæc sententia, *primo,* quia locustæ a Mose immissæ in Ægyptum fuerunt veræ locustæ; ergo veræ erunt et hæ : nam illæ harum fuerunt præambulæ et prænuntiæ. *Secundo,* quia S. Joannes diserte eas vocat locustas, eisque dat aculeum, ac comparat eas scorpiis. Cum ergo verum accipiamus hic aculeum, quem vere habituræ sunt, verum scorpium, cur non et veras locustas? cur mystice vel symbolice eas interpretabimur? *Tertio,* quia nullum est genus animalium, in quo tanta sit formarum peregrinarum varietas, quanta est in locusta, ut patet ex variis et monstrosis earum speciebus, quas recenset et depingit Aldrovandus in *Locusta. Quarto,* quia cæteræ plagæ hic, puta ignis, grandinis, stellæ cadentis, montis ardentis, æstus, fluminum versorum in sanguinem, terræ motus, vulneris, dæmonum solutorum, etc. ad litteram, ut sonant, accipiendæ sunt : cur non et hæc locustarum? Quare hæc sententia uti valde litteralis, ita valde probabilis est : cui tamen adde locustas hasce dirigendas et impellendas fore ab Abaddon dæmone, ejusque sociis. Nam hæ non invadent herbas et germina, ut solent locustæ, sed homines, eosque duntaxat, qui non habent signum Dei in frontibus suis, ut ait S. Joannes, vers. 4. Hoc autem signum, et homines eo signatos, uti discernere nequeunt, ita naturaliter pungere vel cruciare non appetunt locustæ : utrumque ergo hoc dæmonum locustas impellentium erit opus, qui Dei jussu per locustas hanc ejus vindictam in homines impios exercebunt. Quocirca quæ de locustis hic dicuntur, dæmonibus quoque earum motoribus competunt, quædam magis, quædam minus : sicut quæ *Genes.* iii dicuntur de serpente tentante Evam, partim serpenti, partim et potius dæmoni serpentem possidenti, per eumque loquenti conveniunt. Singulas ergo locustarum proprietates, quas S. Joannes hic eis tribuit, dæmonibus accommodemus. Ait itaque :

3. Data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ. — Nota : Locustæ hæ comparantur caudis scorpionum et serpentium, tum quia hæ sunt virulentæ : in illis enim latet virus et aculeus, quo pungunt et cruciant; tum quia hisce scorpiones homini insidiantur, cumque quasi per insidias occulte feriunt. Simili modo locustæ hæ erunt virulentæ et insidiatrices. Alludit ad Hebr. ארבה *arbe,* id est, locusta. Hæc enim dicitur *arbe,* quia plurima, a radice רבה *raba,* id est *multus fuit;* sed simul alludit ad radicem ארב *arab,* id est *insidiatus est.* Locustæ enim radicibus, et tenerioribus (utpote delicatioribus) calamorum et culmorum partibus insidiantur, easque arrodunt et depascunt, itaque faciunt ut arista totusque calamus discindatur et corruat. Ita R. David, et ex eo Pagninus in *Lexico,* in voce *arbe,* et Arias Montanus et Christophorus a Castro in *Joelis* cap. i, vers. 4. Porro dæmones, quos significant locustæ, recte comparantur scorpiis. Est enim scorpius (quales multos hic Romæ videmus) animalculum ex genere insectorum, habens cornua anterius instar cancri, quibus prædam amplectens et stringens, mox spiculum quod in cauda gerit, reflectit, eoque hostem et prædam pungens, venenum instillat, quo illum conficit et enecat. Unde Ovidius lib. IV *Fastor.* :

> ....... Metuendus acumine caudæ
> Scorpius.

De eo hæc tradit Plinius, lib. XI, cap. xxv. *Primo,* scorpius est « pestis importuna veneni serpentium, nisi quod graviore supplicio lenta per triduum morte conficiunt; » ejus ergo virus est lentum, sed grave et internecinum supplicium. *Secundo,* « virginibus lethali semper ictu, et feminis fere in totum; viris autem matutino, exeuntes cavernis, priusquam aliquo fortuito ictu jejunum egerunt venenum. » *Tertio,* est naturæ admodum iracundæ. Unde adagium σκόρπιον ὀκτάπουν ἐγείρεις, *scorpium octipedem excitas;* et σκορπιόω, idem est quod irrito, provoco ad iram, ut irascatur instar scorpii. Hinc *quarto,* quasi furibundus strictum telum, puta caudæ spiculum, semper exertum gerit ad lancinandum et mortiferam plagam infligendam. Reliqua insecta aculeos intus recondunt : unus scorpius aculeum quasi lanceam exerit, qui non est otiosus, sed « semper cauda in ictu est, nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. » Insuper « ferit obliquo ictu et inflexo; » incedit quoque obliquo gressu, ut feriat ex improviso. *Quinto,* « venenum omnibus est medio die, cum incanduere solis ardoribus; itemque dum sitiunt, inexplebiles potu. *Sexto,* constat et septena caudæ internodia sæviora esse : pluribus enim sena sunt. *Septimo,* hoc malum Africæ, volucre etiam Austri faciunt : vivere intra Siculi cœli regionem non potuere; visuntur tamen aliquando in Italia, sed innocui. *Octavo,* in Scythia interimunt etiam sues, alioquin vivaciores contra venena talia. *Nono,* homini icto putatur esse remedio ipsorum cinis potus in vino. *Decimo,* putant scorpiones in totum nullis nocere, quibus non sit sanguis. *Undecimo,* quidam et ab ipsis fœtum devorari arbitrantur; unum modo relinqui solertissimum, et qui se ipsius matris clunibus imponendo, tutus et a cauda et a morsu, loco fiat. Hunc esse reliquorum ultorem, qui postremo superne genitores conficiat. Pariuntur autem undeni. »

Hucusque Plinius, quæ singula plane significant animal hoc esse insignis malitiæ, feritatis, vindictæ et noxæ : qualis per omnia est dæmon. *Primo* ergo, in fine mundi hi dæmones specie locustarum, et instar scorpionum caudati erunt, caudæque suæ spiculo pungent homines, ita ut non statim enecent homines, sed lento supplicio per



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quinque menses, ut dicitur vers. 10, discrucient. *Secundo*, magis sævient in eos qui ardent concupiscentiis mulierum. *Tertio*, erunt pleni irarum, sævitiæ et furoris, ideoque spiculum caudæ semper exertum gerent ad feriendum. *Quarto* ex obliquo incautos percutient. *Quinto*, candentes igne inferni, et sitientes hominum stragem extremam, in eos exacuent omne suum virus. *Sexto*, septenis caudæ internodiis spiculum suum virulentum munient et roborabunt : quæ apte symbolice significant dæmonum dolos, fraudes, machinationes, quas quasi internodia sibi invicem implectunt, ut, si homo ex una se explicet, mox in aliam implicetur. *Septimo*, erunt volucres : habebunt enim alas. *Octavo*, magis nocebunt iis, qui instar suum abdomini et ventri servierunt. *Nono*, remedio erit ipsorum cinis, si nimirum peccatores memores cineris et mortis tam suæ, quam diaboli (qui ob superbiam ex angelo quasi factus est cinis, ac in morte secunda, puta in gehenna, jugiter crematur, et tantum non redigitur in cinerem), humilient se, compungantur, pœnitentiam agant Deoque reconcilientur. *Decimo*, nulli nocebunt, pio et spirituali, sed tantum impiis, qui volutantur in carne et sanguine, quique sanguinem Sanctorum effuderunt. *Undecimo*, proles suas, puta sceleratos, cruciabunt, et quasi enecabunt, et ab ipsis vicissim cruciabuntur, dum reprobi iis quasi auctoribus suæ damnationis, æque ac tortoribus maledicent, omnesque diras imprecabuntur. Pariter in gehenna dæmones et damnati mutuo se lancinabunt, ac quasi canes ringent, invicemque mordebunt (1).

4. ET PRÆCEPTUM EST ILLIS NE LÆDERENT FŒNUM, etc. — Hinc patet locustas has non fore proprie dictas : harum enim cibus æque ac noxa, est in herbis; sed fore dæmones, qui instar scorpionum, nulli nisi habenti sanguinem, id est homini impio, nocebunt, *q. d.* Hæ locustæ non erunt similes aliis herbivoræ, sed carnivoræ. Porro non permittet Deus ut omnem suam vim virusque exerant : sic enim enecarent omnes mortales; sed tantum ut eos qui non habent signum Dei, de quo cap. VII, vers. 3, crucient per quinque menses. Si enim plaga hæc diutius duraret, desperarent homines, ac se ipsos interimerent. Unde ait vers. 6 : « Quærent homines mortem, et non invenient eam. » Tantus enim erit eorum cruciatus, ut mortem optent, et tamen mori non possint, uti fit cum quis hausit lentum et non satis efficax venenum, quod non statim interimit, sed ita cruciat, ut homo nec vivere, nec mori possit

7. ET SIMILITUDINES LOCUSTARUM SIMILES EQUIS PARATIS IN PRÆLIUM, etc. — Nota : Dæmones hi similes erunt, *primo*, magnis locustis quoad alas et pedes; *secundo*, equis quoad formam, magnitudinem, audaciam et usum bellicum; quin et locusta pedibus suis insistens quasi parata ad volandum et involandum, speciem habet equi armati et cataphracti (unde ab Italis locustæ vocantur *cavallette*, id est equi parvi, equuli) : est enim loricata, et habet pinnas pro aculeis; atque volat saltando, et saltat volando. Ita Pineda in illud *Job* cap. XXXIX, 20 : « Numquid suscitabis eum quasi locustas? » *Tertio*, hominibus quoad loricas; *quarto*, mulieribus quoad faciem, capillos et coronas aureas (2); *quinto*, leonibus quoad dentes; *sexto*, scorpiis quoad caudam et aculeum. Quid hæc symbolice significent, superius dixi ex Viega et Ribera; quæ enim illi hæreticis et militibus attribuunt, pari modo et potiori ratione dæmonibus accommodari possunt et debent.

8. DENTES EORUM SICUT DENTES LEONUM ERANT. — Tripliciter hi dæmones cruciabunt homines : *primo*, pungendo aculeo caudæ instar scorpii; *secundo*, mordendo dentibus, ut leones : leonini enim dentis morsus venenatus est. Unde, ut ait Plinius, lib. VIII, cap. XVI, agens de leone : « Ex omni vulnere, sive dente, sive ungue impresso, ater profluit sanguis. » *Tertio*, terrendo homines et percellendo tum visu tam horribilium monstrorum, tum auditu, dum audient eorum sonitum, quasi curruum equestrium. Porro quam dentes locustarum sint voraces et noxii, videmus in Apulia nobis vicina, quæ tota subinde a locustis devoratur, cum alias sit fertilissima.

9. ET HABEBANT LORICAS SICUT LORICAS FERREAS. — Est in India animal quod corium habet instar loricæ compactum; quocirca ab Hispanis *armadillus* vocatur; atque rhinoceros suam habet loricam, eamque durissimam : sic et locustæ suam videntur habere loricam, sed hæ diabolicæ longe majorem et duriorem habebunt.

ET VOX ALARUM EARUM SICUT VOX CURRUUM EQUORUM MULTORUM CURRENTIUM IN BELLUM. — « Vocem » vocat stridorem quem alarum concussione edunt locustæ, de quo Plinius, lib. XI, cap. XXIX : « Vox, ait, earum proficisci ab occipitio videtur : eo loco in commissura scapularum habere quasi dentes existimantur, eosque inter se terendo stridorem edere. » Dentes vocat non propria dictos in ore, uti explicat Alcazar, quasi ore, æque ac alis, stridant locustæ. Plinius enim hos dentes non in ore locustarum, sed in scapulis ponit; dentes ergo vocat pinnas acuminatas et exstantes instar dentium; unde et Joannes hic ait vocem hanc esse alarum, non oris. Ita symbolice mendacium dæmonibus et hæreticis familiare, semper a tergo latet, nunquam prominet in aperto; aliud enim dicunt, aliud cogitant : unde Deo hominibusque

(1) *Locustæ* sunt emblema exercitus hostilis. Quisnam sit hic exercitus, difficile dictu est. Præplacet quod ait Allioli, scil. significari Satanæ exercitum, puta malorum spirituum agmen, quorum instinctu Judæi inter se divisi, et quasi efferati in exitium ruerunt.

(2) « Sicut capillos mulierum. » Hæc lucem accipiunt ex loco Hieronymi, annotantis *Ezech.* XLIV, 20 : Comam demittere, ait, proprie luxuriosorum est, barbarorumque et militantium. Aliter Allioli : Hæ locustæ, vultu blandienti et mansueto, voracissimæ erant, leonum instar.



mendaces sunt odiosi, ait Nicolaus Causinus, *Parab. hist.* lib. IX, cap. XLIX. Hæreticorum ergo vox non ex corde et ore, sed quasi ex occipitio prodit, æque ac dæmonum.

11. ET HABEBANT SUPER SE REGEM ANGELUM ABYSSI. — « Locusta, ait Salomon, *Proverb.* XXX, 27, regem non habet, et egreditur universa per turmas suas; » sed hæ infernales habent, et habebunt quoad durabit hic mundus, et hominum vita in terra, cum quibus pugnant. Sciunt enim omnem exercitum sine duce et capite esse invalidum, atque a capite ejus vim et robur pendere; unde aiebat ille belli dux : « Fortior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. » Quocirca et milites, dum non persoluto stipendio contra principem et rempublicam rebellant, statim caput et ducem eligunt ex suo grege maxime strenuum, quem Electum vocant; alioquin essent instar hominis acephali, sine capite, sine duce et directore, ac instar reipublicæ carentis magistratu, in qua unus alium conficit; itaque cives ipsi suam rempublicam perdunt et interimunt. Vide hic quantum quamque necessarium sit ordinis et obedientiæ bonum; ac ex diverso quantum ataxiæ et acephaliæ sit malum, utpote quod et ipsi dæmones, licet pessimi et superbissimi, fugiant et detestentur.

Rursum, vide quanta sit vis turbæ, quid faciat multitudo, etiam rerum minimarum et imbellium. Locustæ enim viles et exiguæ, sua copia integras provincias stirpitus depascuntur et devastant. Ita Turcæ omnia superant et subigunt exercitus sui multitudine. Ita dæmones, licet invalidi, numero suo totum orbem affligunt et cruciant. Exstat hac de re symbolum apud Nicolaum Causinum, lib. IX *Parab. hist.*, cap. XXXI : « Draco a formicis consumptus, » hoc est, princeps a populo oppressus. Ita Suetonius in *Tiberio* : Erat, inquit, Tiberio in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus, cum consumptum a formicis invenisset, monitus est, ut vim multitudinis caveret; draco enim regum symbolum est, formicæ populi. Sapienter proinde Ptolemæus in proœmio *Almagesti* : « Melius, inquit, est vulgi habenas regere, quam multos habere milites. » Tutior enim et fortior est princeps vallatus subditorum amore, quam militum armis. Ex adverso : « Terribilis multis, timeto multos. »

CUI NOMEN HEBRAICE ABADDON. — Hebræum אבד *abad* in *cal* significat *perire* : inde אבד *ibbed* in *piel*, active significat *perdere*, *disperdere* : inde *Abaddon* idem est quod perditio, id est perdens vel perditor (Hebræi enim sæpe abstracta ponunt pro concretis), græce ἀπολλύων, latine *exterminans*. *Exterminans* non est in Græco, ut patet; scripsit enim Joannes græce, non latine. Stomachatur Valla Interpretem hoc de suo addidisse textui. Verum temere; nihil enim de suo addidit, sed tantum Græcam vocem in Latinam transtulit (quod est Interpretis munus), ut Latini æque ac Græci intelligerent, quid sit ἀπολλύων. Perperam ergo vertit Arabicus : *Et regnavit super eos angelus abyssi, cujus nomen Hebraice Machdom, et ejus interpretatio Ionice est Laudans.*

Notat S. Gregorius, homil. 34 *in Evangel.*, angelos ex se non habere nomina (angeli enim non ex nomine, sed ex specie et visione invicem se internoscunt et compellant), sed ea sortiri ex ministerio quod apud homines obeunt. Idem est de malis angelis.

12. VÆ UNUM (plaga una, puta quinta quinti angeli, nimirum locustarum, de quibus jam dixi) ABIIT, ET ECCE VENIUNT ADHUC DUO VÆ, — puta duæ plagæ sexti et septimi angeli; unde subdit plagam sexti angeli, dicens :

13 et 14. ET SEXTUS ANGELUS TUBA CECINIT : ET AUDIVI VOCEM UNAM EX QUATUOR CORNIBUS ALTARIS AUREI, QUOD EST ANTE OCULOS DEI, DICENTEM SEXTO ANGELO QUI HABEBAT TUBAM : SOLVE QUATUOR ANGELOS. — Altare hoc aureum est altare thymiamatis, quod S. Joannes vidit in cœlo (de quo dixi cap. VIII, vers. 3), repræsentans Christum. Inde ergo visa est Joanni prodire hæc vox, *q. d.* Ex Christo et Christi meritis, atque ex orationibus Sanctorum, qui requiescunt sub hoc altari, ut dixi cap. VI, vers. 9, manavit hæc vox, mandans puniri impios per sextam plagam ingentis exercitus hostilis. Tanta enim fuerunt impiorum scelera, ut ipsum altare contra impios expostulare, clamare et vindictam deposcere videatur.

Quæres, quæ, qualis et per quos fiet hæc plaga? *Primo*, Alcazar censet hanc plagam esse iras, odia et furores, quibus Deus punivit Judæos Christum respuentes. Cum enim locustæ symbolice significarint concupiscentiam eorum, ordo ipse postulat ut furiosi equi qui sequuntur, irarum furias significent; hæ enim ex concupiscentiis per alios impeditis consequi solent, et a malis angelis suscitantur et inflammantur. *Secundo*, clamor ex quatuor angulis altaris significat totam religionem (hujus enim symbolum est altare cum igne in priscis numismatis) Christianam de Judæis conqueri, et vindictam de tota eorum gente exposcere. Clamat ergo altare ad angelum, *q. d.* Ea est audacia et malitia Judæorum, ut amplius ferri non possit : tu ergo plagam tuam in eos exere. *Tertio*, quatuor angeli qui has iras suscitant, sunt « proprius amor, divitiarum cupiditas, inanis hominum existimatio et proprium judicium, » qui ligati fuerant in Euphrate, id est in felici eorum successu, cum voluptates, honores et opes ad votum succederent. Euphrates enim pleno alveo fluens, Babylonem lætificans, ac fertilem lautamque reddens, apte repræsentat voluptates et delicias civitatis Deo inimicæ, et ad voluntatem prosperos successus. Sed cum Judæis per Titum hæ suæ cupediæ ereptæ sunt, quatuor hi angeli, id est perversi amores jam dicti, eousque sopiti et quasi ligati, soluti sunt ac Judæos ad iras et furores concitarunt. *Quarto*, cum sub

dit : « Ut occiderent tertiam partem hominum, » significat iras Judæorum non tam hostes Judæorum Romanos, quam ipsosmet Judæos invasisse et enecasse. Ira enim in iratum irruit quasi hostis, eum lancinans et crucians. Rursum, intelligit iras quas Judæi in Christianos evomuerunt, dum eos persecuti sunt. Jam multos suis iris et furiis occidi et interire constat. Unde ait *Eccli.* cap. xxx, vers. 26 : « Zelus et iracundia minuunt dies. » Et *Proverb.* cap. xiv, vers. 30 : « Putredo ossium invidia. » *Quinto*, dicuntur esse vicies millies dena millia, quia irarum, tumultuum et furiarum exercitus, cum ex inordinatis animi affectionibus oriatur, innumerabilis est. Unde ex iis innumeræ lites, rixæ et discordiæ exoriuntur. Notent hæc homines iracundi; dum enim iræ non resistunt, sed indulgent, quid faciunt nisi ut infinitas tumultuum internorum et furentium inimicorum cohortes contra seipsos, suamque pacem et conscientiam concitent et immittant? *Sexto*, capita equorum leonina iræ superbiam et crudelitatem repræsentant. *Septimo*, ignis significat iræ et irati excandescentiam, fumus rationis perturbatæ caliginem, sulphur furorem. Nam « ira furor brevis est. » *Octavo*, caudæ pro setis habent serpentes, quia setæ in aquam injectæ, ibique asservatæ facile convertuntur in colubros. Id significat, iram, etsi initio dum vindictam concupitam exercet, grata et blanda videatur, tamen in fine relinquere aculeum conscientiæ, eamque mordere et lancinare instar colubri. Sic Poetæ Furias (quas ipsi tres numerant, Acherontis et Noctis filias, quæ, ut inquit Servius, Diræ in cœlo, Furiæ in terris, Eumenides apud inferos appellantur, suntque scelestæ mentis vindices et tormenta, ut ait Cicero, orat. *pro Roscio Amerino*) ita pingunt, ut in capite pro capillis dent eis colubros, in manibus tædas ardentes, quibus inest ignis, fumus, sulphur. *Nono*, habent loricas hyacinthinas, id est ex panno hyacinthini et violacei coloris, quæ est armatura ridicula; quia irati suæ iræ obtendunt hasce loricas, id est excusationes calvas et ridiculas, scilicet se jure irasci, se zelo justitiæ agi, indignum esse talia pati, nobili viro ex honore non licere hæc inulta relinquere, etc.: quæ omnes nihil aliud sunt, quam ira, et iræ nutrimentum, hoc est, ignis et sulphur. *Decimo*, cæteri, videntes licet hasce plagas, non pœnituerunt, sed perrexerunt adorare sua idola, id est studere auro et argento congerendo. Avaritia enim est idolorum servitus, ut ait Apostolus. Verum hæc mystica et tropologica sunt. Qui ergo cupit ingeniosum iræ symbolum morale, hoc utatur.

*Secundo*, Aureolus, Lyranus et Antoninus, I parte *Chron.*, tit. VI, cap. I, § 7, putant hic significari quartum schisma generale, Ecclesiæ valde noxium, quod fuit inter Symmachum Papam et Laurentium Antipapam, eorumque asseclas anno Christi 498, de quo Nicephorus, lib. XVI, cap. xxxv. Vox de altari fuit vox S. Paschasii Cardinalis, qui cum aliis causa fuit schismatis eligendo Laurentium, ideoque post mortem punitus est in Purgatorio, cum apparuit S. Germano Capuano Episcopo in Thermis Puteolanis, uti narrat S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XL. Eodem tempore Constantinopoli imperabat Anastasius Imperator Eutychianus, et in Italia Theodoricus rex Arianus. Cum ergo Paschasius tuba cecinit, id est, Laurentio ut Papa fieret vocem dedit, soluti sunt quatuor angeli, scilicet Symmachus, Laurentius, Anastasius Imperator et Theodoricus rex, qui prius alligati erant in Euphrate, id est, Romano Imperio, quod quartum est inter regna, sicut Euphrates quartus est fluvius paradisi, *Genes.* cap. II. Tunc ergo ob schisma hoc multi occisi sunt utrimque. « Seditio ea, ait Nicephorus, duravit ad triennium non sine cædibus, rapinis, aliisque calamitatibus. Sed Theodoricus rex, qui tum Romam obtinebat, etsi Arianus esset, Synodum tamen Episcoporum coegit, et Symmacho Episcopatum confirmavit; Laurentio autem pulso, thronum Nuceriæ attribuit. » Anastasius vero et Theodoricus Christianos persecuti sunt. Unde Theodoricus Joannem Papam carcere macerando, et Symmachum (uti et Boetium) gladio occidit. Hinc viro cuidam sancto visus est Theodoricus ea hora qua mortuus est, inter Joannem et Symmachum discinctus, discalceatus et vinctis manibus duci projicique in ollam Vulcaniam, uti refert S. Gregorius, IV *Dialog.*, XL. Quia ergo Ecclesia tunc in quatuor hos principes divisa, pars quæque pro suo principe certabat, hinc dicitur exercitus eorum fuisse vicies millies dena millia, id est, infinita multitudo. De ore Laurentii et Symmachi procedit fumus ambitionis et vanitatis; ideoque rursum habent loricas hyacinthinas, quæ designant hypocrisin et vanam apparentiam; de ore Theodorici procedit ignis Arianæ perfidiæ; de ore Anastasii procedit sulfur hæresis Eutychianæ. Habebant potestatem non tantum in ore, sed et in caudis, quia inter Symmachum et Laurentium, atque inter Theodoricum et Anastasium res non solum ore, id est, discrepationibus et minis, sed etiam caudis, id est, occultis fraudibus et simulationibus, agebatur. Denique cum additur : « Cæteri homines qui non sunt occisi, » etc., opinantur Lyranus et Antoninus significari quamdam Paganorum cædem, quæ tempore Theodorici facta sit, Saxonibus contra Thuringos dimicantibus, ubi utrimque multi cæsi sint.

Verum Viegæ et aliis displicet hæc explicatio, idque merito. Nam *primo*, Symmachus non fuit ambitiosus, sed mitis, et suavibus admodum moribus; quin imo Sanctorum catalogo est adscriptus. Insuper falsum est quod Paschasius fuerit schismatis auctor, ad illudque classicum cecinerit. Nam ejus auctor fuit Festus, Patricius Romanus, qui ut gratiam iniret Anastasii Imperatoris, post creationem Symmachi, eodem die in basilica S. Mariæ, pecuniis aliquos corrumpens, intrusit Laurentium. Paschasius ergo purgatorium subiit, non quia Laurentium creavit Papam, sed quia ei usque ad mortem adhæsit, ejusque partes fovit, uti narrat S. Gregorius. Ubi quod dicitur, usque ad mortem, exclusive intellige : pœnituit enim moriens. Nam constat apud orthodoxos neminem in schismate manentem in eoque morientem salvari. Non enim in Ecclesiam cœlestem admittitur, qui a terrestri se separavit. Quocirca schisma est peccatum mortale, et schismatici non tantum a Dei gratia, sed et ab Ecclesia abscissi et præcisi sunt, nisi per ignorantiam culpa eorum vel in totum, vel in parte, ut non sit mortalis, excusetur.

*Secundo*, quia Euphrates longe abest a Roma; nec Roma dici potest Euphrates, sed potius Babylon : hæc enim Euphrati adjacet. *Tertio*, schisma Laurentii et Symmachi non fuit in tota Italia, sed tantum Romæ. Rursum, inter Anastasium et Theodoricum nullum fuit bellum, sed solis minis Theodoricus coegit Anastasium pacis amantem, ad Ecclesias Arianis concedendum. *Quarto*, Thuringi et Saxones nullam cum Anastasio et Theodorico habent connexionem, ut habent inter se omnia quæ hoc capite recensentur.

*Tertio*, Beda, Richardus, Andreas, Rupertus, Aretas et Viegas referunt hæc ad ultima mundi tempora. Angelus ergo hic sextus, erit præcipuus aliquis dæmon. Hic solvet quatuor angelos, id est, omnes dæmones ligatos in Euphrate Babylonis, id est, in congregatione et confusione impiorum, qui Ecclesiam totam in fine mundi omnibus modis divexabunt. Unde dicuntur esse vicies millies dena millia.

*Quarto* et optime, Ribera plagam hanc proprie, ut verba sonant, accipit, putatque fore innumerum exercitum ferorum hominum et militum, qui in fine mundi puniet et occidet homines impios, scilicet tertiam eorum partem. Angelus ergo bonus tuba canens solvet quatuor angelos (1).

Quos et quales? Nonnulli apud Andream et Aretam, putant hosce quatuor esse angelos bonos, esseque Michaelem, Gabrielem, Raphaelem et Urielem, cujus fit mentio lib. IV *Esdræ* IV, 1, et cap. V, vers. 20. Verum patet, hos quatuor angelos esse malos, esseque dæmones; nam hi soli ligantur, non boni. Hi ergo sunt quatuor præcipue dæmones, qui quasi præsunt quatuor orbis partibus; ligati autem sunt in passione Christi, ne tantum noceant hominibus quantum ante. Hi in fine mundi rursus solventur, ut grassentur puniantque impios. Porro hi dæmones ligati sunt in Euphrate. Hic enim locus ad hoc est congruus. *Primo*, quia Euphrates alluit Babylonem; Babylon autem typus est regni diaboli et impiorum. *Secundo*, quia Euphrates alio respectu typus est Baptismi : per Euphratem enim transivit Abraham in terram promissam, indeque Hebræus, id est transiens, vel transamnanus, est dictus. Fort etiam *tertio*, ait Andreas, quia inde nasciturus vel exiturus est Antichristus. Porro licet hi archidæmones ligati sint, habent tamen suos velut emissarios canes ubique, qui homines tentent et divexent, uti experientia constat. Pari modo Asmodæus, libidinum rex, ligatus a Raphaele in deserto Ægypti, *Tobiæ* cap. VIII, 3, suos tamen per orbem dæmones quasi ganeones, jyngas et cupidines emittit : sicut et de ebriis lascivisque dæmonibus Andron' proficiscentibus, narrat in *Icon.* Philostratus, uti recte advertit noster Serarius, scribens in *Tobiæ* cap. VIII : sic Lucifer religatus in inferno suos ubique habet emissarios; quin et ipse solvetur tempore Antichristi, ut patebit cap. XX, vers. 2 et 3.

Quæres, quomodo et quibus funibus ligentur dæmones? Respondeo eos certo loco ligari, cum in illo per decretum et potestatem divinam, vel angelicam detinentur, ut se loco movere, eoque egredi nequeant. Hoc autem fieri potest tribus modis : *Primo*, si Deus eis subtrahat concursum divinum, qui necessarius est ad motum et egressum, simulque conservet semper illos in suo ubi, seu situ et modo existendi in illo loco, cui vult eos affigere. *Secundo*, moraliter, si impediat ne egrediantur, v. g. minando eis acriores pœnas si egrediantur, atque puniendo illos si egrediantur, et compellendo eos regredi : sic Asmodæo certa eremi Ægypti portio, extra quam ne ad passum pedis egredi ei liceat, a Raphaele est designata et præscripta. *Tertio*, physice, omnino et naturaliter, si imprimat eis modum, aut qualitatem aliquam detentivam, vel unitivam loco, v. g. impetum et vim permanentem. Similem enim vim, sed transeuntem, videmus corporibus, uti lapidibus, imprimi, qua in altum levantur, dum eo jaciuntur. Sicut ergo homo robustus alium minus fortem certo loco violente detinere potest per vim ei impressam, ita et angelus dæmonem. Similem enim vim, licet non corporalem, sed spiritualem, potest spiritus superior et potentior spiritui inferiori et minus potenti imprimere; atque de facto vim hanc imprimunt dæmonibus angeli, cum eos ex certo loco, v. g. ex corporibus obsessis energumenorum violente expellunt et extrudunt. Cur enim Deus non possit similem vim, non transeuntem, uti illa est, sed diutius permanentem producere? magis enim mirabilem vim igni inferni indidit, qua non tantum detinet, sed et agit in animas damnatorum, ipsosque dæmones, eosque urit et cruciat. Hoc est quod ait S. Petrus, II *epist.* II, 4 : « Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos. » Ubi nota ex Græco, vocem *rudentibus* non referri ad detrac-

(1) Juxta Allioli, hi sunt Angeli mortis (vers. 15), numero quatuor (qui *perfectionis* est numerus), missi scil. ad *perficiendam* Dei vindictam. Flatu oris sui enecant, id est, mortifero vento, cui nomen *Samoum*; hoc autem vento figurantur tum Romanorum exercitus, tum pestis et fames quæ obsessam Hierosolymam vastabant.

tos : qui enim rudentes angelos detraherent cœlo? Sed ad vocem *tradidit*, q. d. Tradidit eos Deus et mancipavit carceri et igni infernali, illique eos in perpetuum devinxit, et quasi quibusdam rudentibus, vel, ut Græca habent, σειραῖς ζόφου, id est *catenis caliginis*, alligavit. Sic enim explicat S. Judas in sua *epistola*, vers. 6, dicens : « Angelos qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit. » Alia ratione ligantur, id est, ligari se sinunt dæmones a magis, cum ipsi ex conventione et pacto eos, vel volentes, vel a superiore dæmone coactos, in annulis includunt, ut qui annulos gestant, dæmones sibi familiares et obsequentes habeant. Ita S. Hieronymus in *Vita S. Hilarionis*, narrat dæmonem ab amasio in puellam quam deperibat immissum, cum S. Hilarion eum expelleret, exclamasse : « O cruces, o tormenta quæ patior! Exire me cogis, et ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi adolescens qui tenet dimiserit. Tunc senex : Grandis, ait, fortitudo tua, qui licio et lamina strictus teneris. » Et sane ex hac alligatione patet dæmonum tum infirmitas, tum vilitas. Unde

Moraliter, S. Antonius apud Athanasium : « Minas, ait, dæmonis formidare non debemus : nam hamo crucis ut draco aduncatus a Domino est, capistro ligatus ut jumentum, et quasi mancipium fugitivum vinctus circulo, et armilla labra perforatus, nullum fidelium devorare permittitur. » Et S. Augustinus, serm. 197 *De Tempore* : « Si alligatus, ait, diabolus est, quare tantum adhuc prævalet? sed tepidis et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est tanquam innexus catenis canis; et neminem potest mordere nisi eum qui se mortifera securitate illi conjunxerit. Jam videtur, fratres, quia stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates et cupiditates sæculi noli conjungere, et ille ad te non præsumet accedere : latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet a nobis consensum, sed petit. »

15. UT OCCIDERENT TERTIAM PARTEM HOMINUM, — non signatorum, ut patet ex dictis cap. VII, vers. 3, et cap. IX, vers. 4, puta impiorum et reproborum. Idem patet ex eo quod, si hi occisi essent pii et justi, nulli tunc justi amplius superessent in mundo. Cæteri enim qui non sunt occisi, erunt idololatræ, ut dicitur. Ergo tantum loquitur hic de non signatis et impiis (quorum sunt hæ vindictæ et pœnæ), ex quibus ait tertiam partem occidendam; cæteros vero permansuros in sua idololatria et sceleribus.

16. ET NUMERUS EQUESTRIS EXERCITUS VICIES MILLIES DENA MILLIA. — Græce δὶς μυριάδες μυριάδων : ita legit noster Aretas et alii (licet Complutenses non habeant τὸ δίς), id est duæ myriades myriadum, id est bis millies centena millia. Myrias enim est decem mille : duæ ergo myriades myriadum sunt vicies millies decem millia, id est ducenties millena millia, sive ducenti milliones. Ingens et immanis erit hic exercitus equitum, qualis nunquam visus est in orbe. Ex quo nonnulli conjiciunt pedestrem exercitum, qui equestri jungi, eumque numero longe superare solet, fore longe majorem et quasi innumerum. Verum sic exercitus hic nimius foret et pene immensus, quem nulla provincia alere aut sustinere posset; utpote qui majorem partem hominum qui in orbe sunt, ac consequenter plurimos impios, quos Deus hoc exercitu punire volet, in se complecteretur. Cum ergo peditatus hic non meminerit, videtur is nullus vel exiguus fore; sed totus, vel pene totus exercitus fore equestris, qualis est Tartarorum, Persarum, Polonorum, etc. Celebratur omnium ore multitudo exercitus Xerxis, qui quinque annorum apparatu decies centena millia, id est millionem hominum in aciem contra Græcos eduxit. Quem numerum, ut Valerius, et ex eo S. Hieronymus testantur, de alta prospectans specula, flevisse fertur, quod ex tanta multitudine nemo post centum annos superfuturus esset. Igitur ipse maria pontibus conjunxit. Athon montem continenti abscidit, teste Plinio, lib. IV, cap. X. Verum quid hæc ad has Apocalypseos copias? Xerxes unum eduxit millionem : hic ducenti milliones hominum educendi dicuntur. Ergo ducentesimam tantum hujus exercitus partem habuit Xerxes, et tamen de Xerxe canit Lucanus, lib. II :

> Multum cum pontibus ausus,
> Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,
> Incessitque fretum rapidi super Hellespontî.

Quocirca nonnullis incredibilis videtur hic numerus, cum in toto orbe vix eis videantur esse ducenti milliones hominum. Sed errant : nam in solo regno Sinensi numerantur 270 milliones hominum, uti docet noster P. Nicolaus Trigautius, lib. *De Expedit. Sinensi* : ex quibus quinta pars, puta quinquaginta milliones, potest esse militum. Adde totidem ex Æthiopia : Æthiopum enim mira est soboles et copia. Adde totidem ex Tartaria, et totidem ex India, habebis ducentos milliones. Junge tunc plurimos fore homines : plerique enim erunt carnales, et vacabunt generationi.

Posset etiam quis suspicari bonam exercitus hujus partem fore dæmonum, qui induti specie et forma non locustarum, ut illi præcedentis tubæ vers. 3, sed hominum et equitum, impios affligent et castigabunt. Nam duces eorum erunt quatuor Archidæmones, ut patet vers. 14, qui vers. 15 dicuntur occisuri, scilicet tam per se, quam per suos socios, puta dæmones, tertiam partem hominum. Et de his ad litteram verificari poterit quod dicitur vers. 17 : « Capita equorum erant tanquam capita leonum; et de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur; » et illud



vers. 19 : « Caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita : et in his nocent. » Dæmones enim formam serpentum, leonum et quorumlibet animalium facile assumere vel equis suis assuere, et per apparentiam adjungere possunt. Denique si ducenti milliones hi tantum essent hominum, utique continerent majorem partem hominum impiorum (pauci enim tunc erunt pii et justi) qui puniendi erunt hac plaga, non autem punient alios. Hæc enim plaga, uti et cæteræ, immittetur in impios, tertiamque eorum partem absumet. Unde videtur potiorem partem hujus numeri fore dæmonum; alioqui enim impii punirentur per homines æque, imo magis impios, et multo plures essent carnifices, quam rei puniendi; atque carnifices ipsi impune evaderent, cum tamen cæteris impientiores sint futuri.

Opinatur Ribera hunc exercitum fore decem illorum regum, qui ante Antichristum Babylonem everlent, uti describit Joannes, cap. XVIII; hoc ergo caput XVIII per hysterologiam eo loco ponit, cum recto ordine hic ponendum esset. Unde inferunt aliqui hunc numerum militum fore, non simul, sed successive; per multos enim annos horum regum prœlia duratura. Verum hoc minus esse probabile ostendam cap. XVII, vers. 16. Verisimilius dici posset hunc exercitum præparaturum viam Antichristo, ac fore ipsius Antichristi jam inchoantis et invalescentis, ut eo sibi gentes subigat, ac tandem fiat rex et monarcha orbis. Nam mox de ejus regno, monarchia et bello, quod tunc ipse geret contra Christianos, audiemus cap. XI, in ipso libro signato, cujus sigillum ultimum hic reseratur, ita ut post hæc proxime sequi videatur lectio libri signati, qui tractat de monarchia Antichristi.

17. ET ITA (ut jam dicam) VIDI EQUOS IN VISIONE, — scilicet habentes capita quasi leonum, loricas hyacinthinas, etc., ut sequitur.

ET QUI SEDEBANT SUPER EOS, HABEBANT LORICAS IGNEAS, ET HYACINTHINAS, ET SULPHUREAS, — scilicet aliqui equites habebant loricas *igneas*, id est lucentes et radiantes, ac flammantes, ideoque terribiles instar ignis; alii habebant loricas *hyacinthinas*, id est violacei, sive cœlestis coloris, ut e cœlo a Deo missi viderentur; alii *sulphureas*, id est, rubeas et croceas instar sulphuris. Hosce enim colores, aut certe tunicas talium colorum, loricis suis hi equites inducent, tum ornatus, tum terroris causa, ut percellant hostes, uti faciunt nostri equites, quos proinde Belgæ vocant *root rocken, blauwe rocken, geele rocken*; et Galli, æque ac Itali et Hispani, *casaque rouge, casaque bleue, casaque jaune*. Hi ergo ultimi habebunt loricas, vel tunicas loricarum croceas, sive sulphureas, ut per eas Deus significet vindictam, quam per hosce equites exercere decrevit in libidines, et fœtida peccata ac peccatores, utque per eas prognostice indicet sulphur infernale, quod impiis in gehenna paratum est et imminet. Sic Virgilius, *Æneid.* XII, canit de Turno :

> Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
> Circumdat loricam humeris.

Et Livius, lib. V *Belli Maced.*, agens de equitibus : « Partim, inquit, loricatos, quos cataphractos vocant; partim sagittis ex equo utentes. »

Alludit S. Joannes ad *Jerem.* LI, 27, ubi feroces equos et equites Persarum incitans ad excidium Babylonis, ait : « Adducite equum quasi bruchum aculeatum; » bruchus enim genus est locustæ. Porro præferoces esse Persarum equos, ut videantur ex se habere aculeos, nec egere calcaribus, docet Oppianus, dum ait :

> Qui cives habitant virides Euphratis ad undas,
> Magnanimis utuntur equis in bella leonum.
> Lumina glauca vibrant, et magnum in pectore robur
> Efferat audaces animos ad fervida bella.
> Accedit levitas cursus, quodque ora leonis
> Intrepide perferre valent.

Tales erunt et hi S. Joannis equi in fine mundi.

ET CAPITA EQUORUM ERANT TANQUAM CAPITA LEONUM; ET DE ORE EORUM PROCEDIT IGNIS, ET FUMUS, ET SULPHUR. — Per equos quoque equites ipsos metonomymice intelligo. Significat per hyperbolem, formidabiles fore equos et equites instar leonum, ut fumos naribus efflent, videanturque ignes, sulphur et flammas spirare. Rursum equites spirabunt ignem, fumum et sulphur, id est incendia, et omnimodam vastitatem orbi afferent suis minacibus verbis et imperiis, cohortando se invicem, et inclamando *fuego, fuego*, uti in expilatione et excidio Antverpiensi (quam ipsi furiam vocant) nostro ævo factum meminimus, quando major et nobilior urbis et emporii illius quondam celeberrimi pars Hispanico igne horribiliter conflagravit. *Tertio*, proprie significantur hic bombardæ militum, et ignis pulveris sulphurei. Dum enim milites jaculantur, ita admovent ori instrumentum, ut ore ignem et fumum sulphureum emittere videantur. Et hoc modo objecta sunt animo S. Joannis in visione. Ita P. Lessius, lib. XIII *De Perfect. divinis*, cap. XVIII. Adde, si bona hujus exercitus pars sit dæmonum, de iis hæc ad litteram, ut sonant, accipi posse, ut dixi paulo ante. Idem dico de caudis serpentum, de quibus subdit dicens :

19. POTESTAS ENIM EQUORUM IN ORE EORUM EST, ET IN CAUDIS EORUM. NAM CAUDÆ EORUM SIMILES SERPENTIBUS, HABENTES CAPITA : ET IN HIS NOCENT. — Patet hæc non ad litteram, sed symbolice accipi debere, æque ac capita leonum, et ignem sulphurque de ore egrediens. Nulli enim equi habent caudas serpentum, aut capita in caudis. Caudæ ergo hæ capitatæ significant gladios militares, qui instar caudarum retro exstant, et capulos instar capitis habent : describit enim arma eorum, bombardas scilicet, per ignem, fumum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

et sulphur, et gladios per caudas capitatas. Aut certe per caudas intellige pedissequos et ministros militum, qui plerumque sunt pessimi, et instar serpentum occulte nocent incendiis, furtis, venenis aliisque modis. Ita P. Lessius loco jam citato. Insuper caudæ hæ significant novissimum eorum imperium, quod pacificum et quietum jam videbatur, eo quod per tyrannidem suam omnes hostes suppressissent, aut subegissent; æque tamen dirum fore ac eorum principium, nimirum quod in fine redibunt ad sua capita, id est ad primam crudelitatem, et ad dira duraque sua imperia, ut rursum videantur ore spirare et efflare ignem, fumum et sulphur. Rursum, quod virulenti et dolosi erunt instar serpentum. Unde Richardus Victorinus quærens cur horum caudæ desinant in capita serpentum, respondet : Quoniam impii, dum nequeunt aperta persecutione nocere, per occultam et fraudulentam simulationem nocendi sumunt initia. Et Joachim : « Quia, inquit, cum putantur ab inferendis malis quiescere, tunc ex insperato deteriora mala committunt; et ita caudæ eorum, id est, finis præcedentium malorum, in capita desinunt, id est, in initia futurorum (1). »

Symbolice S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.*, cap. XXVIII, vel juxta aliam editionem XXIII, hæreticis hæc attribuit : « Quia, inquit, quod ab eis verbis blandientibus dicitur, hoc a principibus eorum fautoribus gladiis ferientibus imperatur. Unde potestas eorum est in ore et in caudis. In ore namque doctorum scientia, in cauda vero sæcularium potentia figuratur. Nam per caudam quæ retro est, hujus sæculi postponenda temporalitas designatur. Retro est enim omne quod transit, ante vero est omne quod veniens permanet. Istis ergo equis, id est, nequissimis prædicatoribus ubique carnalium impulsu currentibus, in ore et in cauda potestas est; quia ipsi quidem perversa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ retro sunt se exaltant. » Nota hic obiter quo loco, juxta S. Gregorium, habenda sint omnia temporalia, ipsaque orbis imperia; nam per caudam hic designantur, ut justitiæ et virtuti, æque ac Ecclesiæ postponenda intelligantur.

20. ET CÆTERI HOMINES, QUI NON SUNT OCCISI IN HIS PLAGIS, NEQUE POENITENTIAM EGERUNT. — « Neque, » id est *non*, vel *ne quidem tunc*, q. d. Cæteri homines, cum tot strages et funera viderent, ne quidem tunc compuncti ad mentem redierunt, nec ad tantas sociorum plagas resipuerunt. Patet ex Græco. Mira ergo erit tunc hominum obduratio, qui, visis tot signis et plagis, persistent nihilominus in suis sceleribus et idololatria. Similis fuit obduratio Pharaonis, *Exodi* VII et sequent., qui, visis tot portentis et flagellis Mosis, iis magis obduruit, fortiusque Deo et Mosi restitit. Causæ ejus erunt variæ. *Prima*, assuetudo peccandi, indeque ingens concupiscentiæ vis : ob quam videmus ebriosos a vino, luxuriosos a venere non abstinere, etiamsi præsentem et certam exinde pestem, imo mortem sibi imminere videant. *Secunda*, infidelitas, quia non credent has plagas a Deo infligi; sed fato, vel mundi quodam morbo, et senectutis quasi vitio evenire, uti senserunt Stoici, et nunc Politici. *Tertia*, quod tunc solutus erit diabolus, qui omnes ultimasque suas vires exeret : unde impiorum tunc quasi animas et corpora possidebit. *Quarta*, quia plagæ hæ concitabunt in eis, utpote impiis, bilem et impatientiam unde blasphemabunt Deum, vel auctorem plagarum, quod tot tantasque eis infligat, uti ait S. Joannes cap. XVI, vers. 9.

UT NON ADORARENT DÆMONIA. — Hinc patet in fine mundi renascituram idololatriam, sed eam evertet postea veniens Antichristus : volet enim ipse solus coli sicut Deus, sicut prædixit Daniel, cap. XI, vers. 36 et sequent (2).

(1) Non potuit hic exercitus melius describi quam si conferretur cum *amphisbena*, quæ utrimque capita habet, quibus mordeat. Plinius, *Hist. Nat.* cap. VIII, 35 : « Geminum caput amphisbenæ, hoc est, et a cauda; tanquam parum esset uno ore fundi venena. » Describitur itaque dolosissimus exercitus, qui maximas clades, inter quas eminent incendia et cædes, illaturus erat.

(2) Arbitratur Allioli, Judæos, qui vitæ servandæ causa se Romanis dederant, Diis sacrificasse, et signa militaria adorasse. Id quidam Josephus, ut honori gentis suæ forte consuleret, diserte non narravit. Præterquam vero, quod res ipsa ostendit haud aliud certius documentum Judæos dare potuisse, se in fide Romanorum mansuros, habet ipse Josephus nonnulla, ex quibus aliud colligi potest. — Alii improprie hæc intelligunt, servivisse nempe Judæos pecuniæ, gemmis, mensis, a quibus utpote inanimis rebus servari in periculo non poterant. Causa redditur cur ultimum exitium Deus ad plagas Hierosolymorum addiderit, quia homines nil erant correcti.



# CAPUT DECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Videt Joannes angelum amictum nube, dextro pede mari, sinistro terræ insistentem, ac jurantem quod amplius non erit tempus : mox reboant et consonant septem tonitrua. Secundo, vers. 8, jubetur ab angelo accipere librum apertum, acceptumque devorat, quem in ore dulcem et melleum, in ventre vero amarum experitur.*

*Quatuor ergo sunt puncta hoc capite notanda : primum est, idea angeli fortis, qui unum pedem figit in terra, alterum in mari; secundum, septem tonitrua; tertium, juramentum angeli quod amplius non erit tempus; quartum, liber datus Joanni dulcescens in ejus ore, sed in ventre amarescens.*

1. Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube, et iris in capite ejus, et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus tanquam columnæ ignis. 2. Et habebat in manu sua libellum apertum; et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. 3. Et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. 4. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram, et audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. 5. Et Angelus, quem vidi stantem super mare, et super terram, levavit manum suam ad cœlum; 6. et juravit per Viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum, et ea quæ in eo sunt; et terram, et ea quæ in ea sunt; et mare, et ea quæ in eo sunt : Quia tempus non erit amplius. 7. Sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas. 8. Et audivi vocem de cœlo iterum loquentem mecum, et dicentem : Vade, et accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, et super terram. 9. Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi : Accipe librum, et devora illum; et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. 10. Et accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum; et erat in ore meo tanquam mel dulce : et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus; 11. et dixit mihi : Oportet te iterum prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis.

Notat Alcazar hæc omnia a capite X usque ad vers. 15 cap. XI, pertinere quodammodo ad sextam tubam et plagam septimi sigilli. Nam sicuti post quintam plagam dixit Joannes cap. IX, vers. 12 : « Væ unum abiit; » ita cap. XI, vers. 14, ait : « Væ secundum abiit, » id est, sexta plaga sexti sigilli jam peracta est; « et ecce væ tertium veniet cito, » puta septima et ultima plaga, quæ explicatur ibidem vers. 15. Hoc ex parte verum est, sed non universim, ut patebit initio capitis sequentis.

Rursum Alcazar ex suæ explicationis acoluthia censet, sicut plaga sexta Judæorum iras et furores complexa est, ita hoc capite significari, horribilem illam persecutionis procellam, et quasi furorem, quam Judæi contra Ecclesiam concitarunt, initium fuisse veræ ac solidæ Gentilium felicitatis : eo enim Deum hæc direxisse, ut persecutiones Ecclesiæ verteret in ejus felicitatem et gloriam, nimirum ut derelictis Judæis transferret fidem, Ecclesiam et salutem ad Gentes; atque hoc intelligi cum dicitur : « Consummabitur mysterium Dei. » Verum hæc spectant novissima tempora. Inseruntur ergo hic, ut homines qui tunc tot plagis sex tubarum a Deo per Angelos moniti nolent pœnitere, vehementius redarguantur, arctentur et urgeantur : unde jurat Angelus : « Quia amplius non erit tempus. »

1. ET VIDI ALIUM ANGELUM FORTEM DESCENDENTEM DE COELO AMICTUM NUBE, ET IRIS IN CAPITE EJUS, ET FACIES EJUS ERAT UT SOL, ET PEDES EJUS TANQUAM COLUMNÆ IGNIS. — *Primo*, Primasius, Beda, Richardus, et alii multi per Angelum hunc accipiunt Christum, qui de cœlo descendit in incarnatione. Iridem gestat, quia legatus est pacis. Hic terræ et mari imperat : unde pedem unum terræ, alterum mari, quasi possessor et dominus imponit. Pes ejus dexter est misericordia, sinister est

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et sulphur, et gladios per caudas capitatas. Aut certe per caudas intellige pedissequos et ministros militum, qui plerumque sunt pessimi, et instar serpentum occulte nocent incendiis, furtis, venenis aliisque modis. Ita P. Lessius loco jam citato. Insuper caudæ hæ significant novissimum eorum imperium, quod pacificum et quietum jam videbatur, eo quod per tyrannidem suam omnes hostes suppressissent, aut subegissent; æque tamen dirum fore ac eorum principium, nimirum quod in fine redibunt ad sua capita, id est ad primam crudelitatem, et ad dira duraque sua imperia, ut rursum videantur ore spirare et efflare ignem, fumum et sulphur. Rursum, quod virulenti et dolosi erunt instar serpentum. Unde Richardus Victorinus quærens cur horum caudæ desinant in capita serpentum, respondet : Quoniam impii, dum nequeunt aperta persecutione nocere, per occultam et fraudulentam simulationem nocendi sumunt initia. Et Joachim : « Quia, inquit, cum putantur ab inferendis malis quiescere, tunc ex insperato deteriora mala committunt; et ita caudæ eorum, id est, finis præcedentium malorum, in capita desinunt, id est, in initia futurorum (1). »

Symbolice S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.*, cap. XXVIII, vel juxta aliam editionem XXIII, hæreticis hæc attribuit : « Quia, inquit, quod ab eis verbis blandientibus dicitur, hoc a principibus eorum fautoribus gladiis ferientibus imperatur. Unde potestas eorum est in ore et in caudis. In ore namque doctorum scientia, in cauda vero sæcularium potentia figuratur. Nam per caudam quæ retro est, hujus sæculi postponenda temporalitas designatur. Retro est enim omne quod transit, ante vero est omne quod veniens permanet. Istis ergo equis, id est, nequissimis prædicatoribus ubique carnalium impulsu currentibus, in ore et in cauda potestas est; quia ipsi quidem perversa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ retro sunt se exaltant. » Nota hic obiter quo loco, juxta S. Gregorium, habenda sint omnia temporalia, ipsaque orbis imperia; nam per caudam hic designantur, ut justitiæ et virtuti, æque ac Ecclesiæ postponenda intelligantur.

20. ET CÆTERI HOMINES, QUI NON SUNT OCCISI IN HIS PLAGIS, NEQUE POENITENTIAM EGERUNT. — « Neque, » id est *non*, vel *ne quidem tunc*, q. d. Cæteri homines, cum tot strages et funera viderent, ne quidem tunc compuncti ad mentem redierunt, nec ad tantas sociorum plagas resipuerunt. Patet ex Græco. Mira ergo erit tunc hominum obduratio, qui, visis tot signis et plagis, persistent nihilominus in suis sceleribus et idololatria. Similis fuit obduratio Pharaonis, *Exodi* VII et sequent., qui, visis tot portentis et flagellis Mosis, iis magis obduruit, fortiusque Deo et Mosi restitit. Causæ ejus erunt variæ. *Prima*, assuetudo peccandi, indeque ingens concupiscentiæ vis : ob quam videmus ebriosos a vino, luxuriosos a venere non abstinere, etiamsi præsentem et certam exinde pestem, imo mortem sibi imminere videant. *Secunda*, infidelitas, quia non credent has plagas a Deo infligi; sed fato, vel mundi quodam morbo, et senectutis quasi vitio evenire, uti senserunt Stoici, et nunc Politici. *Tertia*, quod tunc solutus erit diabolus, qui omnes ultimasque suas vires exeret : unde impiorum tunc quasi animas et corpora possidebit. *Quarta*, quia plagæ hæ concitabunt in eis, utpote impiis, bilem et impatientiam unde blasphemabunt Deum, vel auctorem plagarum, quod tot tantasque eis infligat, uti ait S. Joannes cap. XVI, vers. 9.

UT NON ADORARENT DÆMONIA. — Hinc patet in fine mundi renascituram idololatriam, sed eam evertet postea veniens Antichristus : volet enim ipse solus coli sicut Deus, sicut prædixit Daniel, cap. XI, vers. 36 et sequent (2).

(1) Non potuit hic exercitus melius describi quam si conferretur cum *amphisbena*, quæ utrimque capita habet, quibus mordeat. Plinius, *Hist. Nat.* cap. VIII, 35 : « Geminum caput amphisbenæ, hoc est, et a cauda; tanquam parum esset uno ore fundi venena. » Describitur itaque dolosissimus exercitus, qui maximas clades, inter quas eminent incendia et cædes, illaturus erat.

(2) Arbitratur Allioli, Judæos, qui vitæ servandæ causa se Romanis dederant, Diis sacrificasse, et signa militaria adorasse. Id quidam Josephus, ut honori gentis suæ forte consuleret, diserte non narravit. Præterquam vero, quod res ipsa ostendit haud aliud certius documentum Judæos dare potuisse, se in fide Romanorum mansuros, habet ipse Josephus nonnulla, ex quibus illud colligi potest. — Alii improprie hæc intelligunt, servivisse nempe Judæos pecuniæ, gemmis, mensis, a quibus utpote inanimis rebus servari in periculo non poterant. Causa redditur cur ultimum exitium Deus ad plagas Hierosolymorum addiderit, quia homines nil erant correcti.



# CAPUT DECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Videt Joannes angelum amictum nube, dextro pede mari, sinistro terræ insistentem, ac jurantem quod amplius non erit tempus : mox reboant et consonant septem tonitrua. Secundo, vers. 8, jubetur ab angelo accipere librum apertum, acceptumque devorat, quem in ore dulcem et melleum, in ventre vero amarum experitur.*

*Quatuor ergo sunt puncta hoc capite notanda : primum est, idea angeli fortis, qui unum pedem figit in terra, alterum in mari; secundum, septem tonitrua; tertium, juramentum angeli quod amplius non erit tempus; quartum, liber datus Joanni dulcescens in ejus ore, sed in ventre amarescens.*

1. Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube, et iris in capite ejus, et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus tanquam columnæ ignis. 2. Et habebat in manu sua libellum apertum; et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. 3. Et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. 4. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram, et audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. 5. Et Angelus, quem vidi stantem super mare, et super terram, levavit manum suam ad cœlum; 6. et juravit per Viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum, et ea quæ in eo sunt; et terram, et ea quæ in ea sunt; et mare, et ea quæ in eo sunt : Quia tempus non erit amplius. 7. Sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas. 8. Et audivi vocem de cœlo iterum loquentem mecum, et dicentem : Vade, et accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, et super terram. 9. Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi : Accipe librum, et devora illum; et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. 10. Et accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum; et erat in ore meo tanquam mel dulce : et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus; 11. et dixit mihi : Oportet te iterum prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis.

Notat Alcazar hæc omnia a capite X usque ad vers. 15 cap. XI, pertinere quodammodo ad sextam tubam et plagam septimi sigilli. Nam sicuti post quintam plagam dixit Joannes cap. IX, vers. 12 : « Væ unum abiit; » ita cap. XI, vers. 14, ait : « Væ secundum abiit, » id est, sexta plaga sexti sigilli jam peracta est; « et ecce væ tertium veniet cito, » puta septima et ultima plaga, quæ explicatur ibidem vers. 15. Hoc ex parte verum est, sed non universim, ut patebit initio capitis sequentis.

Rursum Alcazar ex suæ explicationis acoluthia censet, sicut plaga sexta Judæorum iras et furores complexa est, ita hoc capite significari, horribilem illam persecutionis procellam, et quasi furorem, quam Judæi contra Ecclesiam concitarunt, initium fuisse veræ ac solidæ Gentilium felicitatis : eo enim Deum hæc direxisse, ut persecutiones Ecclesiæ verteret in ejus felicitatem et gloriam, nimirum ut derelictis Judæis transferret fidem, Ecclesiam et salutem ad Gentes; atque hoc intelligi cum dicitur : « Consummabitur mysterium Dei. » Verum hæc spectant novissima tempora. Inseruntur ergo hic, ut homines qui tunc tot plagis sex tubarum a Deo per Angelos moniti nolent pœnitere, vehementius redarguantur, arctentur et urgeantur : unde jurat Angelus : « Quia amplius non erit tempus. »

1. ET VIDI ALIUM ANGELUM FORTEM DESCENDENTEM DE COELO AMICTUM NUBE, ET IRIS IN CAPITE EJUS, ET FACIES EJUS ERAT UT SOL, ET PEDES EJUS TANQUAM COLUMNÆ IGNIS. — *Primo*, Primasius, Beda, Richardus, et alii multi per Angelum hunc accipiunt Christum, qui de cœlo descendit in incarnatione. Iridem gestat, quia legatus est pacis. Hic terræ et mari imperat : unde pedem unum terræ, alterum mari, quasi possessor et dominus imponit. Pes ejus dexter est misericordia, sinister est

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

justitia. « Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas. » Librum habet apertum, quia mysterium gratiæ et salutis revelavit. Rugit instar leonis, quia pœnas gehennæ impiis denuntiat, juratque quod post diem judicii non erit amplius tempus. Post ejus vocem locuta sunt septem tonitrua, id est, omnes Apostoli prædicarunt toto orbe, qui æque, ut Jacobus et Joannes, fuerunt Boanerges, id est filii tonitrui.

Huc accedit Alcazar : Angelus fortis, inquit, est Christus, qui quasi magni consilii Angelus, per Apostolos mundo annuntiat altissimum Dei consilium, quod scilicet Judaici populi diminutio, egestas atque infelicitas fuerit Gentium felicitas, divitiæ et incrementum : Gentibus enim annuntiat afferique pacem et salutem. Quocirca amictus est nube Evangelicæ prædicationis, utpote qui per suos ministros loquitur, et imbrem cœlestis doctrinæ in homines infundit; hinc et iridem habet in capite, iris enim pacis et reconciliationis est symbolum. Facies ejus, radians ut sol, significat desiderium quo flagrabat Evangelii lucem toto orbe diffundendi, et hac ratione promittendi Ecclesiæ maximam gloriam. Habet pedes quasi columnas ignis, tum quia quasi gigas ingentes et quasi columnares habet pedes. « Exultavit enim ut gigas ad currendam viam, » *Psal.* XVIII, 8; tum quia venit ut ignem charitatis in terram deferret, ibique accenderet. Alludit ad *Cant.* cap. V, vers. 15 : « Crura illius columnæ marmoreæ; » et ad vers. 15, cap. I *Apocal.*, ubi dicitur : « Pedes ejus similes aurichalco sicut in camino ardenti. »

*Secundo*, Aureolus per Angelum hunc fortem accipit Justinum Imperatorem, qui Anastasio successit, et jussit exterminari Arianismum. Unde amictus est nube gratiæ, et iride pacis Ecclesiæ. Facies ejus ut sol, ob splendorem fidei; pedes ejus ut columnæ ignis, propter æquitatem justitiæ. Habet librum apertum, id est, Epistolas quas de fide Catholica destinavit omnibus tam in terra, quam in mari et insulis habitantibus. Tum septem tonitrua, id est, omnes Ecclesiæ Doctores, vocem laudis Deo dederunt. Prohibetur tamen Joannes voces has scribere, quia rege Theodorico adhuc vivente, non ausi sunt Orthodoxi publice Deum laudare, Filiumque Patri ὁμοούσιον celebrare.

Rursum, idem Aureolus per Angelum hunc accipit Justinianum Imperatorem, qui nepos fuit Justini, ac imperare cœpit anno Domini 527. Hic habet librum, id est Codicem Juris, quem per suos Juris-consultos (fuit enim ipse analphabetus, ut ait Suidas, et plane illiteratus, adeo ut legere nesciret) conscribi et digeri jussit. Hic in ore ejus fuit dulcis, sed in ventrem descendens amarus, quia Justinianus in fine vitæ per Arthemium, Patriarcham Constantinopolitanum, factus est Eutychianus; quocirca amaricavit et afflixit Sylverium et Agapetum Papas, ac Mennam Patriarcham, hæresi ejus resistentes. Unde in faciem ei exprobravit Agapetus, dixitque : « Ego ad Justinianum Christianissimum Imperatorem desideravi venire; nunc autem Diocletianum inveni. »

Verum hæc omnia, uti sæpius dixi, spectant tempus, non incarnationis Christi, nec Justini aut Justiniani, sed consummationis mundi.

Ad litteram ergo genuine Andreas Cæsariensis, Ribera et Viegas per Angelum, non Christum, sed Angelum proprie dictum, eumque bonum, puta beatum et gloriosum (qui tamen sit typus et legatus Christi), accipiunt. Hic amictus est nube, quia nubes gloriæ rerumque cœlestium est tegumentum, æque ac symbolum, et, ut ait Aretas in cap. XI, in nube est quædam obscuritas cum aliquo splendore, qui a refractione radii solaris perficitur. Sic et divina, neque omnino nobis incerta sunt, neque omnino « manifeste præbentur, sed veluti puræ lucis illustratio per obscuritatem manifestantur. » Eadem de causa facies ejus splendet ut sol, tum quia gloriosus est Beatorum vultus, tum quia læta nuntiat impiis, si a peccatis resipiscere velint. Rursum, nubes significat ignorantiam, caliginem et perplexitatem, qua involventur homines in fine mundi. Gestat iridem, quia invitat homines ad pacem et reconciliationem cum Deo, si mores corrigere et vitam emendare velint; sin autem, rugit ut leo, ostenditque pedes columnares et igneos, id est iram et furorem, quæ instar columnæ fortis est et potens ad plagas impiis irrogandas. Hisce ergo pedibus significatur potestas Christi ad conculcandum suos hostes, puta impios, eosque igne cremandum. Ponit unum pedem super terram, et alterum super mare, ut ostendat nihil in terra, nihil in mari posse evadere hanc vindicem Dei manum, Christique sententiam et justam ultionem (1).

FORTEM, — quia fortia nuntiat et efficit : unde habet pedes quasi columnas ignis, rugitque ut leo, ac ciet tonitrua. Jurat enim « quia tempus non erit amplius; sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei. » Opinatur Ribera hunc Angelum fore eumdem cum illo, qui cap. V nuntiavit Joanni Agnum reseraturum esse librum : uterque enim vocatur fortis.

AMICTUM NUBE, — quia divina et arcana Dei consilia de fine temporis et mundi annuntiat. Porro amictus erat nube non in facie : hæc enim splendebat ut sol; sed inferne in cæteris membris. Sic Horatius, lib. 1, ode 2.

> Nube candentes humeros amictus
> Augur Apollo.

Et Virgilius, I *Æneidos*, Æneam a matre dea Venere nube septum fingit :

> At Venus obscuro gradientes aere sepsit,
> Et multo nebulæ circum dea fudit amictu,
> Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset.

(1) Aliis hic est angelus testamenti, puta veteris, dux et protector gentis Israeliticæ, comes itinerum ac laborum, legisque promulgator in monte Sina. Talis aperte denotatur iride, quod signum est fœderis Dei cum hominibus, *Gen.* IX, 13. Quia Judæi plagis indurruerant, iis ultimum exitium, ac urbis templique eversionem denuntiat.



At inferius Æneæ ad Didonem accessum describens :

> Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum;
> Restitit Æneas, claraque in luce refulsit,
> Os humerosque Deo similis.

2. ET HABEBAT IN MANU SUA LIBELLUM APERTUM. — Pro libellum est græce βιβλαρίδιον, aut, ut alii legunt, βιβλιδάριον; a βίβλος enim deducitur diminutivum primum βιβλίον, *secundum* βιβλάριον, *tertium* βιβλαρίδιον, *quartum* βιβλιδάριον : perinde ac a Latino *liber* diminuitur *libellus*, indeque *libellulus*, et *libelluncul*us : hoc ergo tertio, vel quarto diminutivo significatur hunc librum satis minutum fuisse et exiguum. Porro hic libellus est ille de quo cap. V, vers. 1, qui scilicet signatus erat septem sigillis, quæ omnia jam pene reserata sunt ab Agno; unde nunc aperitur liber, et apertus offertur vers. 9 S. Joanni legendus et describendus. Deinceps ergo, puta post septimam tubam, de qua cap. sequenti, vers. 15, describet S. Joannes ea quæ scripta erant in hoc libro, nimirum tempora Antichristi, ejusque et asseclarum supplicia (1).

ET POSUIT PEDEM SUUM DEXTRUM SUPER MARE, SINISTRUM AUTEM SUPER TERRAM, — quia pes dexter fortior est, inquit Ribera; tali autem indiget mare præ terra : mare enim natura sua est mobile, instabile, fluidum, inquietum et procellosum, ut significetur, quod in iis qui magis latent et remotiores sunt, ac ambitu maris quasi vallo cincti, ut inaccessi videantur, puta in iis qui in insulis habitant, Christus magis ostendet suum imperium, fortitudinem et vindictam per plagas et supplicia eis irroganda (2).

Aliam causam, sed mysticam, dant Ambrosius, Rupertus, Richardus, Viegas et Alcazar, quod scilicet Angelus hic, id est Christus, relicta terra, pergebat ad mare. Accessus autem, sive ingressus in mare fit dextro pede. Censent enim ipsi ad litteram per terram significari Judæos, per mare Gentes, *q. d.* Christus, relictis Judæis, perrexit ad Gentes, ait Alcazar; aut, ut Ambrosius et alii, *q. d.* Christus tam Judæis, quam Gentibus misit concionatores; horum enim symbolum sunt Christi pedes.

Porro Judæi vocantur terra, quia terreni, terræ bonis toti inhiabant : Gentiles vero mare, propter eorum, *primo*, multitudinem et varietatem; *secundo*, levitatem, inconstantiam, profunditatem errorum et vitiorum; *tertio*, perturbationem, confusionem, tumultus, bella et rixas; *quarto*, quia in mari vivitur ex rapto, et magni pisces parvos devorant, æque ac piratæ omnia diripiunt; ita vivebant et Gentes; *quinto*, mare notat sævam tempestatem, qua Ecclesiæ navis erat jactanda in Gentilium persecutionibus : hæ enim optime per maris furorem repræsentantur. Porro Christi pedes aquis maris non mersi, sed solide in iis perstantes, significant Evangelii prædicationem in æstuantis maris procellis ac persecutionibus non esse obruendam, sed in iis potius solidam firmamque futuram. Hujus rei symbolo Christus ambulavit firmo gressu super mare æstuans, *Marci* VI, 48. Denique pedes Christi igniti significant miram Christi efficaciam, nimirum quod, sicut naphtha aquas ipsas ardentes et ignitas reddit, ita Christus Spiritus Sancti igne aquas gentilitatis sit accensurus, uti prædixit Isaias cap. LXIV, vers. 2 : « Aquæ ardebunt igni. »

3. ET CLAMAVIT VOCE MAGNA QUEMADMODUM CUM LEO RUGIT. — cum in prædam vel hostem furibundus fertur et irruit. Pro *rugit* græce est μυκᾶται, id est *mugit*; sed Græci non videntur distinguere inter ὠρύεσθαι et μυκᾶσθαι, sicut Latini inter *mugit* et *rugit*. Unde patet clamasse eum, horrida et ultima impiis imminere supplicia; quocirca idem jurat vers. 6 : « Quia tempus non erit amplius; » eique clamanti et rugienti pari fragore assonant et responsant tonitrua. Nota hæc omnia non esse realia, nec realiter eventura : non enim realiter Angelus amictus nube descendet, nec ponet unum pedem in terra, alterum in mari, nec clamabit aut jurabit, Quia amplius non erit tempus; sed symbolice per visionem hæc omnia objecta fuisse phantasiæ et menti S. Joannis : videbatur enim ipse sibi videre Angelum ita ponentem pedes, eumque clamare ac rugire, ut per hæc omnia intelligeret, ac scriberet plagas orbi in ejus fine obventuras : has enim ipse hic describit et proclamat. Rursum, ut significet quod easdem in fine mundi proclamabit Angelus per suos prædicatores et Prophetas : non enim est necesse dicere quod Angelus hæc ipsa per se proclamabit.

ET CUM CLAMASSET, LOCUTA SUNT SEPTEM TONITRUA VOCES SUAS. — Hæ voces quasi echo respondent clamori Angeli. Est ergo hæc echo heptaphona, sive septem vocum, qualem refert Plinius, lib. XXXVI, cap. XV, ubi vox eadem repercussa septies reddebatur. Forte alludit ad *Psal.* XXVIII, qui celebrat Dei magnificentiam ex eo quod sit Altitonans, cietque horrida et valida tonitrua, unde in eo τὸ vox *Domini* (quæ non est alia quam tonitru) septies repetitur. Ita Alcazar. Porro hæ voces tonantes, et hæc tonitrua vocalia significant magnitudinem calamitatum futurarum in fine mundi; quocirca articulatæ erant hæ voces : nam eas intelligebat, et intellectas conscribere volebat S. Joannes. Sicut ergo in Sina, *Exodi* XIX, Ange-

(1) *Libellum apertum*, signum pronuntiandæ jam sententiæ. Sicut enim decreta, quorum executio suspenditur, obsignari solent, ita sententiæ jamjam pronuntiandæ patere debent.

(2) *Pedem ponere* Dominum significat, quemadmodum et Latini dicunt *habere sub pedibus*. Sed h. l. nihil aliud significari videtur, nisi *figuram giganteam* divini nuntii. Hæc Rosenmullerus.

lus voce tonante, sed articulata, proclamavit et promulgavit Hebræis legem Decalogi : ita tonitrua hæc articulate et vocaliter edicebant plagas orbi imminentes. Quapropter tonitrua hæc articulata non sunt realia, nec realiter existent in fine mundi; sed per visionem tantum ostensa sunt Joanni, æque ac Angelus clamans et jurans, ut per ea repræsentaret horrida fulmina et tonitrua, quæ revera plurima erunt in fine mundi, esto non erunt articulata, ut portendant et quasi inchoent extremas et gravissimas orbis plagas. In S. Brigittæ Revelationibus lib. VI, cap. x, refertur illam, dum rogaretur quid significarent septem tonitrua, quæ Joannes asserit se audisse cap. x Apoc., respondisse, divina revelatione se didicisse septem illa tonitrua esse comminationes persecutoribus Ecclesiæ e cœlo intentatas (1).

4. SIGNA QUÆ LOCUTA SUNT SEPTEM TONITRUA, ET NOLI EA SCRIBERE. — « Signa, » græce σφράγισον, id est *obsigna*, velut occultanda, scilicet in mente tua, ibique recondita serva : noli vero ea scribere et patefacere, ne homines qui ea lecturi essent, ea non credant, vel plane animo percellantur et desperent; aut quia, ut ait Aretas, ob eamdem aut similem causam, horum cognitio utilius ultimis temporibus reservatur (2). Ex hoc loco colligit et conjicit Ribera n. 15, v. S. Joannem multo plura accepisse quam quæ scripsit. Nam quæ ab hoc loco usque ad finem libri scribuntur, pauca sunt; ipse autem vidit librum copiosum scriptum intus et foris cap. v, 1. Fortasse etiam in eo cognovit quinam essent in Ecclesiis Antichristo cessuri ex Episcopis, et viris sanctis, et quibus illi essent pœnis plectendi : ut merito dixerit vers. 10 : « Et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus. »

5. ET ANGELUS, etc., LEVAVIT MANUM SUAM AD COELUM. — *Primo*, quasi jurans levata manu. Ideo enim in juramento levamus manum, ut Deum quasi dictorum nostrorum veritatisque testem, et perjurii vindicem, indice in cœlum intento designemus et invocemus. *Secundo*, quasi comminans iras Dei acres, nisi homines pœniteant. *Tertio*, hoc signo quasi excitans audientes ad attentionem rei maximæ et maxime notandæ, quam dicturus est de temporis pretiosissimi brevitate, et jactura vel lucro.

6. ET JURAVIT PER VIVENTEM, — dicendo אֵל חַי *el chai*, id est, *vivit Dominus*, id est, juro per viventem Dominum, vel per vitam Domini Dei. Nota hic gravitatem et pondus juramenti, ob pondus rei, quam juramento hoc confirmat Angelus, scilicet temporis jam finiendi pretium. Subdit enim : « Qui creavit cœlum, et ea quæ in eo sunt; et terram, et ea quæ in ea sunt; et mare, et ea quæ in eo sunt. » Hæc enim pariter cum tempore finienda jurat. Solent enim Sancti, dum jurant, Deo tribuere illa epitheta, quæ rei quam juramento confirmant, congruunt. Mystice Alcazar : Angelus, inquit, obtestatur Deum, qui novum Ecclesiæ Christianæ cœlum, qui Synagogæ terram, qui Gentilitatis mare condidit. Porro alluditur hic ad *Daniel*. XII, 7, ubi pariter Daniel vidit Angelum huic persimilem : « Et audivi, inquit, virum qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dextram et sinistram suam in cœlum et jurasset per viventem in æternum, quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis, » id est, tres annos cum dimidio durabit monarchia et persecutio Antichristi. Ubi nota congrue Angelum tam hic, quam *Daniel*. XII, jurare per æternitatem Dei : hæc enim temporibus omnibus dominatur, iisque legem modumque figit, ac principium terminumque constituit et definit. Deus enim æternus est, qui, ut ait Boetius,

tempus ab ævo
Ire jubet, stabilisque manens dat cuncta moveri.

Hac de causa Deus vocatur hic « Vivens in sæcula sæculorum, » et a Daniele (ad quem hic alludit Joannes) cap. IV, vers. 31, « Vivens in sempiternum; » ubi Syrus vertit, *vivens sæculorum*; et alibi, *gigas sæculorum* : de qua phrasi plura dixi *Isaiæ* LVII, 15.

QUIA (quod) TEMPUS NON ERIT AMPLIUS. — Syrus, *juravit*, etc., *quia sic non erit amplius*; Arabicus, *juravit*, etc., *quia non erit tempus in diebus vocis Angeli septimi, cum cœperit tuba canere.* Alludit ad *Daniel*. VIII, 19 : « Quoniam habet tempus finem suum, » saltem verbotenus. Nam verba illa apud Danielem alium habent sensum, uti ibi dixi. Jam Alcazar exponit, *q. d.* Finietur nunc tempus Judæorum et Synagogæ, atque incipiet tempus Gentilium et Ecclesiæ. Putat enim ipse hic agi de reprobatione Judæorum et vocatione Gentium, hocque esse magnum illud mysterium quod mox consummandum dicitur.

Verum dico agi hic de fine mundi et temporis, *q. d.* Imminet finis mundi; brevi tempus, id est, motus cœlorum solis et lunæ, ac consequenter tempus proprie dictum, quod, ut ait Aristoteles, est numerus id est mensura, motus primi mobilis, quodque discriminant et interstinguunt motus solis et lunæ, non erit amplius; sed pro tempore succedet quasi ævum quoddam æternum, sed corporeum (erit enim mensura cœli, terræ aliorumque corporum), simile ævo Angelorum. Hinc consequenter in terra non erit ullus motus aut tempus, nec vita sublunaris : ac tertio non erit tempus, id est spatium, pœnitendi, merendi et salutem suam procurandi. Nota : Hæc dixit Angelus antequam Joanni daret librum devorandum, id est antequam panderet ei futura sub Antichristo; hæc enim in libro continebantur, *q. d.* Jamjam imminet tempus Antichristi, ac consequenter imminet tempus finis mundi et temporis, qui mox sequetur. Nam Antichristi regnum et tempus erit breve, scilicet trium annorum cum medio.

(1) Censet Allioli septem hæc tonitrua esse septem angelos, de quibus VIII, 2. Eorum voces dicuntur tonitrua, quia pœnas et calamitates pronuntiant.

(2) Cur celanda sunt hæc mala? Respondet Rosenmullerus, ut significetur ea adeo fore varia, ut pro dignitate describi non possent. Allioli; quia adhuc immatura est pœna : duo *testes* (XI, 3), seu prophetæ, ante mittendi sunt, quam clangat septima tuba.



Moraliter, nota hic tempus præsentis vitæ esse pretiosissimum, ac propterea ejus maximam habendam esse rationem, singulaque ejus momenta utilissime collocanda esse et expendenda. Nam *primo*, tempus hoc est breve, et instar umbræ, avis, navis et sagittæ prætervolat, ut dicitur *Sapient*. V, vers. 9. Et *Psal*. CI : « Defecerunt sicut fumus dies mei; » quid brevius, quid magis evanidum quam fumus? Et *Psal*. LXXXIX, 9 : « Anni nostri sicut aranea meditabuntur. » Hebræa ad verbum habent : « Anni nostri consumuntur sicut cogitatio, » quæ, ut aiebat Thales, citissime transcurrit. Præclare S. Hieronymus Eustochium instruit, dicens : « Amemus Christum, ejusque semper quæramus amplexus, et facile videbitur omne difficile, brevia putabimus universa quæ longa sunt; et jaculo illius vulnerati per singula momenta dicemus : Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est. » Scribit S. Hieronymus de S. Marcella ad Principiam ejus filiam : « Sic, inquit, ætatem duxit et vixit, ut semper se crederet esse morituram. Sic induta est vestibus, ut meminisset sepulcri, memor Satyrici : Vive memor lethi, fugit hora; hoc quod loquor, inde est. Et, memento semper diem mortis; et nunquam peccabis; laudabatque illud Platonis, qui Philosophiam meditationem mortis esse dixit. » Moriendum ergo quotidie, ut in somnum ituri læti hilaresque dicamus :

Vixi, et quem dederas cursum, Deus alme, peregi.

« Itaque sic ordinandus dies est omnis, tanquam cogat agmen, et consumat atque expleat vitam, » ait Seneca, *epist*. 12. Quocirca Simonides rogatus quantum temporis vixisset? respondit : « Tempus exiguum, annos vero multos. » Ita Stobæus, *serm*. 98.

*Secundo*, quia tempus, cum præteriit, est irrevocabile. Nam, ut ait Catullus, *epigram*. 5 :

Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetuo una dormienda.

Et Heraclitus : « In idem flumen bis non descendimus. » Et Lamachus : « In prælio (in vita quæ est militia) non licet bis peccare. » Primus enim error est lethiler et inemendabilis. Quocirca prudenter S. Ambrosius in *Psal*. I : Sicut, inquit, dormiens in navi vehitur ad portum : « ita tu dormis, at tempus tuum » non dormit, sed « ambulat, » dormiensque pergis ad mortem. Surge ergo qui dormis, ambula, ascende et vola ad cœlum. Et Sapiens *Eccles*. cap. IX, 10 : « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. » Veteres, ut temporis celeritatem et fugacitatem irrevocabilem repræsentarent, pinxerunt tempus quasi juvenem expeditum, alatum, habentem falcem in manu, qua omnia demetit; insistentem currui, qui a duobus equis pernicissimis instar aquilarum trahebatur, ita ut non tam currere, quam volare videretur.

*Tertio*, quia ab hoc brevi tempore, et quasi momento pendet tota æternitas nostra, quæ sine fine est et intermina. Rursum, quia quolibet temporis instanti infinita æternitatis gloria comparari, et in immensum augeri potest. Hac cogitatione excitatus Psaltes canebat *Psal*. CXVIII, vers. 148 : « Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua. » Et Sapiens, *Proverb*. cap. VI, vers. 6, serio monet jubetque : « Vade, inquit, ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam : quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. » Quapropter S. Gregorius Nazianzenus præsentem vitam dixit esse mercatum, in quo cuilibet quidvis emendi et comparandi sit opportunitas; eo vero transacto nihil amplius a quoquam emi aut comparari possit. In Italia vidi viri sapientis epitaphium, qui illud suo sepulcro incidi jussit, estque tale :

Inveni portum; spes et fortuna, valete.
Nil mihi vobiscum : ludite nunc alios.

et alterius :

Cogitat sapiens, qualis, non quanta sit vita.
Id ago, ut mihi instar totius vitæ sit dies,
Ut moriens vivam, vivo ut moriturus.

Vere Seneca *epist*. 118 : « Non, inquit, tam benignum et liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere; et vide quam multa etiam diligentissimis pereant. Aliud valetudo sua cuique abstulit, aliud suorum, aliud necessaria negotia, aliud publica occupaverunt. Vitam nobiscum dividit somnus. Ex hoc tempore tam angusto, tam rapido, et nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum? »

*Quarto*, quia tempus hoc est in nostra potestate et arbitrio; datum enim est nobis a Deo ad bene operandum, ad salutem, gloriam coronasque æternas procurandum et augendum. Quocirca ejus exactissimam rationem a quolibet exiget. Hinc Apostolus monet *Ephes*. V, 16 : « Redimentes, inquit, tempus, quoniam dies mali sunt. » Et ad *Galat*. VI, 9 : « Bonum facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus. » Vide quæ hisce locis annotavi, uti et I *Cor*. VII, 29 et seqq. Refert Sophronius in *Prato Spirit*., cap. LIX, de B. Thalilæo, quod semper flebat; causam rogatus dixit : « Tempus hoc nobis ad pœnitentiam indultum est, et valde requiretur a nobis, si illud neglexerimus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

*Quinto*, quia post hoc tempus non habebimus aliud tempus, in quo errorem et negligentiam in priore admissam corrigere et compensare possimus. Cogita quot milliones hominum sint in inferno, qui tempus hoc neglexerunt, jamque «sero sapiunt Phryges,» cuperentque pati omnia tormenta mundi et gehennæ per mille annos, imo per mille milliones annorum, si per hæc omnia vel unicum instans temporis consequi possent ad pœnitendum. Quin et Seneca, lib. *De Brev. vitæ*, ex hoc capite docet omnium maximam hominum insaniam esse, quod cum in cæteris sint avari, in tempore profundendo sint liberales, subditque : «Quid ergo est in causa? tanquam semper victuri vivitis, nunquam vobis fragilitas vestra succurrit; omnia tanquam mortales timetis, omnia tanquam immortales concupiscitis. Audias plerosque dicentes : Anno quinquagesimo in otium secedam. Et quem longioris vitæ prædem accipis? non pudet te ad reliquias vitæ te tibi servare? Quam serum est vivere incipere, cum desinendum est! vivere tota vita discendum. Tempus quasi nihil petitur, quasi nihil datur. Res omnium pretiosissima luditur. Ibit qua cœpit ætas, nec cursum suum aut revocabit, aut supprimet : nihil admonebit velocitatis suæ, tacita labetur. Tu occupatus es, vita festinat. Mors interim aderit, cui velis nolis vacandum est. Itaque cum celeritate temporis, utendi velocitate certandum est : velut ex torrente rapido, nec semper cursuro cito hauriendum est.»

*Sexto*, quia Deus brevi hoc tempus nobis auferet, ac in æternitatem transferet. Prudenter Climacus, *gradu* 6, hoc cuique dat monitum : «Non est, ait, præsentem diem pie transire, nisi hanc esse ultimam totius vitæ nostræ existimemus. Probatus ille est, qui mortem singulis horis exspectat; sed ille sane sanctus, qui eam singulis horis desiderat.» S. Hilarion, ait S. Hieronymus in ejus Vita, «singulos hortabatur præterire figuram hujus mundi, et eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emeretur incommodo.» Hoc assidue per annos 98 meditabatur S. Paulus primus Eremita, qui proinde veniente ad eum S. Antonio : «En, inquit, quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris, operit inculta canities; en vides hominem pulverem mox futurum. Sed quia dormitionis meæ instat tempus, et quod semper cupiebam, dissolvi et esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona justitiæ; tu missus es a Domino qui humo corpusculum meum tegas, imo terram terræ reddas.» Quocirca rediens ad suos Antonius, merito de Paulo dixit : Væ mihi peccatori! quia falso monachi nomen gero; vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, et vere vidi Paulum in paradiso.»

7. SED IN DIEBUS VOCIS SEPTIMI ANGELI, CUM CœPERIT TUBA CANERE (cap. seq., vers. 15) CONSUMMABITUR MYSTERIUM DEI, — mysterium scilicet glorificationis Eliæ et Henoch, ac paulo post aliorum Sanctorum, atque ex adverso punitionis hostium, Eliæ et Henoch, et paulo post omnium impiorum. Elia enim et Henoch in cœlum ascendentibus, consummabitur, id est consummari incipiet, et paulo post perfecte consummabitur mysterium consummationis sæculi, extremi judicii, glorificationis Sanctorum, damnationis reproborum, et beatæ miseræque æternitatis. Hanc enim evangelizarunt Christus, Apostoli et Prophetæ; hæcque probis et sanctis est Evangelium, id est, faustus lætusque nuntius : licet improbis et reprobis sit tristis et infelix (1).

9. ACCIPE LIBRUM, ET DEVORA ILLUM. — Pro *librum* græce est βιβλαρίδιον, id est *libellum*, quem Alcazar accipit catalogum paucorum Judæorum qui Christo crediderunt, et salvati sunt. Unde eumdem Isaias vocat consummationem, sive verbum breviatum. Ait enim cap. x, vers. 22 : «Consummatio abbreviata inundabit justitiam : consummationem enim et abbreviationem faciet Dominus in medio terræ,» id est, ut Apostolus explicat *Rom.* XI : «Diminutio eorum divitiæ Gentium.» Hic liber apertus traditus Joanni, id est, hujus mysterii intelligentia reserata est Joanni.

Verum superius ostendi librum vel libellum hunc esse Apocalypsin. Sensus ergo est, *q. d.* Accipe, o Joannes, hanc revelationem Apocalypsis de futuris in fine mundi sub Antichristo, eamque «devora,» id est, avide totam hauri et perspice, totamque in mente et ventre memoriæ reconde, ut eam ruminare et per partes expendere possis. Intellectus enim est quasi os animæ, dentes sunt indagines et scrutinia veritatis, per quæ veritas patefit et cognoscitur, ac deinde in ventrem, id est in cellam memoriæ, trajicitur et reconditur. Porro librum quem cap. v, vers. 1, vocavit βιβλίον, hic diminutive vocat βιβλαρίδιον, quia cap. v, liber hic septem ingentibus sigillis signatus, ingens videbatur; at hic iis apertis et reseratis, dimidia quasi parte minor apparebat (2).

10. ET ERAT IN ORE MEO TANQUAM MEL DULCE : ET CUM DEVORASSEM EUM, AMARICATUS EST (Arabicus, *amarus factus est*) VENTER MEUS. — Alludit ad naturam mellis, quod comestum in bilem flavam convertitur, stomachumque lancinat et amaricat. Nam, ut ait Poeta : «Dulcia se in bilem vertunt.» Jam «dulce,» id est dulcis, scilicet liber : respicit enim Latinus Græcum βιβλαρίδιον, quod est neutrum. Sensus est, *q. d.* Apocalypsis hæc, hoc est revelatio et prænotio futurorum sub Antichristo, quam accepi a Christo per Angelum in ore, id est prima facie, et primo gustu erat

(1) Tò *mysterium Dei* est decretum de excidio gentis Israeliticæ. Addit Allioli : Judæorum ac Gentilium in Christianam Ecclesiam coadunatio.

(2) «Et faciet amaricari,» etc. Sensus est : Non poteris ista cogitare, ut non miseratione quadam movearis super interitu tot populorum. In ore dulcem fore libellum addit, id est, contenta ejus fore consolationis plena, respectu Christianorum.



mihi dulcis, mentemque pascebat et oblectabat, quia erat mira, nova, arcana et divina cognitio et prophetia; sed ubi cœpi ruminare calamitates ac multitudinem reproborum, forte etiam lapsus et casus multorum Sanctorum persecutione Antichristi, quæ hoc libro et hac revelatione continebantur, amaricatus est venter meus, id est, intime in animo et mente mea indolui et ingemui. Ita Aretas. Alludit ad *Ezech.* III, 1, ubi Ezechieli a Deo similis datur liber, qui hujus fuit typus; erat enim initio melleus, postea felleus.

Nota hic : Verbum Dei simile est pilulis, quæ foris auratæ vel saccharatæ, deglutiuntur cum suavitate; sed cum in ventre dissolvuntur ob aloen, myrrham, aliaque amara quæ continent, amaricant ventrem, et torminibus eum quasi dilacerant : pari modo tropologice verbum Dei, ait D. Thomas, dulce est rationi, sed amarum sensualitati. Mystice S. Augustinus in *Quæst. novi et veteris Testamenti*, Quæst. LXXII, tom. IV : Liber hic, ait, est S. Scriptura, quæ dulcis est in ore, id est orthodoxis et sanctis, qui quod integræ sint professionis, ore significantur. «Illis autem qui hæretica pravitate carnaliter vivunt vel sentiunt, propter quod in ventre significati sunt, amarus : accusabit enim eos in die judicii Dei.»

11. ET DIXIT MIHI : OPORTET TE ITERUM PROPHETARE GENTIBUS, ET POPULIS, ET LINGUIS, ET REGIBUS MULTIS. — Græce ἐπὶ λαοῖς, id est, *super gentibus*, de gentibus, populis, etc. Jam *primo*, nonnulli ex hoc loco inducti sunt in opinionem, ut putarent S. Joannem necdum esse mortuum, sed in vita servari, ac venturum cum Elia et Henoch, ut certet cum Antichristo. Ita Hippolytus Martyr, lib. *De Consummat. sæculi*; Dorotheus, in *Synopsi*; Simeon Metaphrastes, in *Vita S. Joannis*; Catharinus, *opuscul.* de hac re, et fuse Salmeron, tom. XI, tract. 32. Favent Andreas et Aretas hic, et S. Ambrosius, lib. VII *in Lucam*; Damascenus, orat. *De Transfiguratione*, Theophylactus et Euthymius in *Matth.* XX, 23. Verum certum est S. Joannem esse mortuum, uti docent S. Hieronymus, Augustinus, Eusebius ex Polycrate, et passim veteres, imo Concilium Ephesinum et tota Ecclesia, quæ S. Joannis, quasi mortui, et in cœlo cum Christo regnantis, diem festum colit 27 decembris. Vide dicta in proœmio.

*Secundo*, Primasius, Beda, Ansbertus et Viegas exponunt : «Oportet te iterum prædicare,» *q. d.* Oportet te scribere Evangelium post Apocalypsim : post hanc enim illud scripsit.

*Tertio*, alii, *q. d.* Jam in Patmo exul et silens agis, sed mox liberaberis, redibisque in Asiam, ut iterum Asianis prædices Christi Evangelium.

*Quarto*, Alcazar, *q. d.* Hactenus prophetasti et prædicasti reprobationem Judæorum, oportet te iterum prophetare, ut scilicet pronunties vocationem et electionem Gentium. Id enim Joannem facere a capite XII usque ad finem, censet Alcazar.

Verum dico : Sensus est, *q. d.* Oportet te, o Joannes, rursum prophetare, ut nimirum prænunties alia graviora mala et supplicia orbi inferenda, quam sunt illa quæ septem sigillis libri signati continentur, quæque hucusque per prophetiam cognovisti, et prophetando descripsisti. Illa autem graviora mala sunt, quæ, apertis jam septem sigillis, in ipso eorum libro prius signato, nunc aperto legisti, suntque illa quæ de Elia, Henoch, Antichristo, Gog et Magog, etc., a cap. undecimo usque ad finem Apocalypseos recensentur. Cum enim Joannes tam operose hucusque explicarit et descripserit mysteria septem sigillis libri signati contenta, sine quibus liber aperiri et legi non poterat, uti dixit cap. v, plane credibile est eum quoque descripsisse mysteria in libro ipso contenta, ut ipse hic satis significat. Ad hoc enim reserabantur sigilla, ut liber ipse legeretur. Deinceps autem Joannes non facit mentionem descriptionis libri, sed visionum; ergo visiones quæ recensentur capite undecimo et sequentibus, sunt illa quæ descripta fuerunt in libro, quem ipse vidit et legit, quæque ibi visa et lecta ipse in hoc suæ Apocalypseos libro describit et enarrat. Unde Arabicus vertit : *Necesse est tibi etiam ut prophetes super gentes, vel contra gentes*. Sic et Syrus.

Dices : S. Joannes capite XI et sequentibus non meminit ullius libri, nec descriptionis ac lectionis, sed tantum dicit se vidisse illa symbola quæ enarrat. Respondeo : Joannes primo legit illa descripta in libro, deinde eadem jam lecta vidit per symbola oculis suæ mentis et phantasiæ objici. Post lectionem enim accessit eorumdem visio, ut sciret quæ, et quomodo, ac quam recte vel aperte ea scribere deberet, quæ clarissime in libro descripto legerat. Similiter enim mysteria contenta in septem sigillis vocavit visiones, eaque se vidisse asseveravit hactenus; præsertim cum apud Prophetas visio, lectio et auditio idem sint, tantumque significent revelationem et cognitionem spiritalem mentis, uti ostendi *Canon.* 1 in Prophetas. Hæc omnia confirmantur ex eo quod de tuba et clangore septimi Angeli dicitur hoc cap., vers. 7 : «Sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei.» Ergo ea quæ fuse narrantur cap. XI et sequentibus undecim, non pertinent ad septimam septimi Angeli tubam; sed illa tuba hisce capitibus postponi debet, quia in illa consummabuntur omnia. Unde sequitur ea quæ cap. XI et sequentibus ad finem usque libri scribuntur, fuisse contenta et descripta in ipso libro signato : non enim continentur in sigillis, ergo in ipso libro. Ita Ribera, qui id fuse hic demonstrat. Plane ergo aberrat Anglo-Calvinista hic, dum asserit in Apocalypsi solum sigilla libri, non autem ipsum librum explicari; quasi Joannes cooperculum libri, non autem ipsum librum inspexerit et legerit, cum ex cap. v constet eum petiisse et impetrasse ut, solutis sigillis quasi operculis, liber ipse legeretur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

GENTIBUS, ET POPULIS, ET LINGUIS. — Puta prophetabis gentibus totius orbis ; hisce enim scribitur Apocalypsis. Rursum gentibus quæ Antichristum sequentur, et persequentur Christianos toto orbe dispersos, qui proinde pariter variarum erunt gentium et linguarum. « Regibus » quoque « multis » prophetabis, quia prædices omnes reges terræ regna sua amissuros, et sub jugum Antichristi venturos, qui proinde omnes cum eo uno die a Christo occidentur. Sic Jeremiæ ait Deus cap. 1, vers. 5 : « Prophetam in Gentibus dedi te, » quo hic alluditur : fuit enim Jeremias typus S. Joannis.

# CAPUT UNDECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Jubetur Joannes metiri templum, deinde atrium, quod audit dandum esse Antichristo per menses 24. Unde vers. 5, audit quod contra eum prophetabunt, et plagas immittent Elias et Henoch, qui ab eo tandem occidentur in Jerusalem, ac post tres dies et dimidium publice resurgent, ac in cœlum evocati ascendent, tuncque fiet terræ motus, quo tertia pars Hierosolymæ corruet, et septem millia hominum occidentur. Secundo, vers. 15, canit septimus Angelus tuba, et mox fit omnium consummatio, incipitque regnum gloriosum. Quocirca 24 seniores gratias agunt et celebrant Deum, quod jam dies judicii et resurrectio, ac impiorum supplicia et Sanctorum præmia adveniant. Denique, vers. 19, aperitur cœlum, et apparet arca testamenti, fiuntque fulgura, tonitrua, terræ motus et grando magna.*

1. Et datus est mihi calamus similis virgæ, et dictum est mihi : Surge, et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo ; 2. atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, et ne metiaris illud : quoniam datum est Gentibus, et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus; 3. et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. 4. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. 5. Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum; et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. 6. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum ; et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint. 7. Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos. 8. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. 9. Et videbunt de tribubus, et populis, et linguis, et gentibus, corpora eorum per tres dies et dimidium, et corpora eorum non sinent poni in monumentis. 10. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et jucundabuntur : et munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram. 11. Et post dies tres et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. 12. Et audierunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis : Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, et viderunt illos inimici eorum. 13. Et in illa hora factus est terræ motus magnus, et decima pars civitatis cecidit ; et occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia : et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli. 14. Væ secundum abiit, et ecce væ tertium veniet cito. 15. Et septimus Angelus tuba cecinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes : Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. Amen. 16. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes : 17. Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es ; quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. 18. Et iratæ sunt Gentes, et advenit ira tua, et tempus mor-



tuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis Prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruperunt terram. 19. Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura et voces, et terræ motus, et grando magna.

Censet Ribera hoc caput per anticipationem hic collocari, eo quod needum finita sint septem sigilla quæ præibunt Antichristum, ac consequenter Eliam quoque et Henoch, de quibus hoc capite agitur. Verum dico nullam esse hic anticipationem. Nam hic reseratis jam septem sigillis aperitur liber, ejusque mysteria hic describere incipit Joannes. Est ergo hic altera posterior pars Apocalypseos : prior enim fuit explicatio septem sigillorum, quæ cœpit cap. VI, et protenditur hucusque. Posterior incipit hic, et protenditur usque ad finem Apocalypsis, in qua contenta ipsius libri describuntur. Id ita esse patet ex fine capitis præcedentis, ubi Joannes jussus est ab Angelo devorare librum jam apertum, ex eoque iterum prophetare. Est ergo hic altera prophetiæ ejus pars, in qua Joannes librum ipsum, quem cap. præcedenti devoraverat, et oculis animoque hauserat, enarrare incipit. Nam licet septem sigilla libri signati, quæ plane finiuntur hoc capite in tuba septimi Angeli vers. 15, præcesserint lectionem ipsius libri, quem hic describere incipit : tamen hoc intelligendum est de septimo sigillo non complete, sed inchoative, scilicet quod inchoata et non completa omnino reseratione, aut potius explicatione (nam sigillum jam erat reseratum, sed ex eo successive prodierunt, et suas tubas explicuerunt septem Angeli) mysteriorum septimi sigilli, Joannes legerit librum antea signatum, nunc apertum, et ita apertum, ut omnia quæ in eo scripta erant legi possent, uti ea legit, et deinceps enarrat Joannes. Totum ergo septimum sigillum simul et semel initio apertum fuit : aut si malis illud partes habuisse, quæ successive reseratæ successive ediderint hosce septem Angelos cum tubis, dicendum est, prioribus ejus partibus reseratis, totum librum legi potuisse, ita ut pars ejus ultima producens septimum Angelum, qui inducit finem vel consummationem omnium, eo modo vel forinsecus, vel intrinsecus aptata fuerit, ut ejus clausura non clauderet librum, sed ea manente clausa liber nihilominus aperiri et legi posset, qualia sigilla appendi videmus diplomatibus Pontificiis et Regiis patentibus, ut iis fidem faciant et auctoritatem concilient. Id ita esse patet ex eo quod septimus Angelus septimi sigilli affert secum consummationem omnium, uti dicitur cap. præcedenti, vers. 7, et hoc cap. vers. 15. Quocirca pertinet ipse ejusque tuba ad finem Apocalypsis, ac consequenter ante illum ejusque clangorem fient ea, quæ de Elia et Antichristo, ejusque asseclis narrantur hoc cap. et deinceps.

Porro inchoat hanc posteriorem Apocalypseos partem Joannes a conculcatione Ecclesiæ et fidelium, quam faciet Antichristus, cui statim se opponent Elias et Henoch, quasi duo fidelium et belli sacri capitanei ; quorum proinde gesta et miracula uno eodemque filo pertexit Joannes, ideoque subjungit eorumdem mortem, martyrium, resurrectionem, ascensionem in cœlum, portenta mortem eorum consequentia, quæ posterius contingent. Eorum enim, adeoque omnium, quæ hoc capite dicuntur a vers. 7 usque ad finem capitis, proprius locus est cap. XIX, ante vers. 11 ; nam ante bellum ultimum Christi cum Antichristo, Gog et Magog, quod illo vers 11 describere incipit Joannes, continget mors Eliæ et Henoch, et cætera quæ hoc capite a vers. 7 usque ad finem narrantur ; sed Joannes ea hic conjunxit, ut totam historiam Eliæ et Henoch simul complecteretur et pertractaret. Vide Chronotaxin in fine Commentarii.

1. ET DATUS EST MIHI CALAMUS SIMILIS VIRGÆ, ET DICTUM EST MIHI : SURGE, ET METIRE TEMPLUM DEI, ET ALTARE, ET ADORANTES IN EO. — Calamus hic non fuit scriptorius, sed mensorius, puta arunda ad dimetiendum templum, qua rursum metitur Jerusalem cœlestem cap. XXI, vers. 16 et 17, de eaque dicit, quod sit « mensura hominis, » quod Alcazar sic exponit : Quia, inquit, mensura hominis est calamus. Nam calamus erat sex cubitorum : tot autem cubitorum suorum est quisque homo recte formatus, quia cubitus non est quarta, ut alii volunt, sed sexta pars staturæ hominis : ergo sex cubiti sunt mensura staturæ hominis. Hippocrates enim, Aristoteles et Galenus πῆχυν, id est cubitum, vocant præcipuum brachii os, quod ab ima manu usque ad brachii curvaturam protenditur. Excludit ergo mensura cubiti ipsam manum, et eadem est mensura quæ pes, et quæ caput ; caput enim rite formatum est sexta pars hominis, ac consequenter est cubitus. Hucusque Alcazar. Verum hoc physice dici potest, non geometrice : S. Hieronymus enim et passim veteres cubitum vocant mensuram, quæ a curvatura brachii usque ad extremum manus et digitorum protenditur, quæ est quarta pars staturæ hominis.

Rursum, Alcazar per calamum sive virgam percussoriam, quæ fuit mensura vetus veteris Adami, ideoque major calamo posterioris ætatis, accipit passionem et crucem secundi Adami, id est Christi, quæ omnes posteriorum Martyrum passiones superavit ; quocirca Christus hoc calamo, id est cruce, mensus est et erexit fabricam sui templi, id est Ecclesiæ. Existimo ergo, inquit ipse, mensuram illam cap. XI esse mensuram afflictionum quas pro Christo servi ipsius perpetiuntur, ac præsertim quas fideles primitivæ

Gentibus, et populis, et linguis. — Puta prophetabis gentibus totius orbis; hisce enim scribitur Apocalypsis. Rursum gentibus quæ Antichristum sequentur, et persequentur Christianos toto orbe dispersos, qui proinde pariter variarum erunt gentium et linguarum. « Regibus » quoque « multis » prophetabis, quia prædices omnes reges terræ regna sua amissuros, et sub jugum Antichristi venturos, qui proinde omnes cum eo uno die a Christo occidentur. Sic Jeremiæ ait Deus cap. 1, vers. 5 : « Prophetam in Gentibus dedi te, » quo hic alluditur : fuit enim Jeremias typus S. Joannis

# CAPUT UNDECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Jubetur Joannes metiri templum, deinde atrium, quod audit dandum esse Antichristo per menses 24. Unde vers. 5, audit quod contra eum prophetabunt, et plagas immittent Elias et Henoch, qui ab eo tandem occidentur in Jerusalem, ac post tres dies et dimidium publice resurgent, ac in cœlum evocati ascendent, tuncque fiet terræ motus, quo tertia pars Hierosolymæ corruet, et septem millia hominum occidentur. Secundo, vers. 15, canit septimus Angelus tuba, et mox fit omnium consummatio, incipitque regnum gloriosum. Quocirca 24 seniores gratias agunt et celebrant Deum, quod jam dies judicii et resurrectio, ac impiorum supplicia et Sanctorum præmia adveniant. Denique, vers. 19, aperitur cœlum, et apparet arca testamenti, fiuntque fulgura, tonitrua, terræ motus et grando magna.*

1. Et datus est mihi calamus similis virgæ, et dictum est mihi : Surge, et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo; 2. atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, et ne metiaris illud : quoniam datum est Gentibus, et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus; 3. et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. 4. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. 5. Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum; et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. 6. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum; et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint. 7. Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos. 8. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. 9. Et videbunt de tribubus, et populis, et linguis, et gentibus, corpora eorum per tres dies et dimidium, et corpora eorum non sinent poni in monumentis. 10. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et jucundabuntur : et munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram. 11. Et post dies tres et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. 12. Et audierunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis : Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, et viderunt illos inimici eorum. 13. Et in illa hora factus est terræ motus magnus, et decima pars civitatis cecidit; et occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia : et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli. 14. Væ secundum abiit, et ecce væ tertium veniet cito. 15. Et septimus Angelus tuba cecinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes : Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. Amen. 16. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes : 17. Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es; quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. 18. Et iratæ sunt Gentes, et advenit ira tua, et tempus mor-



tuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis Prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum, pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruperunt terram. 19. Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura et voces, et terræ motus, et grando magna.

Censet Ribera hoc caput per anticipationem hic collocari, eo quod necdum finita sint septem sigilla quæ præibunt Antichristum, ac consequenter Eliam quoque et Henoch, de quibus hoc capite agitur. Verum dico nullam esse hic anticipationem. Nam hic reseratis jam septem sigillis aperitur liber, ejusque mysteria hic describere incipit Joannes. Est ergo hic altera posterior pars Apocalypseos : prior enim fuit explicatio septem sigillorum, quæ cœpit cap. VI, et protenditur hucusque. Posterior incipit hic, et protenditur usque ad finem Apocalypsis, in qua contenta ipsius libri describuntur. Id ita esse patet ex fine capitis præcedentis, ubi Joannes jussus est ab Angelo devorare librum jam apertum, ex eoque iterum prophetare. Est ergo hic altera prophetiæ ejus pars, in qua Joannes librum ipsum, quem cap. præcedenti devoraverat, et oculis animoque hauserat, enarrare incipit. Nam licet septem sigilla libri signati, quæ plane finiuntur hoc capite in tuba septimi Angeli vers. 15, præcesserint lectionem ipsius libri, quem hic describere incipit : tamen hoc intelligendum est de septimo sigillo non complete, sed inchoative, scilicet quod inchoata et non completa omnino reseratione, aut potius explicatione (nam sigillum jam erat reseratum, sed ex eo successive prodierunt, et suas tubas explicuerunt septem Angeli) mysteriorum septimi sigilli, Joannes legerit librum antea signatum, nunc apertum, et ita apertum, ut omnia quæ in eo scripta erant legi possent, uti ea legit, et deinceps enarrat Joannes. Totum ergo septimum sigillum simul et semel initio apertum fuit : aut si malis illud partes habuisse, quæ successive reseratæ successive ediderint hosce septem Angelos cum tubis, dicendum est, prioribus ejus partibus reseratis, totum librum legi potuisse, ita ut pars ejus ultima producens septimum Angelum, qui inducit finem vel consummationem omnium, eo modo vel forinsecus, vel intrinsecus aptata fuerit, ut ejus clausura non clauderet librum, sed ea manente clausa liber nihilominus aperiri et legi posset, qualia sigilla appendi videmus diplomatibus Pontificiis et Regiis patentibus, ut iis fidem faciant et auctoritatem concilient. Id ita esse patet ex eo quod septimus Angelus septimi sigilli affert secum consummationem omnium, uti dicitur cap. præcedenti, vers. 7, et hoc cap. vers. 15. Quocirca pertinet ipse ejusque tuba ad finem Apocalypsis, ac consequenter ante illum ejusque clangorem fient ea, quæ de Elia et Antichristo, ejusque asseclis narrantur hoc cap. et deinceps.

Porro inchoat hanc posteriorem Apocalypseos partem Joannes a conculcatione Ecclesiæ et fidelium, quam faciet Antichristus, cui statim se opponent Elias et Henoch, quasi duo fidelium et belli sacri capitanei; quorum proinde gesta et miracula uno eodemque filo pertexit Joannes, ideoque subjungit eorumdem mortem, martyrium, resurrectionem, ascensionem in cœlum, portenta mortem eorum consequentia, quæ posterius contingent. Eorum enim, adeoque omnium, quæ hoc capite dicuntur a vers. 7 usque ad finem capitis, proprius locus est cap. XIX, ante vers. 11; nam ante bellum ultimum Christi cum Antichristo, Gog et Magog, quod illo vers 11 describere incipit Joannes, continget mors Eliæ et Henoch, et cætera quæ hoc capite a vers. 7 usque ad finem narrantur; sed Joannes ea hic conjunxit, ut totam historiam Eliæ et Henoch simul complecteretur et pertractaret. Vide Chronotaxin in fine Commentarii.

1. Et datus est mihi calamus similis virgæ, et dictum est mihi : Surge, et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo. — Calamus hic non fuit scriptorius, sed mensorius, puta arunda ad dimetiendum templum, qua rursum metitur Jerusalem cœlestem cap. XXI, vers. 16 et 17, de eaque dicit, quod sit « mensura hominis, » quod Alcazar sic exponit : Quia, inquit, mensura hominis est calamus. Nam calamus erat sex cubitorum : tot autem cubitorum suorum est quisque homo recte formatus, quia cubitus non est quarta, ut alii volunt, sed sexta pars staturæ hominis : ergo sex cubiti sunt mensura staturæ hominis. Hippocrates enim, Aristoteles et Galenus πῆχυν, id est cubitum, vocant præcipuum brachii os, quod ab ima manu usque ad brachii curvaturam protenditur. Excludit ergo mensura cubiti ipsam manum, et eadem est mensura quæ pes, et quæ caput; caput enim rite formatum est sexta pars hominis, ac consequenter est cubitus. Hucusque Alcazar. Verum hoc physice dici potest, non geometrice : S. Hieronymus enim et passim veteres cubitum vocant mensuram, quæ a curvatura brachii usque ad extremum manus et digitorum protenditur, quæ est quarta pars staturæ hominis.

Rursum, Alcazar per calamum sive virgam percussoriam, quæ fuit mensura vetus veteris Adami, ideoque major calamo posterioris ætatis, accipit passionem et crucem secundi Adami, id est Christi, quæ omnes posteriorum Martyrum passiones superavit; quocirca Christus hoc calamo, id est cruce, mensus est et erexit fabricam sui templi, id est Ecclesiæ. Existimo ergo, inquit ipse, mensuram illam cap. XI esse mensuram afflictionum quas pro Christo servi ipsius perpetiuntur, ac præsertim quas fideles primitivæ

Ecclesiæ perpessi sunt : mensuram vero cap. XXI esse mensuram gloriæ qua Beati fruuntur in patria, quo significatur, ad virtutis et gloriæ perfectionem non conscendi, nisi per magnas cruces et ingentium laborum tolerantiam. Est enim hæc mensura viri, ut denotet pueros esse ac quasi pygmæos, qui alia, puta suaviori et molliori ducuntur via. Unde et de persona illa quæ mensuratura erat templum *Ezechiel*. XL, 3, dicitur : « Vir cujus erat species quasi species æris. » Vir hic erat Christus, in passione et cruce natura carneus, sed robore æneus. Altare holocausti tam hic, quam apud Ezechielem, significat devotionem et fervorem primorum Christianorum, offerentium se Deo ad martyrium in persecutione Judæorum. Sensus ergo est, *q. d.* Metire, o Joannes, magnitudinem altaris holocausti primitivæ Ecclesiæ, hoc est, collige et comprehende quantum Ecclesiam auxerit, dilatarit et exaltarit persecutionis magnitudo, ut mysticum illud altare (id est ingens ea devotio ad martyrium) esset numeris omnibus absolutum, ac proinde Deo gratissimum, æque ac Ecclesiæ gloriosissimum. Ita ipse subtiliter et pie juxta suum scopum et propositum. Verum minus solide. Nam *primo*, a genuino Apocalypsis scopo aberrat, ut sæpe dixi. *Secundo*, calamus non est mensura hominis, sed eam duobus cubitis superat, uti paulo ante ex communi Doctorum sententia docui.

Calamus ergo hic mensorius præcise erat sex cubitorum et palmi : palmi, id est, quatuor digitorum transversim positorum, uti diserte asserit *Ezech.* XL, 3, ad quem locum hic alluditur.

Erat hic calamus similis virgæ, *primo*, ut significet divinæ mensuræ et justitiæ æquitatem ac rectitudinem. *Secundo*, ut metuamus Deum judicem, utpote paratum statim cædere eum quem nocentem, vel minus habentem in mensurando reperit, ait Viegas. *Tertio*, ut Nicolaus Zegerus, calamus hic erat similis virgæ, id est sceptro regali, quia ad Deum quasi ad regem orbis pertinet mensurare homines, id est eos dijudicare, et pro meritis vel præmiare vel punire.

Et dictum est mihi. — Græce λέγων, id est *dicens*, quasi calamus loqueretur. Verum per hebraismum, id est, antiptosin Hebræam, ponitur nominativus pro genitivo, *dicentis* pro *dicens*. Unde Vatablus vertit, *a dicente mihi*. Hinc Complutenses legunt : καὶ εἱστήκει ὁ ἄγγελος λέγων, id est, *et stetit Angelus dicens*.

Metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo. — Significat templum vetus Judaicum, sed per hoc intelligit Ecclesiam. Porro templum duas habebat partes, unam quæ solis patebat sacerdotibus et Levitis : hæc incipiebat ab atrio sacerdotum, quod dicebatur atrium interius, ac porrigebatur per Sanctum, per quod tendebatur ad Sanctum sanctorum. Altera erat atrium exterius, quod erat quasi templum laicorum. Prior pars vocabatur templum Dei, quia in eo erat altare holocaustorum in ipso atrio; in Sancto vero erat altare thymiamatis, in quo incensa, sicut in illo victimæ offerebantur. Jam adorantes in eo sunt sacerdotes et Levitæ. In hac ergo priori templi parte, et in adorantibus, puta sacerdotibus, symbolice significantur fideles, qui tempore Antichristi in Ecclesia erunt optimi, religiosissimi, Deo conjunctissimi et in ejus cultu solidissimi. Hos jubetur metiri, id est numerare, Joannes, quia hi non cedent Antichristo, sed perstabunt in fide usque in finem, ideoque eligentur ad gloriam. Hoc enim tantum significat symbolica et imaginaria hæc templi dimensio, quæ in visione hic Joanni præscribitur. Templum enim hoc significat Ecclesiam sanctam, quæ ita constanter militat Deo, ut mox sit futura triumphans. Ecclesiam ergo militantem in fine mundi, et mox triumphaturam metitur et numerat hic Joannes. Ita Aretas, Richardus et Œcumenius. Porro nove Aretas per templum accipit Ecclesiam veteris Testamenti; per atrium, Ecclesiam Christi, quæ jubetur projici foras, id est eximi observantiis et oneribus legis veteris. Verum hoc non est litterale, nec ad rem præsentem (1).

2. Atrium autem quod est foris templum, ejice foras. — Intelligit atrium exterius, sive templum laicorum, quod quia remotius erat ab altari utroque, hinc significabat Christianos inferiores et laxioris vitæ, ideoque a Deo remotiores. Hos (ait) « ejice foras, » id est extra Ecclesiam, *q. d.* Rejice eos inter infideles et apostatas, quia hi cedent Gentibus, id est, Antichristo ejusque asseclis. Unde indigni sunt qui inter fideles mensurentur aut numerentur. Ita Richardus. Alludit ad extimum templi atrium, quod Gentium dicebatur, quia Gentiles in eo versari poterant, *q. d.* Gentiles non tantum suum atrium, sed et atrium Israelis, id est fidelium, occupabunt et vastabunt. Nota catachresin, « ejice foras, » id est rejice, repudia, contemne, noli illud numerare et metiri (2). Nam atrium hoc erat foris; ergo proprie foras ejici non poterat. Quocirca nonnulli Græci codices, quos citant et sequuntur Erasmus et Vatablus pro *Foris* legunt ἔσωθεν, id est *intus*. Alii quos sequitur Noster, passim legunt ἔξωθεν, id est *foris*: utrumque est verum. Erat enim hoc atrium Judæorum *foris*, respectu atrii sacerdotum; idem erat *intus*, respectu atrii Gentium.

(1) Significatur hoc symbolo, veteri templo destructo, novum esse ædificandum, id est Ecclesiam Christianam, quæ sæpius templo comparatur, longe lateque esse propagandam. *Templum* h. l. videtur Sanctissimum templi, in quo erat arca, cum Sancto. *Altare* est locus in quo erat altare. *Et adorantes in eo*, hoc est, locus in quo Deus colebatur, et quidem *interius atrium* templi, in quo Israelitæ Deum colebant, et quod opponitur *exteriori atrio*, in quo admittebantur Gentiles. Significatur igitur destructio templi Hierosolymitani, et finis Levitici cultus.

(2) Cur? Forsan ut indicetur, quæ modo dicta sunt, pertinere ad solos Judæos et finem sacerdotii Levitici, non ad Ethnicos.



Erat enim in templo populi fidelis, adeoque ipsum erat templum laicorum fidelium.

Aliter Ambrosius : atrium enim hoc datum esse Gentibus censet, quia Judæi propter incredulitatem Paganis Gentilibus erant conjuncti. « Aut ideo, inquit, dicuntur Gentibus traditi, quia traditi sunt Romanis, ut ab eis delerentur. » Sic et Primasius, Pannonius et alii per atrium accipiunt hæreticos, schismaticos et Judæos, quos ab Ecclesia expelli jubet Deus. Andreas vero per templum accipit fideles, per atrium infideles.

Tropologice Alcazar (licet ipse putet esse sensum litteralem) atrium exterius, sive quod foris est, significat bona externa fidelium, ut sunt fortunæ, honores, magistratus, salus, vita, ac demum quidquid profanæ violentiæ subjacet. Hæc jubentur fideles ejicere foras, id est, abdicare a se, animumque ab eis avellere, eaque in prædam dare infidelibus Ecclesiam et fideles persequentibus. Quo innuitur Gentiles in bona omnia temporalia fidelium invasuros, ipsisque fidelibus eas calamitates inflicturos, ut illis nec reipublicæ facies, nec civium commoda, nec domus aut possessiones supersint. Atrium vero interius, id est ipsam Ecclesiam, fidem, religionem et virtutem Christianam in fidelibus mansura illæsa, nec in hostium potestatem ventura; sed potius magis per persecutiones efflorituгa, ut Ecclesia quasi magnificum Dei templum ad maximam amplitudinem et gloriam assurgat.

Ita S. Gregorius, XXVIII *Moral.*, VI : « Quid, inquit, aliud atrium quam latitudinem significat vitæ præsentis? Et recte foris templum sunt, qui per atrium designantur. Et ideo metiendi non sunt, quia angusta est porta quæ ducit ad vitam; et latitudo vitæ pravorum non admittitur ad mensuras et regulas electorum. »

Et civitatem sanctam calcabunt (Ecclesiam, quam prius vocavit templum et atrium, hic vocat civitatem sanctam, *q. d.* Antichristus et Antichristiani maximam Ecclesiæ partem pervertent, vastabunt et possidebunt) mensibus quadraginta duobus, — id est, tribus annis cum dimidio (si enim cuique anno des menses 12, invenies menses 42 facere tres annos cum dimidio), uti prædixit Daniel cap. VII, vers. 25 : « Tradentur, ait, in manu ejus (Antichristi) usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis, » id est per annum et duos annos, et dimidium anni. Vide ibi dicta.

Aliter Alcazar : putat enim per tres annos cum dimidio, symbolice significari totum tempus, quo Judæi persecuti sunt Christum et primitivam Ecclesiam, quod fuit quadraginta annorum, scilicet a Christo prædicante et a Judæis crucifixo anno ætatis 34, usque ad excisam Jerusalem a Tito, quod contigit anno Christi 72 (1).

(1) *Mensibus quadraginta duobus*, non modo Hierosolymam, sed totam Judæam exercitibus occupabunt et vastabunt Romani. Ita Allioli.

3. Et dabo (scilicet officium prophetandi, et simul cum eo spiritum, animos, ardorem, os et sapientiam cui nemo resistere possit) duobus testibus meis, et prophetabunt, — id est, ut prophetent. Sic enim sæpe vocula *et* cum futuro ponitur pro *ut*, sicut fit *Psalm.* L, 20 : « Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, et ædificentur (id est, ut ædificentur) muri tui, Jerusalem. » Et *Psal.* LXXIX, vers. 4 : « Deus, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus, » id est ut salvi simus. *Psalm.* LIV, 7 : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, » id est, ut volem.

Jam « prophetabunt, » id est docebunt, evangelizabunt, disputabunt contra Antichristum ejusque propugnatores : atque ut fidem dictis suis astruant, etiam vere prophetabunt, id est futura prædicent, aliaque miracula patrabunt; hæc enim omnia pertinent ad prophetiam, et in Scriptura significantur per prophetare, uti dixi proœmio in Prophetas.

Duobus testibus. — *Primo*, aliqui per hos duos testes non duos singulares viros, sed duo genera testium accipiunt. Unde Pannonius asserit hos duos testes esse Ecclesiæ doctores et prædicatores, qui duo Testamenta, scilicet novum et vetus, docent et prædicant. Et Arias Montanus censet hos duos testes esse legem et prophetiam, legem in Mose, prophetiam in Elia denotari. Hoc avide arripiunt Calvinistæ, præsertim Angli, qui negant Eliam et Henoch venturos in fine mundi, docentque duos hosce testes esse novum et vetus Testamentum, aut sacras Litteras et cœtus fidelium. Alcazar vero per duos testes accipit magnam sapientiam et magnam sanctitatem primitivæ Ecclesiæ, quæ ipsi et Christo testimonium contra Judæos perhibuerunt; hisce enim per prosopopœiam dari et affingi personas Mosis et Eliæ. Moses enim cœlestis sapientiæ, Elias zeli et sanctitatis fuit paradigma, ideoque pro Henoch substitui hic Mosen. Fatetur enim ipse alludi hic ad adventum Eliæ et Henoch tempore Antichristi, eumque hic quasi præsupponi. Porro Alcazar hic, *notat.* 7, eleganti viginti symbola recenset, partim naturalia, partim artificialia, quibus ostenditur quantum Ecclesiæ et cuilibet fideli conferat conjunctio sapientiæ cum sanctitate, quæ omnia pulchra sunt, sed mystica et moralia, non litteralia.

*Secundo*, qui hæc de temporibus, non futuris, sed jam præteritis exponunt, uti in sua expositione, ita et hic variant. Nam qui hæc de primitiva Ecclesia exponunt, censent duos testes esse Christum Dominum et Joannem Baptistam. Ita Ubertinus et Michael Eitsingerus in *Pentaplo*, pag. 409. Rursum Lyranus, Aureolus et S. Antoninus duos testes censent esse Sylverium Papam et Mennam Patriarcham Constantinopolitanum, qui contra Eutychetis hæresin decertarunt. Denique sunt qui putent in hisce duobus notari S. Dominicum et S. Franciscum, quod et placuit Ubertino.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Tertio*, communis sententia aliorum est, hæc ad ultima mundi et Antichristi tempora pertinere, ac duos hic testes singulares denotari, qui pro Christo contra Antichristum sint decertaturi. Unum fore Eliam consentiunt omnes. Unde et de eo cecinit Sibylla, lib. II :

> Tunc quoque cœlesti curru devectus inibit
> Terras de cœlo Thesbites.

Idque docet *Malach.* cap. IV, vers. 5; *Eccli.* cap. XLVIII, vers. 9 et 10, et Christus, *Matth.* XVII, 10. De altero nonnulli dubitant. Victorinus, ex *Jerem.* I, 5, ut ibi dixi, opinatus est eum fore Jeremiam, aut certe Eliseum. Sed hoc ab omnibus exploditur. Alii suspicantur eum fore Mosen, tum quia Moses cum Elia interfuit transfigurationi Christi; tum quia Moses videtur notari vers. 6, cum dicitur : « Hi habent potestatem super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga. » Videtur enim hisce verbis alludere Joannes ad plagas quibus Moses percussit Ægyptum. Ita opinati sunt S. Hilarius, can. 20 *in Matth.*; S. Ambrosius in cap. IX *Lucæ*, Joachim, Gagneius, Catharinus, et noster Maldonatus in *Matth.* XVII.

Verum cæteri omnes una voce asserunt socium Eliæ fore Henoch. Constat enim Mosen esse mortuum; Henoch vero non esse mortuum, sed raptum a Deo, *Gen.* V, 24, et *ad Hebr.* XI, 5, idque « ut det Gentibus pœnitentiam, » ut ait *Eccli.* XLIV, 16. Ita censent Ambrosius, Aretas, Ansbertus, Haymo, Richardus, Hugo, Thomas, Dionysius, Vatablus hic, et alii passim, tum veteres quam recentiores, quos citant et sequuntur Franciscus Suarez, III part., tom. II, disp. LV, sect 2, et fusius lib. V *De Antichristo*, cap. XI, Viegas et Ribera hic (1).

Mystice Primasius hæc accipit de duplici genere testium, puta ordinum, qui confirmati ab Elia et Henoch, Christum contra Antichristum tuebuntur; quos Joachim asserit fore sacerdotes et monachos, ac nuper S. Teresia, spiritu prophetico celebris, asseruit duplicem Ordinem, scilicet S. Dominici et Societatis nostræ, maxime Ecclesiam propugnaturum contra hæreticos et Antichristianos, ideoque ex utroque fore illustres tum doctores et prædicatores, tum Martyres. Ita referunt tum alii, tum Franciscus Ribera in ejus Vita, lib. V, cap. V.

Porro ubi degant nunc Elias et Henoch, unde vivant, qualem vitam agant, an sint in statu merendi, etc., fuse docui *Genes.* V, 24.

Denique duo erunt hi testes, tum quia jure gentium et divino, « in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, » *Deut.* XIX, 15; tum quia Christus misit Apostolos binos prædicare : hi autem erunt Apostoli Christi; tum denique quia alludit ad duos Cherubinos positos ad arcam testimonii, sustinentes propitiatorium : pari enim modo hi duo suo testimonio sustinebunt tam arcam, id est Ecclesiam, quam propitiatorium, id est fidem de Christo propitiatore et redemptore mundi. Denique quia Henoch repræsentat statum Patriarcharum et legis naturæ, Elias statum Prophetarum et legis Mosaicæ, ut significetur legem et prophetiam, omnesque Patriarchas et Prophetas priorum sæculorum testimonium perhibere Christo contra Antichristum.

Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, — hoc est mensibus 42, uti dixi vers. 2. Ita omnes Orthodoxi. Lutherani et Calvinistæ in hisce diebus mire variant, seque discruciant. Consentiunt fere in eo, ut dicant designari hic tempus persecutionis Antichristi, id est Pontificis Romani, quo scilicet ipse tyrannice oppressit et occupat Ecclesiam Christi. Verum in diebus hisce laborant et sudant. Aiunt enim Pontificem jam mille et amplius annos tyrannidem suam exercere. Quocirca Henricus Bullingerus Lutheranus hic, *serm.* 46, putat certum numerum poni pro incerto. Non placet hoc Chytræo et Illyrico, qui in suis Centuriis censent hos 42 menses et dies 1260 esse angelicos. Œdipo ergo opus est, imo angelo e cœlis evocato, qui eos explicet. Rident et merito hoc alii eorum symmystæ. Anglo-Calvinista putat diem hic pro anno poni, itaque censet ipse Pontificiam tyrannidem duraturam 1260 annis. Alii alia comminiscuntur. Hæresis enim, utpote falsa et mendax, est hydra, quæ nova semper producit errorum et monstrorum capita. Clarum est dies hic veros et proprios intelligi, tum quia dies hi sunt iidem cum 42 mensibus : hi enim præcise continent 1260 dies; tum quia Daniel cap. VII, vers. 25, quo alludit hic Joannes, diserte affirmat Antichristum regnaturum per tempus et tempora et dimidium temporis, id est annum, duos annos et dimidium, hoc est tres annos cum dimidio, uti omnes Orthodoxi exponunt. Idem ergo sunt hæc tria, scilicet 1260 dies, 42 menses, et tres anni cum dimidio.

Perperam quoque Michael Eitsingerus loco jam citato, censet Joannem hic definire tempus prædicationis Christi : illud enim fuit trium annorum cum dimidio. Certum enim est hic agi de novissimis mundi temporibus, ac definiri hic tempus quo contra Antichristum prophetabunt Elias et Henoch : quod enim superius nominavit 42 menses, hic vocat 1260 dies, ut indicet Eliam et Henoch in illis mensibus non tantum diebus festis, sed omnibus omnino et singulis diebus prædicaturos. Ad hoc enim urgebit eos tum Ecclesiæ necessitas, tum Antichristi impius zelus, tum incensus eorum amor in Christum et Christianos, qui eos faciet instar Pauli infatigabiles et igneos.

(1) Juxta Allioli, hi *testes* sunt Christiani, qui, prophetiæ Christi (*Matth.* XXIV) fidentes, Hierosolymam jamjam ruituram præsciebant, imo prædixerant. Describuntur autem tanquam *duo*, quia duplici elemento constat Ecclesia, ovibus scil. et Pastoribus, seu laicis et clericis.



Ubi moraliter nota : Sicut ubi sunt venena, ibi et reperiuntur eorum antidota, providente ita natura uti ait Plinius, lib. XXIX, cap. IV : ita ubi est persecutio, ibi providet Deus de remedio : ubi grassatur hæresis, ibi excitat Doctores antagonistas. Ita oriente Ario excitavit, eique opposuit S. Athanasium : ita Nestorio Cyrillum, Origeni Hieronymum, Pelagio Augustinum, Abailardo S. Bernardum, Albigensibus S. Dominicum, Luthero et Calvino modernos Doctores opposuit : ita in fine mundi Antichristo opponet Eliam et Henoch.

Porro censet Ribera hos dies 1260 non plane esse eosdem cum mensibus 42, sive cum annis tribus cum dimidio, sed deficere in 18 diebus, quibus verisimile est Antichristum Eliæ et Henoch supervicturum, ut integre regnet tribus annis cum dimidio, uti prædixit Daniel, sive 42 mensibus, uti prædixit Joannes, vers. 3. Nam tres anni cum dimidio præcise continent dies 1278; ergo in 1260 diebus desiderantur dies 18, ut idem tempus expleant. Hic calculus subtilis est et solidus.

Alcazar tamen non improbabiliter censet idem prorsus tempus significari per 1260 dies, quod significatur 42 mensibus, et tribus annis cum dimidio. Nam Græci, Hebræi et Chaldæi communiter cuilibet mensi dabant 30 dies : jam multiplica 42 (qui est numerus mensium Antichristi) per 30, habebis dies 1260, ac consequenter in anno 12 mensium habebis præcise dies 360. Licet enim annus solaris habeat dies 365 (unde tot dierum annum instituit Julius Cæsar in reformatione Calendarii, quam etiamnum sequimur), tamen mensis (quem ex lunæ per zodiacum discursu describebant) habet tantum dies 30. Unde ut hos dies et menses anno solari æquarent, certis annis interjiciebant mensem unum, quem embolismalem vel embolismum vocabant. Verum hunc mensem, utpote rarum et quasi extraordinarium, negligit hic Joannes, eumque non numerat, sed tantum dies ordinarios mensium 42, qui præcise faciunt dies 1260; Daniel vero cap. XII, vers. 11, hunc embolismalem, qui tunc forte occurret, non negligit, sed numerat; unde recenset dies 1290. Ita Alcazar hic ad vers. 2, *notat.* 3.

Verius est et certius prædicaturos Eliam et Henoch præcise per 1200 dies, uti hic ait Joannes; Antichristum vero ut monarcham regnaturum menses 42 scilicet Julianos, qui tunc Romæ et in Græcia (ubi vixit Joannes) erant usitati, hoc est tres annos Julianos cum dimidio, uti asseruit Daniel. Jam tres anni Juliani cum dimidio faciunt dies 1278; sed paulo ulterius Antichristi monarchia excurret, scilicet adhuc per 12 dies, ita ut præcise duret dies 1290, uti expresse asserit Daniel, cap. XII, vers. 11. Verum hos dies 12, quasi minutias numeri integri, neglexit hic Joannes, tantumque expressit integros menses 42, uti fecit et Daniel, dum numerat annos tres cum dimidio. Verum ergo est quod dixit Ribera Antichristum Eliæ et Henoch supervicturum, non tantum ad octodecim, sed ad ipsos triginta dies. Nam illi pervenient ad dies 1260; Antichristus vero ad dies 1290, ut ait Daniel.

Ex hac chronotaxi annorum monarchiæ Antichristi et prædicationis Eliæ et Henoch, « verisimile est, inquit Suarez, *disp.* LV jam citata, sect. 2, Eliam et Enoch venturos, postquam Antichristus jam monarchia rerum omnium potitus fuerit, ut significat S. Augustinus, lib. 1 *Quæstionum Evang.*, Quæst. XXI, dicens venturum Eliam ut restituat eos, quos persecutio Antichristi conturbaverat, clariusque id docet Anselmus in *Elucid.* Et ratio adhiberi potest, quia hi sanctissimi viri venient, ut Antichristo resistant; ergo tunc venient, quando persecutio Antichristi apertior erit et potentior. Item, quia (ut ex eodem loco *Apocal.* colligitur) paulo post mortem horum præcursorum peribit Antichristus, et cessabit persecutio ejus : ergo cum hæc sit duratura mille ducentis sexaginta diebus, simul fere cum illa, vel paulo post illam incipiet præcursorum prædicatio. Dices : Quomodo poterunt tam brevi tempore per universum mundum prædicare? Respondetur primo, non oportet ut ubique doceant, sed præcipue ea circuibunt loca, in quibus vel Antichristus ipse, vel potentiores ejus ministri versabuntur. Deinde non est credendum Henoch et Eliam semper simul incessuros : sed verisimilius est eos seorsim diversas regiones peragraturos, donec divino nutu in eum locum conveniant, ubi simul trucidandi sunt. Denique credibile est non solum verbo, sed et scriptis consolaturos, et confirmaturos fidelium animos : quos etiam plurimum eriget fama virtutis eorum, et potentia adversus Antichristum. Addunt quoque aliqui habituros discipulos, quos per universum mundum mittant. »

Dices *secundo* : Quomodo Antichristus, qui capitali eos odio prosequetur, non statim occidet ipsos, sed permittet ut contra se prædicent per 42 menses? Respondeo, id fiet, partim quia Deus eos tutabitur, partim ob admirandam eorum virtutem et potentiam, cui nullus prævalere poterit; nam ignis de ore eorum exibit, et devorabit inimicos eorum, ut dicitur vers. 5. Exacto vero prædicationis tempore sibi a Deo præstituto, cessabunt facere miracula, et tum Antichristus occidet eos. Denique ex verbis S. Joannis colligitur eos subito et inopinato mundo apparituros. Quomodo autem venturi sint, an visibiliter per aera transferendi in curru igneo vel in nube, aliove simili modo, an vero imperceptibiliter subito apparituri sint Hierosolymis, aut alio in loco, nec Scriptura, nec Patres dicunt. Porro, ex Paradiso egredientur, vel per aerem dimissi, incipient in regionibus illis vicinis prædicare; itaque pergent regiones peragrando, donec Hierosolymam ad ipsum Antichristum perveniant.

Amicti saccis — id est, amicti ciliciis : saccus

enim rudis, durus et scaber *carni* injectus, est instar cilicii. Ciliciis ergo vestientur Elias et Henoch, saccisque induti prodibunt instar Capucinorum et Eremitarum, tum ut hac aspera pœnitentiæ veste ac vita iram Dei mitigent, eumque hominibus concilient; tum ut homines ad pœnitentiam suo habitu, voce et exemplo provocent. Similis fuit vestis Eliæ, dum inter suos viveret. Erat enim « vir pilosus et zona pellicea accinctus renibus, » lib. IV *Reg.* cap. I. Similis fuit quoque vestis S. Joannis Baptistæ, scilicet « habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos, » *Matth.* III, 4; fuit enim ipse præco pœnitentiæ.

4. HI SUNT DUÆ OLIVÆ. — Arabicus : *Hi sunt duæ radices olivarum et duo candelabra stantia ante Dominum: radices*, id est arbores, vel rami olearum, ut vertunt Septuaginta, *Zachariæ* IV, 12, pleni olivis : hi enim pullulant ex radice; est metonymia. Sensus est, *q. d.* Hi duo, scilicet Elias et Henoch, instar duarum olivarum, id est olearum, sunt succulenti, pingues et fertiles bonorum operum, quia multum fructum afferent in conversione Judæorum. Citat Zachariam, cap. IV, 11 et 14, ubi Propheta vidit duas olivas, rogansque quænam essent illæ? audit ab Angelo : « Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ; » *filii olei*, id est pinguedinis, hoc est pingues et fertiles. Aquila vertit, *filii splendoris* et claritatis, quia luce doctrinæ et vitæ prælucebunt Judæis. Hi assistunt Deo orantes pro Judæis, et se offerentes ac parati ut ab eo mittantur ad Judæos. Jam Lyranus et alii multi censent Zachariam ad litteram loqui de Zorobabele, principe populi Babylone redeuntis, et Jesu, filio Josedec, pontifice. Apud Judæos enim tam reges et principes, quam pontifices ungebantur oleo, *q. d.* Hi duo restituent Judæis regnum, sive principatum et sacerdotium; hi duo restaurabunt et perficient urbem Jerusalem, et fabricam templi, quod per candelabrum denotat Zacharias. Vidit enim ipse duas olivas stantes super candelabrum : quo significabatur oleo olivarum brevi accendendum candelabrum, nimirum in die dedicationis novi templi, ac consequenter pristinum Dei cultum, lucem, splendorem et gloriam templo et urbi restituendum. Unde de iis ait Ecclesiasticus, cap. XLIX, vers. 13 : « Quomodo amplificemus Zorobabel? nam et ipse quasi signum in dextera manu. Sic et Jesum, filium Josedec? qui in diebus suis ædificaverunt domum, et exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam. » Verum, esto huc alludat Zacharias illumque sensum quasi superficialem perstringat et præsupponat, tamen allegorice altius assurgit, ac directe loquitur de Elia et Henoch, qui instar Zorobabelis et Jesu Judæis templum, id est Ecclesiam, fidem, religionem et salutem restituent. Nam de Elia et Henoch hunc Zachariæ locum explicat hic S. Joannes, ac idipsum docent Victorinus, Aretas, Thomas, Galatinus hic, et S. Gregorius, hom. 12 *in Ezech.*, Ribera in *Zachar.* IV et alii. Hi ergo « assistunt Dominatori universæ terræ » quasi legati et Apostoli, ut scilicet ipsi fidem et Evangelium toto orbe propagent, ac contra Antichristum tueantur.

Alludit ad duos Cherubinos, quos ex ligno olivarum fabricavit Salomon, lib. III *Reg.* cap. VI, vers. 32. Sicut enim illi propitiatorium et arcam, ita Elias et Henoch Ecclesiam et fidem Christi sustentabunt. Recte vocantur Cherubini, ob Angelicam vitam et sapientiam. Porro, oleum et oliva notat eorum splendorem et misericordiam, qua miserati animarum pereuntium stragem, se suaque omnia cum vita pro Judæis ac hominum salute, æque ac pro Dei Christique gloria propagnanda impendent, quibus competit illud *Eccli.* cap. XLIV, vers. 10 : « Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt. »

Unde moraliter nota : Oliva symbolum est sanctitatis et Sanctorum; idque *primo*, quia oliva lignum solidum est, non sentit cariem, ventos aut vetustatem : hinc est victoriæ, felicitatis et æternitatis symbolum. Unde Cicero, lib. I *De Legibus* : « Sempiternam, inquit, oleam in arce tenere potuerunt Athenæ. » Hinc et in triumphis ministri triumphantium oleagineis coronis coronabantur, ait Festus, quod Minerva oleæ inventrix, præses et dea belli esse putaretur : unde et pugiles et athletæ certaturi oleo se perungebant, atque oleum certaminis erat symbolum. Tales autem per assiduam luctam, fortitudinem, constantiam et victoriam evadunt Sancti, præsertim Elias et Henoch, qui per tot annorum millia viventes et vegeti, merito a Tertulliano vocantur *æternitatis candidati*.

*Secundo*, quia oliva est symbolum misericordiæ, quæ propria est Sanctorum virtus, dicente Salomone : « Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia, » *Prov.* cap. XII, vers. 10. Quocirca, ut recte advertit Philippus Episcopus Eystettensis in *Vita S. Wilibaldi*, cap. XXXVI, ex Sanctorum illorum, qui valde misericordes et pii fuerunt (uti S. Catharina, S. Nicolaus, S. Walburga) ossibus scaturit oleum, quia oleum symbolum est misericordiæ et pietatis; ut, sicut in vita eam exercuerunt, ita et post mortem eamdem exercere non cessent, oleo hoc sanando miseros et infirmos. Fuerunt enim viri misericordiæ, et jam in cœlo sunt amplius.

*Tertio*, quia oliva est symbolum pacis. Unde *Genes.* VIII, 11, columba ad Noe in arcam attulit ramum virentis olivæ, in signum cessantis diluvii et siccatæ terræ, quasi cum oliva simul securitatem ab aquis, pacemque et reconciliationem Dei orbi afferret. Talis est pax Sanctorum in terra, magisque erit in cœlo, quam instare denuntiabunt Elias et Henoch. Vulgo dicitur : « Oleo tranquillior; » quod maxime Sanctis convenit, qui mites



sunt et pacifici; oleum enim ita tranquillum est, ut etiam mare rem sævissimam tranquillet, atque ob id urinantes aiunt oleum ore spargere, quod mitiget elementi naturam asperam lucemque deportet, ait Plinius, lib. II, cap. CIII, penes quem sit fides.

*Quarto*, quia olivæ folia nunquam defluunt : sic Sanctorum virtus et species nunquam marcescit. Quocirca de S. Oliva virgine, cujus meminit Romanum Martyrologium die 3 junii, ita apposite canit poeta Christianus :

> Pasce tuum ne, virgo, time marcescere nomen :
> Et cœlo, et terris semper Oliva viret.

Rursum : « Oleam si lambendo capra lingua contigerit, depaveritque primo germinatu, sterilescere auctor est M. Varro, » ait Plinius, lib. XV, cap. XXXII. Ita gula et libido, quarum symbolum est capra, sanctitatis vigorem et vitam arefaciunt et enecant.

*Quinto*, quia oliva pinguis significat pinguedinem spiritus et gratiæ, qua delibuti sunt Sancti. Denique olea fertilis est et frugifera, præsertim si mas seratur juxta feminam : oleæ enim sexu discriminantur. Unde Ovidius lib. IV. *Fastor.* :

> Ure mares oleas, tædamque herbasque Sabinas.

Rursum, olea frondes habet viles et flaccidas, fructum vero præstantem. Sic et Sancti pompam et ostentationem spernunt, sed fructus bonorum operum pretiosos producunt. Quocirca, *Jeremiæ* cap. XI, vers. 16, Ecclesiæ suæ ait Deus : « Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. » Vide ibi dicta.

Tales olivæ fuerunt S. Joannes et Paulus Martyres sub Juliano Apostata, anno Christi 362, die 26 junii; quia sua sanctitate et zelo, Constantiæ, Constantini Magni filiæ, virginitatem et studium perfectionis persuaserunt; ac Gallicanum exercitus ducem ad Christianismum, ad mundi contemptum, ad martyrium provexerunt; atque tandem contra Julianum fortiter decertantes, gloriosum pro Christo martyrium obierunt. Unde de iis canit Ecclesia : « Isti sunt duæ olivæ et duo candelabra lucentia ante Dominum; habent potestatem claudere cœlum nubibus, et aperire portas ejus (gloriosam enim e cœlo victoriam contra Scythas Gallicano impetrarunt), quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt. »

Ita Sixtus V Pontifex in Bulla edita anno Domini 1588, qua S. Bonaventuram canonizavit, retulitque inter sanctos Ecclesiæ Doctores, æque ac S. Thomam Aquinatem retulerat Pius V, de utroque loquens : « Hi, inquit, sunt duæ olivæ et duo candelabra in domo Dei lucentia, qui et charitatis pinguedine, et scientiæ luce totam Ecclesiam collustrant. Hi singulari Dei providentia eodem tempore tanquam duæ stellæ exorientes, ex duabus clarissimis Regularium Ordinum familiis prodierunt. Hi duo Sancti, cum essent coævi, iisdemque studiis dediti, condiscipuli, simul magistri, pari ratione a Gregorio X Summo Pontifice cum ambo ad concilium evocarentur, honorati, et in hujus vitæ peregrinatione fraterna charitate, spirituali familiaritate, sanctorum laborum societate valde conjuncti fuerunt : et denique pari gressu ad cœlestem patriam commigrantes, pariter felices et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur; ubi eodem charitatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant, divinamque opem implorant. »

ET DUO CANDELABRA IN CONSPECTU DOMINI TERRÆ STANTES, — « stantes, » id est, stantia. Ita Arabicus. Græcizat Interpres hic, uti et alibi subinde; Græca enim habent λυχνίαι ἑστῶσαι. Imitatur ergo Interpres genus Græcum : λυχνία enim, id est *candelabra*, est feminini generis. Sensus est, *q. d.* Hi duo, Elias scilicet et Henoch, quasi candelabra Christum, qui est verum lumen, toti mundo præferent et ostendent. Aliter Alcazar : nam τὸ *stantes* refert ad *hi*, non ad *candelabra*, sicque sententiam ordinat : « Hi stantes coram Domino sunt veluti duæ olivæ et duo candelabra. » Unde Syrus vertit, *hi qui coram Domino terræ stant.*

Nota : Zacharias, cap. IV, tantum unum vidit candelabrum, et ad latus ejus utrimque duas olivas. Joannes vero hic audit : « Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra, » ut sciat Eliam et Henoch non tantum fore olivas, quæ oleum copiose suggerant candelabro, id est Ecclesiæ, ad ignem et lucem, sed etiam ipsosmet fore candelabra, quæ coram Deo et mundo mire ardebunt et fulgebunt. Alludit ad candelabrum quod erat in Sancto septiceps, ideoque totum Sanctum varia et multa luce collustrabat. Hoc enim significabat lucem Evangelii, atque Evangelicos doctores. Sic de Joanne Baptista ait Christus : « Ille erat lucerna ardens et lucens, *Joann.* V, 35, ubi vide Pererium, qui multas analogias affert lucernæ et Sancti. Et de primitivis fidelibus ait S. Paulus, *Philipp.* II, vers. 15 : « Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. »

ET SI QUIS VOLUERIT EOS (id est eis, est græcismus; sic in Evangelium et alibi legimus : « Non nocuit eum, » id est ei) NOCERE. — Græce ἀδικῆσαι, id est *injuriam inferre*, nocere, lædere, ut paulo post vertit Noster.

IGNIS EXIET DE ORE EORUM. — Hoc erit primum miraculum, vel potius miraculi genus (illud enim facient crebro), quod patrabunt Elias et Henoch. Alludit ad zelum et ignem Eliæ, qui IV *Reg.* I, 10, Pentacontarcho ab Achab misso ut Eliam caperet, dixit : « Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te; » mox ignis de cœlo descendens devoravit eum cum omnibus suis. Unde *Eccli.* XLVIII, 3, de eo dicit : « Dejecit de cœlo ignem ter, » scilicet bis in quinquagenarios, loco jam dicto, et tertio in suum sacrificium, cum eo certaret contra prophetas Baal, III *Regum* cap. XVIII. Videbatur enim Elias non tam precibus, quam im-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

perio, puta ore suo jubendo, ignem de cœlo devocare, et in hostes Dei immittere : ac consequenter ignis hic de ore ipsius exire et prodire videbatur. Idem faciet in fine mundi. Inseret enim se in cœtus hominum per pagos et urbes, imo in ipsam Jerusalem et regiam Antichristi, ibique libere et audacter prædicabit Christum crucifixum esse redemptorem orbis; hunc vero fictum esse Christum, imo esse Antichristum. Quocirca magistratus et duces, Antichristo subditi, volent manus injicere in Eliam et Henoch, eosque capere et occidere; sed illi mox imperabunt, edicentque : Veniat ignis de cœlo, et perdat hosce Antichristianos; ac dicto ocius ignis descendet et perdet eos.

Mystice, ignis hic significat libertatem, fervorem, audaciam et efficaciam prædicandi Eliæ et Henoch, ita ut libere in faciem dicant Antichristo : Tu non es Christus, sed Antichristus; atque assecliis ejus : Vos non estis Christiani, sed Antichristiani; atque hac de causa ab eis tandem occidentur et martyrium obibunt. Sic olim Elias dixit Achab : « Non ego turbavi Israel, sed tu, » III *Reg.* cap. XVIII, vers. 18.

Sic S. Hilarius et Athanasius et Lucifer Calaritanus Constantio Ariano Imperatore, Antichristi prodromo, in faciem exprobrarunt : Tu es Arianus, tu es Antichristus. Audi eorum verba æternitate digna, Hilarius lib. *Contra Constantium Imperatorem* : « Proclamo, ait, tibi, Constanti, quod Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius Maximianus audirent : contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, Sanctos persequeris, religionem tollis, tyrannus non jam humanorum, sed divinorum. Christianum te mentiris, Christi novus hostis es, Antichristum prævenis. » Et rursum : « Tu, Constanti, omnium crudelitatum crudelissime, et mortalium scelestissime, magis in nos, quam Pagani desævis. » S. Athanasius in *epist.* ad solitariam vitam agentes : « Quis, ait, ausit Constantium Christianum appellare, ac non potius Antichristi imaginem? Quid enim ex notis Antichristi huic deest? aut quid est cur non omnibus modis Constantius Antichristus, et vicissim Antichristus Constantius habeatur? » ac mox nuncupat eum apostatam, fidei desertorem, canem, carnificem, filium perditionis, pestem, belluam, malorum omnium voraginem.

Hosce zelo et acrimonia superavit Lucifer Episcopus Calaritanus, quem S. Athanasius sui ævi Eliam vocat, qui in libro *De moriendo pro Filio Dei*, ita Constantium Imperatorem alloquitur : « Mactasti plurimos, laniasti, dispersisti; sed hi omnes Martyres sunt. Crede mihi quod a te statuerimus interfici : quia et melius esse videmus, in omnia ævi Deum habere amatorem, quam tecum Juda Scarioth, Judæorum imitatore, puniri : subire parati sumus omnes exitium. » Et inferius : « Indigne fers, Arii vermis, quod defendamus Filium Dei. Si tandem oculos serpentis morsibus confossos aperias, invenies, stolidissime Imperator, ubique Christianos, sicut nos credere, ac pro Dei Filio, ut nos, mori cupere : at tua novella prædicatio et recens religio blasphemia est. » Titulis vero et nominibus acrioribus quam Athanasius et Hilarius deinceps eumdem compellat.

6. HABENT POTESTATEM CLAUDENDI COELUM NE PLUAT DIEBUS PROPHETIÆ IPSORUM. — Hoc erit secundum miraculum quod facient Elias et Henoch tempore Antichristi, nimirum ut prophetia et imperio suo pluviam prohibeant, et cœlo, quasi justitium indicant, aut quasi claustrum inducant, itaque sterilitatem, famem et pestem Antichristianis accersant. Idem fecit Elias, III *Reg.* XVII, 1, ut scilicet per tres annos cum dimidio non plueret.

ET POTESTATEM HABENT SUPER AQUAS CONVERTENDI EAS IN SANGUINEM. — Tertium hoc erit Eliæ et Henoch miraculum. Idem fecit Moses (unde aliqui putarunt Mosen hic notari, eumque venturum cum Elia), *Exodi* VII, 20. Dicit ergo eamdem potestatem dandam Eliæ et Henoch certantibus contra Antichristum, quæ olim data est Mosi certanti contra Pharaonem Antichristi præcursorem. Unde subdit :

ET PERCUTERE TERRAM OMNI PLAGA QUOTIESCUNQUE VOLUERINT. — Quartum erit hoc Eliæ et Henoch miraculum, non simplex, sed multiplex : multa enim, imo omnia in se complectitur. Erunt ergo plane thaumaturgi, ut ad libitum cœlo, terræ, aeri, ventis, fulminibus, etc., imperent, indeque plagas quaslibet in impios evocent et emittant. Alludit ad Mosen, qui sua virga minans et feriens Ægyptum, decem plagas partim e terra, partim e cœlo, partim ex aquis, partim ex igne in Ægyptios immisit. Unde audivit a Deo, *Exodi* VII, 1 : « Constitui te Deum Pharaonis. » Nam, ut ait Philo, lib. III *De Vita Mosis* : « Cum amicorum omnia sint communia, idcirco Deus potestatem et opes suas cum Sanctis communicat. »

Nota : Decem plagæ Ægypti fuerunt hæ : *prima*, aquæ conversio in sanguinem ; *secunda*, ranæ ; *tertia*, ciniphes ; *quarta*, muscæ caninæ, imo omne genus muscarum ; *quinta*, pestis animalium ; *sexta*, ulcera vesicarum ; *septima*, grando ; *octava*, locustæ ; *nona*, tenebræ ; *decima*, cædes primogenitorum. Has ergo et plures plagas immittendi potestatem habebunt quoque Elias et Henoch, quasi novi et Christiani Moses. Alcazar hæc omnia mystice exponit. Nam per *primam* plagam sanguinis, accipit Judæorum infidelium, tempore Titi, discordiam : per *secundam* ranarum, eorumdem rixas et tumultus : per *tertiam* ciniphum, curas et sollicitudines quæ eos discruciarunt : per *quartam* muscarum, iras et odia quibus æstuarunt : per *quintam* pestis, rerum et opum temporalium, quas ambierunt, vanitatem et privationem : per *sextam* ulcerum, conscientiæ stimulos et morsus : per *septimam* grandinis, obstinationem in Judaismo : per *octavam* locustarum, concupiscentiarum tyrannidem eis dominantem : per *nonam* tenebrarum, miserandam cæcitatem in qua jacent : per *decimam* cædis primogenitorum, suarum animarum damnationem. Verum hæc mystica esse, non litteralia, nemo non videt.

7. ET CUM FINIERINT TESTIMONIUM SUUM. — Finient hoc post dies 1260, uti dixi vers. 3; eousque ergo erunt invincibiles, imo omnes et omnia vincent suo igne et plagis; sed peracto suo officio et temporis spatio a Deo sibi decreto, sinent se vinci et occidi, ut morte et martyrio obsignent suum de veritate et Christo testimonium.

BESTIA QUÆ ASCENDIT DE ABYSSO. — Bestia hæc est Antichristus, quia sævus erit et ferus ut bestia, non terrena, sed infernalis, quasi ascenderet de abysso. Dæmones enim eum agent et possidebunt, ac per eum omnem suam truculentiam in Eliam et Henoch, aliosque sanctos eorum asseclas exercebunt. Ita communiter Interpretes. Antichristus ergo per suos ministros occidet Eliam et Henoch, ideoque erit parricida : occidet enim parentem suum, puta Henoch ; ab Henoch enim descendit Noe, omnesque homines post diluvium, ac consequenter et Antichristus.

Alcazar per bestiam hanc accipit locustas, quæ cap. IX, vers. 1, 2, visæ sunt Joanni exire ex abysso; per locustas autem ipse intelligit concupiscentias, quibus in pœnam scelerum traditi sunt Judæi, ac propter eas occiderunt Eliam et Henoch, id est sapientiam et sanctitatem, puta sanctos et sapientes Christi Apostolos, Diaconos, aliosque primitivos Christianos; sed hi post tres dies, id est, post breve tempus, Ecclesia inclarescente, quasi resurrexerunt, et ad majorem gloriam tam in terra quam in cœlo ascenderunt; tumque septem, id est multa, Judæorum millia occisa, id est, ad Christum conversa sunt : occisa est enim in eis perfidia, ut quasi novi homines Christiani resurgerent in vitam fidei et gratiæ Dei ; reliqui perculsi gloriam dederunt Deo, qui excidium Hierosolymæ attribuerunt cædi S. Jacobi Minoris a Judæis occisi, ac consequenter et Christi; hunc enim prædicabat Jacobus : ita narrat ex Josepho Eusebius, lib. II, cap. XXII. Verum hæc mystica sunt. Adde locustas non ad hæc tempora, sed ad præcedentia, scilicet ad tubam quinti Angeli pertinere, jamque pertransiisse, uti dictum est cap. IX.

8. ET CORPORA EORUM JACEBUNT IN PLATEAS CIVITATIS MAGNÆ, QUÆ VOCATUR SPIRITUALITER SODOMA ET ÆGYPTUS, UBI ET DOMINUS EORUM CRUCIFIXUS EST. — Arabicus, *quæ vocatur spiritualiter Sodoma Ægypti, locus in quo crucifixerunt Dominum suum*, hoc est in Jerusalem ; ibi enim Dominus Eliæ et Henoch, puta Christus, crucifixus est. Videtur id negare S. Hieronymus, *epist.* 17, quam nomine S. Paulæ et Eustochii scribit *ad Marcellam*, ac per civitatem hanc accipere Romam Ethnicam et impiam. Verum hoc feminis condonandum est, quæ suam Jerusalem (commigrarunt enim in Judæam, ac in Bethlehem vixerunt et mortuæ sunt, uti et S. Hieronymus) commendare, et ab omni infamiæ nota vindicare volunt. Conantur enim Marcellam pellicere, ut e Roma commigret in Jerusalem, ibique secum vitam monasticam agat.



Porro, Jerusalem spiritualiter, id est mystice et symbolice, vocatur Sodoma, ob sodomiticas libidines et peccata, quæ in ea viguerunt, et vigebunt magis tempore Antichristi in ea dominantis. Ita Isaias in Hierosolymitas detonat, dicens cap. I, vers. 10 : « Audite verbum Domini, principes Sodomorum. » Vide ibi dicta. Et cap. III, vers. 9 : « Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt. » Ezechiel quoque cap. XVI, vers. 49, Sodomam vocat sororem Hierosolymæ, quia in sceleribus illi erat similis. « Hæc, inquit, fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ; et manum egeno et pauperi non porrigebant. »

Rursum, Jerusalem symbolice vocatur Ægyptus, ob idololatriam et superstitiones, quæ regnabunt in Jerusalem, quando Antichristus quasi Messias Judæis promissus, in ea ut regia sua dominabitur. *Secundo*, sicut Ægyptus et Pharao persecuti sunt Mosen ejusque populum fidelem : ita Antichristus cum suis Hierosolymitis persequetur Eliam, Henoch aliosque Christianos, qui sunt veri Israelitæ Dei : qua de re plura cap. XIV. Hinc patet Antichristi sedem et regiam non fore Romam, sed Jerusalem. Volet enim ipse haberi Christus, id est Messias Judæis promissus, hæres solii Davidis et Salomonis : ita passim interpretes novi et veteres. Vide Cardinalem Bellarminum, lib. III *De Romanis Pontif.*, cap. XIII : Ergo, ut alia omittam, Romanus Pontifex non est Antichristus, uti ex Apocalypsi probare contendunt hæretici ; sed quantum Roma distat a Jerusalem, et Christianismus a Judaismo, tantum Romanus Pontifex differt et distat ab Antichristo.

UBI ET DOMINUS EORUM CRUCIFIXUS EST, — *q. d.* Sicut Hierosolymitæ occiderunt Christum, ita et occident ejus Prophetas, Eliam et Henoch ; quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem, ut ei objicit Christus, *Lucæ* XIII, 33.

9. ET VIDEBUNT DE TRIBUBUS, ET POPULIS, ET LINGUIS, ET GENTIBUS. — Erit enim populorum et gentium ex omni natione confluxus et concursus in Jerusalem, quando Antichristus monarcha orbis in ea residebit.

CORPORA EORUM PER TRES DIES ET DIMIDIUM. — Jacebunt ergo corpora Eliæ et Henoch occisorum in plateis Jerusalem per tres dies et dimidium insepulta ; nec enim sinet Antichristus ea sepeliri, ut iis insultet, et quasi victor de iis triumphet ; sed iis exactis cum gloria resurgent. Imitabuntur ergo resurgentem Christum Dominum suum : hic enim tertio die a morte resurrexit. Ecce breve erit hoc eorum opprobrium, quod mox in æternam gloriam convertetur. Breve ex adverso erit Antichristianorum de eorum cæde gaudium, quod mox acribus æternisque suppliciis a Deo vindicabitur. Vere S. Athanasius grassantibus et furentibus Arianis Alexandriæ consolatus est et ani-

mavit Orthodoxos, dicens: « State, nubecula est quæ cito transit. » Quam brevis erit afflictio et opprobrium Eliæ et Henoch præ æternitate præmiorum! quam brevis gloria Antichristi et impiorum præ æternitate pœnarum!

10. Et inhabitantes terram (tunc enim plerique homines erunt impii, utpote subditi antichristo, eique quasi domino suo se conformantes) gaudebunt: quoniam (supple, occisi sunt) hi duo prophetæ (qui) cruciaverunt eos, — verbis minacibus, igni et plagis, quas audivimus vers. 5.

11. Et post tres dies et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos. — « Spiritus vitæ, » id est anima vivificans. Hinc patet quod Elias et Henoch occisi ab Antichristo, post tres dies cum dimidio publice, omnibus Antichristi asseclis ex toto orbe eo confluentibus inspectantibus, resurgent; voxque de cœlo delabetur, dicens eis:

12. Ascendite huc. — Ac mox ipsi coram omnibus publice in cœlum ascendent, ut ibidem fecit Christus: tuncque fiet ingens terræ motus, quo decima pars Hierosolymæ corruet, et septem hominum millia occidentur: reliqui timore perculsi laudem et gloriam Deo dabunt. Hæc enim omnia et singula ita diserte enarrat Joannes, ut qui alio ea torquere velit, vim verbis ejus faciat necesse sit.

Aureolus et Lyranus per hos duos testes accipiunt Sylverium Papam et Mennam Patriarcham Constantinopolit., quos Theodora Augusta, Justiniani Imperatoris uxor, anno Christi 538, relegavit in exilium, quod est quasi mors civilis, itaque quasi occidit eos, eo quod Arthemium Episcopum Euthychianum nollent in gradum pristinum restituere; sed eis Deus mox famam et gloriam in Ecclesia æternam restituit. Calcationem civitatis referunt ad Totilam, regem Gothorum, qui sub idem tempus ob hæc scelera Romam cepit, et Romanum Imperium vastavit. Verum hæc nec consonant verbis S. Joannis, nec inter se cohærent. Ait enim S. Joannes Hierosolymæ, non Romæ, nec Constantinopoli, hos duos testes occisum, non autem in exilium relegatum iri, ac corpora eorum occisa per triduum insepulta in plateis mansura, etc.

13. Et reliqui in timorem missi sunt, — id est, reliqui hac strage non occisi, sed superstites, timore perculsi, ad Deum et Christum per pœnitentiam, sunt conversi. Tunc enim omnis Israel salvus fiet, uti prædixit Apostolus *Rom.* xi, 26.

14. Væ secundum (ex illis tribus, de quibus dixi cap. viii, vers. ult.) abiit, — id est, jam inflictum est et pertransiit. Hæc enim tria « væ » fuerunt tres plagæ trium ultimorum Angelorum tuba canentium, puta Angeli quinti, sexti et septimi. Repetit hoc « væ » Joannes, ut quasi post parenthesin de Elia et Henoch interjectam, redeat ad hasce tres plagas, easque ordine pertexat. Unde sequitur:

15. Et septimus Angelus tuba cecinit: et factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes: Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus. — Hæc septima tuba denuntiat et affert beatum et gloriosum Christi regnum, quod cum Christo inibunt Elias et Henoch et paulo post omnes Sancti in die resurrectionis et judicii. Hoc enim clare verba sonant: « Tempus, ait, mortuorum judicari, et reddere mercedem servis suis, etc., pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruperunt terram; » ita Andreas, Aretas, Primasius, Beda, Albertus, Ribera, Viegas et alii. Hinc sequitur hanc septimam tubam poni hic per anticipationem, ut jungatur sex aliis præcedentibus. Nam ante hanc septimam tubam fient ea, quæ de Antichristo, Gog, Magog, etc. (quæ sunt materia et scriptura libri septem sigillis signati cap. v) narrantur hoc. cap. et seq.

Proprius ergo tubæ hujus locus est cap. xix ante vers. 11, quo describere incipit bellum Gog et Magog contra Christum et Christianos. Unde de Gog et Magog hic ait: « Et iratæ sunt gentes, » etc. Quocirca Elia et Henoch ascendentibus in cœlum, eorumque hostibus confusis et de cœlo sideratis, incipiet consummari mysterium Dei, uti dixit cap. præc. vers. 7, puta regnum gloriosum Christi et electorum ejus: quocirca tum Angelus hic septimus tuba canet, tumque 24 seniores omnesque Beati collaudabunt Deum, quod regnum peccati et impiorum jam finire et evertere incipiat. Nam paulo post cædetur Antichristus cum Gog, Magog omnibusque eorum asseclis; deinde sequetur mortuorum resurrectio et universale omnium judicium. Hinc sequitur quod hæc septem sigilla libri signati, licet majori ex parte contineant præambula quæ futura sunt ante Antichristum, tamen quædam in fine sui continere, quæ futura, aut perfectius futura sunt post Antichristum. Tale enim est quod cap. viii, vers. 12, in tuba quarti Angeli dicitur percussa tertia pars solis, lunæ et stellarum. Tale est et id quod cap. vi, vers. 12, in sexto sigillo dicitur de sole denigrato, stellis de cœlo cadentibus, cœlo recedente. Tale est et id quod hac tuba canitur. Erit enim hæc tuba quasi inchoatæ victoriæ et triumphi Christi præconium et conclamatio. Quocirca ad librum signatum ejusque finem spectat: refertur tamen ad sigilla, tum quia fuit septima et ultima tuba ex septem septimi Angeli et sigilli; tum quia est clausula omnium tam quæ in sigillis, quam quæ in libro continentur. Sicut ergo in libris signatis, v. g. in instrumentis testamentorum, præter sigilla externa, sunt quædam sigilla interna, quæ ipsum eorum finem obsignant et communiunt, ut designent ibi finiri testamentum, ne quid ab aliquo eis addi possit: ita est et de hoc sigillo, hoc est de parte hac ultima ultimi sigilli. Sigilla ergo hæc simul juncta amplectuntur non tantum initium, sed et finem libri signati: totum enim eum involutum stringunt et obsignant ante et retro, intus et foris. Licet ergo pleraque contineant ea quæ præibunt regnum Antichristi, quædam tamen continent ea quæ consequentur illud. Hoc enim regnum Antichristi est quasi medium quid, quod anterius regnis impiorum, utpote Antichristi præcursorum: posterius vero regno glorioso Christi et Sanctorum (quod tuba hæc septima denuntiat) clauditur et signatur. Tuba ergo hæc proclamabit jam in Eliæ et Henoch resurrectione et glorificatione inchoari regnum Christi gloriosum: quod mox post stragem Antichristi et impiorum perficietur in die judicii, quando omnes Sancti hoc regnum cum Christo inibunt.



Ipsa ergo apte hoc loco ponitur, quasi in confinio septem sigillorum et ipsius libri signati. Pertinet enim tam ad sigilla, quam ad librum: ad sigilla, quia est clausula et obsignatio libri; ad librum, quia eveniet eo tempore quo mysteria libri pandentur. Non potuit ergo Joannes eam aptiori loco ponere quam hoc, eaque de causa paulo ante pertexuit mortem et resurrectionem Eliæ et Henoch, ut pariter hac occasione pertexeret septimam tubam septimi sigilli, quæ tunc canere incipiet.

Factum est regnum, etc. — *q. d.* Jam regnare incipit Christus, jam Eliam et Henoch glorificavit, hostesque eorum perdidit, parique modo mox cæteros omnes impios perdet, ac evertet regnum impietatis et peccati, omnesque scelestos in tartara deturbatos pedibus suis premet et calcabit: jamjam regnabit justitia, et justi cum Christo in cœlesti et æterna gloria, ad laudem Dei Domini sui. Hoc est quod ait Paulus, I *Cor.* xv, 24: « Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri. » Vide ibi dicta.

Aureolus cum suis hæc refert ad libertatem, felixque et pacificum imperium Justini junioris Imperatoris, qui Justiniano avunculo in imperio succedens, per Narsen Romanum Patricium, Totilam, regem Gothorum, repressit, et regnum Italiæ restituit. Sed cum Narses ab æmulis accusatus, a Sophia Augusta revocaretur Constantinopolim ut gynæcei curam haberet (erat enim ipse eunuchus) ac regiis puellis lanam et linum distribueret, indignans respondit, « se talem telam orditurum quam ipsa nunquam detexeret. » Ergo vocavit Longobardos ex Pannonia, eisque tradidit Italiam, qui eam et Ecclesiam vexarunt usque ad Carolum Magnum: hic enim eos exterminavit cæso eorum rege. Et hoc est quod hic dicitur: « Et iratæ sunt Gentes, » etc. Verum hæc exilis et brevis fuit libertas et gaudium. Adde, licet Paulus Diaconus Narsetem proditionis accuset, asserens quod ipse Longobardos in Italiam vocarit, tamen Græci historici, quos sequitur Baronius, anno Christi 567, hoc refellunt, ac Narsetem a fide et sanctitate commendant; quin et Constantinopolim ad Imperatricem rediisse, ibique honorifice vixisse ac sepultum esse commemorant. Denique acoluthia Apocalypsis exposcit, ut hæc ad ultima mundi tempora, et ad regnum Christi gloriosum referantur.

Mystice Alcazar (licet ipse putet esse litterale) exponit, *q. d.* Christiana Ecclesia, devictis jam et subactis Judæis, est Catholica et permanens, id est universas cujusvis sæculi nationes complectens, iisque imperans, et in æternum permansura. In Ecclesia enim militante inchoatur Christi regnum triumphans et gloriosum. Unde 24 seniores vers. seq. gratias agunt Deo, eamque adorant et celebrant, præsertim in sacrificio Missæ. Quocirca τὸ *gratias agimus* idem est quod Eucharistiæ sacrificium offerimus pro vocatione Gentium.

16. Et viginti quatuor seniores. — Quinam hi sint, dixi cap. iv, vers. 4.

17. Qui es, et qui eras, et qui venturus es. — Vide quæ de hoc Dei nomine dixi cap. i, vers. 4.

Quia accepisti virtutem tuam, — id est, assumpsisti fortitudinem tuam, induisti te armis tuis fortissimis, dum nimirum usus es fortitudine tua, tuasque vires exseruisti in debellandis tuis hostibus, puta Antichristo et impiis, ideoque jam in plena pace et gloria regnas et triumphas. Alludit ad *Psalm.* xcii, 1: « Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se. »

Et regnasti, — ἐβασίλευσας, id est, *regnum adeptus es*, regnare cœpisti.

18. Et iratæ sunt Gentes. — Antichristiani, Gog, Magog aliique impii irascentur et frement, videntes tantas sibi a Deo plagas immitti, ac ad prælium contra Christum et Christianos se parabunt, de quo cap. xix, vers. 11. Sed frustra; nam cædentur, indeque rapientur ad tribunal Christi, ut in gehennam deturbentur: quocirca desperabundi maledicent Deo et Christo.

Et (id est quia) advenit ira tua (ut in extremo judicio iram tuam in reprobos exseras, damnando eos ad tartara) et tempus mortuorum judicari, — *q. d.* Advenit tempus resurrectionis et judicii, in quo scilicet mortui a morte resurgent « judicari, » id est, ut judicentur, et prout in vita gesserunt, bona vel mala æterna recipiant a judice Christo: ita Andreas, Aretas, Primasius, Beda et alii.

19. Et apertum est templum Dei in cœlo: et visa est arca testamenti, etc. et facta sunt, etc. grando magna. — *Primo*, Alcazar ex suis principiis et præmissis, putat hic significari Judæorum rejectionem et a Deo derelictionem, ideoque fingi parabolice arcam, quæ apud eos erat summæ venerationis et sanctitatis, e terra translatam in cœlum, sicut Ovidius, I *Metamorph.*, fingit virtutes, terris ob scelera relictis, in cœlum ascendisse:

Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Hoc est quod ait S. Leo, serm. 8 *De Passione*: « Traxisti, Domine, omnia ad te, cum in execrationem Judaici sceleris scisso templi velo, Sancta sanctorum ab indignis pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur. » Tunc facta est grando, id est obduratio Judæorum, cum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

viderunt voces, id est tonitrua et fulgura, hoc est miracula, sanctitatem et efficaciam Apostolorum in evangelizando. Nam, ut ait Isidorus, lib. *de Mundo*, cap. XXXV : « Figuraliter grando perfidiæ duritia est, torpore malitiæ frigida. » Jam in arca (in qua erant tabulæ legis) significatur observatio vera legis secundum spiritum, a Judæis translata ad Christianos; itidem et propitiatorium, id est, remissio peccatorum per fidem Christi; itidem et duo Cherubini, id est, vera sapientia et sanctitas; itidem et virga Aaron cum manna : virga notat potentiæ divinæ contra hostes populi sui ostentationem; manna, beneficentiam et alimoniæ providentiam; utraque enim a Judæis translata est ad Christianos, præsertim manna per Eucharistiam.

*Secundo*, Aureolus putat hic prædici institutionem festi Purificationis B. Virginis, quo Christus quasi arca testamenti præsentatus est in templo; quod Constantinopoli institutum est sub Justiniano Imperatore ad sedandam pestilentiam tunc grassantem, uti testatur Sigebertus in *Chronico*, anno Christi 542, Paulus, vel potius Joannes Diaconus in *Hist. Miscell.*, Nicephorus lib. XVII, cap. XXVIII, et ex iis Baronius in *Martyr.* 2 febr. Unde et in Missa illius festi legitur epist. *Malachiæ* III, 1, in qua Christus vocatur Angelus testamenti : « Statim, ait, veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. » Arca enim habebat utrimque Angelum, puta Cherubinum, testamenti.

*Tertio*, multi divellunt hæc a tuba septimi Angeli, putantque hanc novam esse visionem et ad cap. seq. pertinere; unde hic inchoant cap. XII. Ita Andreas, Rupertus, Anselmus, Hugo, Joachim, Albertus et Pannonius.

Verum dico ad septimam tubam septimi Angeli, de qua vers. 15, pertinere. « Apertum est ergo templum in cœlo, » puta habitaculum Beatorum, in quo quasi in templo ipsi semper serviunt et laudant Deum. Hoc ergo mihi Joanni apertum est ad hoc, ut viderem eminus per aliquam speciem, vel potius umbram, Beatorum felicitatem et gloriam. Apertum, inquam, non reipsa, sed per imaginariam, aut mentalem visionem symbolicam.

ET VISA EST ARCA TESTAMENTI EJUS IN TEMPLO EJUS. — Arca hæc est corpus sive humanitas Christi. Hanc enim anagogice (quomodo passim hic loquitur S. Joannes) significabat arca veteris Testamenti : idque *primo*, quia sicut arca facta erat ex lignis setim imputribilibus, ita corpus Christi fuit imputribile, quia nec peccati labe, nec mortis corruptione dissolvi aut putrescere potuit. *Secundo*, quia arca intrinsecus obducta erat laminis aureis : ita Christus, ...nus est ardentissima et pretiosissima charitate. *Tertio*, arca habebat supra se propitiatorium quasi operculum : ita Christus secum affert propitiationem et redemptionem mundi. *Quarto*, supra arcam erant Cherubini duo, se invicem et propitiatorium cum arca obversis vultibus respicientes : sic duo Testamenta, scilicet novum et vetus, unum Christum respiciunt. *Quinto*, in arca erant tabulæ legis : sic Christus legem et voluntatem Patris semper in mente et corde habuit. *Sexto*, juxta arcam erat virga Aaron, quæ fronduerat : sic in Christo est potestas regia, æque ac pontificia, quam virga hæc repræsentabat. Denique juxta arcam erat urna cum manna : sic in Christo est mira dulcedo ac clementia, præsertim quia seipsum quasi manna non tantum in Eucharistia, sed et in cœlo Beatis fruendum exhibet, eosque mire pascit, recreat et beat. Per arcam ergo significatur Christi humanitas pulcherrima et gloriosissima, quæ in cœlo Sanctis se videndam et fruendam exhibet, idque per visionem ostensum est hic S. Joanni, qui sicut in hac vita Christi humanitate mire delectatus est, cum eaque dissuaviatus, ita multo magis in altera illa cœlesti mire ea delectatur, cum eaque dissuaviatur : ita Richardus Victorinus, Beda et Rupertus.

Rursum arca testamenti significat gloriosum Christi corpus, non tantum naturale, puta humanitatem Christi jam dictam, sed et mysticum, puta Ecclesiam sive congregationem Sanctorum, qui in corpore et anima sunt beati, et cum Christo in Sancto sanctorum, id est in cœlo, regnant. Sicut enim propitiatorium proprie significabat Christum, ita arca illi subjecta significabat Ecclesiam triumphantem : utrique enim super alas Cherubim, quasi in throno insidet et præsidet Deus gloriosus, Christum hominem, ejusque Sanctos beans et glorificans. Vide dicta *Exodi* cap. XXV, vers. 10 et 17. Hinc consequenter arca testamenti est B. Virgo, quæ inter Beatos eminet, estque potior Ecclesiæ triumphantis æque ac militantis pars.

Hæc enim Christum quasi manna, æque ac legem Dei in se conclusit. Ita S. Bernardus, serm. *De B. Maria*, et alii, ac nominatim Franciscus Suarez, III part., Quæst. XXXVII, art. 4, disp. XXI, sect. 2, qui per arcam testamenti accipit corpus B. Virginis, quod resurrexit, et gloriose assumptum in cœlum hic Joanni apparuit. Vidit ergo Joannes in cœlis per umbram gloriam B. Virginis et Sanctorum. Pulchre S. Ambrosius, *sermone* 81, B. Virginem arcæ fœderis comparat. Siquidem, ait, arca intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat hæredem. Illa intra se legem, hæc Evangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc Verbum. Arca intus forisque auri nitore radiabat, B. Maria intus forisque virginitatis splendore refulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti. Merito ergo Ecclesia in Litaniis Lauretanis B. Virginem nuncupat et invocat dicens : « Fœderis arca, ora pro nobis. »

Nota : Superius cap. VI, vers. 9, vidit Joannes animas Martyrum sub altari, scilicet ante resurrectionem; hic vero post consummationem et resurrectionem vidit eas translatas ex Sancto (ubi quiescebant sub altari thymiamatis, orantes pro re-



surrectione sua, et fine ac vindicta peccati et peccatorum) in Sanctum sanctorum, puta in arcam testamenti, id est, in cœtum gloriosum plene et perfecte beatorum, ubi jam nil amplius postulant, sed tam in corpore ... in anima beati et divini effecti Dei sunt filii, domestici, hæredes, membra et quasi corpus : vide dicta cap. VIII, 3.

ET FACTA SUNT FULGURA, ET VOCES, ET TERRÆ MOTUS, ET GRANDO MAGNA. — Hæc omnia symbolice per visionem vidit S. Joannes; non ergo reipsa facta sunt. Itaque hæc omnia significant iram Dei et vindictam, ac pœnas impiorum, tum præsentes Gog et Magog, quos Deus igne cœlesti perdet cap. XX, vers. 9; tum futuras in inferno. Hæc enim ira Dei in reprobos, æque ac misericordia Dei in electos eodem tempore, puta in die belli contra Gog et Magog, et perfecte in die judicii fiet, ideoque pertinet ad consummationem quam hic inducit septima et ultima tuba septimi Angeli, in qua omnia sigilla et ipse liber, puta Apocalypsis, finiri incipiunt : ita Rupertus, Pannonius, Hugo. Alludit ad *Psal.* CXLVIII, 8 : « Ignis, grando, nix glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus, » ad terrendum et prosternendum impios. Et ad *Isaiæ* XXVIII, 2 : « Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis. » Et cap. XXX, vers. 30 : « Allidet Dominus in turbine, et in lapide grandinis; » grando enim procellam grandem affert et indicat. Vidi grandinem quæ non tantum segetes, sed et animalia sterneret et occideret. Plura de grandine dixi *Exod.* IX, 18.

Aureolus, prosequens seriem suam temporum et historiarum, hæc refert ad conversionem Anglorum, quæ facta est per miracula et prædicationem S. Augustini, quem eo cum aliis monachis misit S. Gregorius Magnus. Verum hæc, ut et cætera ejusdem, Apocalypseos sunt non tam explicationes quam applicationes et accommodationes.

# CAPUT DUODECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Capite undecimo descripsit duces belli fidelium contra Antichristum, puta Eliam et Henoch; hic ipsum bellum describit. Itaque sub schemate mulieris et draconis concertantium, describitur multiplex Ecclesiæ et diaboli pugna in fine mundi, Ecclesiæque victoria. Nam primo, mulier parit masculum, draco eum rapere et devorare molitur; sed ille rapitur ad Deum : insequitur draco, ut eos in judicio Dei calumnietur et accuset; sed a Michaele dejicitur, trahitque secum tertiam partem stellarum : quocirca cœlites glorificant Deum. Inde vers. 12, draco dejectus et frendens persequitur mulierem : illa, acceptis alis, fugit in desertum; draco insequens ore vomit et emittit in eam flumen, sed terra hians illud absorbet. Quare draco fremens, vers. 17, reliquias seminis ejus persequitur.*

1. Et signum magnum apparuit in cœlo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. 2. Et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat. 3. Et visum est aliud signum in cœlo : Et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus ejus diademata septem; 4. et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura; ut, cum peperisset, filium ejus devoraret. 5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea; et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus, 6. et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. 7. Et factum est prælium magnum in cœlo; Michael, et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus; 8. et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. 9. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem; et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. 10. Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus; quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. 11. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. 12. Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis. Væ terræ et mari,

viderunt voces, id est tonitrua et fulgura, hoc est miracula, sanctitatem et efficaciam Apostolorum in evangelizando. Nam, ut ait Isidorus, lib. *de Mundo*, cap. XXXV : « Figuraliter grando perfidiæ duritia est, torpore malitiæ frigida. » Jam in arca (in qua erant tabulæ legis) significatur observatio vera legis secundum spiritum, a Judæis translata ad Christianos; itidem et propitiatorium, id est, remissio peccatorum per fidem Christi; itidem et duo Cherubini, id est, vera sapientia et sanctitas; itidem et virga Aaron cum manna : virga notat potentiæ divinæ contra hostes populi sui ostentationem; manna, beneficentiam et alimoniæ providentiam; utraque enim a Judæis translata est ad Christianos, præsertim manna per Eucharistiam.

*Secundo*, Aureolus putat hic prædici institutionem festi Purificationis B. Virginis, quo Christus quasi arca testamenti præsentatus est in templo; quod Constantinopoli institutum est sub Justiniano Imperatore ad sedandam pestilentiam tunc grassantem, uti testatur Sigebertus in *Chronico*, anno Christi 542, Paulus, vel potius Joannes Diaconus in *Hist. Miscell.*, Nicephorus lib. XVII, cap. XXVIII, et ex iis Baronius in *Martyr.* 2 febr. Unde et in Missa illius festi legitur epist. *Malachiæ* III, 1, in qua Christus vocatur Angelus testamenti : « Statim, ait, veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. » Arca enim habebat utrimque Angelum, puta Cherubinum, testamenti.

*Tertio*, multi divellunt hæc a tuba septimi Angeli, putantque hanc novam esse visionem et ad cap. seq. pertinere; unde hic inchoant cap. XII. Ita Andreas, Rupertus, Anselmus, Hugo, Joachim, Albertus et Pannonius.

Verum dico ad septimam tubam septimi Angeli, de qua vers. 15, pertinere. « Apertum est ergo templum in cœlo, » puta habitaculum Beatorum, in quo quasi in templo ipsi semper serviunt et laudant Deum. Hoc ergo mihi Joanni apertum est ad hoc, ut viderem eminus per aliquam speciem, vel potius umbram, Beatorum felicitatem et gloriam. Apertum, inquam, non reipsa, sed per imaginariam, aut mentalem visionem symbolicam.

ET VISA EST ARCA TESTAMENTI EJUS IN TEMPLO EJUS. — Arca hæc est corpus sive humanitas Christi. Hanc enim anagogice (quomodo passim hic loquitur S. Joannes) significabat arca veteris Testamenti : idque *primo*, quia sicut arca facta erat ex lignis setim imputribilibus, ita corpus Christi fuit imputribile, quia nec peccati labe, nec mortis corruptione dissolvi aut putrescere potuit. *Secundo*, quia arca intrinsecus obducta erat laminis aureis : ita Christus ...enus est ardentissima et pretiosissima charitate. *Tertio*, arca habebat supra se propitiatorium quasi operculum : ita Christus secum affert propitiationem et redemptionem mundi. *Quarto*, supra arcam erant Cherubini duo, se invicem et propitiatorium cum arca obversis vultibus respicientes : sic duo Testamenta, scilicet novum et vetus, unum Christum respiciunt. *Quinto*, in arca erant tabulæ legis : sic Christus legem et voluntatem Patris semper in mente et corde habuit. *Sexto*, juxta arcam erat virga Aaron, quæ fronduerat : sic in Christo est potestas regia, æque ac pontificia, quam virga hæc repræsentabat. Denique juxta arcam erat urna cum manna : sic in Christo est mira dulcedo ac clementia, præsertim quia seipsum quasi manna non tantum in Eucharistia, sed et in cœlo Beatis fruendum exhibet, eosque mire pascit, recreat et beat. Per arcam ergo significatur Christi humanitas pulcherrima et gloriosissima, quæ in cœlo Sanctis se videndam et fruendam exhibet, idque per visionem ostensum est hic S. Joanni, qui sicut in hac vita Christi humanitate mire delectatus est, cum eaque dissuaviatus, ita multo magis in altera illa cœlesti mire ea delectatur, cum eaque dissuaviatur : ita Richardus Victorinus, Beda et Rupertus.

Rursum arca testamenti significat gloriosum Christi corpus, non tantum naturale, puta humanitatem Christi jam dictam, sed et mysticum, puta Ecclesiam sive congregationem Sanctorum, qui in corpore et anima sunt beati, et cum Christo in Sancto sanctorum, id est in cœlo, regnant. Sicut enim propitiatorium proprie significabat Christum, ita arca illi subjecta significabat Ecclesiam triumphantem : utrique enim super alas Cherubim, quasi in throno insidet et præsidet Deus gloriosus, Christum hominem, ejusque Sanctos beans et glorificans. Vide dicta *Exodi* cap. XXV, vers. 10 et 17. Hinc consequenter arca testamenti est B. Virgo, quæ inter Beatos eminet, estque potior Ecclesiæ triumphantis æque ac militantis pars.

Hæc enim Christum quasi manna, æque ac legem Dei in se conclusit. Ita S. Bernardus, serm. *De B. Maria*, et alii, ac nominatim Franciscus Suarez, III part., Quæst. XXXVII, art. 4, disp. XXI, sect. 2, qui per arcam testamenti accipit corpus B. Virginis, quod resurrexit, et gloriose assumptum in cœlum hic Joanni apparuit. Vidit ergo Joannes in cœlis per umbram gloriam B. Virginis et Sanctorum. Pulchre S. Ambrosius, *sermone* 81, B. Virginem arcæ fœderis comparat. Siquidem, ait, arca intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat hæredem. Illa intra se legem, hæc Evangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc Verbum. Arca intus forisque auri nitore radiabat, B. Maria intus forisque virginitatis splendore refulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti. Merito ergo Ecclesia in Litaniis Lauretanis B. Virginem nuncupat et invocat dicens : « Fœderis arca, ora pro nobis. »

Nota : Superius cap. VI, vers. 9, vidit Joannes animas Martyrum sub altari, scilicet ante resurrectionem; hic vero post consummationem et resurrectionem vidit eas translatas ex Sancto (ubi quiescebant sub altari thymiamatis, orantes pro resurrectione sua, et fine ac vindicta peccati et peccatorum) in Sanctum sanctorum, puta in arcam testamenti, id est, in cœtum gloriosum plene et perfecte beatorum, ubi jam nil amplius postulant, sed tam in corpore, quam in anima beati et divini effecti, Dei sunt filii, domestici, hæredes, membra et quasi corpus : vide dicta cap. VIII, 3.



ET FACTA SUNT FULGURA, ET VOCES, ET TERRÆ MOTUS, ET GRANDO MAGNA. — Hæc omnia symbolice per visionem vidit S. Joannes : non ergo reipsa facta sunt. Itaque hæc omnia significant iram Dei et vindictam, ac pœnas impiorum, tum præsentes Gog et Magog, quos Deus igne cœlesti perdet cap. XX, vers. 9; tum futuras in inferno. Hæc enim ira Dei in reprobos, æque ac misericordia Dei in electos eodem tempore, puta in die belli contra Gog et Magog, et perfecte in die judicii fiet, ideoque pertinet ad consummationem quam hic inducit septima et ultima tuba septimi Angeli, in qua omnia sigilla et ipse liber, puta Apocalypsis, finiri incipiunt : ita Rupertus, Pannonius, Hugo. Alludit ad *Psal.* CXLVIII, 8 : « Ignis, grando, nix glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus, » ad terrendum et prosternendum impios. Et ad *Isaiæ* XXVIII, 2 : « Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis. » Et cap. XXX, vers. 30 : « Allidet Dominus in turbine, et in lapide grandinis; » grando enim procellam grandem affert et indicat. Vidi grandinem quæ non tantum segetes, sed et animalia sterneret et occideret. Plura de grandine dixi *Exod.* IX, 18.

Aureolus, prosequens seriem suam temporum et historiarum, hæc refert ad conversionem Anglorum, quæ facta est per miracula et prædicationem S. Augustini, quem eo cum aliis monachis misit S. Gregorius Magnus. Verum hæc, ut et cætera ejusdem, Apocalypseos sunt non tam explicationes, quam applicationes et accommodationes.

# CAPUT DUODECIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Capite undecimo descripsit duces belli fidelium contra Antichristum, puta Eliam et Henoch; hic ipsum bellum describit. Itaque sub schemate mulieris et draconis concertantium, describitur multiplex Ecclesiæ et diaboli pugna in fine mundi, Ecclesiæque victoria. Nam primo, mulier parit masculum, draco eum rapere et devorare molitur; sed ille rapitur ad Deum : insequitur draco, ut eos in judicio Dei calumnietur et accuset; sed a Michaele dejicitur, trahitque secum tertiam partem stellarum : quocirca cœlites glorificant Deum. Inde vers. 12, draco dejectus et frendens persequitur mulierem : illa, acceptis alis, fugit in desertum; draco insequens ore vomit et emittit in eam flumen, sed terra hians illud absorbet. Quare draco fremens, vers. 17, reliquias seminis ejus persequitur.*

1. Et signum magnum apparuit in cœlo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. 2. Et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat. 3. Et visum est aliud signum in cœlo : Et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus ejus diademata septem; 4. et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura; ut, cum peperisset, filium ejus devoraret. 5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea; et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus, 6. et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. 7. Et factum est prælium magnum in cœlo; Michael, et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus; 8. et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. 9. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem; et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. 10. Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus; quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. 11. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. 12. Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis. Væ terræ et mari,

quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet! 13. Et postquam vidit draco quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum 14. Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis, a facie serpentis. 15. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. 16. Et audivt terra mulierem, et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. 17. Et iratus est draco in mulierem; et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu Christi. 18. Et stetit supra arenam maris.

1. Et signum magnum apparuit in coelo. — « Signum, » id est ostentum, prodigium, portentosa visio et spectaculum, idque « magnum, » tum in se : in hoc enim signo visa est S. Joanni mulier magna amicta sole, coronata stellis, calcans lunam, pariens masculum, ac pugnans cum dracone; tum in re per signum hoc adumbrata et significata : hæc enim magna fuit et eximia, uti mox explicabo.

Putant aliqui alludi hic ad constellationes virginis et draconis quæ sunt in cœlo, quasi per visionem hæ Joanni ostensæ sint instar virginis et draconis inter se confligere. Verum esto ad constellationes hasce nomine tenus alludat, tamen certum est eum non vidisse illas, sed revera personam virginis cum dracone certantem.

Symbolice Viegas : Ecclesia, ait, est « signum, » id est miraculum, quia prodigiosa fuit Ecclesiæ a Christo institutio, ejusque inter tot hostes per Apostolos propagatio et incrementum. *Secundo*, « signum » est vexillum crucis in Ecclesia erectum. *Tertio*, « signum, » id est scopus : in Ecclesiam enim quasi in scopum omnes tyranni et hæretici sua tela collimarunt, ut Ecclesia vere dicere possit cum Jeremia *Thren.* III, 12 : « Posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ. »

In coelo, — non empyreo, nec sidereo, sed aereo : inde enim mulier hæc volavit in desertum. Nam si mulierem ad cœlum sidereum evehamus, ut sol, luna et stellæ suis quæque locis persistant, ac stellæ eam coronent, luna se pedibus ejus subjiciat, sane ipsa immanis proceritatis et plusquam gigantea esse debuisset, inquit Alcazar. Fingitur ergo hic symbolice, quod sol et stellæ e suis locis videantur descendere in aerem, ibique mulierem hanc amicire, luna vero se pedibus ejus substernere : ut per hoc significetur, quod Ecclesia (hanc enim repræsentat hæc mulier) de cœlo descendit, eo quod cœlestis sit ejus vita, mores, doctrina, auctor, lingua, affectus, spes et finis, sive terminus et corona. *Secundo*, quia potior et potentior Ecclesiæ pars est in cœlo, scilicet Sancti et Beati. Unde alteram ejus partem, scilicet hic adhuc militantem, adhortans Apostolus *Hebr.* XII, 22 : « Accessistis, ait, ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, et Jerusalem cœlestem. » *Tertio*, quia alludit ad primum prælium Luciferi cum Michaele, ut mox dicam, quod in cœlo gestum est. *Quarto*, quia draco, id est diabolus, persequitur Ecclesiam et Sanctos usque ad cœlum, et usque ad thronum ac judicium Dei, ubi eos accusat : licet enim judicium in terra vel aere peragatur, tamen quia in eo est thronus Dei judicis, hinc cœli nomine appellatur. Ubi enim Deus est Deique thronus, ibi et cœlum est : sicut ubi Rex est, ibi aula regia est. Atque huc maxime respicit S. Joannes, tum quia agit de electis qui in cœlum ad Deum rapiuntur; tum quia vers. 9, ait ex cœlo dejectum esse diabolum accusatorem fratrum in terram. Nam alioqui reipsa prælium hoc quod in sequentibus enarratur, non fuisse gestum in cœlo, sed terra, patet ex vers. 6, ubi dicitur mulier ex hoc prælio, et prælii loco fugisse in solitudinem.

Mulier. — *Primo*, aliqui per mulierem accipiunt Synagogam Judæorum, quæ erat Christo gravida et prægnans : ita Aretas, Rupertus et noster Sebastianus Barradius, tom. I, lib. X, cap. XII.

*Secundo*, hæc omnia Alcazar accipit de Ecclesia Christi primitiva : putat enim ab hoc capite usque ad finem libri describi Christi et Ecclesiæ victoriam de Gentibus; sicut a cap. IV hucusque descripta est ejusdem victoria de Judæis. Ratio ejus est, quia cap. XX, vers. 2, dicitur Satanas ligatus mille annis, et solvendus in fine mundi. Illi autem mille anni significant tempus primitivæ Ecclesiæ, et deinceps usque ad finem mundi : ergo de ea hic agitur; de fine vero mundi agere incipiet demum Joannes cap. XX. Verum respondeo cap. XX esse hysterologiam, uti ibi fusius ostendam; hysterologia enim frequens est Prophetis. Quocirca ea quæ hic clare dicuntur de Antichristo et fine mundi, itaque passim accipiuntur a Patribus et interpretibus, non debent alio, præsertim ad mysticas aut commentitias interpretationes, detorqueri, ob unum locum, qui, ut dixi, per hysterologiam commode communi Doctorum expositioni adaptari potest.

Quapropter dico cum Ambrosio, Ticonio, Primasio, Andrea Cæsariensi, Haymone, Richardo, Beda et Methodio quem citat Aretas, per Mulierem hanc intelligi Ecclesiam, maxime quæ erit sub finem mundi : de eo enim hic continuus est



sermo, ut dixi cap. VI, vers. 12. Id ita esse patet ex sequentibus, præsertim vers. 6, 10, 11, 14. Ecclesia enim, adjuvante eam S. Michaele protectore, ejusque Angelis, luctatur continue, et maxime luctabitur in fine mundi cum dracone, id est Lucifero ejusque dæmonibus. Dicitur Ecclesia mulier, quia est sponsa Christi.

Notandum tamen, cum Areta, in hac Ecclesiæ lucta cum diabolo alludi, *primo*, et quasi refricari memoriam primi prælii Angelorum olim gesti in cœlo, in quo Lucifer cum suis victus, deturbatus est in tartara. Unde duos illius prælii duces utrinque hic consignat, idque in cœlo, Michaelem scilicet et draconem, id est Luciferum, atque utriusque Angelos, additque quod hic victus ab illo traxerit secum tertiam partem stellarum, id est illustrium Angelorum, quorum locus naturalis erat cœlum, uti est et stellarum; quodque non sit inventus amplius eorum locus in cœlo, sed inde projectus sit Lucifer cum suis in terram. Hæc enim in sensu grammatico vel historico, clariora sunt in primo illo Angelorum prælio, quam in præliis Ecclesiæ contra dæmones, quibus tamen et symbolice conveniunt, uti statim dicam. Simili modo Isaias, cap. XIV, describit casum regis Babylonis, sub typo et parabola casus Luciferi; et Ezechiel, cap. XXVIII, opes et casum regis Tyri sub typo opum et casus cujusdam Cherubini. Simili schemate et parabola utitur hic S. Joannes, idque facit ad hoc, ut ex prima illa Michaelis contra Luciferum victoria sperent fideles, se etiamnum eumdem, Dei et Michaelis ac SS. Angelorum ope et adjutorio, superaturos. Michaelem enim et Angelos pro nobis, quasi clientibus et civibus suis, ardenter pugnare significat. Quocirca merito Poeta Christianus ita S. Michaelem Archangelum, dæmonum triumphatorem celebrat et invocat :

> Qui cœlo Stygium pepulisti marte draconem,
> Hunc simili terris ad Styga pelle manu.

*Secundo*, alluditur hic etiam altera ex parte ad mysterium incarnationis Verbi, et ad partum B. Virginis, ejusque prolem Christum. Hic enim est puer masculus, de quo vers. 5, qui maxime invisus est diabolo : ob illum enim maxima odia in Ecclesiam concepit, quia videbat per eum homines in suum suorumque locum, e quo dejecti erant, successuros. Quare furens livore et invidia, Christum adhuc puerum per Herodem voluit occidere, eoque per fugam ac Dei tutelam in Ægyptum elapso, propter eum tot millia infantium occidit : illo vero in cœlum sublato, ejus Apostolos, Martyres, omnesque fideles internecino odio et bello persequitur, et persequetur usque ad finem mundi.

Quocirca, quidquid occinant Erasmus et Novatores, possunt hæc apte, uti et alia quæ alibi in Canticis, ac libris Sapientialibus de Ecclesia in sensu litterali dicuntur, cum Ambrosio, Andrea, Ansberto, Haymone, Areta, Pannonio, Gagneio et aliis hic, ac S. Augustino, lib. IV *De Symbolo ad Catechumenos*, cap. I, et S. Bernardo, serm. *De B. Virgine*, circa hunc Apocalypseos locum, etiam accipi et appropriari B. Virgini, præsertim quia, ut ait Ambrosius, B. Virgo mater est, imo avia Ecclesiæ : quia eum peperit, qui caput et parens est Ecclesiæ. Unde Ansbertus : « Non mirum, ait, si illa typum Ecclesiæ prætendat, in cujus beato utero capiti suo eadem Ecclesia uniri meruit. Ipsa est quæ peperit masculum, non effeminatum, non ignavia torpentem, sed ad debellandas aereas potestates caput et corpus virile atque robustum. »

Rursum, ipsa est pars, civis et filia lectissima Ecclesiæ, quia ipsa nobilissimum est Ecclesiæ membrum. Denique, quia ipsa conatur et mire desiderat Christum filium suum spiritualiter etiamnum assidue parere in animis omnium fidelium, maximeque ad hoc annitetur in fine mundi, tum per se, tum per Angelos et sanctos prædicatores. Est enim ipsa, utpote charitate flagrans, honoris Dei Filiique sui, æque ac salutis animarum studiosissima. Unde de B. Virgine totum hoc caput fuse et docte explicat noster Blasius Viegas hic. Audi S. Bernardum loco citato : Virgo, inquit, Maria « omnibus omnia facta est, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi : captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. Putasne ipsa est mulier amicta sole? quæ velut alterum solem induit sibi. In sole et fervor et splendor stabilis : in luna solus splendor, atque is omnino mutabilis et incertus, qui nunquam in eodem statu permanet. Jure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique et circumfundi, et tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed et calidissimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari. » Ipsa ergo est signum magnum, quia, ut ait S. Bonaventura in *Speculo B. Virginis*, cap. VIII : « Ipsa est qua majorem Deus facere non posset; majorem mundum facere posset Deus, majus cœlum facere posset Deus : majorem matrem quam matrem Dei non posset facere Deus. » Et D. Thomas, I *part.*, *Quæst.* XXV, art. 6, quærit an Deus possit meliora facere ea, quæcumque fecit, ac respondet, posse. Excipit tamen tria, scilicet Christum, B. Virginem, et nostram beatu

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

dinem. Nam «humanitas Christi, ait, ex hoc quod est unita Deo; et beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei; et B. Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte non potest fieri aliquid melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.» Ita ipse in responsione ad 4.

*Primus* sensus de lucta Ecclesiæ cum diabolo in fine mundi, maxime proprius est et genuinus, utpote propheticus (est enim Apocalypsis prophetia, eaque unica novi Testamenti), ideoque maxime intentus a Spiritu Sancto. *Secundus* sensus, de pugna Michaelis et Luciferi in cœlo, est allusivus et symbolicus. *Tertius*, de pugna virginis et diaboli, historicus est, et quasi originalis et fundamentalis : atque ad hosce duos primus quoque alludit.

Mulier amicta sole. — Arabicus, *induta sole*, hoc est, Ecclesia circumdata Christo sponso suo : Christus enim est sol justitiæ, *Malach.* cap. iv, 2, uti Apostoli sunt stellæ, quæ suam lucem a sole, id est Christo, mutuantur. Rursum, Christus instar amictus et vestis circumdat, amicit et ornat Ecclesiam : unde toties hortatur fideles Apostolus dicens : «Induimini Dominum Jesum Christum.» *Secundo*, Christus Ecclesiam suam ita undequaque protegit et communit, ut eam amicire videatur; idque significat phrasis Græca, *περιβεβλημένη τὸν ἥλιον*, id est, *circumamicta sole*. *Tertio*, quia Ecclesia a Christo, fidei, veritatis, gratiæ et virtutum radiis circumquaque irradiatur et cingitur, idque maxime fiet in fine mundi, ne Antichristus eam obscuret vel obruat.

Alludit in hac phrasi Joannes ad *Psal.* lxxxviii, vers. 38, ubi de throno Davidis et Salomonis ad litteram, et antitype de throno Christi, id est de Ecclesia dicitur : «Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum.»

Ita S. Bernardus loco citato, per solem accipit Christum, ubi hæc applicans B. Virgini : «In te, ait, manet (sol Christus), et tu in eo; et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suæ majestatis. Vestis solem nube, et sole ipsa vestiris.»

Et luna sub pedibus ejus. — Alcazar hoc sic exponit : Luna, ait, est nobilior stellis, hic tamen ponitur sub pedibus, non ut calcetur, sed ut mulierem, id est Ecclesiam, fulciat et sustentet. Locus enim inferior in symbolis est maximæ dignitatis, significatque basin, fundamentum et fulcimentum. Hinc tribuitur Ecclesiæ, et terræ, quæ est mater et genitrix omnium, perinde ac Pythagoras dixit, «lunam esse matrem stellarum.»

Itaque censet ipse mulierem hanc amiciri sole, id est Deo, coronari stellis duodecim, id est duodecim Apostolis; et inferne quasi basi et fundamento fulciri et inniti lunæ, id est Christo. Proponitur enim ipsa hic quasi parturiens, ideoque exprimitur quasi mysticæ lunæ ope et auxilio adjuta : nam et Gentes ad lunæ fœcunditatem respicientes, eam in partubus implorabant; et quasi obstetricem credentes, illam Junonem Lucinam appellabant, cujus etiamnum templum Romæ, sed Junonis nomine in S. Laurentii commutato, exstat : vocatur enim ecclesia S. Laurentii in Lucina. Felix ergo primitivæ Ecclesiæ partus Christi ope fovebatur, ideoque ut partus hic faustus et auspicatus esset, eleganter inducta fuit mystica Lucina, opem ferens suo contactu ac virtute parturienti mulieri, eamque super se sustinens, ne deficiat. Ita Alcazar nimis subtiliter, et poetice potius quam genuine et solide. Pergit ipse : Porro recte deitas comparatur soli, humanitas Christi lunæ. Nam *primo*, sicut sol est fons lucis, reliquorum luminum parens : ita Deus Pater est totius divinitatis fons, et *pater luminum*. Et sicut luna lucem suam a sole mutuatur : ita Christi humanitas a deitate suam sapientiam, gratiam et gloriam accipit, ideoque «omnem suæ lucis haustum eo regerit, unde accipit;» quod de luna ait Plinius, lib. II, cap. ix. *Secundo*, solem creavit Deus quasi «luminare majus, ut præesset diei;» lunam vero quasi «luminare minus, ut præesset nocti,» *Genes.* cap. i, 16. Pari modo Christi divinitas est quasi luminare majus, quod præest diei beatitudinis in cœlo; humanitas vero est luminare minus, quod præest nocti hujus sæculi, uti ait S. Augustinus in *Psalm.* lxxiii, 16. *Tertio*, sicut luna in plenilunio est ingens, unde a Jeremia vii, 18, vocatur «Regina cœli;» et ab Horatio in *Sæculari carmine*, «Regina siderum;» sed sensim decrescit et quasi evanescit : ita Christus exinanivit se in præsepio, et in cruce, ut non esset ei species neque decor, *Isaiæ* liii; sed mox instar lunæ rursum crescentis resurgendo et ascendendo in cœlum, ad suam gloriam rediit. *Quarto*, luna stellis fixis natura est minor, sed luce major : ita Christus Angelis, quoad humanitatis naturam, est minor (unde de eo ait Psaltes, *Psalm.* viii, vers. 6 : «Minuisti eum paulo minus ab angelis»), sed gratia et gloria longe omnes transcendit. *Quinto*, magnus est lunæ in sublunaria influxus, ita ut nil videatur producere sol per se solus, nisi cum luna sociatus. Unde luna a priscis Romanis dicta est genitrix orbis. Vide Plinium, lib. II, cap. xli et xlix. Ratio est, quia magna solis vis et calor cum lunæ humiditate ac mollitudine (utramque enim qualitatem ipsa efficit et producit) conjuncta, instar matris et patris causant et conservant naturalium rerum generationem, quæ in calore et humiditate congruenti consistit. Pari modo generatio spiritualis, puta justificatio, ac justitiæ et gratiæ incrementum, non solum ex Dei virtute, sed etiam ex Christi meritis, benignitate et gratia pendet, ita ut nihil Deus hominibus det gratiæ, nisi per Christum et Christi merita. Quocirca sicut Plinius, lib. II, cap. xcix, dixit, «lunæ sidus esse rerum spiritum :» ita de Christo ait Jeremias, *Thren.* iv, 20 :



«Spiritus oris nostri Christus Dominus.» *Sexto*, sicut lunæ accessus et recessus efficit æstum maris, ut scilicet mare quotidie singulis senis horis accrescat, et sequentibus senis decrescat : ita quod nunc hæ gentes ad fidem et Ecclesiam Christi accedant, nunc illæ, facit Christus.

Rursum, sicut luna est humanitas Christi, ita luna est et virgo Deipara : hæc est enim quasi Lucina Ecclesiæ parturientis, ut de ea dici possit illud Virgilianum :

Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.

Christus enim a B. Virgine, æque ac filius a matre, avelli aut separari nequit. Quocirca Ecclesia multa quæ in Scriptura de Christo primario dicuntur, secundario B. Virgini applicat, uti est illud *Proverb.* viii : «Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio : ab æterno ordinata sum,» etc. Sic et Cantica Canticorum, quæ primario sunt Epithalamium Christi et Ecclesiæ, secundario Epithalamio Dei et B. Virginis attribuuntur. Unde Petrus Damianus, serm. *De Nativitate B. Mariæ*, illud *Cant.* cap. vi, 9 : «Pulchra ut luna,» de B. Virgine explicat dicens : «Quemadmodum nullum est astrum, excepto sole, adeo pulchrum ut luna : sic summa gloria est post Deum, videre Virginem, adhærere illi, et in illius protectionis munimine commorari.» Et serm. *De Assumptione Virginis* : «Quantumlibet aliæ stellæ reluceant, luna tamen et magnitudine præeminet, et splendore. Sic utramque naturam Virgo singularis exsuperat, et immensitate gratiæ, et fulgore virtutum.»

*Secundo*, sicut «luna est super omnia pura lu ceque plena,» ut ait Plinius : ita et B. Virgo. Finxerunt Poetæ Dianam (id est lunam) præ virginitatis amore commercia hominum fugisse, et virginibus comitatam sylvas petiisse. Unde Virgilius eam castam appellat. Quid castius B. Virgine? Quocirca S. Bernardus, tract. *De Passione Domini*, cap. xxxi : «Quis, ait, Sanctorum chorus melius lunæ comparatur quam virgines?» videlicet propter earum candorem et pulchritudinem. Unde subjicit : «Honorabuntur præ cæteris, sicut lunam videmus præ cæteris sideribus eminere.» Dixit vetus auctor, «lunam margaritarum ideam videri.» Quæ margarita purior et pulchrior virginitate ac B. Virgine?

*Tertio*, luna cum puritate jungit fœcunditatem : est enim parens rerum. Unde in numismatibus Corneliæ Augustæ (uti refert Pierius, *Hierogl.* 44) cum lunæ effigie, in aliis hæc inscriptio apponitur, *fœcunditas*; in aliis, *pudicitia*. Ita in B. Virgine junguntur summa virginitas et summa maternitas ac fœcunditas. Ut de Christo recte dicatur :

Nec genitrice tua fœcundior ulla parentum est,
Tot bona per partum quæ dedit una suum.

*Quarto*, sicut luna, ita et B. Virgo, est et dicitur *Regina cœli*.

*Quinto*, sicut luna hic mulierem fulcit, ita B. Virgo Ecclesiam suis precibus et meritis, quasi basis et columna, fulcit et sustentat.

*Sexto*, sicut luna benigno influxu plantas et animalia vegetat; unde a Plinio, lib. II, cap. xviii, dicitur, «lunæ color blandus» : ita B. Virgo fideles tam justos quam peccatores, quin et infideles, suam opem implorantes benigne complectitur, gratiam impetrat, ad salutem provehit. Est enim ipsa mater misericordiæ.

*Septimo*, sicut luna patitur eclipsin et defectum, cum se terra inter lunam et solem interjicit, ac radios solis intercipit, ne ad lunam deferantur, eamque illuminent : ita et B. Virgo, et humanitas Christi in passione eclipsin et defectum virium ac vitæ passæ sunt, cum terreni Judæi inter eas et Deum suam malitiam interposuerunt, ac crucem Christo statuerunt. Hinc Christus in cruce exclamavit : «Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?» Hæc summatim, quæ fuse Alcazar, eaque eleganter, ingeniose et mystice potius, quam litteraliter et genuine prosequitur.

Respondeo ergo et dico : Ad litteram dicitur hic luna esse sub pedibus mulieris, id est Ecclesiæ, quia ipsa cuncta temporalia, et omnem creaturarum mutabilitatem despicit, et pedibus calcat, ait S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.*, cap. xii, vel juxta aliam editionem vii.

Rursum, luna semper vel accrescit vel decrescit, et, ut ait Plinius, lib. II, cap. xix : «Modo curvata in cornua, modo æqua portione divisa, modo sinuata in orbem; maculosa, eademque subito prænitens, immensa orbe pleno, ac repente nulla.» Hac de causa luna est symbolum, æque ac causa inconstantiæ : ipsa enim causat æstus et reciprocationes maris, facitque ut mare adeo sit instabile, ut singulis senis horis nunc affluat, nunc refluat. A luna quoque lunatici dicuntur, in quos luna agit, et, ut Apuleius ait, qui cursum lunæ patiuntur : quales sunt potissimum qui comitiali morbo laborant, aut insania, aliove morbi genere quopiam certis lunæ temporibus gravantur et agitantur. Quocirca *Eccli.* xxvii, 12, dicitur : «Homo sanctus in sapientia manet sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur.» Ecclesia autem est constans in fide, doctrina, moribus, persecutionibus, martyriis; hinc lunam pedibus premit. Luna ergo hic non ut fulciens mulierem (quomodo enim fulciret ipsa quæ maxime est vaga, varia, errans et instabilis?), sed ut a muliere calcata proponitur. Hoc enim significat τὸ *et luna sub pedibus ejus*, ideoque soli hic, qui sursum est, ipsa deorsum posita opponitur. Sol ergo in bonam partem, luna vero in malam hic capitur, ac significat res sublunares, variabiles, fluxas, et in perpetuo motu, fluxu et refluxu positas. Agitur enim hic de bello, imo duello Ecclesiæ cum dracone : draconis autem arma sunt terrenæ et sublunares, vel illecebræ, vel plagæ, quas vel promittit, vel comminatur et infligit fidelibus; has omnes cum luna

pedibus calcat Ecclesia, itaque draconem superat et proterit, alioqui ab eo superanda et proterenda.

ET IN CAPITE EJUS CORONA STELLARUM DUODECIM. — Duodecim scilicet Apostolorum, qui Ecclesiæ ut stellæ præfulserunt, idque in capite, id est, initio Ecclesiæ Christianæ : ita Patres et Interpretes passim. Arabicus vertit, *et duodecim stellæ corona super caput ejus.* Notat Viegas hic *sect.* 7, Apostolos duodecim figuratos esse, *primo*, in duodecim Patriarchis et tribubus Israel; *secundo*, in duodecim titulis quos erexit Moses sanciens fœdus inter Deum et populum, *Exod.* XXIV, 4; *tertio*, in duodecim fontibus Elim, *Exod.* XV, 27; *quarto*, in duodecim gemmis quæ erant in Rationali pontificis, *Exod.* XXVIII, 17; *quinto*, in duodecim panibus propositionis, *Levit.* XXIV, 5; *sexto*, in duodecim exploratoribus quos misit Moses in Chanaan, *Numer.* XIII, 3; *septimo*, in duodecim lapidibus, quos in signum Jordanis sicco pede transiti, erexit *Josue* IV, 4; *octavo*, in duodecim bobus æneis, super quos Salomon collocavit mare æneum, lib. III *Reg.* VII, 25; *nono*, in duodecim leunculis thronum Salomonis ambientibus, III *Reg.* X, 20; *decimo*, in duodecim stellis hic, et in duodecim signis Zodiaci.

Tropologice, notat Pannonius duodecim stellas esse Prælatos quoslibet, qui hic admonentur eximiæ sapientiæ et sanctitatis. Nam ipsi sunt corona Christi et Ecclesiæ, ut sicut corona caput redimit et ornat, ita ipsi caput Ecclesiæ, id est Christum, suis eloquiis et moribus exornent.

Porro S. Bernardus, serm. *De B. Virgine*, in hæc *Apocalyps.* verba : « Signum magnum apparuit, » per has duodecim stellas accipit duodecim prærogativas gratiarum, quibus præ ceteris coronatur B. Virgo. « Nam *primo*, ait, singularis fulgor refulget in Mariæ generatione; *secundo*, in Angelica salutatione; *tertio*, in Spiritus superventione; *quarto*, in Filii Dei inenarrabili conceptione; *quinto*, quod virginitatis sit primiceria; *sexto*, quod sine corruptione fœcunda; *septimo*, quod sine gravamine gravida; *octavo*, quod sine dolore puerpera; *nono*, est mansuetudo pudoris; *decimo*, devotio humilitatis; *undecimo*, magnanimitas credulitatis; *duodecimo*, martyrium cordis : » quæ deinde fuse prosequitur.

Ex hoc loco nonnulli viri religiosi et cultus B. Virginis studiosi, conficiunt coronam, sive Rosarium duodecim stellarum, illudque hoc modo recitant. In honorem S. Trinitatis legunt interpolate ter orationem Dominicam, puta ter *Pater noster*; ac in honorem duodecim stellarum, id est, duodecim illustrium virtutum B. Virginis, legunt totidem *Ave Maria*. Ad singula petentes ejus opem, ut illam ea in virtute imitari, in eaque crescere seque perficere possint. *Primum* ergo *Pater noster* recitant in honorem Dei Patris, petentes ab eo hyperduliam, et insignem reverentiam erga B. Virginem, utpote Filii ejus matrem purissimam, virtutibus et gratiis omnibus cumulatissimam, ac Reginam Angelorum et hominum. Deinde recitant quater *Ave Maria* in honorem quatuor virtutum quæ Deum concernunt, quibus excelluit B. Virgo. *Prima* virtus est fides, qua credidit se virginem fore simulque Dei matrem, ac sub cruce firma ac stabilis in fide divinitatis, redemptionis et resurrectionis Christi permansit.

*Secunda* est spes, qua se in conceptione, partu, fuga in Ægyptum, passione et morte Christi, aliisque summis angustiis pressa, totam divinæ providentiæ resignavit et commisit.

*Tertia* est charitas : *primo*, pura et ab omni proprio commodo aliena; *secundo*, fervens, laboriosa et nunquam cessans; *tertio*, fortis et constans juxta crucem; *quarto*, liberalis, seque totam cum filio suo nobis communicans.

*Quarta* est religio erga Deum et Christum, ei serviendo, vestiendo, lactando, etc., ejus verba in corde suo conservando, servando circumcisionem, purificationem aliasque legis et templi cæremonias.

Deinde recitant secundum *Pater noster* ad Filium, qui est spes nostra, postulantes donum spei, ut in omnibus necessitatibus magna fiducia ad B. Virginem, quæ est mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra, recurramus. Mox recitant quater *Ave Maria* in honorem quatuor virtutum B. Virginis, quibus perfecta erat erga seipsam.

*Prima* est humilitas, qua *primo*, salutata ab Angelo, et electa Dei mater, se ejus ancillam vocavit; *secundo*, visitavit Elisabeth, eique servivit; *tertio*, mysterium incarnationis celavit, et laudata laudem in Deum retulit, dicens : « Magnificat anima mea Dominum ; » *quarto*, servivit B. Josepho, et ultimo loco tum in domo, tum inter Apostolos et fideles sedit, ideoque in Actis Apostolorum ultimo loco nominatur.

*Secunda* est virginitas, qua *primo*, prima omnium virginitatem Deo vovit; *secundo*, maximo illam zelo custodivit, dicens : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » *Tertio*, domi manebat; ideoque vocatur hortus conclusus et porta clausa. *Quarto*, impuras aliorum cogitationes solo aspectu pellebat, uti S. Ambrosius, *De Virginibus*, et alii graves auctores testantur. Porro conceptio et partus Christi virginitatem B. Virginis non violavit, sed sacravit, fecitque ut inaudito a sæculis prodigio ipsa simul esset virgo et mater, ideoque mater Dei. Audi B. Chrysologum, *serm.* 148 : « Quæ ibi verecundiæ læsio, ubi init deitas cum amica sibi semper integritate consortium, ubi est interpres Angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, donatio virtus, judex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, virgo mater? »

*Tertia* est fortitudo, quæ eluxit in morte Christi, in qua stabat juxta crucem ; *secundo*, in injuriis Judæorum tolerandis ; *tertio*, in serviendo Filio, omnibusque Christianis adjuvandis.



*Quarta* est paupertas, quæ tanta fuit, ut non esset ei locus in diversorio, sed in stabulum secedere sit coacta, ibique parere Christum orbis dominum.

Denique tertium *Pater noster* recitant in honorem Spiritus Sancti, postulantes ab eo gratum animum erga B. Virginem, cui ut matri Redemptoris, ut mediatrici nostræ apud Deum, ut matri amantissimæ, omnia nostra debemus.

Deinde legunt quater *Ave Maria*, ruminantes quatuor eximias virtutes B. Virginis erga proximum.

*Prima* est charitas fraterna, qua juvit Elisabeth et sponsos in nuptiis Canæ Galilææ, cum vinum non haberent; ac impense desiderat adjuvatque omnium hominum salutem.

*Secunda* est obedientia, qua et Augusto Cæsari Ethnico in pendendo censu, et legi Mosis in purificatione, et Josepho sponso obedivit, ac curavit ut Filii sui præceptis alii obedirent, ut cum in nuptiis ministris dixit : « Quodcumque dixerit vobis, facite. »

*Tertia* est misericordia, qua viscera misericordiæ suæ cuilibet in qualibet afflictione eam invocanti effundit; æque ac Filium suum in redemptionem nostram in cruce, ac in cibum in Eucharistia, nobis misericorditer et liberaliter elargita est.

*Quarta* est modestia, quæ tanta fuit, ut S. Dionysius, epist. *ad S. Paulum*, quam recitat Christophorus a Castro in *Hist. Deiparæ*, XIX, scribat se eam pro dea habiturum fuisse, nisi fides eum aliud docuisset. Hinc in sermone erat parca : verba ejus singula erant præmeditata, pia, pudica, humilia, plena misericordiæ, charitatis et laudis Dei, ut cum concepto Dei Verbo, ac salutata ab Elisabeth mater Dei, respondit : « Magnificat anima mea Dominum. » Denique duodecim hasce stellas pie pulchreque adaptat duodecim mysteriis vitæ B. Virginis P. Antonius Spinellus in suo *Mariali*, pag. 599 et 604.

2. ET IN UTERO HABENS CLAMABAT PARTURIENS, ET CRUCIABATUR UT PARIAT. — Ecclesia in fine mundi ob acerbissimas persecutiones et persecutores magnis doloribus et ærumnis, quasi parturiens, filios, id est fideles, Christo pariet : ita passim Patres et Interpretes. Historice, cruciata quoque est B. Virgo, non dolore partus, sed desiderio pariendi et videndi Christum Salvatorem mundi. Rursum cruciata est paupertate et molestiis itineris, et hospitii et alimoniæ, in quibus se Christum parituram et educaturam prævidebat ac dolebat. *Tertio*, cruciatur etiamnum (unde græce est κράζει, id est *clamat*) ut Christum in aliis pariat, quovis sæculo, ac præsertim in fine mundi : tunc enim instar Rachelis pariet ultimas proles, et quasi Benjaminos Christo. Cruciatur, inquam, in suis instrumentis, puta Apostolis et prædicatoribus, aliisque qui zelo animarum aguntur. In seipsa etiam cruciatur per metalepsin, id est, summe desiderat et allaborat pro partu, vita et salute fidelium, indeque cruciaretur, si cruciatus in eam jam cadere posset : quomodo Deus dicitur dolere, pœnitere, contristari.

Alludit Joannes ad *Isaiæ* LXVI, 7 : « Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit filium masculum. » Et mox : « Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? numquid pariet terra in die una? aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos. » Ubi cum ait : « Antequam parturiret, » non significat partum hunc fuisse sine parturitionis dolore; sed tam dolores, quam partum simul confluxisse, ut simul pareret et parturiret, brevi quidem, sed ingenti nisu et cruciatu.

Tropologice discant hic qui animabus convertendis student, sibi eas magno labore et dolore constitutas, scilicet tanto, imo majore, quam est parientium; sed pro tali tantaque prole fortiter omnia tolerent et superent, ac, si opus sit, pro suis Benjaminis cum Rachele animam et vitam ponant. Ita fecit Paulus; unde ait *Galat.* IV, 19 : « Filioli mei, quos iterum parturio. » Idipsum suis prædixit Christus, *Joann.* XVI, 21 : « Mulier, inquit, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, etc. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, » etc. Quocirca S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. IX et X, explicans illud S. *Job* cap. XXXIX : « Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti? » vere et apposite eos qui animabus convertendis student, comparat cervis et ibicibus parturientibus, quarum partus est difficillimus. Ubi inter alia notat τὸ *observasti* : « Quia, ait, perpaucorum est pensare quis labor sit in prædicationibus patrum; quantis doloribus quasi quibusdam conatibus animas in fide et conversione parturiunt; quam cauta se observatione circumspiciunt, ut sint fortes in præceptis, compatientes in infirmitatibus, minis terribiles, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in rerum temporalium contemptu dominantes, in tolerandis adversitatibus rigidi, et tamen dum vires suas sibimet non tribuunt infirmi; quantus sit eis dolor de cadentibus, quantus sit de stantibus timor, quo fervore alia adipisci appetunt, quo pavore alia adepta conservant. » Ad hosce labores et dolores accedunt vexationes et tentationes, quas dæmon suscitare solet, tum ex ira et invidia, tum ne præda, puta anima peccato subdita, sibi eripiatur. Hasce enim se expertam esse quotiescumque peccatorem aliquem ad meliorem vitam traducebat, fatetur S. Teresia, itaque longo usu se didicisse hoc esse signum fructus pii laboris, puta animæ conversæ, vel convertendæ, si quis eas sentiat : quocirca eas esse contemnendas et fortiter superandas. Si enim fortiter obsistas, dæmon, qui timidissimus est, instar feminæ confusus aufugiet : sin cedas, dæmon in te insurget et sæviet ut leo.

Pulchre S. Gregorius, lib. V *Moral.*, cap. XVI : « Diabolus, ait, est myrmicoleon, id est formicarum leo, vel formicaleo : est enim myrmicoleon parvum valde animal formicis adversum, quod se sub pulvere abscondit, et formicas frumenta gestantes interficit, interfectasque consumit : est ergo aliis animalibus formica, ipsis autem formicis leo. Illas enim quasi leo devorat, sed ab illis quasi formica devoratur : sic diabolus contra erectos est timidus, contra subditos audax. »

Talis mulier parturiens fuit S. Monica, quæ tum alios, tum filium Augustinum tam carne quam spiritu, puta multis precibus, lacrymis et laboribus Deo peperit; de qua S. Augustinus, lib. V *Confess.*, cap. IX : « Non, inquit, satis eloquar quid erga me habebat animi, et quanto majore sollicitudine me parturiebat spiritu, quam carne pepererat. » Unde et ab Episcopo quodam audivit : « Fieri non potest ut filius istarum lacrymarum pereat, » teste eodem Augustino, lib. III *Confess.*, cap. XII. Qui rursum lib. IX, cap. IX, describens mortem ejus : « Nutrierat, inquit, filios, toties eos pariens, quoties abs te deviare cernebat. Postremo nobis, Domine, omnibus qui ante dormitionem ejus in te consociati vivebamus, ita curam gessit, quasi omnes genuisset; ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset. »

3. Et visum est aliud signum in coelo : et ecce draco magnus. — Plinius, lib VIII, cap. XIV, memorat serpentem 120 pedes longum, qui balistis instar urbis fuit oppugnatus et superatus. Additque in India serpentes esse adeo magnos, ut integros tauros et cervos deglutiant.

Nota : Draco hic, id est diabolus, apparuit S. Joanni in cœlo : *primo*, quia inde decidit; *secundo*, proprie, quia in cœlo hoc aereo dominatur, tentatque homines, et a multis in idolis colitur quasi Deus, præsidens cœlo. Unde ab Apostolo, *Ephes.* II, 2, vocatur princeps aeris hujus; et cap. VI, vers. 12, ait nobis esse colluctationem « contra spiritualia nequitiæ, » id est contra spiritales nebulones, puta dæmones, qui sunt « in cœlestibus. » Sic et mulier hæc, id est Ecclesia militans, visa est in cœlo aereo, non sidereo, ut dixi vers. 1. *Tertio*, quia Ecclesiam, cujus conversatio est in cœlis, ejusque fideles, qui sunt instar stellarum puri et lucidi, oppugnat et persequitur. Addit *quarto* Alcazar, symbolice per cœlum significari arrogantiam ac fiduciam dæmonis, qua certa quadam spe devoraverat Ecclesiam primitivam utpote exiguam, et cui se tum Judæi quam Gentes, ac totus quasi mundus opponebat. Sperabat enim se illam, quæ moribus cœlestis est, et in cœlo quasi degit, gradu et loco suo deturbaturum, eumque occupaturum. Idem sperabit in fine mundi. Sic de eodem sub typo regis Babylonis dicitur *Isaiæ* XIV, 13 : « In cœlum conscendam; » et de Antiocho rege superbo, ejusque regno dicitur *Daniel.* VIII, 10 : « Magnificatum est usque ad fortitudinem cœli; » et II *Machab.* IX, 10 : « Sidera cœli contingere se arbitrabatur; » et I *Machab.* I, 4, de Alexandro Magno, dicitur : « Exaltatum est et elevatum cor ejus, » scilicet supra terram, supra homines, in cœlum usque.

Nota *secundo* : Dæmon vocatur serpens, vel draco (draco enim idem est quod serpens grandior et sævior; unde vulgo dicitur : « Serpens non fit draco, nisi serpentem devoret »), tum quia primitus Evam serpentis specie decepit, indeque perennes inter eum et mulierem ejusque sobolem conflatæ sunt inimicitiæ et bella, *Genes.* III : unde inferius vocatur serpens antiquus; tum quia dolos, sævitiam et horrorem serpentis ac draconis imitatur. Vide dicta *Daniel.* cap. XIV, vers. 22.

Nota *tertio* : Licet Alcazar per draconem accipiat totam dæmonum rempublicam, eo quod dicatur habere capita septem et cornua decem, tamen verius est per draconem solum intelligi Luciferum dæmonum principem. Patet id *primo*, quia opponitur Michaeli, quasi dux duci; *secundo*, quia cæteri vocantur angeli ejus; nam, vers. 9, dicitur : « Projectus est draco ille magnus, etc., et angeli ejus cum illo missi sunt; » *tertio*, quia, vers. 4, dicitur cauda sua traxisse tertiam partem stellarum, id est Angelorum, qui facti sunt dæmones.

Denique Aureolus ordine prosequens suam seriem temporum, et chronica Ecclesiæ, per draconem intelligit Chosroen, regem Persarum; per mulierem, Ecclesiam; per filium masculum, Heraclium Imperatorem, qui ope Dei et Angelorum Chosroen profligavit, et Christi crucem ab eo ablatam recepit. Hic sensus est accomodatitius, non genuinus et litteralis.

Rufus, — quia est homicida, *Joann.* VIII, 44; nam Adamo et Evæ, omnibusque ejus posteris sua per pomum vetitum tentatione, fuit causa mortis; *secundo*, quia per suos ministros, puta infideles et hæreticos, multos fideles affecit martyrio, ac plures eodem afficiet per Antichristum in fine mundi; *tertio*, color rufus, inquiunt Viegas et Alcazar, significat fraudem et malitiam : quid enim dæmone fraudulentius aut malitiosius? *quarto*, Alcazar, pro *rufus*, inquit, græce est πυῤῥός. Scitum est autem serpentem inveniri rufo colore, qui græce πυῤῥίας dicitur, estque cæteris callidior et exitialior; ac fortasse rufus idem est quod ignitus, quasi πυῤῥός dicatur a πῦρ, id est *igne*, ut alludat ad ignitos serpentes, qui immissi sunt in Judæos murmurantes, *Num.* XXI, 6. Porro visos subinde esse dracones qui ignes vomerent, narrant historici. Leslæus in sua Scotia, anno 1538, refert apud Marchiam et Laudoviam draconem quemdam ignes vomuisse, quibus segetes et fruges incendebat, ac proinde populum coactum fuisse pervigilare, ut ignes hosce extinguerent. Addit Alcazar, sicut in libro Job dæmon habet tria nomina, scilicet Satan, cap. II, vers. 1, Leviathan, cap. XL, vers. 20, et Behemoth, cap. XL, vers. 10. Ita hic totidem ei dari. Nam nomini Satan respondet nomen draco; nomine Leviathan, id est balænæ vel ceti, respondet bestia maris, cap. XIII, vers. 1; bestia terræ, cap. XIII, vers. 11, est Behemoth, id est elephas. Verum de bestiis hisce dicam cap. XIII. Audi ex Patribus draconis hujus indolem, sævitiam, fraudes, artes et arma.



B. Isidorus, lib. I *De Summo Bono* : « Dæmones, ait, triplici acumine præscientiæ vigent, scilicet subtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione superiorum potestatum. Quanto propinquius finem mundi diabolus videt, tanto crudelius persecutiones exercet, ut qui se continuo damnandum conspicit, socios sibi multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicatur. » S. Cyprianus, tract. 3 *De Prælat. simplic.* : « Diabolus, ait, dictus est serpens, quia cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit (unde nomen serpentis accepit), ea est ejus astutia, ea circumveniendi homines cæca et latebrosa fallacia, ut asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi : ut, dum verisimilia mentitur, veritatem subtilitate frustretur. Nam transfigurat se in Angelum lucis. »

S. Basilius in aliquot Scripturæ locos comparat diabolum pardali, quæ capitalis est hominis hostis : unde venatores, ut feram deludant, hominis imaginem ex charta ei ostendunt; illa statim furibunda eam concerpit et dilacerat. Sic et diabolus imaginem Dei in homine apparentem insectatur, quando Deum ipsum attingere nequit. Hinc et esca ejus electa est, uti ex Job docet S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.*, cap. II.

S. Martinus apud Sulpitium videns mergulos in flumine pisces capientes et vorantes : « Hæc, ait, forma dæmonum est. Insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturari non queunt devoratis. »

S. Gregorius, lib. XXXIII *Mor.*, cap. XIV : Diabolus, ait, dicitur jumentum, draco et avis. Humanum genus tribus vitiis tentat, luxuria, malitia et superbia. In eis igitur quos excitat ad luxuriam, jumentum est; in eis quos ad nocendi malitiam inflammat, draco est; in eis quos ad superbiam elevat, avis est; in illis quos pariter luxuria, malitia et superbia polluit, jumentum, draco simul et avis existit.

S. Augustinus in *Serm. commun.*, serm. 4 : « Quid pravius, quid malignius, quid adversario nostro nequius? qui posuit in cœlo bellum, in paradiso fraudem, odium inter primos fratres, et in omni opere nostro zizania seminavit. Nam in comestione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in conversatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in præsulatu sive dominatione superbiam, in corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in membris operationes iniquas; in vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad somnia turpia. Lætos movet ad dissolutionem, tristes autem ad desperationem. Sed ut brevius loquar, omnia mala mundi sua sunt pravitate commissa. »

S. Chrysostomus, homil. 4 *in Isaiam* : Sicut navigia vacua non metuunt piratas, sed onusta auro, argento et lapidibus pretiosis : sic et diabolus non facile persequitur peccatorem, sed justum potius, ubi multæ sunt opes, id est virtutes et merita.

S. Salvianus, lib. VI *De Provident.* : « Sicut, ait, exercitus pugnaturi ea loca per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foveis intercludere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur; scilicet ut etiamsi non in ea omnia quispiam incidat, nullus tamen omnia penitus evadat : ita etiam dæmones tam multas in via ista humano generi illecebrarum insidias prætendunt, ut etiamsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur. »

S. Anselmus in *Similitud.*, cap LXXX, comparat diabolum injusto litigatori, qui cum causa ei abjudicatur a Juris-consulto vel judice, post aliquod tempus, cum judicium hoc oblivione sepultum putat, rursus litem suscitat, dicens priorem sententiam fuisse injustam. Ita et dæmon ubi victus est, rursus easdem illecebras suggerit, et tentat hominis animum, quem scit esse mobilem et inconstantem. Remedium suggerit. Sed ille, ait, qui semel mundum, ipsumque diabolum recte superavit, non curat ea quæ fraudulenter ille dicit; sed firmum tenet, quidquid semel recte est stabilitum, non esse denuo destruendum; et quod recte definivit relinquendum, non esse iterum appetendum. Sic enim facile Deo subveniente diabolum poterit superare. »

Habens capita septem, et cornua decem : et in capitibus ejus diademata septem. — Solum caput primarium draconis habebat cornua decem; reliqua vero tantum habebant suum diadema, quod etiam habebat caput primarium. Hinc Alcazar opinatur draconem hunc in visione ostensum Joanni fuisse hydram : hæc enim multorum fuisse capitum a Poetis dicitur, aut potius fingitur. Rursum hydra est invidiæ symbolum, uti docet Pierius, *Hierogl.* 16. Jam quoad sensum, Alcazar per septem capita accipit septem nefarios spiritus, quos sancti Patres dæmoni adscribunt, scilicet spiritus superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, iræ, gulæ, invidiæ et acediæ. Ac licet Scriptura capita hæc non describat, suspicari tamen licet fuisse ea horum septem animalium, scilicet leonis, tigridis, ursi, viperæ, lupi, serpentis et asini. Dæmon enim dum tentat, nunc caput et vultum superbi leonis nobis ostendit, nunc serpentis invidi, nunc viperæ iratæ, nunc asini ignavi, nunc lupi gulosi, nunc tigridis avaræ, nunc ursi luxuriosi, de quo Plinius,

Ito VII, XXXVI. Unde Ecclesia hæc septem vitia capitalia ab hisce draconis capitibus, ut videtur, appellavit; quia ad ea quasi ad capita cætera reducuntur, ut docet S. Gregorius, XXXI *Moral.*, XXXI, et Cassianus, *Collat.* V, cap. II. Porro per decem cornua denotatur dæmonum tum multitudo, tum etiam singulorum vis et potentia, ut significetur bellum quod adversus Ecclesiam et Christianos gesserunt, gerunt et gerent, acerrimum esse, æque ac periculosissimum. Sic *Danielis* VII, 7, quarta bestia significans Romanum imperium, decem habet cornua, quæ significant Romanorum polyarchiam, scilicet Senatores numero multos et potentia validos : hi enim regebant olim Romam et Romanum Imperium, iique soli ante Julium Cæsarem, post eum vero una cum Imperatore. Erat enim Senatus gravissima principum concio, quæ Imperatorem et Imperium numero, virtute et consilio fulciebat, ita ut, moriente Imperatore, ipsa non moreretur, sed jugiter permaneret. Verum hæc mystica sunt potius quam litteralia. Unde Haymo et alii passim, mystice per septem hæc capita accipiunt septem vitia capitalia. Rursum Richardus per decem cornua accipit sæcularem potestatem, puta reges omnes qui Decalogum, Deique legem et cultum impugnant.

Ad litteram ergo decem cornua draconis, id est Luciferi, sunt decem reges (cornu enim symbolum est roboris et regni, uti ostendi *Daniel.* VII) qui dominabuntur in orbe quando veniet Antichristus, e quibus tres occidet Antichristus; unde reliqui septem timore perculsi, sponte ipsi se subdent, et cum eo quasi dæmonis instrumento, Christianos et Ecclesiam pessumdare et evertere conabuntur. Id ita esse patet ex *Daniel.* VII, 24, et cap. XI. Vide ibi dicta. Similiter septem capita sunt septem alii reges, e quibus unus, isque præcipuus erit Antichristus : sex reliqui erunt illius præcursores, illumque alii per plura, alii per pauciora sæcula anteibunt; ita enim se explicabit *Joan.* XVII, 9 et 12, ubi explicabo quinam sint hi reges. Quocirca solum præcipuum draconis caput habebat decem cornua, id est, decem reges sibi subditos; reliqua vero ejus capita lateralia et minora carebant hisce cornibus, et solum singula habebant diademata, ut recte advertit Alcazar, et in imagine mulieris et draconis expressit pag. 614, quia solus Antichristus subjiciet sibi decem mundi reges, non cæteri sex. Symbolice Petrus Galatinus hic censet per septem draconis capita significari septem Ecclesiæ persecutiones, sibi invicem ex ordine successuras, quas ipse enarrat.

Vers. 4 4. ET CAUDA EJUS TRAHEBAT TERTIAM PARTEM STELLARUM, ET MISIT EAS IN TERRAM, — id est, dæmon occidit multos ex Apostolis, primisque fidelibus et Evangelii præconibus, inquit Alcazar. Pro *trahebat* enim græce est οὐρεῖν, quod significat caudæ ictibus et voluminibus devolvere, indeque mittere in teram, ut casu elidentur et occidantur. Sic enim de bestia maris dicitur cap. seq., vers. 7 : « Datum est illi bellum facere cum sanctis, et vincere eos. »

Verum dico cum S. Gregorio, lib. XXXII *Moral.*, cap. XIV, Ribera et aliis, sicut præcipuum hujus draconis caput, ita et cauda illi respondens repræsentat Antichristum. Ipse enim est caput draconis, quia diaboli primarius erit dux, princepsque omnium tyrannorum et impiorum. Idem est cauda, quia ipse erit extrema draconis, id est corporis diaboli, pars. Hic trahet post se in suam perfidiam tertiam partem stellarum, id est illustrium Sanctorum, qui quasi duces, vel doctores, vel cæteris eminentes, instar stellarum aliis prælucebant. Nam ex plebe multo plures trahet et pervertet. « Stellas de cœlo cadere, ait S. Gregorius, est nonnullos, relicta spe cœlestium, illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare. » Sic de Antiocho Epiphane dicitur *Daniel.* VIII, 10 : « Dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas; » ubi stellas vocat Judæos doctrina, pietate, vel genere illustres, quos Antiochus suis minis ad apostasiam et idololatriam inflexit : ita S. Hieronymus, Theodoretus et alii ibidem.

Alludit ad primum Luciferi superbiæ peccatum, ut docet Victorinus, quo ipse rebellans Deo, sua cauda, id est post se, suadendo et sollicitando traxit tertiam partem stellarum, id est angelorum. Unde ex hoc loco et nonnullis similibus, multi moderni Doctores Scholastici, inter quos est Franciscus Suarez, III part., tom. II, disp. 31, sect. 4, § *Ex his ergo*, probabiliter opinantur Luciferi et Lucifer voluit esse Deus quomodo? asseclarum ejus ambitionem in eo sitam fuisse, quod accepta a Deo revelatione de futura unione hypostatica Verbi cum humana natura, humanæ naturæ hanc dignitatem inviderit; videbat enim eam sibi et angelis præponi. Quocirca illam sibi appetiit, itaque voluit fieri Deus non per essentiam (hoc enim sciebat esse impossibile, et implicare contradictionem), sed per unionem hypostaticam. Idcirco enim insecutus est puerum masculum quem peperit mulier, puta Christum, ob eumque in cœlo cum Michaele dimicavit, uti hic dicitur, volens eum neci tradere, quia invidit ei hanc unionem. Omne enim ejus bellum est contra puerum hunc, adeoque duellum quod cum eo inchoavit in cœlo, illud ipsum continuat jugiter in terra.

Porro quod in hac allusione (alius enim est An tertia pars angelorum ceciderit? sensus litteralis primario intentus, uti jam dixi) dicitur Lucifer traxisse post se tertiam partem stellarum, id est angelorum, non arithmetice, sed vulgariter accipiendum est, scilicet tertiam, id est magnam partem. Nam non videtur præcise traxisse tertiam; inde enim sequeretur plures esse homines quam sint angeli et dæmones simul juncti. Id sequi patet, quia soli homines beandi, puta electi, supplent hanc tertiam partem angelorum lapsorum, eorumque ruinas adimplent. Jam vero homines beandi non sunt tertia pars, imo nec de-



cima omnium hominum. Nam longe plures homines damnantur quam salventur, nimirum ex decem vix unus, imo si credimus S. Chrysostomum ex centum vix unus salvatur. Ergo homines beandi vix sunt decima, et secundum Chrysostomum vix centesima pars hominum. Quocirca si homines beandi explent numerum tertiæ partis angelorum quæ lapsa est, damnandi non tantum duas reliquas angelorum partes, quæ persliterunt, explebunt, sed et insuper septem, et secundum S. Chrysostomum 97 alias tantas. Hoc autem non videtur verum. Nam S. Dionysius, lib. *de Cœlesti Hierarch.*, docet angelos maximo esse numero et quasi innumerabiles, ac superare numerum rerum corporearum : ergo et hominum. Aut ergo dicendum est tertiam partem angelorum præcise non cecidisse; aut si præcise tertia cecidit, in eam non tot præcise succedere homines beandos, quot ceciderunt angeli; quod posterius valde verisimile est. Cum enim dicitur homines succedere in locum angelorum lapsorum, ut eorum ruinas sarciant, hoc generice et indefinite, non singulariter et definite intelligendum est, nimirum quod cœtus electorum ex hominibus succedet in cœtum angelorum lapsorum, etsi ille hoc sit minor, eumque numero non adæquet : non autem quod singuli homines singulis angelis succedant, ac consequenter tot sint homines salvandi, quot angeli labentes facti sunt dæmones. Hoc ita esse liquido constabit legenti ea quæ dixi *Apocal.* III, 11, ad illa verba : « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. » Sicut enim homines hominibus, ita et angelis labentibus sufficiuntur, sed fine secundario. Primario enim Deus omnes homines, æque ac angelos, ad suum finem, scilicet salutem et vitam æternam, creavit, destinavit et vocavit; ac creasset, destinasset et vocasset, etiamsi nulli angeli cecidissent : primario enim voluit Deus condere hoc universum, ejusque incolas, scilicet angelos et homines, non propter aliud, sed propter se; imo universum hoc voluit condere propter homines : hominem enim decrevit et statuit finem et scopum universi; ac consequenter cœlum empyreum creavit, ut esset locus corporeus beatitudinis et gloriæ hominum, qui corpore æque ac anima constant. Angeli enim, cum sint incorporei, loco corporeo non indigent.

Tropologice, Origenes, tract. 30 *in Matth.* : « Fidelis, inquit, qui debet audire : Post Dominum Deum tuum ibis, et : Venite post me; et ad hæc quidem obstruit aures suas, peccatum autem sequitur, trahitur a cauda draconis, vadens post eum. Si autem contigerit eum qui sic vixit, ut audiat : Vos estis lux mundi, et aliquando splenduerint opera ejus bona, hic aliquando constitutus stella, et in cœlo habens conversationem, si avulsus fuerit a dracone in terram, hic erit stella a cauda draconis tracta, et missa in terram. »

ET DRACO STETIT ANTE MULIEREM QUÆ ERAT PARITURA, UT, CUM PEPERISSET, FILIUM EJUS DEVORARET. — Narrat Plinius, lib. VIII, cap. XIV, sub Claudio imperatore Romæ in Vaticano occisum fuisse serpentem ex illis quæ Boæ vocantur, et in ejus alvo inventum fuisse solidum infantem. Unde et Hercules, qui natus dicitur ad teterrima monstra quæ orbem infestabant debellanda, dicitur vel fingitur, dum adhuc infans in cunis ageret, a duobus serpentibus fuisse invasus, qui eum devorare satagebant. Ita Herodes infanticida, ad quem hic alluditur, qui Christum puerum voluit pariter enecare, recte vocatur draco; imo, ut ait Arias Montanus in *Apparatu*, Herodes Syriace idem est quod *draco ignitus* : Herodes enim conflatur ex ירוד *ierud*, id est *draco*, et אש *es*, id est *ignis*. Porro quis sit hic partus et filius jam dicam.

5. ET PEPERIT FILIUM MASCULUM. — Primo, quia Vers. 5. secundum allusionem historicam B. Virgo, et per consequens Ecclesia vetus genuit Christum, qui masculus est, uti sexu, ita et fortitudine, qui dominus est et rector omnium gentium. Huic enim Filius masculus quis? dictum est *Psal.* II : « Reges eos in virga ferrea. » Hinc etiam draco eum voluit devorare per Herodem : ita Barradius, lib. X, cap. XII, ubi docet hunc esse proprium hujus loci sensum; sed verius est esse allusivum : ita Aretas et alii.

*Secundo* proprie et genuine, filius masculus est populus fidelis et sanctus, quem Christo parit Ecclesia. Alludit enim ad *Isaiæ* LXVI, vers. 7, ubi dicitur mulier, id est Ecclesia, parere filium masculum, id est populum Christianum. Simili modo populus Israel vocatur filius, isque primogenitus Dei, ut *Oseæ* cap. XI, vers. 1 : « Puer Israel, et dilexi eum; et ex Ægypto vocavi filium meum. » Sensus ergo est, *q. d.* Ecclesia parit, et maxime in fine mundi (de eo enim hic proprie agitur) pariet Christo masculos, id est fideles et sanctos, qui masculo, forti et invicto sint animo, ideoque martyrium obibunt sub Antichristo. Aut quod eodem redit, *q. d.* Ecclesia parit, et pariet in fine mundi Christum in animis firmiter credentium et fortiter amantium Deum. Nam quod sequitur : « Et reges Gentes in virga ferrea, » soli Christo proprie et perfecte competit, participative tamen competit etiam aliis Sanctis, uti dixit S. Joannes cap. II, 27. Unus ergo masculus est, ait Ambrosius, quem peperit B. Virgo, quemque Ecclesia parit : quia Christus cum omnibus suis membris, puta fidelibus, unum est corpus, et quasi una persona, uti ait Apostolus I *Cor.* XII, vers. 12 et 27. Vide ibi dicta : ita et Richardus, Primasius et alii hic.

Nota : Fideles ut sint Christo chari et genuini ejus filii, debent esse masculi, ut fortiter suis cupiditatibus imperent, et constanter adversa quævis sustineant. Nam feminæ, id est voluptuarii, molles, timidi et inconstantes, quasi spurii ab eo rejiciuntur. Vide dicta *Exodi* I, 16, et *Num.* cap. XXXVI, vers. 2 et 11. In masculis ergo fidelibus



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

perstat Christi, quasi parentis, nomen et gloria. Masculus enim hebr. dicitur זכר *sachar* a *secher*, id est memoria, quod in eo patris post mortem nomen et memoria perduret, juxta illud *Eccli.* cap. XXX, vers. 4 : « Mortuus est pater, et quasi non est mortuus : similem enim reliquit sibi post se. » Vice versa feminæ hebr. vocantur נשים *nasim*, a נשה *nasa*, id est oblitus est, eo quod in feminis patris nomen dispereat, et memoria oblivioni tradatur.

Alcazar more suo refert hæc ad Ecclesiam primitivam : unde per filium masculum accipit Romanam Ecclesiam, *q. d.* Primitiva Ecclesia peperit et fundavit Romanam Ecclesiam, antequam a Judæis ad desertum gentilitatis evolaret. Romano enim Pontifici data est a Christo virga ferrea, qua regat omnes Gentes Christianismo subditas.

ET RAPTUS EST FILIUS EJUS AD DEUM, ET AD THRONUM EJUS. — Perstringit ascensionem Christi in cœlum ; sed ad litteram, uti dixi, significat Christianos, *q. d.* Christiani qui in fine mundi erunt sancti, fortes et electi Dei, rapientur per mortem, vel per martyrium, in cœlum, ut Deo fruantur, itaque evadant os et manus draconis. Ita Ambrosius et Ribera. Alludit ad raptum pueri Joas, quem Josaba amita surripuit, ne cum aliis filiis regiis interficeretur ab Athalia, eumque abscondit in domo Domini, id est in atrio templi, uti dicitur IV *Regum* XI, 2. Ubi nota. Apte Joas hebr. significat *Dei ignem*, *q. d.* Volebat Athalia extinguere ignem, id est lucernam, Davidis, ne quis ex ejus posteris regnaret : ita et volet draco extinguere lucernam Christi, sed servabitur in domo Domini sub alis et protectione Dei ; nam, ut dicitur *Psal.* XC : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. » Sicut ergo Deus in templo servat lucernam suam in candelabro ardentem, ita servabit et Joas, quasi scintillam lucernæ Davidis et suæ, ac multo magis servabit scintillas, id est fideles, in fine mundi, nec permittet extingui lucernam, id est fidem, religionem et cultum Christi sui.

Vers. 6. 6. ET MULIER FUGIT IN SOLITUDINEM, — *q. d.* Cum puer masculus, id est heroes illi fortes per martyrium rapientur ad thronum Dei, tunc mulier, id est populus fidelis, puta cæteri Christiani et Sancti infirmiores tempore Antichristi, fugient ad deserta et latibula ; eo scilicet tempore, quo Elias et Henoch, eorumque asseclæ generosi, palam et intrepide cum Antichristo cominus decertabunt. Est autem hic histerologia, sive occupatio et anticipatio. Nam hæc fuga continget post dejectum draconem, uti enarratur vers. 14. Nota : Alludit ad fugam B. Virginis et Christi in Ægyptum. Rursum ad fugam Christianorum in solitudines et speluncas tempore Decii (uti sub eo fugit S. Paulus primus Eremita, teste S. Hieronymo) et aliorum persecutorum.

Sic Poetæ narrant, aut potius fingunt, Latonam filium Jovi parituram, a Pythone serpente acrem insectationem passam, fugisse in Delon insulam, ibique Apollinem et Dianam uno partu esse enixam.

Mystice, solitudo est solitaria quies a rebus terrenis, et contemplatio rerum divinarum et cœlestium gaudiorum, in quam quasi in asylum, a tumultu et persecutione mundi confugiendum est, inquit Primasius. Eo confugit David *Psalm.* LIV : 7 : « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam ? Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine ; » et Job cap. XXIX, vers. 18 : « In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies ; » et Sponsa *Cantic.* III, 1 : « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea ; » quod explicans S. Gregorius, VIII *Moral.*, XVII : « In lectulo, inquit, et per noctem dilectus quæritur, quia invisibilis conditoris species, repressa omni corporeæ visionis imagine, in cubili cordis invenitur. » Unde *Psalm.* CXLIX, dicitur : « Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis ; quia scilicet cum mala ab exterioribus fugiunt, securi intra mentium secreta gloriantur : » et Isaias cap. XXX, vers. 15 : « In silentio et in spe erit fortitudo vestra ; » et Jeremias, *Thren.* cap. III, vers. 28 : « Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se. » Et S. Ambrosius, lib. III *Offic.*, I : « Non primus, inquit, Scipio scivit solus non esse cum solus esset : scivit ante ipsum Moyses, qui cum taceret, clamabat ; cum otiosus staret, prælizbatur. Adeo otiosus, ut manus ejus alii sustinerent : nec minus quam cæteri negotiosus, qui otiosis manibus expugnabat hostem, quem non poterant vincere qui dimicabant. Cujus autem majora negotia quam hujus otia, qui quadraginta diebus positus in monte, totam legem complexus est ? Quando ergo justus solus est, qui cum Deo semper est ? quando solitarius est, qui nunquam separatur a Christo ? » Et Ansbertus hic : « Solitudo, ait, ad quam mulier fugiens, locum a Deo præparatum invenit, est quies mentis, quæ inordinatos motus desideriorum a secreto cordis ejiciens, solatium in Deo invenit. Sancti etenim viri, quia alibi draconis insidias evadere non possunt, seipsos desertum quietis faciunt, ut habeant quo salubriter fugere possint. Prius quippe terrenorum desideriorum motus manu considerationis a corde rejiciunt, et postmodum quietis locum in ipsa solitudine quo latere possint, inveniunt. Quia enim transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt, et quia nulla hujus mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. Ad hunc refugii locum avolare concupiverat Psalmista, cum diceret : Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. A frequentia quippe terrenorum desideriorum fugiens, ad magnam videlicet solitudinem (puta ad) semetipsum, ubi nil extraneum conspiceret, quo incompetens

[illegible]



sibi umaret, a tumultu rerum corporalium magnum quoddam secretum petierat, quietam mentem, in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inveniret. »

Denique Cælius Pannonius uberius et magis particulatim eamdem ita pertractat : « Mens, ait, a mundi tumultibus segregata jure solitudo est, quæ nihil in mundo concupiscit, anhelat autem ad sola cœlestia, sicut scriptum est : Sedebit solitarius, et tacebit, et levabit se supra se, *Thren.* III. Et in psalmis mysticis loquitur vir spiritualis : Ecce elongavi, id est, longe me feci a concupiscibilibus mundi fugiens, et mansi in solitudine ; subditque : Exspectabam eum qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate, *Psal.* LIV. In quibus verbis propheta David dat intelligi, quo secedendum sit de hujus mundi turbine, et quid agendum postea. *Primo* ergo secedendum longe, nec in confinio subsistendum. Non enim licet viro justo usquam ulla in regione circa peccatrices urbes immorari ; sed properare in montem, nisi malit perire. *Secundo*, ut non cunctanter, non timide, non pigre, non quasi recusanter, sed strenue, atque (ut ita dixerim) gladiatorie, sed festinanter. Piger vult, et non vult. Non oscitantibus contingit regnum cœlorum, sed plane vim facientibus ; et violenti rapiunt illud, quo festinantem non charorum affectus retardet, non revocent illecebræ mundi, non remorentur curæ domesticæ. Incidenda est semel sæcularium negotiorum catena, quandoquidem aliter ab hac explicari homo non potest. Clamat Propheta, ut fugiamus de medio Babylonis : exitus de Ægypto fuga vocatur. Et mulier hæc fugisse in solitudinem memoratur, non sensim emigrasse. At videas plerosque comperendinantes, et consiliis nimium lentis fugam vitiorum molientes. Ubi his me curis, inquiunt, extricavero. Ubi illud atque illud negotii perfecero. Nescientes hac in re utilissimam præcipitationem. Negotium ex negotio seritur, vitium vitio invitatur. Non reputa quid aut quantum relinquas, certus esto unum Christum tibi pro omnibus satis futurum. Aude modo te illi toto pectore committere ; aude omnem tui curam illi credere : excipiet te, te enutriet. Dominus regit me, inquit Propheta, et nihil mihi deerit. *Tertio*, ut certo proposito mundum relinquas, ut non ultra relabare, neque respice. Sic deserenda est Ægyptus, ne quando redeas animo ad ollas carnium. Non est fas respicere. Respexit mulier, et versa est in statuam salis. Ne velis teipsum duobus partiri, mundo et Christo. Non potes duobus dominis servire. Nulla societas Deo cum execrabili Belial. Non fert eos, qui in duas partes claudicant genu utroque. Evomit eos, qui neque frigidi sunt, neque calidi, sed tepidi. Nimis zelotypus est amator animarum Deus. Solus ac totam possidere vult. Non patitur consortium diaboli, quem semel morte sua devicit. Duæ tantum viæ sunt : altera, quæ per obsequium affectuum ducit in exitium ; altera, quæ per carnis mortificationem ducit ad vitam. Quid dubitas ? tertia nulla : harum alteram, velis nolis, adeas oportet. Sed arcta hæc, si servari velis, tibi potius adeunda, quam Christus et ipse calcavit. »

Subdit deinde quatuor, quæ in hac solitudine observanda sunt, dicens : « Jam vero quid in solitudine agendum sit explicat Propheta, dicens : Sedebit solitarius, et tacebit, et levabit se supra se. Et David : Exspectabam eum, qui salvum me fecit, etc., ubi quatuor docentur : *primum*, quod solitarius sit, hoc est liber a cupiditatibus mundi, cum propriæ et ejusdem noxiæ voluntatis abnegatione. Etenim nihil concupiscere in hoc mundo, fida et tranquilla mentis solitudo est, in qua habet Ecclesia locum a Deo præparatum ; *secundum*, æternum ejus propositum : in quo quisquis habitat, in adjutorio Dei altissimi habitat, et in protectione ejus commorabitur. Hinc confestim taciturnitas docetur, juxta quod scriptum est : In silentio, et in spe erit fortitudo vestra, *Isaiæ* XXX. Silentium autem animi est quies a strepitu vanarum et superfluarum cogitationum : in qua quisquis fuerit positus, in id quod sequitur vires assumet ; *tertium*, ut per contemplationem se elevet in Deum, magna ejusdem miracula considerando, quod sit bonus, quod misericors, justus et sanctus ; *quartum* sequitur ad hæc, videlicet exspectatio quædam Dei majestatis, quod solus salvat a pusillanimi spiritu, ac tentationum procella : hunc talem locum paravit Deus et parat suis fidelibus, qui ad se confugientibus quietem spondet et refectionem, dicens : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, *Matth.* XI. » Hæc Cælius, imo Cœlicus.

UT IBI PASCANT EAM (Episcopi scilicet, Pastores, Religiosi, aliique verbi Dei ministri submissi ab Elia et Henoch, pascent et confortabunt fideles in desertis profugos) DIEBUS MILLE DUCENTIS SEXAGINTA ; — tot enim diebus prædicabunt Elias et Henoch, uti dictum est vers. 3.

7. ET FACTUM EST PRÆLIUM MAGNUM IN CŒLO (in Vers. 7.
aere, puta in Ecclesia hic cum aereis potestatibus confligente et militante, ac per vitam cœlestem tendente in cœlum) : MICHAEL ET ANGELI EJUS PRÆLIABANTUR CUM DRACONE.

Alcazar per Michaelem accipit Christum ; per angelos ejus, Apostolos et prædicatores, qui draconem, id est diabolum ejusque cultum et idololatriam, ex Gentilitate ejecerunt. Michael enim hebr. significat *quis ut Deus ?* Ita Christus fuit humillimus et gloriæ Dei studiosissimus. Unde ait : « Ego non quæro gloriam meam. » Hinc rursum ait *Joan.* cap. XII, vers. 31 : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Sciant ergo prædicatores se habere societatem cum angelis, ac ab eis mire adjuvari, imo se in terris esse angelos. Ex adverso draco et angeli ejus sunt Nero, Simon Magus, Apollonius Thyanæus aliique tyranni

infideles et impii, per quos dæmon pugnavit et oppugnavit Christum et Ecclesiam. Sed uti olim per Michaelem cœlo empyreo, ita nunc per Christum cœlo terreno, id est Ecclesia, ejectus est, ac totius terræ et mundi possessione privatus. Nam de cœlo dejici idem est quod causa cadere, et conceptam animo fiduciam de Christo et Ecclesia supplantandis, deponere et abjicere.

Rursum, sicut Mathathias vocatur Michael, *Daniel.* XII, 1, quia se Antiocho Epiphani opposuit, æque ac Michael Lucifero : ita hic, licet primario nomen Michaelis tribuatur Christo, secundario tamen tribuitur S. Petro : hic enim se opposuit Simoni Mago, ac vexillum Christi contra draconem, ejusque cultum et idololatriam Romæ in Imperii metropoli erexit. Angeli Petri sunt prædicatores, Episcopi et Religiosi, qui infidelitatem, hæreses cæteraque draconis semina toto orbe evellunt. Hi enim dicunt cum Paulo : « Nos autem prædicamus Jesum Christum, et hunc crucifixum, » I *Cor.* cap. I, 23. Ita ipse *notat.* 6, apte ad sua principia; at non ad acoluthiam novissimorum temporum, quam hic pertexit Joannes, juxta quam

Dico historice hic alludi ad prælium Luciferi cum suis, gestum cum Michaele ejusque asseclis in cœlo : illud enim hic clarissime perstringitur. Tunc enim Lucifer cum suis cœlo dejectus, ex angelo factus est diabolus. Unde Rupertus notat hic innui illam Michaelis et angelorum contra Luciferum pugnam fortiter initam, et illam victoriam feliciter partam, non tam angelicæ virtuti, quam divinæ illius sanctissimi partus potestati tribuendam. Unde et David non de angelo, sed de ipso Deo : « Tu, inquit, confregisti capita draconis, » *Psal.* LXXIII, vers. 14. Imo et ipsi angeli victores ac triumphatores : « Nunc, inquiunt, facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus. » Sed per hoc prælium symbolice significatur bellum, quod Lucifer in dies gerit contra fideles in Ecclesia, eorumque tutelares angelos; prophetice vero et genuine ad litteram, significatur prælium quod ipse geret acerrimum et ultimum in fine mundi contra Sanctos. Hoc enim proprie hic intenditur. Est enim hic continua prophetia de fine mundi : ita Beda, Haymo, Aretas, Viegas, Ribera hic, et S. Gregorius, homil. 34 *in Evang.* et XXXII *Moral.*, XII : « Stellas, ait, de cœlo cadere, est relicta nonnullos spe cœlestium, illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare. » Idque ita esse patet *Daniel.* XII, 1. Tunc ergo præliabitur Michael cum suis angelis contra Luciferum ejusque dæmones, adjuvando, confortando et animando Christianos fortiores et constantiores, ut se cum Elia et Henoch aperte et generose opponant Antichristo, cum quo et pro quo pugnabit Lucifer per blandiloquentiam, astutiam, fraudes, ficta miracula, hypocrisin, minas, tormenta, cæterasque artes et arma quæ ipse Antichristo suggeret. Rursum tunc præliabitur Michael defendendo suos hosce fideles in judicio Dei, præsertim post eorum mortem, contra accusatorem diabolum. Eo enim, scilicet ad thronum Dei, raptus erat filius masculus, ut dixit vers. 5, quem eousque persecutus est diabolus, volens suis criminationibus eum inde avellere, et secum in tartara rapere; sed defendentibus eum angelis, rejectus et dejectus est accusator ille fratrum, ut dicetur vers. 9.

Ex hoc loco colligunt Doctores S. Michaelem fuisse et esse principem omnium angelorum, qui in Dei obsequio, ac consequenter in cœlo perstiterunt : sicut Lucifer princeps fuit omnium cadentium. Quocirca S. Michael præses fuit olim Synagogæ Judæorum, uti nunc præses est et princeps Ecclesiæ Christianorum. Unde ab Ecclesia, in officio S. Michaelis, vocatur « Primas cœlestis exercitus, zabuli (id est diaboli) victor et calcator, militiæ cœlestis princeps, Paradisi præpositus; » et S. Basilius, homil. *De Angelis* : « Tibi, ait, o Michael, duci supremorum spirituum, qui dignitate et honoribus, cæteris omnibus prælatus es supremis spiritibus : tibi, inquam, supplico. » Hinc et S. Michael a Niceta Choniate, libro III, fol. 208, vocatur « Archistrategus divinorum exercituum : » ita Ribera, Viegas, Bellarminus et alii, quos citat et sequitur Nicolaus Serarius in cap. V *Josue*, Quæst. XLV. Vide prærogativas S. Michaelis, quas recensui *Daniel.* XII, 1.

8. NEQUE LOCUS INVENTUS EST EORUM AMPLIUS IN Vers. 8.
CŒLO. — Est hypallage Hebraica. Sensus enim est : ipsi non sunt inventi in cœlo, id est inter sanctos et electos ad cœlum raptos, ut eos tentare, occidere et accusare possent; quia ab eis victi, projecti sunt in terram, id est, ad homines terrenos se contulerunt, a Sanctis masculis et heroibus dejecti et victi dæmones. De his enim ad litteram agit, ut patet ex dictis; alludit tamen ad primum casum Luciferi e cœlo : tunc enim ipsi proprio loco suo, puta cœlo, exturbati sunt. Est et metonymia : ponitur enim continens pro contento, puta locus pro locato; quia enim locus relative respicit locatum, hinc locus dicitur non inveniri locato, cum locatum loco suo excedit, ac in eo amplius non invenitur. Sic S. Augustinus, tract. 68 *in Joan.*, explicans illud : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, » ita ait : « Parat mansiones, mansionibus parando mansores. Quid enim est domus Dei, nisi templum Dei? templum autem Dei sanctum est, quod estis vos, » I *Corinth.* III.

9. ET PROJECTUS EST DRACO ILLE MAGNUS. — Nota. Vers. 9. Sex epitheta Luciferi.
Hic dantur sex epitheta Lucifero, ejusque dæmonibus. *Primo*, quod sit « draco magnus, » ob causam datam vers. 3; *secundo*, quod sit « serpens antiquus, » quia scilicet olim in paradiso Adamum et Evam, primos parentes nostros, per serpentem loquens et tentans seduxit, pervertit et occidit : serpentem enim tunc assumpsit, et quasi induit, non per se et sponte, ut vult Diodorus, sed



quia Deus non permisit ei aliud animal assumere et ingredi, uti docet Bar-Cepha, lib. *De Paradiso*, cap. XXVII. Idque ad hoc, ut per serpentem declararetur serpentina ejus astutia, fraus et malitia, ac nocendi homini cupiditas, æque ac lubricitas, uti annotavit S. Gregorius, XVII *Moral.*, XX, dum ait : « Quia igitur suggestioni ejus si primo non resistitur, repente totus ad interiora cordis, dum non sentitur, illabitur, verba ad hominem per lubricum animal fecit. » *Tertio*, quod sit « diabolus, » id est criminator. Diabolus enim græce derivatur ἀπὸ τοῦ διαβάλλειν, id est a criminando et calumniando; Syrus tamen vertit, *projiciens*, vel *declinans*; *quarto*, Hebraice vocatur שטן *satan*, id est adversarius, quia Deo, Angelis, Sanctis hominibusque omnibus adversatur, seque quasi antagonistam opponit; *quinto*, « qui seducit, » id est seducere nititur, et omnibus viribus molitur, « universum orbem, » puta homines incolas totius orbis; *sexto*, quod « projectus sit in terram, » eo sensu quem paulo ante dedi. Alludit ad pœnam serpenti, quia Evam deceperat, a Deo intentatam, *Gen.* III, 14 : « Super pectus tuum gradieris, » id est repes super terram. Quo significatur *primo*, quod dæmon a Sanctis fortibus et constantibus in fine mundi vincetur et prosternetur; *secundo*, quod omni sua versutia nunquam se poterit e terra erigere, id est, quod semper in sua abjectione, vilitate et miseria sit mansurus, uti accidit sapientibus hujus sæculi, qui semper terrenis bonis inhiant et inhærescunt; *tertio*, quod ab hominibus qui cœlestia ambiunt, exclusus, ad eos se conferat qui terrena ambiunt, eisque sitim terrenorum augeat et accendat. Addit Alcazar diabolum divinitatis honore quem in cœlis frustra ambiverat, ac in terris injuste usurpaverat, inducendo homines ad sui cultum et adorationem, in idolis a Christo fuisse dejectum; Christus enim et Apostoli idololatriam et idola ex mundo eliminarunt. Verum hoc mysticum est. Unde, cur, et quomodo diabolus vocetur sitque « serpens, » graphice describit S. Cyprianus, tract. *De Unitate Ecclesiæ* : « Plus, ait, cavendus et metuendus est inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit, unde et nomen serpentis accepit. Ea est ejus semper astutia, ea est circumveniendi hominis cæca et latebrosa fallacia. » Et clarius tract. *De Zelo et Livore*, citans illud I *Petr.* cap. V, *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, et aliquid devorare cupiens, circuit* : « Circuit, inquit, ille nos singulos, et tanquam hostis clausos obsidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua murorum minus stabilis, et minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat Christianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat; ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta; ut animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia; honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat; ostentat falsa, ut vera subripiat; et cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte minatur : in pace subdolus, in persecutione violentus. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli vel fallaces insidias, vel apertas minas stare debet instructus animus et armatus, tam paratus semper ad repugnandum, quam est ad impugnandum semper paratus inimicus. »

Porro, cur diabolus dicatur « serpens antiquus, » præclare explicat idem Cyprianus tractat. *De Exhortat. Martyr. ad Fortunatum*, sub initium : « Adversarius, inquit, vetus est, et hostis antiquus, cum quo prælium gerimus. Sex millia annorum jam pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi, et artes atque insidias dejiciendi usu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum invenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum ac toto corde vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Si quis vero Dominica præcepta custodiens, et fortiter Christo adhærens, contra eum steterit, vincatur necesse est; quia Christus quem confitemur, invictus est. »

10. ET AUDIVI VOCEM MAGNAM IN CŒLO DICENTEM : Vers. 10.
NUNC FACTA EST SALUS, ET VIRTUS (græce δύναμις, id est *robur, potentia*), ET REGNUM DEI NOSTRI, ET POTESTAS CHRISTI EJUS. — Est Angelorum et Beatorum celeusma, sive acclamatio et congratulatio exultantium de prostrato et profligato dæmone, eaque victoria quam Sancti cum Antichristo et diabolo certantes, obtinebunt. Hanc enim Deo et Christo acceptam referent, utpote qui eis salutem, id est redemptionem, gratiam et robur in lucta ad vincendum draconem contulit, ac post luctam et victoriam, regnum et potestatem, id est imperium cœleste et sempiternum; vide dicta cap. XI, vers. 15.

QUIA PROJECTUS EST ACCUSATOR. — Græce κατήγορος, id est oblocutor, calumniator, detractor, accusator, qui calumniis et falsis criminationibus Sanctos apud Deum accusabat, uti olim accusavit S. Job, cap. XVIII.

11. ET IPSI VICERUNT EUM PROPTER SANGUINEM AGNI Vers. 11.
(nam merito sanguinis et passionis Christi vires, fortitudinem et constantiam resistendi et vincendi acceperunt), ET PROPTER VERBUM TESTIMONII SUI, — quia scilicet constanter, et prædicando, ac pro fide et prædicatione sua moriendo, testimonium perhibuerunt Christo contra Antichristum.

ET NON DILEXERUNT ANIMAS SUAS USQUE AD MORTEM, — *q. d.* Quia animam, id est vitam suam, pro fide fortiter morti objecerunt. Est miosis, sive liptote : dicitur enim minus, et significatur majus, *q. d.* Adeo non dilexerunt animam, id est vitam suam, ut etiam pro Christo eam exposuerint, neglexerint et quasi oderint. Maluerunt

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

enim emori quam negare Christum, maluerunt vita quam Christo Christique confessione spoliari. Perperam ergo aliqui Theologi ex hoc loco colligunt angelos ex Christi sanguine et meritis accepisse gratiam et victoriam, ac consequenter gloriam et coronam. Joannes enim loquitur de hominibus, non de angelis.

Præclare S. Augustinus in *Sententiis*, sent. 374 : « Quisquis, ait, seipsum, non Deum amat, non se amat. Et quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Quia enim non potest vivere de se, moritur utique amando se. Cum ergo ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum de quo vivit diligat. » Qui itaque tam Deum quam se diligit, vitæ suæ et sui ipsius sit prodigus oportet. Hoc est quod ait Christus *Lucæ* IX, 24 : « Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet illam; nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. » Qui ergo se salvare et Deum amare, ac vicissim ab eo amari et beari optat, se propter Deum perditum æstimet, et in prædam det laboribus, equuleis, crucibus et mortibus, uti Christus iisdem se in prædam dedit. Hoc poscit nobilitas Dei, charitatis, beatitudinis et præmii æterni.

Vers. 12. 12. PROPTEREA LÆTAMINI, COELI, ET QUI HABITATIS IN EIS, — *q. d.* Lætatur tam communis Ecclesia quæ in cœlis est, quam singuli fideles in ea, ait Alcazar. Ecclesiæ enim beatæ competit hoc solis elogium : « Omnibus et singulis. » Sicut enim sol omnes et singulos illuminat, exhilarat et calefacit; et ita omnes sicut singulos, ac ita singulos sicut omnes : sic et felicitas atque lætitia, æque ac gloria Ecclesiæ triumphantis est singulorum, et est omnium : omnia enim bona et gaudia ibi, utpote inter amicos, imo amicissimos, omnibus et singulis sunt communia. *Secundo*, simplicius, per prosopopœiam cœli invitantur hic ad lætitiam, ut significetur eam tantam, tamque amplam et communem fore, ut cœli quoque exultare videantur. Vide dicta cap. V, vers. 13.

VÆ TERRÆ ET MARI (alludit ad dracones marinos et terrestres, qui solent tam maria, quam terras infestare), QUIA DESCENDIT DIABOLUS AD VOS, HABENS IRAM MAGNAM, — id est, « væ habitantibus in terra et habitantibus in mari! » uti habent quidam Græci codices. Sensus est, quasi dicat : Diabolus videns se ab Heroibus et Martyribus, atque ab Elia et Henoch victum et prostratum, cœloque quasi dejectum, indignabitur, irasque suas evomet in cæteros homines, qui in terra vel in insulis habitant, ita ut ignes fumos et flammas efflare videatur.

SCIENS QUOD MODICUM TEMPUS HABET, — scilicet tres annos cum dimidio, ut patebit vers. 14. Hinc patet hæc ad finem mundi et ad Antichristi tempora spectare. Sic dicunt accipitres in Norwegia celerrime ad prædam involare, eo quod ternas tantum lucis horas habeant, quibus volare et prædari possint : festinant ergo, quia sentiunt diem senescentem. Idem faciet diabolus, qui est accipiter aquilonis, in fine mundi.

Huc spectat quod legimus in *Vitis Patr.*, lib. VII, cap. XXV : « Frater, inquit, quidam Abbatem Sisoium requisivit, dicens : Putas, Abba, sic modo persequitur nos diabolus, sicut antiquos? respondit : Magis modo homines nostræ ætatis persequitur, quia appropinquant genera pœnarum, ubi ille cum legionibus suis angustatur, dum scit stagnum, ubi in igne et sulphure arsurus erit : ideo hominibus infestatur. Nec tamen infirmos quosque dignatur appetere, quos ubi voluerit, cito subvertit; sed fortes magis ac magnos supplantare per diversa præcipitia aggreditur. » Ibidem soleter Abbas Abraham : « Dæmones, ait, nobiscum non pugnant, quia voluntates eorum facimus; sed nostræ nobis voluntates dæmones facti sunt, et tribulant nos. » Et Abbas Achilles, rogatus quomodo adversum nos possint dæmones, respondit : « Per voluntates nostras. Et adjecit, dicens : Ligna Libani dixerunt : Quam grandia sumus et alta, et parvissimo ferramento incidimur! Nihil ergo ei demus ex nobis, et nos non poterit incidere. Venerunt ergo homines, et fecerunt in securi manubrium ex ipsis lignis, et ita inciderunt. Ligna ergo sunt animæ; securis, diabolus; manubrium, voluntas nostra est. Per malas ergo voluntates nostras incidimur. »

13. ET POSTQUAM VIDIT DRACO QUOD PROJECTUS EST IN TERRAM, PERSECUTUS EST MULIEREM, QUÆ PEPERIT MASCULUM. — Alcazar putat hic significari primam Ecclesiæ persecutionem, quam exercuit Nero contra mulierem, id est, Ecclesiam Romanam. Verum hic agitur de temporibus novissimis, et persecutione quam excitabit Antichristus. Vers. 13.

14. ET DATÆ SUNT MULIERI ALÆ DUÆ AQUILÆ MAGNÆ, UT VOLARET IN DESERTUM. — *Primo*, Primasius : Aquila, inquit, symbolum est sapientiæ; hinc duæ ejus alæ sunt duo testamenta, novum et vetus, quæ ad sapientiam nos docendo elevant. Hinc rursum, propriæ alæ duæ sunt duo primarii S. Scripturæ et sapientiæ effectus, scilicet timor culpæ et damnationis, ac amor Dei et salutis. Hic enim timor et amor stimulabunt fideles, ut persecutionem Antichristi fugiant, seseque abdant in deserta. Ex hoc timore et amore prodibunt duo alii sapientiæ actus instar duarum alarum, scilicet rerum temporalium despicientia, et divinarum æternarumque æstimatio et appetentia. Hisce enim pennis spirituales viri ex rerum terrestrium contagione abstracti, tolluntur in sublime, relinquunt in persecutione et prodigunt opes suas omnes, fugiunt pericula peccatorum, latebras quærunt, et in uno Deo verum exquirunt solatium. Sapientiæ namque actus et effectus est, rem quamque tanti æstimare quanti est, scilicet parva ut parva, magna ut magna, temporalia ut temporalia, æterna ut æterna æstimare. Hinc iterum Victorinus et Ticonius : Alæ duæ, inquiunt, erunt

Vers. 14. Alæ aquilæ quæ? Prima expositio.



prædicatores sapientiæ et veritatis, præsertim Elias et Henoch. Sic *Exodi* cap. XIX, 4, per alas aquilarum multi intelligunt Prophetas et prædicatores, præsertim Mosen et Aaronem : ita Origenes, Ambrosius, Augustinus, Hilarius, Basilius et alii. Hi enim prædicatores suadebunt et animabunt fideles, ut fugiant in deserta et speluncas. Hic sensus valde appositus est : hisce enim actionibus quasi alis, super draconem nos in terra persequentem elevamur, et evadimus ad Deum.

Secunda. *Secundo*, Richardus : Duæ alæ, inquit, sunt vita activa et contemplativa.

Tertia. *Tertio*, Aretas : Alæ, ait, duæ, sunt amor Dei et amor proximi.

Quarta. *Quarto*, Ribera : Alæ duæ sunt desiderium gloriæ Dei, et innocentiæ vitæque sanctæ studium.

Quinta. *Quinto*, Alcazar : Sicut, inquit, duodecim stellæ in capite mulieris sunt duodecim Apostoli : ita duæ alæ sunt Paulus et Barnabas, quibus ornata fuit et instructa primitiva Ecclesia, ut sese audacter in Gentilitatis desertum inferret, idque jussu et ductu Spiritus Sancti, uti dicitur *Actor.* XIII, 2 et 46. Sed hoc concionatorium magis esse quam litterale, in fine *notat.* 9 fatetur tandem ipse Alcazar.

Porro hæ alæ sunt instar alarum aquilæ : *primo*, quia non coacte, nec ex timore, sed sponte libensque instar aquilæ, et ex amore Dei volat Ecclesia; *secundo*, quia instar aquilæ solem justitiæ, id est Deum, irretortis mentis oculis intuetur; *tertio*, quia conversatione in sublime attollitur, nec persecutione ulla dejicitur; *quarto*, quia aquilæ volatus uti altissimus, ita et velocissimus est : talis est et volatus Ecclesiæ; *quinto*, quia de Ecclesia dicitur *Psalm.* CII, 5 : « Renovabitur ut aquilæ juventus tua; » et *Isaiæ* XL, 31 : « Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ; » vide ibi dicta.

Disputat Epiphanius, *hæres.* 78, an B. Virgo vere mortua sit, an vero raptu translata in cœlum instar Eliæ et Henoch, et in utramque partem adfert S. Scripturæ testimonia. Pro parte affirmante, quod Simeon prædixerit gladium ejus animam pertransiturum : pro negante, quod hic dicantur ei datæ alæ, quibus in desertum aufugit. Verum suum hic judicium resolute non interponit Epiphanius, sciens utique ex utroque Scripturæ loco nihil in hac quæstione posse definiri. Jam certum est eam esse mortuam, et paulo post resuscitatam ascendisse in cœlum : hoc enim profitetur et celebrat Ecclesia in festo Assumptionis ejusdem.

Mystice, Haymo, et ex eo Pannonius : « Desertus locus, inquiunt, sunt corda Sanctorum valde remota a terrenis hisce cupiditatibus; prius namque a semetipsis inordinatos desideriorum motus dejiciunt, ac deliciis quibuscumque fugatis semetipsos desertum quietudinis efficiunt. Hoc est enim desertum, quod fuga deliciarum, et quarumcumque corporis voluptatum. Quo sensu vir justus in Propheta loquitur, dicens : In terra deserta et inaquosa, sic in sanctitate apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam, *Psalm.* LXII. Terra deserta et inaquosa est, ubi nec vitæ necessaria suppetunt : exprimens vitam Sanctorum ita arctam fore in hoc mundo, ut nec vitæ necessaria sibi suppetant : qui omnes carnis delicias ab sese amovent, ut fiant sicut desertum, ubi nihil reperiatur quod saltem necessitati subveniat. Et qui hujusmodi est, et vitam ita instituit, cupit videre continuo virtutem Dei, ac gloriam ejus. Id quod solum illi refugium est, et protectio in omnibus persecutionibus mundi. Est et consolatio magna viro justo, quia dum mala hujus mundi non diligit, sed solummodo æternam patriam appetit, magna mentis tranquillitate perfruitur : in qua solitudine locum tenet, qui in deserto mentis a quærentibus invenitur; cui per Psalmistam dicitur : Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias. Desertum ergo, abrenuntiatio mundanæ voluptatis est, qua feriatum vult Christus fore suum militem. Hinc habes, quod locus proprius Ecclesiæ solitudo est, ut scilicet a sæculi notitia procul sit, et a sollicitudine curarum sæcularium, Domino dicente : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini, *Matth.* VI. Et Petrus ait : Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis, I *Petri* V, 7. »

UBI ALITUR (elongata et remota) A FACIE SERPENTIS. — Aliter Ribera : putat enim hic esse hyperbaton. Nam τὸ *a facie serpentis* connectendum esse cum « ut volaret, » non cum « alitur, » sicque sententiam esse ordinandam : « Datæ sunt mulieri duæ alæ, ut volaret a facie serpentis in desertum, in locum suum, ubi alitur, » etc.

UBI ALITUR PER TEMPUS, ET TEMPORA, ET DIMIDIUM TEMPORIS, — id est, per annum, per duos annos, et dimidium annum, puta per tres annos cum dimidio, sive per 42 menses, uti dixit cap. XI, vers. 2; sive per dies 1260, uti dixit cap. XI, vers. 3. Sic tempus pro anno ponitur *Daniel.* IV, 20 et 29, et *Daniel.* VII, 25, ad quem locum hic alludit Joannes : vide ibi dicta.

Aletur ergo in fine mundi Ecclesia, id est cœtus fidelium, in solitudine a Pastoribus verbo Dei toto tempore Antichristi, ac Eliæ et Henoch contra eum decertantium. Simili modo alita fuit a Mathathia et Machabæis Synagoga in deserto, fugiens persecutionem Antiochi, I *Machab.* II, 29.

Minus recte ergo Ambrosius, Primasius et quidam alii, per tempus et tempora, et dimidium temporis, accipiunt totum tempus quod fluit a Christo usque ad finem mundi.

Moraliter, docet hic Joannes fideles in persecutione debere esse constantes et longanimes. Multi enim persecutionis acrimoniam vicerunt, sed ejus duratione victi sunt. Præclare Theodorus Studita in *Catechetica* ad fratres dispersos, quam recitat

Cardinalis Baronius, anno Christi 818, eos ad constantiam in persecutione Leonis Armeni Imperatoris Iconoclastæ, quæ jam quadriennium duravarat, æque ac duratura est hæc Antichristi, ita adhortatur : « Minime vos conturbet duratio persecutionis; haud multos annos pertulimus, ut antiqui Confessores Abrahæ semen illud, cui promissa Dei benedictione terræ sanctæ hæreditas fuerat, 430 annis Pharaonis manu servitutem servire permisit Deus. Christi Ecclesia ab Apostolorum prædicatione usque ad Constantinum, primum Christianorum regem, supra trecentos annos ferventem persecutionem passa est. Qui secuti sunt, remisse quidem, attamen longius tempus duxerunt, præterquam sub Juliano Apostata. Et tu quinque annorum spatio langues? Clemens (Ancyranus Martyr cum Agathangelo) multorum certaminum vir viginti octo annis in perpetuo martyrio fuit. Et tu intra paucos annos deficis? Non audisti sufferentiam Job? Nonne annis quindecim et amplius gravi ulcere vexatus est, præter alios qui adjecti fuerunt, lugubres casus? atque hoc cum nullius mali facinoris sibi conscius esset, quin potius laudabilium quamplurimorum. Quid autem ei respondet oraculum? Ut justus, inquit, appareas. Feramus adhuc, o strenui milites Christi. Dies sicut umbra transeunt. » Ita et B. Thomas Morus uxori eum tentanti ut regis illicitas nuptias probaret : « Quid, ait, sunt viginti anni favoris regii, vel odii et persecutionis, ad æternitatem gaudiorum cœli, et tormentorum gehennæ? »

Vers. 15. Flumen vomit draco, quod? 15. ET MISIT SERPENS EX ORE SUO POST MULIEREM AQUAM TANQUAM FLUMEN. — Arabicus, *flumen aquæ*. Parabolice alludit ad balænas aliosque pisces, qui moles et quasi montes aquarum evomunt; qualis præ aliis est ille qui φυσητήρ, id est *flator*, dicitur, qui tantam aquarum copiam efflando emittit, ut etiam alveos navigantium deprimat, teste Rondeletio, lib. XVIII, cap. XIV. Porro Ribera probabiliter censet aquas hasce quas vomit draco, fuisse instar fluctus qui convolveret mulierem, eamque ad draconem attraheret. Volebat enim draco ad se attrahere et devorare mulierem; hoc enim videtur significari cum dicitur : « Ut eam faceret trahi a flumine. » Sic enim balæna vomit aquas, iisque alios pisces convolvit et trahit ad se, ut eos voret. Alii tamen simplicius censent draconem emisisse hoc flumen post mulierem, ut illam eo submergeret (hoc enim significat τὸ *aquam tanquam flumen*, nec enim in terra flumina tantos fluctus cient, ut homines remotos attrahant), sicque « eam faceret trahi, » id est absorberi, « a flumine. » Græce enim una voce eleganter dicitur, *ἵνα ποταμοφόρητον ποιήσῃ*, id est, *ut efficeret illam auferri et rapi a flumine*, ut vertit Vatablus, Erasmus et alii; sufficiebat enim draconi irato et invido, mergere et perdere mulierem, sive per se id fieret, sive per suum flumen.

Jam per hanc aquæ et fluminis parabolam significatur turba et violentia persecutorum, puta exercitus quem submittet Antichristus, ut fideles qui ad montes et solitudines confugerant, ibidem perscrutentur, persequantur et capiant vel occidant. Sic alibi sæpe inundatio aquarum significat acrem tribulationem et persecutionem, ut *Psalm.* LXVIII, vers. 2 : « Salvum *me* fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi et non est substantia; veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. » Et *Psalm.* CXXIII, vers. 4 : « Forsitan aqua absorbuisset nos. » Ita Ticonius, Andreas, Beda, Primasius, Ansbertus et Haymo.

Aliter Alcazar : nam per flumen hoc accipit Neronem, qui primam eamque truculentam persecutionem contra Christianos excitavit; sed Deo eos tuente mox Nero occisus, et a terra quasi absorptus est. Nero enim fuit magus, ideoque Simone Mago aliisque similibus delectabatur, adeo ut de eo scribat Plinius, lib. XXX, cap. II : « Veneficorum omnium quotquot unquam exstitere maximus, qui dæmones de qualibet suspicione consulebat; » fuit ergo ipse instrumentum et flumen draconis. Verum hæc non ad Neronis, sed ad ultima mundi tempora spectant.

16. ET APERUIT TERRA OS SUUM, ET ABSORBUIT FLUMEN, — q. d. Deus et angeli tutantes mulierem, id est Ecclesiam, effecerunt ut terra per hiatum se aperiret, et absorberet persecutores ab Antichristo submissos, uti olim aperuit se et absorpsit Core, Datan et Abiron, *Num.* XVI, 31. Vere S. Hilarius : « Hoc, inquit, proprium habet Ecclesia, ut, dum persecutionem patitur, floreat; dum opprimitur, crescat; dum contemnitur, persistat; dum læditur, vivat; dum arguitur, intelligat. Tunc stat, cum superari videtur. » Vers. 16.

17. ET IRATUS EST DRACO IN MULIEREM, ET ABIIT FACERE PRÆLIUM CUM RELIQUIS DE SEMINE EJUS, — cum reliquis scilicet, qui non fugerant, nec abdiderant se in solitudines, vel quia remotiores erant a regia et a propria ditione Antichristi, ut putarent hunc ejus furorem ad se non perventurum; vel quia constantiores et animosiores fuerant, aut tales aliorum, præsertim Martyrum, exemplo evaserant, ideoque non fugerant, sed remanserant, ut Antichristo resisterent, et martyrium, si offerretur, capesserent. Porro hoc prælium est illud ipsum quod per bestiam maris, et per bestiam terræ concitavit, de quo cap. seq. Ideo enim mox additur draconem stetisse super arenam maris, id est, in maris littore inter mare et terram, ut hoc bellum tam in mari, quam in terra concitaret : ita Alcazar. Vers. 17.

ET HABENT TESTIMONIUM JESU CHRISTI, — id est, qui credunt corde, et ore profitentur fidem in Jesum Christum, quasi mundi Redemptorem et Salvatorem : hac enim fidei professione testimonium perhibent Christo.

*Secundo*, alii per testimonium Christi accipiunt



vitam Christianam : illa enim testabantur Christum ejus auctorem esse virum justum, sanctum et divinum, imo Deum.

*Tertio*, Alcazar : Testimonium, inquit, Christi est manifesta Christi approbatio per maxima beneficia, quibus Christianos primitivos Christus afficiebat, dum vires illis suggerebat et robur, ac miranda per eos opera patrabat. Iisdem suos afficiet, itaque eos quasi suos approbabit et decorabit in fine mundi.

18. ET STETIT SUPRA ARENAM MARIS. — Pro *stetit* aliqui legunt *steti*; ita Biblia Complut., Andreas, Aretas et Rupertus quos sequitur Ribera et Viegas, q. d. Ego Joannes steti super arenam maris et vidi bestiam, de qua sequitur, e mari, et aliam e terra prodeuntem, ut hæc pertineant ad caput sequens, illudque hic incipiat.

Verum omnes alii codices præter Complutenses, etiam Regii, ac Interpretes, quin et Erasmus, Vatablus et Arias, legunt *stetit*. Ergo in Græco pro ἐστάθη, id est *steti*, legerunt, ἐστάθην, aut certe ἐστάθην acceperunt pro ἐστάθη, ut littera ν sit paragogica, non autem index primæ personæ. Jam stetit draco in littore maris, quia per unam bestiam e mari, et alteram e terra mox prodituram concitat bellum tam in terra, quam in mari contra fideles; bestia enim maris est quasi dux belli navalis, uti bestia terræ terrestris. Ergo draco utramque concitans apte in medio utriusque, id est inter terram et mare, consistit. Porro bestia maris est Antichristus, bestia terræ erit ejus præcursor et pseudo-propheta, de quo cap. seq. Addit Alcazar serpentes et dracones fere esse amphibios, ac proinde tam ad mare quam ad terram pertinere. Symbolice significatur dæmonem prævalere, ac prævaliturum in fine mundi hominibus terrenis, voluptuariis et instabilibus, qui agitantur ut mare amarum, ac vento efflantur quasi arenæ. Unde S. Hieronymus in *Daniel.* cap. VII : « Mare, ait, mundum istum, sæculumque significat, falsis amarisque fluctibus redundans, sicut Dominus in parabola sagenæ missæ in mare interpretatur. »

Porro instabiles et impii recte comparantur arenæ maris, *primo*, propter infinitum eorum, id est stultorum, numerum : arena enim est innumera; *secundo*, propter duritiem; *tertio*, propter unionis defectum : impii enim inter se non cohærent, non consentiunt, sed sunt sicut arena sine calce; *quarto*, propter sterilitatem : arena enim plane est sterilis, hancque sterilitatem adauget mare salsum in eam exæstuans. Quocirca Origenes, Augustinus et Hesychius notant arenæ symbolo denotari homines impios, utpote steriles et terrenos. In his ergo consistit et abdit se dæmon, ut per bestiam maris, id est, per mundi fastum et superbiam, ac per bestiam terræ, id est per sapientiam et sensum carnalem, Ecclesiam et fideles oppugnet. Hi enim sunt tres fidelium hostes et antagonistæ perpetui, scilicet draco, bestia maris, et bestia terræ, id est diabolus, mundus et caro, qui jugiter cum Sanctis in arenam descendunt et concertant. Stat inter duos medius diabolus, quia ipse est dux belli, mundumque et carnem regit et concitat ad bellum fidelibus inferendum : ita Alcazar.

# CAPUT DECIMUM TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Vidit Joannes bestiam habentem cornua decem et capita septem, similem pardo, habentem pedes ursi et os leonis, loquentem blasphemias contra Deum et Sanctos, eosque persequentem, ac dominantem omnibus gentibus, quæ ab omnibus adorabatur, quia visa erat a mortuis resurrexisse. Hæc bestia erit Antichristus. Secundo, vers. 11, videt aliam bestiam facientem ignem de cœlo descendere, utque imago prioris bestiæ loquatur, aliaque prodigia : quæ docet et jubet adorari priorem bestiam, ejusque charactere omnes consignat, vetans ne cui sine eo quippiam emere aut vendere liceat. Hæc bestia erit pseudo-propheta aliquis, et præcursor Antichristi. Tertio, vers. 18, numerus nominis prioris bestiæ, id est Antichristi, dicitur fore* 666.

1. Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiæ. 2. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, et potestatem magnam. 3. Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem : et plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam. 4. Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ; et adoraverunt bestiam, dicentes : Quis similis bestiæ? et quis poterit pugnare cum ea? 5. Et datum est ei os loquens

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cardinalis Baronius, anno Christi 818, eos ad constantiam in persecutione Leonis Armeni Imperatoris Iconoclastæ, quæ jam quadriennium duravarat, æque ac duratura est hæc Antichristi, ita adhortatur : « Minime vos conturbet duratio persecutionis; haud multos annos pertulimus, ut antiqui Confessores Abrahæ semen illud, cui promissa Dei benedictione terræ sanctæ hæreditas fuerat, 430 annis Pharaonis manu servitutem servire permisit Deus. Christi Ecclesia ab Apostolorum prædicatione usque ad Constantinum, primum Christianorum regem, supra trecentos annos ferventem persecutionem passa est. Qui secuti sunt, remisse quidem, attamen longius tempus duxerunt, præterquam sub Juliano Apostata. Et tu quinque annorum spatio langues? Clemens (Ancyranus Martyr cum Agathangelo) multorum certaminum vir viginti octo annis in perpetuo martyrio fuit. Et tu intra paucos annos deficis? Non audisti sufferentiam Job? Nonne annis quindecim et amplius gravi ulcere vexatus est, præter alios qui adjecti fuerunt, lugubres casus? atque hoc cum nullius mali facinoris sibi conscius esset, quin potius laudabilium quamplurimorum. Quid autem ei respondet oraculum? Ut justus, inquit, appareas. Feramus adhuc, o strenui milites Christi. Dies sicut umbra transeunt. » Ita et B. Thomas Morus uxori eum tentanti ut regis illicitas nuptias probaret : « Quid, ait, sunt viginti anni favoris regii, vel odii et persecutionis, ad æternitatem gaudiorum cœli, et tormentorum gehennæ? »

Vers. 15. 15. Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen. — Arabicus, *flumen aquæ*.

Flumen vomit draco, quod? Parabolice alludit ad balænas aliosque pisces, qui moles et quasi montes aquarum evomunt; qualis præ aliis est ille qui φυσήτηρ, id est *flator*, dicitur, qui tantam aquarum copiam efflando emittit, ut etiam alveos navigantium deprimat, teste Rondeletio, lib. XVIII, cap. XIV. Porro Ribera probabiliter censet aquas hasce quas vomit draco, fuisse instar fluctus qui convolveret mulierem, eamque ad draconem attraheret. Volebat enim draco ad se attrahere et devorare mulierem; hoc enim videtur significari cum dicitur : « Ut eam faceret trahi a flumine. » Sic enim balæna vomit aquas, iisque alios pisces convolvit et trahit ad se, ut eos voret. Alii tamen simplicius censent draconem emisisse hoc flumen post mulierem, ut illam eo submergeret (hoc enim significat τὸ *aquam tanquam flumen*, nec enim in terra flumina tantos fluctus cient, ut homines remotos attrahant), sicque « eam faceret trahi, » id est absorberi, « a flumine. » Græce enim una voce eleganter dicitur, ἵνα ποταμοφόρητον ποιήσῃ, id est, *ut efficeret illam auferri et rapi a flumine*, ut vertit Vatablus, Erasmus et alii; sufficiebat enim draconi irato et invido, mergere et perdere mulierem, sive per se id fieret, sive per suum flumen.

Jam per hanc aquæ et fluminis parabolam significatur turba et violentia persecutorum, puta exercitus quem submittet Antichristus, ut fideles qui ad montes et solitudines confugerant, ibidem perscrutentur, persequantur et capiant vel occidant. Sic alibi sæpe inundatio aquarum significat acrem tribulationem et persecutionem, ut *Psalm.* LXVIII, vers. 2 : « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi et non est substantia; veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. » Et *Psalm.* CXXIII, vers. 4 : « Forsitan aqua absorbuisset nos. » Ita Ticonius, Andreas, Beda, Primasius, Ansbertus et Haymo.

Aliter Alcazar : nam per flumen hoc accipit Neronem, qui primam eamque truculentam persecutionem contra Christianos excitavit; sed Deo eos tuente mox Nero occisus, et a terra quasi absorptus est. Nero enim fuit magus, ideoque Simone Mago aliisque similibus delectabatur, adeo ut de eo scribat Plinius, lib. XXX, cap. II : « Veneficorum omnium quotquot unquam exstitere maximus, qui dæmones de qualibet suspicione consulebat; » fuit ergo ipse instrumentum et flumen draconis. Verum hæc non ad Neronis, sed ad ultima mundi tempora spectant.

16. Et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, — q. d. Deus et angeli tutantes mulierem, id est Ecclesiam, effecerunt ut terra per hiatum se aperiret, et absorberet persecutores ab Antichristo submissos, uti olim aperuit se et absorpsit Core, Datan et Abiron, *Num.* XVI, 31. Vere S. Hilarius : « Hoc, inquit, proprium habet Ecclesia, ut, dum persecutionem patitur, floreat; dum opprimitur, crescat; dum contemnitur, persistat; dum læditur, vivat; dum arguitur, intelligat. Tunc stat, cum superari videtur. » Vers. 16.

17. Et iratus est draco in mulierem, et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, — cum reliquis scilicet, qui non fugerant, nec abdiderant se in solitudines, vel quia remotiores erant a regia et a propria ditione Antichristi, ut putarent hunc ejus furorem ad se non perventurum; vel quia constantiores et animosiores fuerant, aut tales aliorum, præsertim Martyrum, exemplo evaserant, ideoque non fugerant, sed remanserant, ut Antichristo resisterent, et martyrium, si offerretur, capesserent. Porro hoc prælium est illud ipsum quod per bestiam maris, et per bestiam terræ concitavit, de quo cap. seq. Ideo enim mox additur draconem stetisse super arenam maris, id est, in maris littore inter mare et terram, ut hoc bellum tam in mari, quam in terra concitaret : ita Alcazar. Vers. 17.

Et habent testimonium Jesu Christi, — id est, qui credunt corde, et ore profitentur fidem in Jesum Christum, quasi mundi Redemptorem et Salvatorem : hac enim fidei professione testimonium perhibent Christo.

*Secundo*, alii per testimonium Christi accipiunt vitam Christianam : illa enim testabantur Christum ejus auctorem esse virum justum, sanctum et divinum, imo Deum.

*Tertio*, Alcazar : Testimonium, inquit, Christi est manifesta Christi approbatio per maxima beneficia, quibus Christianos primitivos Christus afficiebat, dum vires illis suggerebat et robur, ac miranda per eos opera patrabat. Iisdem suos afficiet, itaque eos quasi suos approbabit et decorabit in fine mundi.



18. Et stetit supra arenam maris. — Pro *stetit* aliqui legunt *steti*; ita Biblia Complut., Andreas, Aretas et Rupertus quos sequitur Ribera et Viegas, q. d. Ego Joannes steti super arenam maris et vidi bestiam, de qua sequitur, e mari, et aliam e terra prodeuntem, ut hæc pertineant ad caput sequens, illudque hic incipiat.

Verum omnes alii codices præter Complutenses, etiam Regii, ac Interpretes, quin et Erasmus, Vatablus et Arias, legunt *stetit*. Ergo in Græco pro ἐστάθην, id est *steti*, legerunt, ἐστάθη, aut certe ἐστάθην acceperunt pro ἐστάθη, ut littera ν sit paragogica, non autem index primæ personæ. Jam stetit draco in littore maris, quia per unam bestiam e mari, et alteram e terra mox prodituram concitat bellum tam in terra, quam in mari contra fideles; bestia enim maris est quasi dux belli navalis, uti bestia terræ terrestris. Ergo draco utramque concitans apte in medio utriusque, id est inter terram et mare, consistit. Porro bestia maris est Antichristus, bestia terræ erit ejus præcursor et pseudo-propheta, de quo cap. seq. Addit Alcazar serpentes et dracones fere esse amphibios, ac proinde tam ad mare quam ad terram pertinere. Symbolice significatur dæmonem prævalere, ac prævaliturum in fine mundi hominibus terrenis, voluptuariis et instabilibus, qui agitantur ut mare amarum, ac vento efflantur quasi arenæ. Unde S. Hieronymus in *Daniel.* cap. VII : « Mare, ait, mundum istum, sæculumque significat, falsis amarisque fluctibus redundans, sicut Dominus in parabola sagenæ missæ in mare interpretatur. »

Porro instabiles et impii recte comparantur arenæ maris, *primo*, propter infinitum eorum, id est stultorum, numerum : arena enim est innumera; *secundo*, propter duritiem; *tertio*, propter unionis defectum : impii enim inter se non cohærent, non consentiunt, sed sunt sicut arena sine calce; *quarto*, propter sterilitatem : arena enim plane est sterilis, hancque sterilitatem adauget mare salsum in eam exæstuans. Quocirca Origenes, Augustinus et Hesychius notant arenæ symbolo denotari homines impios, utpote steriles et terrenos. In his ergo consistit et abdit se dæmon, ut per bestiam maris, id est, per mundi fastum et superbiam, ac per bestiam terræ, id est per sapientiam et sensum carnalem, Ecclesiam et fideles oppugnet. Hi enim sunt tres fidelium hostes et antagonistæ perpetui, scilicet draco, bestia maris, et bestia terræ, id est diabolus, mundus et caro, qui jugiter cum Sanctis in arenam descendunt et concertant. Stat inter duos medius diabolus, quia ipse est dux belli, mundumque et carnem regit et concitat ad bellum fidelibus inferendum : ita Alcazar.

# CAPUT DECIMUM TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Vidit Joannes bestiam habentem cornua decem et capita septem, similem pardo, habentem pedes ursi et os leonis, loquentem blasphemias contra Deum et Sanctos, eosque persequentem, ac dominantem omnibus gentibus, quæ ab omnibus adorabatur, quia visa erat a mortuis resurrexisse. Hæc bestia erit Antichristus. Secundo, vers. 11, videt aliam bestiam facientem ignem de cœlo descendere, utque imago prioris bestiæ loquatur, aliaque prodigia : quæ docet et jubet adorari priorem bestiam, ejusque charactere omnes consignat, vetans ne cui sine eo quippiam emere aut vendere liceat. Hæc bestia erit pseudo-propheta aliquis, et præcursor Antichristi. Tertio, vers. 18, numerus nominis prioris bestiæ, id est Antichristi, dicitur fore 666.*

1. Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiæ. 2. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, et potestatem magnam. 3. Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem : et plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam. 4. Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ; et adoraverunt bestiam, dicentes : Quis similis bestiæ? et quis poterit pugnare cum ea? 5. Et datum est ei os loquens

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magna, et blasphemias : et data est ei potestas facere menses quadraginta duos. 6. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in cœlo habitant. 7. Et est datum illi bellum facere cum sanctis, et vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem; 8. et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram : quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi. 9. Si quis habet aurem, audiat. 10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet : qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia, et fides Sanctorum. 11. Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco. 12. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus : et fecit terram, et habitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. 13. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum. 14. Et seduxit habitantes in terra, propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, et vixit. 15. Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ : et faciat ut quicumque non adoraverunt imaginem bestiæ, occidantur. 16. Et faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos, habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis. 17. Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. 18. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est : et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.

Vers. 1. Bestia e mari ascendens quæ? Prima sententia.

1. Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, et cornua decem. — Quæres, quænam hæc bestia? *Primo*, aliqui censent esse dæmonum principem, puta Luciferum : ita Haymo, Albertus, et noster Pineda in *Job* cap. XL, vers. 10, § 1. Sed obstat quod draco, id est Lucifer, dicatur dedisse potestatem suam huic bestiæ : ergo bestia hæc non est Lucifer, sed quis alius ei subditus, ejusque quasi vassallus; unde

Secunda.

*Secundo*, alii apud Aretam censent bestiam hanc esse dæmonem primarium, secundum a Lucifero, et cæteris superiorem.

Tertia.

*Tertio*, Primasius, Beda et Richardus per bestiam hanc accipiunt corpus diaboli, sive totum cœtum et multitudinem impiorum.

Quarta.

*Quarto*, S. Antonius, Euthymius, Cedrenus et Zonaras, quos sequitur Genebrardus, lib. III *Chronolog.*, et noster Salmeron putant esse Mahometem. Huc accedunt Caponsachius hic, et Luisius Legionensis, lib. *De Nominibus Christi*, qui asserunt bestiam hanc significare imperium Turcicum, de quo rursum vers. 11.

Quinta.

*Quinto*, Lindanus, lib. III *Dubitantii*, opinatur esse Lutherum.

Sexta.

*Sexto*, Alcazar per bestiam hanc accipit Romanum Imperium Ethnicum, ac idololatriæ deditum, quod Ecclesiam Christianam acriter vexavit, ut primum illa Judæis derelictis ad Gentes transiit (1). Probat id *primo*, quia hæc bestia eadem est cum bestia supra quam sedet meretrix Babylon, cap. XVII, vers. 3. Babylon autem ibi significat Romam Ethnicam : ergo et bestia hæc. Verum et major propositio est falsa, ut patebit cap. XVII, et consequentia claudicat, imo seipsam elidit. Si enim Babylon est Roma Ethnica; ergo bestia non est Roma Ethnica. Babylon enim alia est a bestia; insidet enim bestiæ : ergo bestia est instar equi; Babylon vero instar equitis. Probat *secundo*, quia hæc bestia eadem est cum bestia quarta *Danielis* cap. VII, 7; utraque enim habet cornua decem : illa autem Danielis significat quartam monarchiam Romanorum : ergo eamdem significat hæc bestia Joannis. Verum major propositio est falsa, uti mox patebit : licet enim in cornibus sit similitudo, tamen in aliis est dissimilitudo; nam bestia hæc Joannis dicitur similis fuisse leoni, urso et pardo; quæ apud Danielem sunt prima, secunda et tertia bestiæ. Sensus ergo juxta Alcazarem est hic, *q. d.* Draco excitavit Romanos principes Ethnicos, ut persequerentur Ecclesiam, cum illa cœpit se per Gentes spargere. Septem capita sunt septem præcipuæ persecutiones, quæ inter Neronem et Julianum Apostatam intercesserunt. Neronis enim persecutionem omittit, quia de illa egit cap. XII. *Prima* ergo fuit, Domitiani; *secunda*, Trajani; *tertia*, Antonini; *quarta*, Severi; *quinta*, Decii; *sexta*, Valeriani; *septima*, Diocletiani. Duæ enim aliæ quas alii numerant, scilicet Maximini et Aureliani, hic non numerantur, eo quod Aureliani non fuerit executioni mandata, Maximini vero non fuerit universalis in omnes fideles, sed tantum in prædicatores Evangelii. Addit Alcazar septenario hic significari multitudinem et complexionem omnium persecutionum : poni enim numerum definitum pro indefinito. Decem cornua, inquit, significant polyarchiam, puta multitudinem Senatorum Romæ; hi enim potentes erant instar regum. Unde Cyneas Senatum Romæ ingressus, et regressus ad Pyrrhum regem, dixit se vidisse civitatem regum, in qua tot erant reges quot Senatores, uti refert Plutarchus in *Pyrrho*, et Livius, lib. XI. Porro multos fuisse Senatores liquet, cum fuerint trecenti et amplius; imo Julius Cæsar voluit augere numerum ad nongentos, licet id reipsa non præstiterit.

(1) Ita Bossuetius, Rosenmullerus, Allioli, Ewaldus, etc.



Septima genuina.

Verum dico bestiam hanc esse Antichristum. Est communis sententia Irenæi, lib. V, cap. XXVIII, Tertulliani; Victorini hic (licet enim hi tres fuerint Millenarii, tamen in aliis fuerunt catholici et orthodoxi); Hippolyti, *De Consummat. sæc.*; Ephrem, tract. *De Antichristo*; Prudentii, Gregorii, Prosperi, locis mox citandis. Sic et interpretes fere omnes hic, puta Ambrosius, Andreas, Methodius, Aretas, Haymo, Rupertus, Albertus, Thomas, Pannonius, Gagneius, Seraphinus, Ribera, quin et hæretici passim.

Antichristus vocatur θηρίον, id est *bestia*, vel *fera*, ob bestialem feritatem et mores. Audi S. Gregorium Nazianzenum, *Iambico* 5 :

… est Antichristus?
… cus amplis,
… ata ille pessimus,
… lina venenum vomens.

Et S. Irenæum, lib. V, cap. XXIX : « In bestia (Antichristo) veniente recapitulatio fit universæ iniquitatis et omnis doli, ut in ea confluens et conclusa omnis virtus apostatica in caminum mittatur ignis. »

Hic ascendit, id est oritur, enascitur, succrescit, et sensim accrescit et grandescit, ac in altum regni culmen attollitur, « de mari, » id est de mundo hoc et sæculo nequam. Mare enim quia tot ventis, fluctibus, procellis agitatur, et per æstus continuos nunc accrescit, nunc decrescit, symbolum est mundi, in quo omnia amaritudine, inconstantia et periculis sunt plena; in eo enim magni pisces parvos devorant. Ita Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Augustinus, Hieronymus, Cyrillus, Gregorius, quos citat et sequitur Alcazar. Hinc et Daniel, cap. VII, vers. 3, vidit quatuor bestias quatuor monarchiarum indices, e mari prodire. Ascendere ergo e mari hic idem est in re et sensu, quod ascendere de terra, uti dicitur de alia simili bestia vers. 11. Certum est enim Antichristum non e mari, sed e terra nasciturum. Unde Daniel cap. VII, vers. 17, quod dixerat quatuor bestias de mari ascendisse, mox explicat de quatuor regnis quæ de terra exurgent. Addunt aliqui, et noster Acosta lib. II *De Tempor. noviss.*, Antichristum per mare cum ingenti classe venturum, ut tam mari et insulis, quam terræ dominetur.

Porro Lutherani et Calvinistæ per bestiam hanc accipiunt Antichristum, sed eum putant esse Romanum Pontificem. Verum hoc e Scriptura ita clare refutatur, uti demonstravi II *Thessalon.* II, 9 et sequent., ut qui iis non convincatur et cedat, vel pervicacis, vel minus sani sit cerebri : atque ut alia, quæ ibi produxi, taceam, quænam hoc loco sunt Pontificis cornua decem et diademata decem? quænam capita septem, quorum unum occisum resurgit et reviviscit? Antichristus enim a morte quasi resurget : quis unquam Pontifex a morte resurrectionem præ se tulit aut simulavit? quis Pontifex blasphemavit Deum, ejusque Ecclesiam et Sanctos, quos ipsa colit et invocat, docetque et jubet ab omnibus coli et invocari? quænam ejus statua cui ipse dat vim et facultatem loquendi? quis unquam Pontifex adoravit, jussitque adorari draconem, id est diabolum?

Habentem capita septem. — Septem capita significant septem reges qui præcedent Antichristum, quorum regna ipse unus occupabit, de quo cap. XVII.

Symbolice, septem capita significant regum discordiam et dissidia, quæ regnum perdiderunt. Hinc nuper Solymannus, Turcarum Imperator, ut suum imperium potentius esse imperio Cæsaris ostenderet, ejus legatis dixit, « se esse draconem unius capitis, sed multarum caudarum; Cæsarem vero et Christianos esse draconem multorum capitum, sed unius caudæ, » *q. d.* Meum imperium est monarchicum, ideoque concors et validum; Christianorum vero imperium est polyarchicum, ideoque discors et imbecillum.

Et cornua decem. — Volgo pictores hæc cornua ita distribuunt, ut singulis septenis capitibus dent cornua singula, et tria reliqua ad libitum distribuant, nimirum tribus capitibus, quibus libuerit, bina cornua affigendo. Melius Alcazar hæc omnia decem cornua depingit in uno eodemque capite, scilicet primario bestiæ : cum enim esset una bestia, unicum habebat caput primarium, ut patebit cap. XVI, vers. 13. Porro hæc cornua decem sunt decem reges; unde habent diademata : qui veniente Antichristo erunt in orbe, e quibus ipse tres prælio profligabit et occidet; mox cæteri septem territi ei sponte se subdent, uti docet Daniel cap. VII, vers. 21, 23, 24, 25. Vide ibi dicta.

Quare insulse, æque ac petulanter Anglo-calvinista hæc decem cornua ait esse decem primos Imperatores Christianos, qui bestiæ, id est Antichristi, hoc est Romani Pontificis, opes et dignitatem auxerunt et propugnarunt, scilicet Constantinum Magnum; Constantinum, Constantium et Constantem, ejus filios; Julianum, Jovianum, Valentinianum, Gratianum, Valentinianum secundum, et Theodosium. Hæc enim ingens piorum istorum principum est calumnia, ingensque et inexpiabile convicium, nimirum vocare eos Antichristi adjutores et promotores. Adde Constan

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tium, utpote Arianum, et Julianum, utpote Paganum, fuisse hostes Ecclesiæ et Pontificis. Rursum, si tunc cœpit Papa esse Antichristus : ergo S. Athanasius, Chrysostomus, Basilius, Nazianzenus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, omnesque sancti Patres qui illo ævo vixerunt, et Pontificem Romanum uti caput Ecclesiæ coluerunt, fuerunt Antichristi servi et milites, quæ est blasphemia sæculis omnibus inaudita.

Et super capita ejus nomina blasphemiæ, — quia septem capita, id est septem reges sunt præcursores Antichristi, Ecclesiam oppugnantes, et Christum blasphemantes, uti patebit cap. xvii.

2. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo. — Pardus *primo*, maculosus est; *secundo*, crudelis et sanguinarius; *tertio*, velocissimus, uti ostendi *Daniel.* vii, 6. Talis erit et Antichristus, scilicet maculatus omnibus sceleribus, et versatilis in omnes fraudes et dolos; *secundo*, plurimorum homicida et parricida : occidet enim Henoch atavum suum, a quo ipse prognatus est; *tertio*, instar fulminis pervadet orbem, eumque sibi subiget, indeque sibi ingentem triumphum, plausum et gloriam conciliabit, cujus symbolum est ocellata et speciosa pellis pardi (1).

Pedes ejus sicut pedes ursi, — scilicet fortissimi et aptissimi ad conciliandum fideles et sanctos. Addit Alcazar pedes hic extendi ad crura et femora, ac notare luxuriam ursi (de qua Plinius, lib. VIII, cap. 36), id est Antichristi. Dissonat hic a Græco et Latino Arabicus; vertit enim : *Et animal quod vidi simile est urso, et pedes ejus pedes leænæ, et os ejus simile est ori leonis.*

Et os ejus sicut os leonis. — « Os, » puta oris forma, rictus et rugitus erat leoninus, id est superbus, immanis, terrorem et horrorem incutiens fidelibus, eosque discerpens et dilanians. Nota : Hæc bestia similis est visioni Danielis, capite vii, ubi vidit Daniel quatuor bestias, primam similem leænæ, secundam urso, tertiam pardo, quartam fortiorem cæteris, et decem cornua habentem, quæ significabant quatuor Gentilium monarchias, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum; quæ præibunt et desinent in monarchiam Antichristi, eruntque ejus quasi præcursores; cui proinde ut capiti suo, attribuuntur omnia quæ aliorum erant, ut scilicet ipse unus sit leo, pardus, ursus, et quarta bestia innominata decem cornuum, atque ex omnibus conflatus et coagmentatus videatur; quia in eo erit leonis superbia, ursi sævitia et luxuria, pardi maculosa figura, etc. Porro uti hæc bestia, ita et illæ quatuor Danielis habuerunt capita septem; nam tertia bestia, scilicet pardus, quatuor habebat capita, quæ juncta tribus reliquis (singulæ enim tres singula habebant capita) universim faciebant septem capita.

Mystice Hugo et Alcazar (quod tamen ipse putat esse litterale) : bestia hæc est mundus, in quo, ut ait S. Joannes, *epist.* I, cap. ii, vers. 16, non est aliud quam « concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, » id est luxuria, avaritia, ambitio; ursus enim symbolum est luxuriæ; pardus toto corpore ocellatus, avaritiæ; (avarus enim oculos et cor habet in pecuniis reposita : ubi enim est cor, ibi sunt et oculi; unde vulgo dicitur : « Ubi oculi, ibi amor; ubi manus, ibi dolor »); leo, superbiæ et ferocitatis.

Ad hæc, quod luxuria in pedibus, avaritia in corpore, superbia in ore, id est in capite bestiæ collocetur, significat, in infimis hominibus, qui quasi mundi pedes sunt, luxuriam fere potissimum dominari; in mediis, avaritiam; in capitibus et primoribus, superbiam. Et corpus quidem pantheræ, ursini pedes, atque os leoninum adumbrant, mundi corpus divitiis congerendis inhiare, ut exstare sic et eminere possit, atque se in turpem et libidinosam vivendi consuetudinem effundere. Rursum in medio avaritia constituitur, quia superbiæ et libidini opus est pecuniæ ope, et avaritiæ adminiculo; et inter illas duas, nempe avaritiam et libidinem, caput exerit superbia, utpote erecta atque arrogans in ipso ore et capite, juxta illud *Proverb.* xiv, 3 : « In ore stulti virga superbiæ. » At luxuria, ut fœda ac turpis, ad pedes ipsos abjicitur. Hucusque Alcazar.

Et dedit illi draco potestatem magnam. — Græce ἐξουσίαν, id est *primo*, auctoritatem et majestatem suam; *secundo*, licentiam et facultatem omnimode persequendi fideles; *tertio*, decipiendi artes, vires et efficacitatem; *quarto*, potestatem faciendi ficta miracula, per præstigias, per arcanorum revelationem, per adumbratam mortui suscitationem, etc.

Græce additur, « et thronum suum, » ut scilicet Antichristum colant omnes filii dæmonis, id est omnes impii, sitque ipse quasi diaboli vicarius, rex super omnes filios superbiæ.

Vers. 3 3. Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem. — Syrus, *quasi mactatum in mortem*; Arabicus, *quasi plagâ mortis*. Dicit *quasi*, vel quod vere occisum non esset, sed tantum lethaliter vulneratum, ut aliqui exponunt; vel potius, quia hæc non revera fiebant, sed per symbolicam visionem et similitudinem duntaxat repræsentabantur Joanni. Nam alioqui vere hoc caput occisum, id est occidendum erat, saltem secundum apparentiam externam et opinionem hominum; sequitur enim : « Et plaga mortis ejus curata est. » Sic cap. v, vers. 6, ait : « Vidi agnum tanquam occisum; » Christus enim vere fuit occisus, sed visus est Joanni « tanquam, » id est similis agno occiso. Simulabit enim Antichristus instar Christi veram a morte resurrectionem.

(1) Non potuit satis fœditas et sævitia Romanæ idololatriæ exprimi sub unius feræ imagine, itaque plures fuere assumendæ. Et eas maxime nominat Joannes, quarum ministerio Romani usi in pœnas Christianorum. *Pardali* varii coloris animal : sic idololatria Romana deos habebat mares, fœminas, mari-fœminas, maximos, medioximos, minimos, bonos, malos, medios, vario vultu, vario habitu, varia potestate. *Pedes similes pedibus ursi, et os leonis* ostendunt idololatriæ sæpe comitem fore sævitiam, nonnunquam etiam leonibus et ursis usuram in Christianos.



Jam quoad sensum, Alcazar qui per bestiam accipit Romanum Imperium, et Imperatores Ecclesiam persequentes, sic exponit : « Vidi unum, » id est primum caput, puta primum Imperatorem persecutorem Ecclesiæ, nimirum Neronem, occisum, et mox in Domitiano ejus successore quasi suscitatum et reviviscentem; Domitianus enim persecutionem a Nerone inchoatam, et sub Tito et Vespasiano sopitam, suscitavit et instauravit (1). Hinc veteres nonnulli simplicitate decepti, dum allegoriam non ut allegoriam, sed ut sonat, intelligunt, putarunt Neronem fore Antichristum, et rursum in fine mundi suscitandum et appariturum, uti refert S. Hieronymus in *Daniel.* xi, inter quos fuit Victorinus scribens in illud *Apocal.* xvii : « Et ipsa octava est. » Sic et Prosper in *Dimidio temporis* cap. viii. Verum hæc persecutionis instauratio non fuit miraculum, nec mirabile quid, aut novum et inauditum : quod tamen hic fuisse liquet, tum ex aliis, tum ex eo quod subditur : « Et admirata est universa terra post bestiam, » ita scilicet ut bestiam sequeretur, coleret et adoraret, ut sequitur. Græce est, καὶ ἐθαυμάσθη ἐν ὅλῃ τῇ γῇ ὀπίσω τοῦ θηρίου, id est, *et admiratio fuit in tota terra post bestiam*. Quocirca impertinens et præpostera plane est expositio Lutheri, Illyrici et Davidis Chytræi, qui pariter censent bestiam esse Romanum Imperium, quod vulneratum erat ad mortem, id est, plane declinabat et deficiebat; sed Antichristus, inquiunt, id est Papa, illud resuscitavit, cum ipsum in Carolum Magnum transtulit. Ut enim alia taceam, contigit hoc sub annum Domini 800, cum ipsi contendant Antichristum cœpisse regnare Romæ anno 600. Rursum, hinc sequitur Carolum Magnum, omnesque ejus posteros Imperatores, esse creaturas et proles Antichristi : quæ contumelia est atrocissima in Majestatem Imperialem totumque Imperium. Longius abeunt alii, qui per caput unum, id est primum, accipiunt Julium Cæsarem, quo occiso videbatur Imperium Romanum periisse, sed mox Augustus illud suscitavit.

Dico ergo, sensus est *primo*, q. d. « Vidi unum de capitibus, » id est, primum de regibus Antichristo subjectis, percussum plaga mortifera, v. g. in bello quod pro Antichristo geret, sauciari usque ad mortem, eumque sanari, vitæque restitui ab Antichristo ope et virtute diabolica; unde omnes ejus vires admirati ei se subdiderunt : ita Aretas, Suarez, tract. *De Antichristo*, et alii.

*Secundo* et potius, « unum de capitibus » intellige ipsum Antichristum, qui bestia septiceps est, simulque ejusdem caput primum et præcipuum; nam vers. 12, dicuntur homines adorasse bestiam cujus curata est plaga : adorabunt autem Antichristum, non autem aliquem alium e regibus. Finget ergo Antichristus plagam lethalem et incurabilem, ex eaque se mortuum simulabit, ac triduo transacto inopinato omnibus se redivivum sistet et ostendet, ut scilicet hac ratione imitetur Christum tertio die a morte resurgentem. Ita Beda, Primasius, Richardus, Ansbertus. Dicit autem « unum, » quia, ut videbimus cap. xvii, proprie unum tantum erit caput Antichristi; reliqua enim sex aliorum regum sunt : dicuntur tamen et illa Antichristi, quia illorum regna sibi vindicabit, eaque sibi subjiciet et quasi incorporabit Antichristus, ut in ipso quasi capite sit totum regnum impiorum, totumque corpus diaboli; omnium enim regum qui se præcesserunt impietatem et tyrannidem, æque ac potentiam et dominationem, ipse unus continebit et superabit.

Antichristus simulabit se a morte resurgere.

Nota, plagam hanc Antichristi revera non fore mortiferam; sed talis videbitur hominibus tantum, non autem talis reipsa erit : vel, si revera erit incurabilis, id tantum erit respectu artis et opis humanæ. Dæmoni enim totum nostrum corpus pervadenti, viresque herbarum et pharmacorum penetranti, naturaliter curabilis erit, ac proinde ejus curatio nec vim creati agentis (qualis est angelus et dæmon) transcendet, nec miraculum erit. Deus enim clavem et potentiam miraculorum sibi reservavit.

4. Et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiæ, — suscitandi se a morte : vere ergo tunc adorabunt diabolum, quasi numen Antichristi.

Et adoraverunt bestiam. — Alcazar draconis adorationem proprie, bestiæ vero, id est Romæ et Romani Imperii, improprie accipit, ut significet stultam reverentiam et cæcam subjectionem, quæ est quasi quædam adoratio. Ita enim Roma a Gentilibus scriptoribus, vel potius adulatoribus, vocata est « terrarum Dea, gentiumque. » Et Goltzius numismata plura exhibet cum hac inscriptione : Ῥώμῃ θεᾷ, *Romæ et Augusti templum, Romæ Deæ*, etc.

Verum proprie, ut draconis, ita et bestiæ, id est Antichristi, adoratio accipienda est : volet enim ipse adorari ut Deus, ideoque quasi numen sedebit in templo Dei, ut ait Apostolus, II *Thess.* ii, 4.

Dicentes : Quis similis bestiæ? — Ita Antichristum vocat Joannes, scilicet bestiam; sed ipsi ejus asseclæ et Antichristiani dicent : « Quis similis Christo nostro? » pro Messia enim et Christo eum recipient et colent : ita Beda.

5. Et datum est ei os loquens magna et blasphemias. — « Magna, » id est superba, arrogan-

(1) Rosenmullerus : Significatur, superstitioni Ethnicæ lethale quasi vulnus esse inflictum, scil. per religionem Christianam. Grotius et alii hoc lethale vulnus intelligunt de incendio Capitolii, bellantibus inter se Vitellianis et Flavianis. Cf. Tacitum, *Hist.* lib. III, 71, 72; IV, 53, 54. Juxta Allioli, agitur hic de Romano Imperio, bellis civilibus dilacerato, Augusti Imper. autem prudentia restituto.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tia. Sic *Psalm.* XI, 4 et 5, dicitur : « Disperdat Dominus linguam magniloquam, » id est tumidam et arrogantem. Et *Psalm.* XXXVII, vers. 17 : « Super me magna (id est præsumptuosa) locuti sunt. » Jactabit enim Antichristus se esse Christum Dei Filium, ac proinde Deum. Hinc secundo Alcazar, « magna, » id est blasphemias, ut vox *et* capiatur pro *id est*. Sic enim ait Poeta : « Nil magnum dixeris, » id est, ne jactes blasphemias. Et Horatius, lib. IV *Carm.*, ode 6 :

Dive, quem proles Niobea magnæ
Vindicem linguæ, Tityosque raptor,
Sensit, et Trojæ prope victor altæ
Phthius Achilles.

Et data est ei potestas facere. — Aliqui Græci codices addunt πόλεμον, id est *bellum*; sed melius alii tollunt et legunt generatim « facere, » id est agere quidquid libuerit.

Menses quadraginta duos, — id est, tres annos cum dimidio (1) : vide dicta cap. XI, vers. 2 et 3.

6. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in coelo habitant. — Antichristus ergo *primo* blasphemabit Deum : erit enim atheus, tolletque omnem Deum et numen, ut ipse solus pro Deo colatur, ut dixi II *Thess.* II, 4; *secundo*, ejus tabernaculum, id est Ecclesiam et templa; *tertio*, sanctos omnes, cœlites et Beatos.

Hinc patet Antichristi præcursores esse, ejusque spiritu agi nostros Novantes, qui templorum cultum et Sanctorum venerationem oppugnant et abolere conantur. Hoc enim quod ipsi inchoant, perficiet Antichristus.

Antichristus ergo rex orbis haberi volet, ac prædicabit se verum Christum esse mundi servatorem, Christum vero nostrum impostorem fuisse : quæ de Christi miraculis, regno, morte, resurrectione et ascensione in cœlos a Prophetis prædicta sunt, in sese uno omnia certissime implenda. Quare et mortuum se, et a mortuis resurgentem simulabit, ac post tres annos cum dimidio ex monte Oliveti, in quo Christus in cœlum ascendit, pariter et ipse in cœlum conscendere tentabit; sed ibi a Christo conficietur et dejicietur in tartara. Ita ex Daniele et Apocalypsi docent S. Hieronymus, Richardus, Anselmus, S. Thomas et S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. III.

7. Et est datum illi bellum facere cum sanctis, et vincere (bello subjugare, capere et occidere) eos.

Et data est illi potestas in omnem tribum et populum, et linguam, et gentem. — Hinc patet Antichristum sensim ita suum dilataturum imperium, ut tandem fiat orbis monarcha, illudque non aliis quam terræ finibus terminetur. Ita Joseph Acosta, lib. II *De Temp. novissimis*, cap. IX.

8. Et adoraverunt eam (bestiam, id est Antichristum) omnes qui inhabitant terram (ipsi terrena sapiunt, homines terreni et impii, unde limitans subdit), quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ. — Hinc mystice Alcazar : Adorare bestiam, inquit, est mundum diligere et colere.

Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi. — Aliqui post *occisus est* ponunt comma, et τὸ *ab origine mundi* referunt ad *non sunt scripta nomina*. Ita Andreas, Aretas, Ticonius, Ambrosius, Beda, Ribera et Alcazar, tumque sensus est facilis, scilicet adorasse bestiam illos, qui ab origine mundi non sunt scripti in libro vitæ, id est, qui non sunt prædestinati, sed reprobi. Verum alii, uti viciniùs, ita planius τὸ *ab origine mundi* referunt ad « occisus est, » tolluntque comma quod alii medium ponunt, uti idipsum tollunt Biblia Romana et alia passim. Tuncque sensus est duplex, primus, *q. d.* « Ab origine mundi, » id est jam olim, ab initio, et ante omnia, ab omni ævo, puta ab æterno, Agnus occisus est, id est, occidi decretus, præscitus et prædestinatus a Deo, quia ejus merito omnes electi prædestinati et scripti sunt in libro vitæ. Quocirca est hic elegans antithesis inter librum vitæ et Agnum occisum : illa enim vita ad quam destinantur electi, effectus et fructus est passionis et mortis Christi. Hinc et Ticonius pro ἐσφαγμένου, id est *occisus est*, legit ἐσφραγισμένου, id est *signatus est*. Sic Paulus ait Deum dedisse (id est dare decrevisse et prædestinasse) nobis sua dona ante tempora sæcularia, II *Timoth.* cap. I, 9. Sæpe enim per hebraismum verba realia pro mentalibus ponuntur, ut alibi ostendi. Ita Hugo, Gagneius, et alii hic, ac Gregorius de Valentia, III part., Quæst. XIX, disp. 1, puncto 3, et Gabriel Vasquez, III part., disp. 77, num. 66.

*Secundo*, Agnus occisus est ab origine mundi, non in se, sed in suis typis et figuris, puta sanctis Patriarchis et Prophetis, qui fidei et pietatis causa occisi sunt. Ita Ambrosius, Anselmus, Ansbertus, Thomas, Hugo, Viegas et alii. Christus ergo fuit Agnus occisus ab origine mundi, quia præsignatus fuit *primo*, in sacrificio Abelis, qui obtulit primogenita ovium, id est agnos, Domino; ac proinde Deo placens, ipsemet quasi agnus innocens factus est victima Deo, cum a parricida Cain occisus primus extitit orbis virgo et martyr. *Secundo*, in ariete sive agno masculo, quem pro Isaac substituit et immolavit Abraham, *Genes.* XXII, 13. Sic enim in Christi passione Judæis et tortoribus pro deitate surrogata, passa et immolata est humanitas. *Tertio*, in agno paschali, de quo fuse dixi *Exodi* XII. Etenim « pascha nostrum immolatus est Christus. Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores. » *Quarto*, in jugi sacrificio : quotidie enim Hebræi ex lege *Exodi* XXIX, 38, immolabant Deo tam mane quam vespere agnum : et hoc est sacrificium matutinum et vespertinum, quod sæpe offerri et refricat David in Psalmis, et Prophetæ. Ita Origenes

(1) Id est, *aliquandiu*.



Cyrillus et Euthymius in *Joannis* cap. I, vers. 24. *Quinto*, in aliis ovibus et agnis, qui ex lege Dei omni festo offerendi erant. *Sexto*, quia ab Isaia, cap. XXXV, vers. 7, et Jeremia, cap. XI, vers. 19, Christus comparatur agno. Hinc et Joannes Baptista demonstrans Judæis Christum sive Messiam eis promissum : « Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. »

Eleganter æque ac vere S. Paulinus, *epist.* 27 *ad Aprum* : « Ab initio, inquit, sæculorum Christus in suis patitur et triumphat; in Abel, occisus est a fratre; in Noe, irrisus a filio; in Abraham, peregrinatus; in Isaac, oblatus; in Jacob, famulatus; in Joseph, venditus; in Mose, expositus et fugatus; in Prophetis, lapidatus et sectus; in Apostolis, terra marique jactatus; in Martyribus, toties et tam varie occisus. Ipse et in te patitur opprobria, et ipsum in te odit hic mundus; sed gratias ipsi, quod vincit cum judicatur, et triumphat in nobis. »

9. Si quis habet aurem, audiat, — tum ea quæ jam dixi de bestia, ejusque adoratione, tum potius ea quæ sequuntur de sortium commutatione. Hæc enim res magni est momenti, magnamque poscit attentionem.

10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet. — In græco pro *duxerit* et *vadet*, est elegans paronomasia in verbis συνάγει, ὑπάγει. Sensus est, *q. d.* Nolite turbari, o fideles, cum videbitis Antichristum ita sævire ad libitum, ac prosperari, quia tandem et ipse qui alios capit, capietur a Christo, imo a diabolo captivus et vinctus rapietur ad tartara, æternumque gehennæ carcerem.

Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. — « In gladio, » id est gladio, est hebraismus; Hebræi enim instrumentis adjungunt ב, id est *in*. Jam « gladio, » id est violenta cæde, morte et ultione. Sic *Matth.* XXVI, 52, ait Christus : « Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt; gladio, » id est, violenta morte, Deo ulciscente; non autem quod tales homicidæ omnes præcise gladio interficiantur. Significat ergo Antichristum homicidam, imo parricidam, pariter violenta morte a Deo occidendum et trucidandum.

Hic (in his rebus adversis et persecutionibus, earumque longanimi tolerantia, et spe liberationis patebit et splendebit) patientia et fides Sanctorum, — *q. d.* In tanta Antichristi persecutione et prosperitate probabitur et declarabitur illustris virtus, constantia et fides Sanctorum; quia ipsi cum fide patientiam retinebunt, sperantes brevi sortium commutationem, scilicet Antichristi depressionem et vindictam, suam vero exaltationem et gloriam.

Nota : Tribulationes sunt quasi lydius lapis, quo probatur fidelitas et constantia Sanctorum. Hoc est quod ait *Eccli.* cap. XXVII, vers. 6 : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. » Hinc *Tobiæ* XII, 13, dicitur : « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. » Unde Arabicus hic vertit : *Et qui habet patientiam et fidem Sanctorum, beatus est*. Est ergo patientia quasi thorax impenetrabilis, omnes hostium ictus excipiens et elidens. Quocirca fideles hortatur Apostolus *Hebr.* XII, 1, dicens : « Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. » Et S. Jacobus cap. I, vers. 2 : « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis; scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur : patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. » Rursum Apostolus *ad Roman.* V, 3 : « Tribulatio, ait, patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. » In fine ergo mundi erunt viri patientissimi et fortissimi, ideoque Martyres illustrissimi.

Moraliter, vide hic ut virtus per adversa splendescat et ad gloriam evadat. Gagates accenditur aqua, oleo restinguitur, ait Plinius, lib. XXXVI, cap. XIX. Ita in adversis vera virtus ardet, tepet in prosperis, et affuso voluptatis oleo languescit et obruitur.

Nam virtus futile nomen,
Ni decus adfuerit patiendo, ubi tempora lethi
Proxima sint, pulchramque petat per vulnera laudem,

ait Silius, lib. IX. Dionysias lapis fuscus est, rubeas habens notas; qui si aquæ mixtus conteratur, vinum fragrat, ait Solinus : ita virtus, adversis excitata et quasi contrita, fragrat acrius. Quocirca recte Ovidius, lib. IV *Trist.*, *eleg.* 3 :

Quæriamque tuis tristem virtutibus imple,
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.

Et Aratus, lib. I in *Acta Apostol.* :

Nec cedite curis.
Virtuti damnosa quies, nullumque coronat
In stadio securus honor : sua gloria forti.
Causa laboris erit, rarusque ad gaudia miles
Cui pax sola fuit; victoria semen ab hoste
Accipit.

Pulegium hieme floret, rigente ubique frigore. Unde Cicero, lib. I *De Divinat.* : « Masculorum, ait, jecuscula bruma dicuntur augeri, et pulegium aridum florescere ipso brumali die : ita floret adversis agitata virtus. » Hinc S. Ambrosius, lib. I *Offic.*, cap. XXXIX : Fortitudo, ait, « imminentibus periculis ornamenta defendit virtutum omnium, et inexpiabili prælio adversus omnia vitia decernit; invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras. »

In numismate Trajani visebatur clava leonino insidens capiti, nimirum vir fortis et sapiens est πανδαμάτωρ, omnium domitor, instar Dei cujusdam terrestris.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UANL ®

« Sapiens autem vicinus proximusque diis consistit, excepta mortalitate similis Deo, » ait Seneca, cap. VIII, lib. *De Constantia sapientis.* » Idem *epist.* 66, hunc dat veræ virtutis typum : « Quemadmodum, ait, minora lumina claritas solis obscurat : sic dolores, molestias, *injurias* virtus magnitudine sua elidit atque opprimit ; et quocumque affulsit, ibi quidquid sine illa apparet, extinguitur, nec magis ullam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderint, quam in mari nimbus. » Quocirca Carolus, rex Neapolis, in insignibus habuit rupem terra scissam, in cujus cacumine erat crux, in summa cruce rosa cum hoc lemmate : *In patientia suavitas.*

11. ET VIDI ALIAM BESTIAM ASCENDENTEM DE TERRA, ET HABEBAT CORNUA DUO SIMILIA AGNI, ET LOQUEBATUR SICUT DRACO. — *Primo*, Lyranus, Aureolus et Dominicus Soto in IV *Sentent.*, dist. 49, quæst. 1, art. 2, per priorem bestiam, de qua vers. 1, accipiunt Sinochium, vel, ut alii vocant, Siroem, aut Sirum, Cosroæ regis Persarum filium, qui multos, uti Anastasium aliosque septuaginta monachos martyrio affecit : per hanc vero bestiam accipiunt Mahomet, auctorem Mahometismi, cujus miracula narrant Saraceni : *Primum*, quod sine dolore prodierit ex utero matris, circumcisus et hilaris. *Secundum*, quod in ejus natali omnia idola per totum orbem corruerint. *Tertium*, quod Lucifer arreptus ab Angelis, tunc immersus sit in profundum mare. *Quartum*, quod venti, aves et nubes de ejus educatione decertarint. *Quintum*, quod asina voce humana eum vocarit sigillum Prophetarum. *Sextum*, quod nubes atra semper etiam cœlo sereno, ejus capiti incubuerit. *Septimum*, quod lunam bipartito divisam conjunxerit et compegerit ; hinc Turcæ venerantur lunam, eamque in vexillis castris præferunt. *Octavum*, quod Angelus sit ei locutus. *Nonum*, quod arbor fici ab eo evocata, ei humiliter se inclinarit. *Decimum*, quod bos et agnus ei, quasi maximo internuntio Dei, locuti sint. Quocirca asserunt Mahometis nomen fuisse ante mundi creationem in conspectu Dei ; et quod, nisi fuisset, nequaquam mundum condidisset. Mahomet instituit imaginem bestiæ, id est, summum suæ sectæ Pontificem, quem Turcæ Calipham vocant, quem summe reverentur, cuique obediunt uti nos Romano Pontifici. Character ejus est circumcisio aliæque cæremoniæ ab eo inductæ. Injunxit suæ sectæ assectis, ut cum nullo de religione et lege sua disputent, sed quemlibet eam blasphemantem interficiant. Numerus nominis ejus 666 significat, ait Innocentius III, quod secta hæc durabit 666 annis. Verum jam mille annis duravit ; cœpit enim sub annum Christi sexcentesimum.

Ad hanc sententiam accedunt Joannes Annius, et ex eo Henlenius in judicio de Apocalypsi, quod velut prologus præfigitur Commentariis Aretæ in Apocalypsin. Hi enim per bestiam hanc intelligunt Mahometem, quem asserunt fuisse Antichristum. Verum Mahometem non fuisse Antichristum, multis certisque rationibus demonstrat noster Suarez tract. *De Antichristo*, et Pererius tract. de hac re, scilicet, *quod Mahomet non sit Antichristus.*

*Secundo*, Alcazar sicut per bestiam maris, vers. 1, ita et per hanc bestiam terræ accipit Romanum Imperium Ecclesiam Christi impugnans ; per bestiam enim maris significatur Romani Imperii amplitudo et majestas, quæ Evangelii humilitati ex diametro erat adversa ; per bestiam terræ vero significatur terrenus effrenatarum cupiditatum affectus, qui in Romanis aliisque gentibus eis subditis, integer ac vivus exstabat. Atque, ut verbo dicam, significantur hic tres fidelium et Ecclesiæ hostes, scilicet draco, id est diabolus ; bestia maris, id est mundus, et bestia terræ, id est caro : qui tres pariter significantur et alludunt ad Satanam, Leviathan et Behemoth, de quibus in lib. Job fit mentio. Duo cornua bestiæ sunt comminatio ac severitas, quibus sapientia carnis Evangelium exterminare conabatur. Secundario duo hæc cornua fuerunt duo insignes Magi cæteris nobiliores, nimirum Simon Magus et Apollonius Tyaneus, qui Christo et Apostolis per falsa miracula et inanem sapientiæ ostentationem pertinacissime repugnarunt. « Loquebatur sicut draco, » id est loquela ejus dulcis erat, seseque facile insinuans, ita ut illam audire perinde esset, ac serpentis vel diabobli sibilos exaudire. Viri enim spirituales dicunt et docent carnis loquelam et instinctum esse loquelam et instinctum dæmonis. Alludit ad loquelam serpentis, qui Evam per gulam decepit, persuadendo ei pomi vetiti esum, *Genes.* III. Hinc Jacob, cap. III, vers. 15, de hac carnis sapientia ait, quod sit « terrena, animalis, diabolica, » quia scilicet loquitur ut draco. Fecit « ignem de cœlo descendere, » id est, præ se tulit zelum divinum et velut cœlo delapsum, quasi eum ad persequendam Ecclesiam nihil aliud stimularet, quam zelus honoris et cultus diis impendendi. Fecit et imaginem bestiæ loqui, quia per idola dæmon loquebatur et dabat responsa. Ita ipse ex suo fine et scopo.

*Tertio*, melius S. Gregorius, XXXIII *Moral.*, XX, Aretas, Rupertus, Haymo et Pannonius hic per hanc bestiam accipiunt universos Antichristi ministros, maxime præcones et prædicatores. « De terra quippe ascendere, inquit S. Gregorius, est de terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua Agni similia, quia per hypocrisin sanctitatis, eam quam in se veraciter Dominus habuit, singularem sibi inesse sapientiam mentitur et vitam. Sed quia sub Agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infundit, recte subditur : Et loquebatur ut draco. »

*Quarto* et optime, Ambrosius, Andreas, Irenæus, lib. V, cap. XXVIII ; Tertullianus, lib. *De Resurrectione carnis*, cap. XXV ; Ribera, Viegas et alii per hanc bestiam accipiunt insignem aliquem impostorem, qui erit quasi præcursor et præco



Antichristi : hunc enim ille habebit instar Christi, qui præcursorem habuit S. Joannem Baptistam. Quocirca Irenæus, lib. V, sub finem, eum vocat hyperaspistem et armigerum Antichristi. Atque hac ratione Antichristus, qui volet coli ut Deus, imitabitur mysterium SS. Trinitatis, quæ est in Deo, scilicet ut draco sit Pater, ipse sit Filius, hic vero impostor ejusque præco sit instar Spiritus Sancti ; sicut enim Patri Christus defert, et Christum Spiritus Sanctus clarificat : ita diabolum ut patrem suum colet Antichristus, Antichristum pseudopropheta hic signis magnis prædicabit et nobilitabit. Ita Josephus Acosta, lib. II *De Tempor. noviss.*, cap. XVII, qui et cap. XI, mirum cujusdam præcursoris Antichristi in Peru a se visi refert exemplum : qui cum esset Doctor Theologus, et quasi oraculum illius loci haberetur, a muliercula deceptus, se dicebat esse redemptorem mundi per efficaciam, Christum vero fuisse tantum per sufficientiam ; ideoque flammis traditus, pertinax in sua superbia et hæresi, his miser a morte præsenti in æternam transiit (1).

ET HABEBAT CORNUA DUO SIMILIA AGNI. — Hæc duo cornua erunt species et simulatio mansuetæ sanctimoniæ, ut videatur esse Agnus ; et potestas faciendi miracula, ut videatur esse thaumaturgus instar Christi : quibus quasi cornibus potentissime sibi homines conciliabit, plurimosque ad Antichristi sectam et jugum trahet. Possent *secundo*, duo cornua significare duos ejus administros et cooperatores insignes, dotibus jam dictis ad decipiendum instructos. Sic enim bestiæ, id est Antichristi, cornua decem erunt decem reges, ejus administri et adjutores. *Tertio*, Josephus Acosta, lib. II *De Tempor. noviss.*, cap. XVII : Duo, inquit, cornua Episcopalis dignitatis, puta mitræ sive infulæ (hæc enim est bicornis) insigne sunt. Videtur ergo quod hic pseudopropheta erit Episcopus quispiam apostata et simulator religionis, Ecclesiastici honoris proditor, qui draconis venenum suis sermonibus populo propinabit. Porro insulse hæretici putant hic taxari gradum et mitram Episcopalem, quasi biformem, cum potius laudetur ; vocatur enim « duo cornua Agni, » id est, duo robora æque ac ornamenta Christi. Non ergo infula, sed infulatus apostata taxatur, qui perfide hisce cornibus Christi abutetur ad sectam Antichristi propagandam. Sic olim Ursacius, Valens, Eusebius aliique Episcopi Arii hæresim propagarunt.

Nota : Cornu apud priscos signum et symbolum erat regni, imo divinitatis. Alexander Magnus, ut vulgo persuaderet se filium Jovis Hammonii, ejus cornua assumpsit, ait Athenagoras, lib. XII, et Clemens Alexandrinus, *Exhortat. ad Gentes.* Nam, ut canit Silius Italicus, lib. XIV :

> Hammon numen erat Libycæ gentile carinæ,
> Cornigeraque sedens spectabat cærula fronte.

Bacchus, priusquam nasceretur, habuit cornua quibus perforavit Jovem. Unde Euripides in *Baccho*, actu 1, eum vocat tauricornem.

Statius, lib. II *Thebaid.*, Inachum cornutum facit :

> Pater ipse bicornis
> In lævum pronus nisus sedet Inachus urna.

Celebre est cornu Amaltheæ. A diis cornua translata sunt ad reges illos priscos, innocentia et virtute diis proximos. Hinc aruspex, visis in capite Cippi cornibus, dixit hæc ei regnum Latii portendere, teste Ovidio, lib. XV *Metamorph.* :

> Rex, ait, o salve. Tibi enim, tibi, Cippe, tuisque
> Hic locus, et Latiæ parebunt cornibus arces.

Io cornuta dicitur peperisse reges Thebanos, teste Euripidio in *Phæniss.*, actu 3.

Acutum fuit Demetrii responsum Philippo regi datum : Si rex esse vis, utroque cornu bovem retine, id est Peloponnesum : testis est Plutarchus in *Arato.*

Nec id solum apud profanos, verum et apud fideles et sacros. Mosi Deus *Exodi* XXXIV, cornua, id est radios lucis instar cornuum, affixit, ut eum ducem et legislatorem auctoraret,

> Flammea cornuto librantem lumina vultu,
> Gestantemque sacris jura superna libris.

Cornu ergo symbolum est roboris et potestatis. Josepho, id est, posteris ejus, puta regibus Israel ex filio ejus Ephraim nascituris, benedicens Moses, *Deuteron.* XXXIII, 17 : « Cornua, ait, rhinocerotis cornua illius : in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ. » Et Deus David, *Psalm.* CXXXI, vers. 17 : « Illuc producam, inquit, cornu (imperium) David ; » qui vicissim grato animo illud in Deum auctorem resignans, lib. II *Regum* cap. XXII, vers. 3 : « Deus, ait, etc., cornu salutis meæ. » Et vers. 48 : « Deus qui das vindictas mihi, et dejicis populos sub me. » Impostor ergo hic bicornis, Antichristi domini sui imperium æque ac divinitatem, duobus hisce cornibus repræsentare et persuadere sataget.

Symbolice, duo cornua sunt fraus et vis, quibus Antichristus, ejusque hic præcursor, gentes sibi subiget, juxta illud vulgatum : *Arte et marte,*

(1) *Sexto*, Bossuetius et Allioli explicant de idololatria, repræsentata sub alia imagine, nempe tum de philosophis seu potius sophistis qui novis ac fallacibus disputationibus, tum de Ethnicis sacerdotibus qui præstigiis et miraculis fictis, superstitionem suam ornare et confirmare voluerunt : ideo hæc bestia cornua habet similia Agni, id est, potestatem *spiritualem.* Rosenmullero bestia hæc symbolum est hominum, qui Christo ejusque religioni favere videbantur, sed revera hostibus nominis christiani erant annumerandi. Hoc tertium genus adversariorum Christi sunt falsi doctores, Antichristi nominati a Joanne in I Epistola, qui sapientiam et pietatem singularem præ se ferebant, sed flagitiosissime vivebant, et alios etiam ad omne genus flagitiorum impellebant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et loquebatur sicut draco, — quia doctrina ejus erit serpentina, id est callida, fraudulenta, venenata et diabolica, ideoque aptissima ad decipiendum homines. Sicut enim draco, id est diabolus, decipiens Evam, locutus est per os serpentis, ita et loquentur per os hujus pseudoprophetæ.

12. Et potestatem prioris bestiæ (Antichristi) omnem faciebat in conspectu ejus, — *q. d.* Hic pseudopropheta et præcursor Antichristi, pro Antichristo, et coram Antichristo faciet miracula, omniaque illa in speciem illustria, quæ faciet ipse Antichristus, idque Antichristo ipso mandante et adjuvante, ut per hæc facta et signa persuadeat hominibus Antichristum esse Messiam Dei Filium, ideoque adorandum. Unde sequitur :

Et fecit terram, et habitantes in ea, adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis.— «Et» significat *id est, q. d.* «Terra,» id est, habitantes in terra, homines terreni terræque bonis affixi sinent se seduci ab hoc pseudopropheta, et adorabunt Antichristum ob ejus miracula, præsertim quod seipsum a morte visus sit suscitare.

13. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de coelo descendere. — S. Joannes prædicit hic tria miracula quæ Antichristus, vel per se, vel per suum præcursorem faciet. *Primum* est, quod simulabit se a plaga lethali resurgere, ut dixit vers. 3. *Secundum* est hoc, quod ignem e cœlo evocabit quasi ejus dominus, id est Antichristus, sit filius et hæres Salomonis, imo alter Salomon rex, de quo ait Scriptura, lib. II *Paral.* cap. vii, vers. 1 : « Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo et devoravit holocausta et victimas ; » ac alter Elias, de quo ignem e cœlo contra hostem suum evocante dicitur, lib. IV *Regum* cap. i, vers. 10 : « Descendit itaque ignis de cœlo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo. » Sic enim hic impostor ignem e cœlo minabitur iis qui nolent cedere et credere Antichristo. *Tertium* est vers. 15, quod faciet imaginem statuæ suæ loqui. Quæ omnia vel ficta, vel falsa erunt miracula : vel enim vitium erit in materia, ut revera non fiant, sed per diaboli oculos intuentium perstringentis præstigias, hominibus videantur fieri; vel vitium erit in forma : omnia enim fient vi non divina et supernaturali, sed physica et naturali.

Hoc est quod prædixit Christus, *Matth.* xxiv, 24 : « Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. » Et *Marc.* xiii, 22 : « Et dabunt signa et portenta ad seducendos (si fieri potest) etiam electos. » Et Paulus, II *Thessal.* ii, 9 : « Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione. » Vide ibi dicta. Ex eo enim loco liquet multa alia miracula, aut potius mira; facturum Antichristum; unde Sibylla, lib. III *Oracul.*, quatuor alia addit, scilicet quod Antichristus sistet mare, quod sistet solem et lunam, quod montes transferet, quod pl res mortuos suscitabit. Verum, inquit, hæc non erunt vera signa, sed fallacia. Plura recensent S. Methodius, Hippolytus et Ephrem, quorum verba citavi II *Thessal.* ii, 9.

14. Dicens ut faciant (homines) imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, et vixit, — id est, suadens et persuadens hominibus ut faciant et adorent statuas Antichristi, qui percussus gladio et quasi occisus, videtur miraculose resurrexisse, ut dixi vers. 3.

15. Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur, — *q. d.* Hic præcursor Antichristi in statuam Antichristi immittet spiritum, puta dæmonem familiarem, qui per statuam loquetur, ut olim locutus est Apollo Delphicus, ita ut statua Antichristi videatur animata, ipsaque loqui. Ita Richardus, Rupertus, Aretas.

16. Et faciet omnes habere characterem in manu. — Sicut nos gerimus signum crucis, ait Ambrosius, ita Antichristus faciet omnes suum signum, quasi characterem gestare. Putant nonnulli quod Antichristus suis asseclis notam certam fronti aut manui inuret ferro, aut cultro incidet, aliove modo imprimet vel affiget, uti nos facimus pecudibus et jumentis nostris. Talem enim notam Latinis significat character, et Græcum χάραγμα proprie significat notam impressam vel insculptam. Ita Vatablus et Viegas. Sic olim milites signabantur stigmate in manu, uti ex *Codice Justiniani* et S. Augustino, Chrysostomo, Prudentio docet Lipsius, lib. I *De Militia Romana*, dialog. 9, imo S. Gregorio, epist. 100 *ad Mauricium*, et 100 *ad Theodorum medicum*, ubi imperatoris edicti meminit, ne quis manu signatus ante expletam militiam in monasterium recipiatur. Quin et Vegetius, lib. I, cap. viii, et lib. II, cap. v : «Puncturis, ait, in cute punctis scribuntur milites.» Ita Ariani præcursores Antichristi, sub Hunerico rege, cogebant Orthodoxos a sacerdotibus Arianis rebaptizari, et hujus rei chirographum eis deinde tradebant. «Quia non licebat, ait Victor Uticensis, lib. III *Wandal.*, sive privatis, sive negotiatoribus, alicubi transire, nisi scriptam characteris istius suam ostenderent mortem (id est, se esse ab eis rebaptizatos, quod erat peccatum mortale, mortemque animæ attulerat), quam per revelationem servo suo Joanni olim ostenderat Christus, ubi dicit, nulli licere aliquid emere, nisi qui haberet characterem bestiæ in fronte sua, vel in manu sua.» Character ergo Hunerici erat chirographum, sive testimonium, quod quis ab Arianis esset rebaptizatus : simili forte modo character hic Antichristi in charta excudetur, et singulis dabitur ut eum affigant fronti, vel manui. Hoc enim facillimum et expeditissimum erit in tanto Antichristianorum numero. Porro, nulli licere aliquid emere, idem est quod igni et aqua interdicere, atque ab omni hominum commercio et con-



tubernio quasi detestabiles et execrabiles arcere, utpote perversæ et pestiferæ fidei ac religionis. Itaque credibile est zelantiores Antichristianos, eosque qui præ cæteris gratiam Antichristi aucupabuntur, sibi suisque incisuros vel inusturos ejus characterem; alios vero eum vel impressum in charta, vel insculptum in medalliis, in fronte aut manu gestaturos. Sic Antichristi prodromus Diocletianus atrox edidit edictum, ne quis quidquam Christianis venderet aut subministraret, nisi prius thure diis adolevissent; de quo ita canit Venerabilis Beda in *Hymno* S. *Justini Martyris* :

Non illis emendi quidquam,
Aut vendendi copia,
Nec ipsam haurire aquam
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent
Detestandis idolis.

Quæres : Quisnam erit character Antichristi? *Primo*, Alcazar censet characterem non fore alium quam ipsum nomen, vel numerum nominis bestiæ. Verum verba aliud indicant ; ait enim vers. 17 : « Qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus : » ergo hæc tria inter se erunt distincta, scilicet character, nomen et numerus nominis Antichristi.

*Secundo*, Viegas censet tres fore Antichristi characteres : *primum*, imaginem Antichristi ad vivum expressam; *secundum*, nomen ipsius proprium propriis litteris inscriptum; *tertium*, litteras quæ continent numerum nominis ejus per compendium, qui numerus erit 666. Itaque omnes compellentur aliquid horum trium quasi characterem Antichristi in fronte aut manu dextera gestare, ut hic ait S. Joannes : proprie ergo per characterem Viegas accipit imaginem Antichristi.

*Tertio*, S. Hippolytus, lib. *De Consum. sæculi*, censet nomen, æque ac characterem Antichristi, fore ἀρνοῦμαι, id est *nego*. Sicut enim olim Trajanus (teste Plinio), Decius aliique tyranni, qui volebant Christianos reducere ad cultum suorum idolorum, exigebant ab eis ut dicerent : Nego Christum crucifixum; ita Antichristus, ait Hippolytus, dicet : Nega Deum tuum crucifixum. Ejus ergo sigillum et character, quem ab omnibus exiget, erit hic : « Nego Creatorem cœli et terræ, nego baptismum, nego adorationem a me Deo præstari solitam : tibi adhæresco, in te credo. » Hæc enim erit apostasiæ et apostatarum professio. Quocirca Pererius in *Daniel.* xii, 1 : Inter plures, ait, convenit hoc fore insigne Antichristi : *Nego baptisma*, vel *nego Jesum*.

*Quarto*, Ribera hic ad vers. 4 putat Antichristum pro charactere habiturum formam draconis (sicut Romani olim aquilas gestabant, et per singulas cohortes dracones, quos qui portabant draconarii dicebantur, teste Vegetio, lib. II *De Re militari*, cap. xiii), ut ea repræsentet suum dæmonem a quo missus est, et a quo agetur et regetur. Verum superbia Antichristi, æque ac dæmonis, non feret hanc formam; nec enim dæmon draco videri et nominari, nec Antichristus a dracone missus videri volet, præsertim quia ipse solus volet adorari ut Deus.

*Quinto* ergo, verisimilius Primasius et Ansbertus (qui asserit hoc sibi a Deo esse revelatum) censent characterem Antichristi, fore nomen Antichristi, hoc charactere per compendium ex-



pressum. Ubi littera P est ρ Græcum, qui respondet R Latinum : duæ lineæ transversæ faciunt X *chi* Græcum, respondens *ch* Latino : tertia linea recta inter duas transversas media est I *iota* Græcum, respondens *i* Latino, quæ sunt tres initiales litteræ nominis Χριστός, id est *Christus*. Antichristus enim vocabit se Christum et Messiam. Id ita esse patet *primo*, quia, vers. 17, vocatur character nominis ejus : ergo charactere hoc nomen ejus per compendium exprimetur, uti exprimitur in figura jam dicta. *Secundo*, quia Constantinus hanc notam et characterem Christi jam dictum, in labaro castris præferebat, eoque vicit Maxentium aliosque hostes. Unde Prudentius, lib. II *Contra Symmachum*, agens de Romano Stiliconis exercitu, ita canit :

Cecinere tubæ : prima hasta dracones
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.

Ergo verisimile est idem facturum Antichristum, qui erit Rex potentissimus, et Constantino gloriosior : erit enim ipse simia Christi et Christianorum Imperatorum, voletque haberi, nominari et coli ut Christus. *Tertio*, quia Julianus Apostata, uti ipsemet testatur in *Mysopogone*, nomen Christi exprimebat per litteram X *chi*. Ipse autem fuit typus et prodromus Antichristi.

Tropologice, disce hic characterem Christi esse crucem puram et genuinam, *Apoc.* vii, 3; Antichristi vero characterem esse P, id est ῥόδον, hoc est rosam et voluptatem, inter suas spinas caput attollentem. Ita Tertullianus, lib. *De Corona militis*, docet Christiani coronam esse eam, quæ fuit Christi, nimirum spineam, non roseam, adeoque illicitum esse Christianum coronari rosis, myrto, lauro, etc., hisce enim coronari idola, deosque Gentium, id est dæmones; quocirca nobis cum Christo, et ex Christi institutione, S. Catharina Senensi, omnibusque Martyribus et Sanctis, in hac vita eligendam esse spineam, ut in futura rosea, imo aurea et gemmea, coronemur; ut et illam, inquit ipse cap. xiv, « coronam æmuleris, quæ postea ei obvenit, qui et favos post fella gustavit, nec ante Rex gloriæ a cœlestibus salutatus est, quam Rex Judæorum proscriptus in crucem, minoratus primo a Patre modicum quid citra Angelos, et ita gloria et honore coronatus. Si ob hæc caput ei tuum debes, tale, si potes, ei repende, quale suum pro tuo obtulit; aut nec floridis coroneris, si spinis non potes. » Idem ;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

lib. *De Spectaculis*, cap. XXVIII : « Nostræ, ait, cœnæ, nostræ nuptiæ nondum sunt ; non possumus discumbere cum illis (mundanis et voluptuariis), quia nec illi nobiscum. Vicibus disposita res est. Nunc illi lætantur, nos conflictamur. Sæculum (inquit) gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, Christiane, si et in sæculo voluptatem concupiscis ; imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. Dicas velim : Non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum, quam quod et Apostoli, exire de sæculo, et recipi apud Dominum? Hic voluptas, ubi et votum. » Et mox : « Quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam integra conscientia, quam mortis timor nullus, quod calcas deos nationum, etc., quod Deo vivis? Cursus sæculi intuere, tempora labentia dinumera, nefas consummationis exspecta, ad tubam Angeli erigere, ad martyrii palmas gloriare. » Hac de causa S. Petrus, S. Paulus, S. Andreas, S. Ignatius, cruces sitiebant, ad martyria velut ad epulas anhelabant ; delicias vero, pompas, opes, honores fugiebant et aversabantur. Crux ergo est character Sanctorum et electorum, voluptas vero est character impiorum et reproborum.

IN FRONTIBUS. — S. Ephrem, tractat. *de Antichristo*, ait id facturum Antichristum hoc fine, ne scilicet sit locus in fronte, in quo crux per manum dexteram formetur et pingatur. Timebit enim ne facto signo crucis, vis sua et potestas corruat.

Mystice S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, cap. IX : « In fronte, ait, per professionem ; in manu, per operationem ; » et S. Prosper in *Dimidio temporis*, cap. V : « Inscriptio in fronte, inquit, est gloriatio in malis operibus ; inscriptio in manu, est operatio. »

17. AUT NUMERUM NOMINIS EJUS, — puta numerum 666, qui Græce exprimitur per litteras χ, ξ, ς ; χ enim notat 600, ξ, 60, ς 6. Verum incertum est an Antichristus Græca lingua, litteris et numero utetur, an Hebræa (erit enim Judæus, Judæorum princeps et Messias), an qua alia. Rursum, incertum est an tot tantum (puta tres) sint futuræ litteræ quot sunt ciphræ senarii ; an vero plures litteræ unam ciphram sint confecturæ, v. g. ρ notat centum, σ ducenta, τ trecenta : quæ simul juncta faciunt sexcenta, qui est primus senarius in 666.

18. HIC SAPIENTIA EST, — *q. d.* Sapite, advertite vos qui vivetis tempore Antichristi, videbitisque ejus nomen et numerum nominis arithmetice efficere 666. Hic enim opus est sapientia, et sapienti ac solerti numeri hujus indagine et supputatione, ut tum ex eo, nomini ejus adæquate respondente ; cum ex aliis dictis et dicendis, cognoscatis ipsum esse quem ego hic prædico, scilicet Antichristum. Unde explicans subdit : « Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. » Rursum : « Hic sapientia est, » ut scilicet quisquis ex hoc numero bestiam agnoverit, ejus insidias devitet, eique fortiter sese opponat, et Christo usque ad mortem constanter adhæreat. Sapientia enim est « androdamas, » hoc est virorum et virilium animi motuum, puta iræ, amoris, timoris, etc., domitrix :

Inconcussa locat pura sacra [illegible] menti.

NUMERUS ENIM HOMINIS EST. — *Primo*, plane et genuine, quasi dicat : Numerus hic nominis est cujusdam particularis et certi hominis (1), puta Antichristi, ne quis putet eum non fore hominem, sed bestiam, aut dæmonem, uti putavit S. Hippolytus, tractat. *De Consummatione sæculi*. Ita Beda. Unde *secundo*, Richardus : Numerus, ait, hominis est, id est, qui ab homine facile supputari potest. Et Alcazar, *q. d.* Cui suppetunt ingenii vires, valorem litterarum, quas continet bestiæ nomen, accurate observet, ejusque summam subducat. Est enim numerus hominis, id est, qui ab homine humano more computari potest et debet. Et Aretas, *q. d.* Nomen de quo loquor non est insuetum et insolens, sed hominibus notum et familiare, utpote cujus litteræ juxta communem hominum per litteras computum faciunt 666. *Tertio*, alii putant S. Joannem in voce *hominis* seipsum designare, *q. d.* Hæc computatio mea est, estque valoris earumdem litterarum quas scripsi, *epist.* I, cap. II, vers. 16. Ita Alcazar, de quo mox plura.

Symbolice, *q. d.* Numerus hic senarius est, isque triplicatus, scilicet 666. Dicitur senarius numerus hominis, quia sexto die mundi creatus est homo, *Genes.* I, 26. De quo symbolo audi Petrum Bongum, tractat. *De Mysteriis numerorum* : Antichristus, inquit, volet nominari Deus ; erit tamen bestia, id est, creatura et homo ; unde ait Joannes : « Numerus hominis est. » Numerus enim creaturæ et hominis est senarius, quia sexto die complevit Deus rerum creationem, ac septimo die quievit : hinc et septenarius est numerus Dei, senarius hominis. Porro senarius hic non est simplex, sed triplex, scilicet 666. Nam de primo, id est, singulari limite, in secundum, id est decimum, transgressus facit sexaginta ; idemque in tertium, id est centenum, traductus, facit sexcenta, qui simul positi faciunt 666. Nimirum, ut notetur triplex diaboli, qui Antichristo præsidebit, transgressio et prævaricatio, æque ac damnatio. *Prima* est, quando judicatus in cœlo sententiam damnationis accepit. *Secunda*, quando in serpente, per quem hominem deceperat, maledictione mulctatus est. *Tertia*, quando in Antichristo mundum seducens perturbabitur in tartara, quando nimirum Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.

ET NUMERUS EJUS SEXCENTI SEXAGINTA SEX. — Hunc aliqui ex Aureolo et Lyrano putant Antichristum fuisse Mahometem, qui regnavit usque ad annum Domini 666. Rursum, litteræ nominis Mahomet, si arithmetice accipiantur quasi indices numerorum, faciunt numerum 666. Ita senserunt olim Cedrenus, et Zonaras, lib. III *Annalium*, ac Genebrardus, lib. III *Chronol.*, quos citavi vers. 1.

(1) Seu, *hominem* indicat hic numerus.



Verum falluntur : videtur enim certum esse et clarum e Scriptura, quod Mahomet non fuerit Antichristus, sed alius exspectetur, isque futurus sit sub finem mundi. Rursum, Mahomet regnare cœpit anno Christi 620, ac regnavit decem annos, desiitque et mortuus est anno Christi 630, non 666 : ita ex veterum annalibus Cardinalis Baronius.

*Secundo*, Calvinistæ et Lutherani contendunt Bonifacium III Pontificem fuisse primum Antichristum, quia is primus Papæ universalis nomen a Phoca Imperatore accepit sub annum Domini DC ; sed multipliciter errant : *primo*, quia numerus bestiæ, id est Antichristi, hic dicitur esse, non 600, sed 666, sive triplex senarius ; in eo enim latet vis et mysterium. *Secundo*, quia ante Bonifacium III, Leo I in Concilio Chalcedonensi, et alii Pontifices vocati sunt a Patribus et a fidelibus Papæ Œcumenici, uti fuse ostendunt Baronius et Bellarminus. *Tertio*, quia hic numerus 666 non est temporis, sed hominis. *Quarto*, quia Antichristus erit singularis homo, contra quem certabunt Elias et Henoch, ac per tres annos cum dimidio regnabit sub finem mundi, etc. Jam autem Papæ Romæ post Bonifacium III regnant plus quam mille annos.

*Tertio*, Alcazar per bestiam accipit non Antichristum, sed Romanum Imperium Ethnicum et persequens Ecclesiam. Hujus, inquit, nomen est *superbia vitæ*, quæ græce dicitur ἡ ἀλαζονία βίου ; hæ enim Græcæ voces, si earum litteræ singulis arithmetice pro numeris supputentur, adæquant numerum 666. Hoc nomen gesserunt Romani Imperatores et persecutores. *Primo* in manu, superbiam hanc contra humiles Christianos ostendendo, et per plagas ac mortes exequendo ; *secundo* in fronte, de eadem gloriando et se jactando. Idem nomen notavit Joannes, *epist.* I, cap. II, vers. 16, dicens : « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. »

Verum hoc nomen sibi non assumpsit, nec prætulit Romanum Imperium : esto rem ipsam prætulerit. Hic autem agitur de nomine quod bestiæ erit proprium, quodque ipsa præferet. Adde, certum est apud omnes bestiam hanc fore Antichristum, non Romanum Imperium.

Dico ergo ad litteram : Nomen proprium Antichristi eas litteras continebit, quæ arithmetice acceptæ præcise faciant numerum 666. Ita passim Patres et Interpretes, qui proinde aut conjectando, aut potius exempli causa, varia afferunt nomina quæ hunc numerum adæquant. *Primo*, Irenæus affert nomen λατεῖνος, quod perperam hæretici ad Pontificem Romanum detorquent, ut patet ex dictis, et ex eo quod Irenæus hoc nomen tribuat non Papæ, qui jam tum existebat, sed Antichristo, quem asserit venturum in fine mundi, foreque regem et Imperatorem. Ait enim : « Quoniam verissimum regnum hoc habet vocabulum. Latini enim (non Pontifices, sed Imperatores) sunt qui nunc regnant » (1). *Secundo*, Rupertus et Haymo afferunt nomen γενσηρικός, id est, *gentium seductor*, quasi ejus prodromus fuerit Gensericus, rex Wandalorum, qui Romam vastavit sub Leone I Pontifice. *Tertio*, Anselmus et Richardus afferunt nomen ἄντεμος, id est, *honori contrarius* ; Antichristo enim nullus honor, sed potius omne probrum et anathema convenit. *Quarto*, S. Hippolytus, tractat. *De Consummatione sæculi*, affert ἀρνοῦμαι, id est, *nego* ; coget enim Antichristus omnes dicere : Nego Christum crucifixum. *Quinto*, alii afferunt nomen τειτᾶνος, id est, *gigantis* ; erit enim Antichristus instar priscorum gigantium superbissimus, æque ac impiissimus. *Sexto*, Aretas affert nomen νικητής, id est, *victor*, et insuper alia sex. Noster Viegas affert quindecim. Quin et Saxonice *Martin Lauter* ; Græce *David Chitræus* ; Hebraice *Joannes Calvinus*, uti et *Beza Antitheos* reddere hunc numerum 666 annotarunt Lindanus in *Dubitantio*, dialogo 3, Bellarminus, lib. III *De Pontif.*, cap. X (2). Quocirca cum tam varia afferantur, quæ hunc numerum 666 reddant, et multo plura afferri possint, nec ulla exstet revelatio, quæ certum Antichristi nomen explicet et determinet, temerarium est definire quodnam ex omnibus reipsa futurum sit, præsertim cum S. Joannes studio illud subticuerit (3). Ideo ergo tantum hunc nominis ejus nu-

(1) Acquiescit Allioli in antiquissima hac ab Irenæo memorata interpretatione, quandoquidem nomen λατεῖνος et Imperium Romanum exprimit, præterea que nomen hominis est, et numero 666 exacte respondet. Si enim pro nomine λατεῖνος valor tantum, quem litteræ ejus ut numerorum signa præbent, spectatur, efficitur numerus ille, scil. λ = 30, α = 1, τ = 300, ε = 5, ι = 10, ν = 50, ο = 70, ς = 200, quæ omnia 666 efficiunt. Objicit Bengelius, λατεῖνος cum ε sumi non debuisse : ι enim præcum subsequente consona Latini quidem per i exprimunt, ut [illegible], [illegible] ; sed i Latinum Græce non transit in ει, neque λατεῖνος analogiam habet : non enim scribitur [illegible] λεῖνος, etc. sed [illegible], [illegible], etc. Respondent multi Græcos, nonnunquam certe, in vocabulis Latinis mutasse i ante n in ει, veluti in [illegible], [illegible], etc.

(2) Non omittendum vox ἀποστάτης, quod est nomen Antichristi : αα enim = 2, π = 80, ο = 70, ς = 6, τ = 300, η = 8, σ = 200. Horum autem numerorum summa est 666.

(3) Hæc Verschrage : « Iste numerus hic profecto satis laboriose quæsitus, satisque difficulter obtentus est ; et probabile quidem non videtur talem operationem arithmeticam a D. Joanne fuisse propositam, et a Spiritu Sancto intentam ; in variis enim litterarum numeralium computationibus, quæ ab auctoribus proponuntur, non apparet illa specialis *sapientia*, nec sublimis ille intellectus, quæ commendat S. Joannes initio hujus versus, ad computandum numerum Bestiæ, quæque videntur omnino supernaturalia debere esse ; cum in his litterarum computationibus sola quædam mere naturalis requiratur subtilitas. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

merum 666 affert, ut cum natus, et nominatus fuerit Antichristus, omnes ex hoc numero nomini ipsius respondente, illudque adæquante, et ex aliis signis tum hoc capite et præcedenti a Joanne, tum a Daniele, cap. VII, et XI, tum a Paulo, II *Thessal.* cap. II, allatis, colligant illum esse Antichristum.

Ita Sibylla, lib V. *Oracul.*, per numeros nomina multorum Imperatorum præcinuit. Nam de Tiberio canit :

Post tempora longa
Imperium tradet cuidam, cui prima valebit
Littera tercentum.

T enim Græcis notat 300.

De Caio Caligula :

Deinde notam trini numeri sortitus habebit
Imperium.

C enim notat 3 ; aut potius γ, quæ prima est in Græco γαῖος, notat 3.

De Nerone :

Quem vero dominum nota quinquagesima signat,
Dirus erit serpens.

N enim notat 50.

De Vespasiano :

Hinc veniet quidam magnus, cæsorque malorum,
Quem nota perspicua decies septena docebit.

O enim, quæ prima est in nomine Vespasiani; si græce scribatur (pro Latino enim V Græci scribunt ω), notat 70.

De Tito :

Filius ast hujus (nota tricenaria monstrat)
Auferet imperium.

T enim notat 300.

De Domitiano :

Post quem fatale tenebit
Imperium, numeri quem quarti littera signat.

Δ enim notat 4.

De Nerva :

Hinc quinquagenum numerum vir honestus habebit.

N enim notat 50.

De Trajano :

Quem sequitur cui dat nota tricenaria nomen.

T enim notat 300.

Simili schemate numerorum, quo Joannes hic denotat nomen Antichristi, Heliodorus, lib. IX *Æthiop.*, docet Nilum non aliud esse quam annum; litteris enim quæ nomine *Nilus* continentur, in numeros distributis, consurgent ter centum et 65 unitates, quot et dies sunt anni, ut patet ex hac litterarum nominis *Nilus* et numerorum combinatione.

| | |
|---|---|
| N | 50. |
| E | 5. |
| I | 10. |
| Λ | 30. |
| O | 70. |
| Σ | 200. |
| *Summa* | 365. |

Sic in epigrammatibus Græcorum, lib. II, *Epigramm.* 253, salse et acute ostenditur, Damagoræ cujusdam nomen ἰσόψηφον esse in numeris cum nomine λοιμός, id est *pestis*, id quod ex hac descriptione liquet :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Δ | 4. | Λ | 30. |
| Α | 1. | Ο | 70. |
| Μ | 40. | Ι | 10. |
| Α | 1. | Μ | 40. |
| Γ | 3. | Ο | 70. |
| Ο | 70. | Σ | 200. |
| Ρ | 100. | *Summa* | 420. |
| Α | 1. | | |
| Σ | 200. | | |
| *Summa* | 420. | | |

Denique simili modo Sibylla, lib. I *Oracul.*, prædixit nomen Christi litteris suis expressurum numerum 888. Hunc enim exprimit nomen *Jesus* : in Græco enim Ἰησοῦς, I notat 10, η 8, σ 200, ο 70, υ 400, ς 200, quæ simul juncta faciunt 888. Ubi adverte Christi nomen continere 888, Antichristi vero 666, quia octonarius symbolum est perfectionis, consummationis et felicitatis æternæ (præsertim si ter iteretur, uti fit in 888) quam præstat Jesus; Antichristus vero felicitatem hanc prætendet, promittet, et ad eam aspirabit, sed non pertinget : nec eam, sed ejus umbram et fucum tantum exhibebit, suisque præstabit. Senarius enim hominis creati, imperfecti et corruptibilis, ac peccatoris est symbolum, uti paulo ante dixi.

Nota *secundo* : Ea quæ hoc capite describit Joannes connexa sunt cum capite præcedenti, ut patet utraque inter se conferenti : tamen hæc ipsa S. Joanni exhibita sunt per diversas visiones et symbola, uti et aliis Prophetis sua oracula, ut distinctius seorsim quæque intelligeret, et intellecta describeret et explicaret. Idem factum est in sequentibus : ubi proinde subinde videbimus ordinem perturbatum, et hysterologiam more prophetico.

Ex hoc capite præcedenti ac sequenti liquet quanta quamque acris, varia et omnimoda futura sit persecutio Antichristi. Nam *primo*, tunc diabolus extremas iras et vires exeret; unde dicitur, cap. XII, vers. 12 : « Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet! » *Secundo*, quia Antichristus omnes artes adhibebit ad decipiendum : scilicet simulatam sanctimoniam, eloquentiam, sapientiam, blanditias, promissa, opes, honores, minas, terrores, tormenta acerbissima : ac insuper faciet miracula, id est, mira quæ hominibus videbuntur miracula. Unde S. Gregorius, XXXII *Moral.*, cap. XII : « Pensemus, inquit, quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr et corpus tormentis subjicit, et tamen ante oculos ejus tortor miracula facit? Cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, signis coruscat? Dicitur igitur recte : Stringit caudam suam quasi cedrum, quia nimirum et altus tunc erit veneratione prodigii, et durus crudelitate tormenti; unde et per David dicitur : Insidiatur in abscondito, quasi leo in cubili suo. » Denique Antichristus erit organum diaboli, et quasi diabolus incarnatus. Unde Apostolus, II *Thessal.* II, 9 : « Cujus est adventus, inquit, secundum operationem Satanæ, in omni virtute et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt. » Quocirca, ut ait S. Hippolytus, tract. *De Consummatione sæculorum*, erunt tunc Martyres prioribus sæculis illustriores et subliminores; certabunt enim contra draconem, et Antichristum omnis nequitiæ principem, ac utrumque vincent, et de utroque triumphabunt. Itaque gravitas et acerbitas persecutionis Antichristi patet ex dictis, tum hoc cap., tum II *Thessalon.* II, 11, Quæst. V. Quibus adde eamdem ex priscis Gentilium et hæreticorum persecutionibus metiendam et conjectandam esse. Hasce enim omnes quasi præambulas velitationes, hæc ultima Antichristi complectetur, et longe transcendet.

*Primo* ergo, lege quæ scribit Eusebius, Orosius, Baronius et alii de immani persecutione Neronis, Decii, Diocletiani aliorumque Imperatorum primis trecentis post Christum annis : hæc omnia in tres annos cum dimidio Antichristi confer et confla, et videbis quanta ipsius immanitas sit futura. Quæ enim trecentis annis sparsim passi sunt Christiani successive, hæc omnia patientur simul iidem numero Christiani tribus annis cum dimidio ab Antichristo, imo longe plura et diriora. Nam Nero et cæteri ejus sequaces fuerunt tantum typus et præludium Antichristi; hoc est enim quod de eo ait Apostolus, II *Thessal.* II, 7 : « Mysterium jam operatur iniquitatis. »

*Secundo*, lege quæ de persecutione Wandalorum scribit Victor Uticensis; Donatistarum, Optatus Milevit.; Arianorum, S. Athanasius et alii : ac scito has tantum fuisse umbras Antichristi. Atque ut alios prætercam, umbra Antichristi fuit Constantius, Imperator Arianus. Nam *primo*, Constantius inconstantissimus « novas semper fides quærit, » ait S. Hilarius, lib. *ad Constantium*. *Secundo*, Constantius patientiam et lenitatem affectabat, sed per ministros furorem suum explebat. *Tertio*, Constantius ab Arianis appellatus est Æternus : ita Antichristus volet coli et adorari ut Deus æternus. Rursum Constantius habitus est loco Antichristi, dum suum palatium vult esse ecclesiam, ait S. Athanasius, epist. *ad Solitar.* : sic Antichristus in templo Dei, quasi in palatio suo sedebit, teste Apostolo, II *Thessal.* II, 4. Insuper *quarto*, Constantius in exiliis separabat Confessores ab invicem, ne mutuo se solarentur et animarent, cum Decius et Diocletianus hac consolatione eos non privarent, sed simul et conjunctos in exilium relegarent, ait S. Hilarius loco citato. *Quinto*, Constantius volebat videri et haberi Christianus et Catholicus, ideoque Catholicos orthodoxos ad suam sectam pellicere satagebat ficta benevolentia, ne videretur imitari sævitiam Decii et Diocletiani, cum tamen reipsa esset sævior; nam fideles ita discruciabat, ut tamen eos enecari nollet, ut iidem absque martyrio viverent in tormentis. Unde S. Basilius, *epist.* 60, asserit tam atrocem et horribilem fuisse persecutionem Constantii, ut putet eam esse initium persecutionis Antichristi.

Audi S. Hilarium loco citato : « Utinam, omnipotens Deus, ætati meæ et tempori præstitisses, ut hoc confessionis meæ in te, atque in Unigenitum tuum ministerium Neronianis, Decianisque temporibus explessem! Nec ergo per misericordiam Domini et Dei Filii tui Jesu Christi, calens equuleum metuissem, qui dissectum Isaiam scissem; nec ignes timuissem, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem; nec crucem, nec fragmenta crurum meorum vitassem, postquam translatum in paradisum latronem recordarer; nec profundum maris, et Pontici æstus absorbens rheuma trepidassem, cum per Jonam et Paulum docuisses fidelibus esse in mari vitam. Adversus enim absolutos hostes, felix mihi illud certamen fuisset, etc.; et nos populi tui tanquam duces suos, ad confessionis religionem intelligentia persecutionis publicæ comitarentur. At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat; non proscribit ad vitam, sed ditat ad mortem; non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem; non latera vexat, sed cor occupat; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit; non ignes publice minatur, sed gehennam privatim accendit; Christum confitetur, ut neget. » Et inferius : « Omnia sævissima sine invidia gloriosarum mortium peragis. Novo inauditoque ingenii triumpho de diabolo vincis, et sine martyrio persequeris. Plus crudelitati vestræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus. Diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est, dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, etc. At tu omnium crudelitatum crudelissime, damno majore in nos, et venia minore desævis. Subrepis nomine blandientis, occidis specie religionis. Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas et



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in peccato veniam, et in confessione martyrium. Sed hæc pater ille tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere sine contumacia, jugulare sine gladio, persequi sine infamia, odire sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, blandiri sine bonitate; agere quod velis, nec manifestare quæ velis. »

*Sexto*, Constantius miris artibus et fraudibus orthodoxos pervertere satagebat. Audi eas persequentem S. Hilarium : « Vestem ovis tuæ, lupe rapax, cernimus. Auro reipublicæ Sanctam Dei honoras, osculo sacerdotes excipis, quo et Christus est proditus : caput benedictioni submittis, ut fidem calces; convivio dignaris, ex quo Judas ad proditionem egressus est : censum capitum remittis, quem Christus, ne scandalo esset, exsolvit : vectigalia Cæsaris donas, ut ad negationem Christianos invites; quæ tua sunt relaxas, ut quæ Dei sunt, amittantur. Hæc tua falsa ovis indumenta sunt. »

Denique Constantio ademptum est imperium cum vita, dum ipse ademit divinitatem Christo Dei Filio, idque a Juliano Apostata, quem ipse quasi cognatum, consortem et hæredem imperii designarat, Cæsaremque crearat. Quocirca moriens Constantius de tribus indoluit, ait S. Gregorius Nazianzenus, oratione *De Laudibus S. Athanasii* : « Unum, quod generi suo necem attulisset (nam initio imperii nonnullos sanguine junctos occidit); alterum, quod Julianum Apostatam Imperatorem (creando eum Cæsarem) nominasset; tertium, quod novis fidei dogmatibus studuisset, simulque cum his vocibus e vita discessit. » Hæc et plura faciet quoque Antichristus.

*Tertio*, Constantium, Decium et Diocletianum, cæterosque persecutores superavit Julianus Apostata, ideoque præ illis omnibus fuit typus et præcursor Antichristi. Ejus ergo persecutio fuit acerbissima, multis de causis. Nam *primo*, Julianus magos alebat, eorumque artibus magicis utebatur, ac nuntios habuit dæmones, quos elisit S. Publius monachus, ut patet ex ejus Vita. *Secundo*, desertoribus et apostatis honores tribuebat, suis blanditiis fideles ad apostasiam et idololatriam sollicitabat. Ita blanditus est Gregorio Nazianzeno, ornando præfectura ejus fratrem Cæsarium; sed refutavit hoc Gregorius, jussitque Cæsario ut præfecturam Juliano resignaret. *Tertio*, pietatem simulabat; hinc parabat ædificare monasteria et virginum cœnobia, ac domos hospitales, ait Nazianzenus, oratione 1 *in Julianum*. *Quarto*, « Christianos liberales litteras doceri ac discere vetuit, » inquit S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.*, cap. LII, ut scilicet eos armis sapientiæ privaret, quibus suam fidem propugnabant. Rursum, ut Christianos vocaret in odium et contemptum, vocabat eos Galilæos, et ut ab omnibus ita vocarentur, publico edicto sanxit. *Quinto*, invidebat Christianis martyrium, nolebatque eorum constantia in tormentis vinci et confundi. Nam, ut ait S. Chrysostomus, serm. *De S. Juventio et Maximo*, quos Julianus martyrio affecit : « Videns Julianus etiam teneros pueros et virgines pro religione ad mortem prosilire, cruciabatur et dolebat. Cæterum movere bellum manifeste nolebat : omnes enim, dicebat, ad martyrium, quasi ad alvearium apes volabunt. » Et inferius : « Cum occiderentur, suspenderentur, adurerentur, præcipitarentur, bestiis objicerentur fideles, carbones sicut lutum calcabant, mare et fluctus sicut pratum intuebantur, ad gladium sicut ad diadema et coronam currebant. Neque horti aquis irrigati ita germinant, ut Ecclesiæ si Martyrum rigentur sanguine. Non ergo, inquit, eis triumphos et coronas paremus. Sed quid facit? medicos, milites et oratores omnes, vel a professionibus suis discedere, vel fidem suam abjurare jubet, tela eminus mittens, ut si a fide desciscerent, ridicule vincerentur : sin generose perseverarent, et vincerent, parva videretur victoria : nihil enim magnum, artem vel professionem pro pietate contemnere. » *Sexto*, simulabat patientiam et clementiam, cum esset furibundus et crudelissimus. Hinc persecutionem suscitavit; sed executionem ac tyrannidem civitatibus, ac populari turbæ, cujus audacia est effrena et intolerabilis, permisit, ait Nazianzenus, orat. 1 *in Julianum*, ubi eum chamæleontem vocat, quod in omnes fraudum formas se verteret, sed ita ut post illecebras frustra adhibitas, statim plus violentiæ adhiberet. Rursum, cum Martyres fidei causa occideret, morti eorum non fidem, sed aliam politicam prætexebat causam et culpam, uti faciunt etiamnum Calvinistæ. *Septimo*, signum crucis ex labaro et aliunde sustulit, ac pro eo Jovem substituit, teste Sozomeno, lib. V, cap. XVI. Reliquias S. Babylæ Martyris, et aliorum, quibus magorum et dæmonum vis frangebatur, eorum monitu exportari fecit, ait Chrysostomus, orat. *Contra Gentes*. *Octavo*, ingeniose artes fideles pervertendi excogitabat. Ita Constantinopoli tempore Quadragesimæ in foro, dum esset annonæ caritas, nonnisi carnis idolis immolatas venales proponi curavit, ut cives cogeret idolothytis vesci, aut fame emori. Ita Clericos militiæ adscribi jussit; fideles magnis tributis oneravit; Pastores et Episcopos in exilium egit, ut populum simplicem carentem ducibus, facilius ad suam sectam pertraheret. Christianos ad libitum bonis privavit, sola hac de causa, quod Christus Christianis præceperit temporalium rerum et opum despicientiam. Rursum Judæos, Arianos et Donatistas hæreticos in Christianos grassari permisit, imo excitavit, ut Christiani mutuis se litibus et cædibus conficerent; testis est Optatus, lib. II. *Nono*, Julianus ut auctoritatem sibi apud plebem conciliaret, credi voluit Alexander Magnus (credebat enim ipse, et ab aliis credi volebat, Pythagoricam μετεμψύχωσιν, id est, animarum ex uno corpore in aliud transmigrationem), quasi Alexandri anima in se transmigrasset, ipseque in altero corpore esset Alexander, uti ex Socrate narrat Cardinalis Baronius, anno Christi 363. Denique Julianus divinitus telo cœlesti percussus interiit, et tamen moriens divinos honores affectavit. Hæc et plura præstabit quoque Antichristus, tantumque hosce omnes superabit, quantum corpus superat umbram, veritas typum, exemplar imaginem.



Ex hoc ergo capite colligas qualis futurus sit Antichristus, quæ ejus dotes et mores, scilicet *primo*, ex vers. 1, quod erit potentissimus; bestiam enim decemque ejus cornua, id est, omnia regna mundi, subjugabit. *Secundo*, vers. 2, quod erit sævus ut ursus, superbus ut leo, varius et vafer ut pardus. *Tertio*, ibidem, quod diabolus ei tradet omnem suam potestatem, per eumque omnes et extremas suas vires exeret. *Quarto*, vers. 3, quod finget se resurgere a mortuis. Hinc *quinto*, vers. 4, quod adorabitur ab hominibus. *Sexto*, vers. 5, quod erit blasphemus in Deum, Ecclesiam et Sanctos, quodque ut monarcha regnabit tres annos cum dimidio. *Septimo*, vers. 7, quod bellabit contra Sanctos, eosque occidet. *Octavo*, ibidem, quod omnes omnino gentes sibi subiget, eritque orbis totius monarcha. *Nono*, vers. 10, quod tandem a Christo occidetur. *Decimo*, vers. 12, quod habebit suum præcursorem, pseudoprophetam, qui suadebit et coget omnes adorare Antichristum. *Undecimo*, vers. 13, quod faciet ficta miracula, scilicet ut ignis de cœlo descendat, et imago Antichristi loquatur. *Duodecimo*, vers. 14, jubebit passim pingi Antichristi imaginem quasi resurgentis a morte. *Decimo tertio*, vers. 15, jubebit occidi omnes qui nolent adorare imaginem Antichristi. *Decimoquarto*, vers. 16, coget omnes gestare characterem aut nomen Antichristi in dextera manu, aut in fronte, statuetque ut nemo sine eo quid emere aut vendere possit. *Decimo quinto*, vers. 18, quod nomen Antichristi suis litteris exprimet numerum 666.

# CAPUT DECIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*S. Joannes cap.* XII, XIII, *recensuit diram et acrem persecutionem Antichristi; jam ne fideles percellantur, recenset 144 millia, qui tunc Antichristo generose resistent, non tam lingua, quam vita. Nam in summa morum licentia quam dabit Antichristus, servabunt virginitatem; quocirca eorum gloriam et palmas subjungit, quod nimirum sint empti de terra, quasi primitiæ Deo et Agno, quod sequantur Agnum quocumque ierit, quod habeant nomen Dei et Agni in frontibus, quod sint citharœdi Dei, et cantent canticum novum. Secundo, vers. 6, transit ad tres Angelorum voces, quorum primus edicit, ut homines timeant Deum, eo quod instet ejus judicium. Secundus, vers. 8, edicit Babylonis casum et ruinam. Tertius, vers. 9 Antichristi, asseclis minatur gehennam. Tertio, vers. 13, audit e cœlo vocem :* Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Quarto, Angelus unus edicit Christo, ut falce demetat electos. Alius Angelus edicit alteri, ut vendemiet botros, id est reprobos, eosque mittat in lacum iræ Dei : in eum ergo missi, ibidem quasi uvæ calcantur, ita ut sanguis eorum exundet usque ad frenos equorum per 600 stadia. Omnia hæc eo spectant, ut homines caveant a peccatis, nec cedant minis aut promissis Antichristi.*

1. Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta
quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. 2. Et
audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui
magni : et vocem, quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. 3. Et
cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores; et
nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt
de terra. 4. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi sequuntur
Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, et Agno.
5. Et in ore eorum non est inventum mendacium : sine macula enim sunt ante thronum
Dei. 6. Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum,
ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et
linguam, et populum; 7. dicens magna voce : Timete Dominum, et date illi honorem, quia
venit hora judicii ejus; et adorate eum, qui fecit cœlum, et terram, mare, et fontes aquarum.
8. Et alius Angelus secutus est dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa magna quæ a vino

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in peccato veniam, et in confessione martyrium. Sed hæc pater ille tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere sine contumacia, jugulare sine gladio, persequi sine infamia, odire sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, blandiri sine bonitate; agere quod velis, nec manifestare quæ velis. »

*Sexto*, Constantius miris artibus et fraudibus orthodoxos pervertere satagebat. Audi eas persequentem S. Hilarium : « Vestem ovis tuæ, lupe rapax, cernimus. Auro reipublicæ Sanctum Dei honoras, osculo sacerdotes excipis, quo et Christus est proditus : caput benedictioni submittis, ut fidem calces; convivio dignaris, ex quo Judas ad proditionem egressus est : censum capitum remittis, quem Christus, ne scandalo esset, exsolvit : vectigalia Cæsaris donas, ut ad negationem Christianos invites; quæ tua sunt relaxas, ut quæ Dei sunt, amittantur. Hæc tua falsa ovis indumenta sunt. »

Denique Constantio ademptum est imperium cum vita, dum ipse ademit divinitatem Christo Dei Filio, idque a Juliano Apostata, quem ipse quasi cognatum, consortem et hæredem imperii designarat, Cæsaremque crearat. Quocirca moriens Constantius de tribus indoluit, ait S. Gregorius Nazianzenus, oratione *De Laudibus S. Athanasii* : « Unum, quod generi suo necem attulisset (nam initio imperii nonnullos sanguine junctos occidit); alterum, quod Julianum Apostatam Imperatorem (creando eum Cæsarem) nominasset; tertium, quod novis fidei dogmatibus studuisset, simulque cum his vocibus e vita discessit. » Hæc et plura faciet quoque Antichristus.

*Tertio*, Constantium, Decium et Diocletianum, cæterosque persecutores superavit Julianus Apostata, ideoque præ illis omnibus fuit typus et præcursor Antichristi. Ejus ergo persecutio fuit acerbissima, multis de causis. Nam *primo*, Julianus magos alebat, eorumque artibus magicis utebatur, ac nuntios habuit dæmones, quos elisit S. Publius monachus, ut patet ex ejus Vita. *Secundo*, desertoribus et apostatis honores tribuebat, suis blanditiis fideles ad apostasiam et idololatriam sollicitabat. Ita blanditus est Gregorio Nazianzeno, ornando præfectura ejus fratrem Cæsarium; sed refutavit hoc Gregorius, jussitque Cæsario ut præfecturam Juliano resignaret. *Tertio*, pietatem simulabat; hinc parabat ædificare monasteria et virginum cœnobia, ac domos hospitales, ait Nazianzenus, oratione 1 *in Julianum*. *Quarto*, « Christianos liberales litteras doceri ac discere vetuit, » inquit S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.*, cap. LII, ut scilicet eos armis sapientiæ privaret, quibus suam fidem propugnabant. Rursum, ut Christianos vocaret in odium et contemptum, vocabat eos Galilæos, et ut ab omnibus ita vocarentur, publico edicto sanxit. *Quinto*, invidebat Christianis martyrium, nolebatque eorum constantia in tormentis vinci et confundi. Nam, ut ait S. Chrysostomus, serm. *De S. Juventio et Maximo*, quos Julianus martyrio affecit : « Videns Julianus etiam teneros pueros et virgines pro religione ad mortem prosilire, cruciabatur et dolebat. Cæterum movere bellum manifeste nolebat : omnes enim, dicebat, ad martyrium, quasi ad alvearium apes volabunt. » Et inferius : « Cum occiderentur, suspenderentur, adurerentur, præcipitarentur, bestiis objicerentur fideles, carbones sicut lutum calcabant, mare et fluctus sicut pratum intuebantur, ad gladium sicut ad diadema et coronam currebant. Neque horti aquis irrigati ita germinant, ut Ecclesiæ si Martyrum rigentur sanguine. Non ergo, inquit, eis triumphos et coronas paremus. Sed quid facit? medicos, milites et oratores omnes, vel a professionibus suis discedere, vel fidem suam abjurare jubet, tela eminus mittens, ut si a fide desciscerent, ridicule vincerentur : sin generose perseverarent, et vincerent, parva videretur victoria : nihil enim magnum, artem vel professionem pro pietate contemnere. » *Sexto*, simulabat patientiam et clementiam, cum esset furibundus et crudelissimus. Hinc persecutionem suscitavit; sed executionem ac tyrannidem civitatibus, ac populari turbæ, cujus audacia est effrena et intolerabilis, permisit, ait Nazianzenus, orat. 1 *in Julianum*, ubi eum chamæleontem vocat, quod in omnes fraudum formas se verteret, sed ita ut post illecebras frustra adhibitas, statim plus violentiæ adhiberet. Rursum, cum Martyres fidei causa occideret, morti eorum non fidem, sed aliam politicam prætexebat causam et culpam, uti faciunt etiamnum Calvinistæ. *Septimo*, signum crucis ex labaro et aliunde sustulit, ac pro eo Jovem substituit, teste Sozomeno, lib. V, cap. XVI. Reliquias S. Babylæ Martyris, et aliorum, quibus magorum et dæmonum vis frangebatur, eorum monitu exportari fecit, ait Chrysostomus, orat. *Contra Gentes*. *Octavo*, ingeniose artes fideles pervertendi excogitabat. Ita Constantinopoli tempore Quadragesimæ in foro, dum esset annonæ caritas, nonnisi carnis idolis immolatas venales proponi curavit, ut cives cogeret idolothytis vesci, aut fame emori. Ita Clericos militiæ adscribi jussit; fideles magnis tributis oneravit; Pastores et Episcopos in exilium egit, ut populum simplicem carentem ducibus, facilius ad suam sectam pertraheret. Christianos ad libitum bonis privavit, sola hac de causa, quod Christus Christianis præceperit temporalium rerum et opum despicientiam. Rursum Judæos, Arianos et Donatistas hæreticos in Christianos grassari permisit, imo excitavit, ut Christiani mutuis se litibus et cædibus conficerent; testis est Optatus, lib. II. *Nono*, Julianus ut auctoritatem sibi apud plebem conciliaret, credi voluit Alexander Magnus (credebat enim ipse, et ab aliis credi volebat, Pythagoricam μετεμψύχωσιν, id est, animarum ex uno corpore in aliud transmigrationem), quasi Alexandri anima in se transmigrasset, ipseque in altero corpore esset Alexander, uti ex Socrate narrat Cardinalis Baronius, anno Christi 363. Denique Julianus divinitus telo cœlesti percussus interiit, et tamen moriens divinos honores affectavit. Hæc et plura præstabit quoque Antichristus, tantumque hosce omnes superabit, quantum corpus superat umbram, veritas typum, exemplar imaginem.

Ex hoc ergo capite colligas qualis futurus sit Antichristus, quæ ejus dotes et mores, scilicet *primo*, ex vers. 1, quod erit potentissimus; bestiam enim decemque ejus cornua, id est, omnia regna mundi, subjugabit. *Secundo*, vers. 2, quod erit sævus ut ursus, superbus ut leo, varius et vafer ut pardus. *Tertio*, ibidem, quod diabolus ei tradet omnem suam potestatem, per eumque omnes et extremas suas vires exeret. *Quarto*, vers. 3, quod finget se resurgere a mortuis. Hinc *quinto*, vers. 4, quod adorabitur ab hominibus. *Sexto*, vers. 5, quod erit blasphemus in Deum, Ecclesiam et Sanctos, quodque ut monarcha regnabit tres annos cum dimidio. *Septimo*, vers. 7, quod bellabit contra Sanctos, eosque occidet. *Octavo*, ibidem, quod omnes omnino gentes sibi subiget, eritque orbis totius monarcha. *Nono*, vers. 10, quod tandem a Christo occidetur. *Decimo*, vers. 12, quod habebit suum præcursorem, pseudoprophetam, qui suadebit et coget omnes adorare Antichristum. *Undecimo*, vers. 13, quod faciet ficta miracula, scilicet ut ignis de cœlo descendat, et imago Antichristi loquatur. *Duodecimo*, vers. 14, jubebit passim pingi Antichristi imaginem quasi resurgentis a morte. *Decimo tertio*, vers. 15, jubebit occidi omnes qui nolent adorare imaginem Antichristi. *Decimoquarto*, vers. 16, coget omnes gestare characterem aut nomen Antichristi in dextera manu, aut in fronte, statuetque ut nemo sine eo quid emere aut vendere possit. *Decimo quinto*, vers. 18, quod nomen Antichristi suis litteris exprimet numerum 666.



# CAPUT DECIMUM QUARTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

**S. Joannes** *cap.* XII, XIII, *recensuit diram et acrem persecutionem Antichristi; jam ne fideles percellantur, recenset 144 millia, qui tunc Antichristo generose resistent, non tam lingua, quam vita. Nam in summa morum licentia quam dabit Antichristus, servabunt virginitatem; quocirca eorum gloriam et palmas subjungit, quod nimirum sint empti de terra, quasi primitiæ Deo et Agno, quod sequantur Agnum quocumque ierit, quod habeant nomen Dei et Agni in frontibus, quod sint citharœdi Dei, et cantent canticum novum. Secundo, vers. 6, transit ad tres Angelorum voces, quorum primus edicit, ut homines timeant Deum, eo quod instet ejus judicium. Secundus, vers. 8, edicit Babylonis casum et ruinam. Tertius, vers. 9 Antichristi, asseclis minatur gehennam. Tertio, vers. 13, audit e cœlo vocem :* Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Quarto, Angelus unus edicit Christo, ut falce demetat electos. Alius Angelus edicit alteri, ut vendemiet botros, id est reprobos, eosque mittat in lacum iræ Dei : in eum ergo missi, ibidem quasi uvæ calcantur, ita ut sanguis eorum exundet usque ad frenos equorum per 600 stadia. Omnia hæc eo spectant, ut homines caveant a peccatis, nec cedant minis aut promissis Antichristi.*

1. Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta
quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. 2. Et
audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui
magni : et vocem, quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. 3. Et
cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores; et
nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt
de terra. 4. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi se-
quuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, et Agno.
5. Et in ore eorum non est inventum mendacium : sine macula enim sunt ante thronum
Dei. 6. Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æter-
num, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et
linguam, et populum; 7. dicens magna voce : Timete Dominum, et date illi honorem, quia
venit hora judicii ejus; et adorate eum, qui fecit cœlum, et terram, mare, et fontes aqua-
rum. 8. Et alius Angelus secutus est dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa magna quæ a vino

iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes. 9. Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna : Si quis adoraverit bestiam, et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua : 10. et hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni. 11. Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum : nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam, et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus. 12. Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu. 13. Et audivi vocem de cœlo, dicentem mihi : Scribe : Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos. 14. Et vidi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam. 15. Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem : Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. 16. Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, et demessa est terra. 17. Et alius Angelus exivit de templo, quod est in cœlo, habens et ipse falcem acutam. 18. Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem; et clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens : Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus. 19. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum. 20. Et calcatus est lacus extra civitatem, et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.

1. Et vidi, et ecce Agnus stabat (1). — Joannes passim hic Christum vocet Agnum, mireque ea voce delectatur ob causas quas recensui cap. v, vers. 6, et quia alludit ad *Isaiæ* xvi, 1 : « Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. » Hunc enim Agnum jam emissum, et in Sion cum multis asseclis sui similibus consistentem, depingit hic Joannes. *Tertio*, et maxime, quia agit hic de virginibus qui sequuntur Agnum. Hi enim sunt ἁγνοί, id est casti. Christus ergo Agnus (uti hac visione significatur) amat agnellos, agnas et agnos, amat innocentes, virgines et Martyres. Unde S. Augustinus, serm. 1 *De Innocent.* : « Agni, ait, debent immolari, quia Agnus futurus est crucifigi, qui tollit peccata mundi. » Amat Christus agnetes et castos : sicut ferrum trahit magnes, sic Christum sua trahit Agnes. Unde ait Apostolus : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, » II *Cor.* xi, 2. Hinc rursum vult Christus suos esse oves, ut sinant se ab eo regi quasi oves a pastore, plene in eum resignatæ. Ipse enim « deducit velut oves Joseph; » ipse est pastor ovium, de quibus ait Joannes *Evang.* cap. x : « Oves meæ vocem meam audiunt. » Mirum est quod agni mox nati matris balatum inter mille oves et matres agnoscant, statimque ad matris ubera accurrant : sicut mater inter mille agnos suum agnoscit. Ita fideles Christi vocem internam et externam audiunt et agnoscunt. Unde et Christus ait : « Ego cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. » Hinc oves et agnos hos in judicio collocabit a dextris, atque secum in cœlum deducet; hœdos vero a sinistris deturbabit in tartara. Talis fuit David et S. Paulus dicentes : « Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. » Tales fuerunt Apostoli, fortes ut leones, sed mites et patientes ut agni, utpote Agni Dei filii et discipuli, qui ab eo audierunt : « Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, » *Lucæ* x, 3.

Stabat supra montem Sion, — quia in Sion ædificatum erat a Salomone templum ; hinc Sion allegorice significabat Ecclesiam novam sub Christo militantem, quia hæc cœpit in Sion. Nam, ut prædixit Isaias cap. ii, vers. 3 : « De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Sion enim hebraice significans *speculam*, significat totius sanctimoniæ celsitatem, quæ Deum jugiter respicit, intendit et contemplatur, ad eumque magnis virtutum passibus quotidie ascendit et contendit. Sion ergo, teste S. Hieronymo, lib. I *Contra Jovinianum*, notat virtutum culmen, quod erit in Sanctis hisce virginibus in fine mundi, simile illi quod Apostoli adepti sunt in Sion in die Pentecostes. Cernit ergo Joannes hic Agni exercitum virgineum in virtutum culmine, et in simili spiritus perfectione, qualis data fuit Apostolis et Sionidis in monte Sion. Ibi enim Apostoli aliique

(1) Priora quinque hujus cap. commata cohærent cum præcedente cap. Repræsentatur chorus eorum, qui in persecutionibus illis constantes fuerunt in professione nominis Christiani. Mons Sion hic est symbolum cœlestis regiæ : nam Sion fuit regia Davidis.



primi Christiani induti sunt virtute ex alto ; ibi divinum Spiritum intimis præcordiis acceperunt, ut castitatis, paupertatis, opum mundique contemptus, charitatis, et cœlestis vitæ speculum et exemplar futuris omnibus sæculis darent; ibi insuper imbuti sunt cœlesti robore ad Christi nomen toto orbe prædicandum, et ad vitam, si opus esset, pro eo prompte et alacriter profundendam. Eodem spiritu et virtute induentur hi Sionidæ virgines et martyres, cum Antichristo dimicaturi.

Anagogice vero mons Sion significabat Ecclesiam in cœlis triumphantem, eamque hic symbolice ad litteram significat. Passim enim hic Joannes Sion, templum, altare, thymiama, etc., accipit in sensu anagogico, ut scilicet hic ad litteram significent cœlestem patriam, cœlitum gloriam, gratiarum actionem, lætitiam et felicitatem. Nam, ut ait Psaltes *Psal.* lxxxiii, vers. 8 : « Videbitur Deus deorum in Sion. » Ita S. Gregorius, lib. V *Comment. in lib. Regum*, cap. iii, ait Sion esse altissimum culmen supernæ felicitatis. Vidit ergo Joannes hic Agni asseclas et milites contra Antichristum, puta virgines et Martyres, parta jam victoria triumphantes in Sion, id est in cœlo, unde mox de eorum voce subdit : « Et audivi vocem de cœlo. »

Quæres, cur ait Joannes : « Vidi supra montem, » non autem, *in monte*? Respondeo, *primo*, ut significet quod Virginitas omnem mundanæ fabricæ, æque ac virtutis communis altitudinem longe superet. « E cœlo, ait Ambrosius, lib. I *De Virginib.*, accersivit quod imitaretur in terris. Hæc (virginitas) nubes, aera, Angelos sideraque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, etc. Elias etiam, quia nullius corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus invenitur, ideo curru raptus ad cœlum. Incorruptio enim facit proximum Deo. » Quinimo refert et exprimit in virginibus imaginem S. Trinitatis præ aliis hominibus; Sancta enim « Trinitas prima est virgo : » Pater enim est ingenitus; Filius est ἀμήτωρ, qui a solo Patre sine matre genitus; Spiritus Sanctus non generatur, sed spiratur. Quare sicut ventus auram et spiritum aspirat, non generat : ita et Pater cum Filio spirat Spiritum Sanctum, non generat. Quocirca recte canit S. Nazianzenus in carmine *De Virginitate* :

> Prima Trias virgo est; siquidem Patre natus anarcho
> Filius est : nec enim Pater ortum traxit ab illo.

Hinc addit Nazianzenus virginitatem tantum præstare conjugio, quantum animus carni, cœlum terræ, Deus homini præstat et antecellit. Audi et S. Gregorium, lib. V *in lib. Reg.* cap. iii : « Bene in sublimi esse virgines dicuntur, quia quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est. Unde et virgo ille dilectus Jesu, locum virginum insinuans, ait : Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia ; hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. In monte quidem esse cum Agno dicuntur, quia per meritum incorruptionis, quo a terrenis et carnalibus delectationibus se dividunt, in sempiterna Redemptoris gloria sublimantur. » Hinc rursum ait Nazianzenus « Effulsit castimonia dividens mundum, » quasi constituens supremum quemdam mundum ab hoc infero divisum et elevatum, in eoque super alios omnes collocans virgines. Quocirca S. Cyprianus, lib. *De Habitu virginum*, et ex eo S. Augustinus, lib. IV *De Doctrina Christi*, cap. xxi, de virginibus loquens : « Flos, ait, est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per ipsas, atque in ipsis largiter floret sanctæ matris Ecclesiæ gloriosa fecunditas; quantoque plus gloriosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit. » Et S. Hieronymus, epist. 17 *ad Marcellam* : « Certe, inquit, flos quidam et pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, monachorum et virginum chorus est. » Denique Sapiens, *Eccli.* xxvi, 20 : « Omnis, ait, ponderatio non est digna continentis animæ. »

*Secundo*, τὸ *supra montem* significat virginitatem esse rem arduam, eumque qui virgo esse velit, quasi super montem altissimum conniti et conscendere debere, ac cœlitum et Angelorum vitam æmulari. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 250 *De Tempore* : « Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, et rara victoria; gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, et tamen timetur. » Quocirca eam præcipere noluit Christus, sed consulere, et ad eam quasi rem sublimem allicere, dicens : « Qui potest capere, capiat, » *Matth.* xix, 12. Hinc et Patres omnes æquant virgines, imo anteponunt Angelis. Nazianzenus virginitatem vocat « Angelicæ gloriæ æmulam. » S. Ambrosius, lib. *De Virginitate* : « Castitas, ait, Angelos fecit : qui eam servavit, Angelus est; qui perdidit, diabolus. » S. Augustinus, lib. *De Virgin.*, cap. xxiii : « Virginalis, ait, integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. » S. Cyprianus, lib. *De Discipl. virgin.* : « Cum castæ, ait, perseveratis et virgines, Angelis Dei estis æquales. » S. Bernardus, epist. 42 *ad Henricum Senon. Archiep.* : « Castitas, inquit, Angelum de homine facit. Differunt quidem inter se homo pudicus et Angelus, sed felicitate, non virtute; et si illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas quæ in hoc mortalitatis et loco et tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. » Quin et Christus,

*Matth.* XXII, 30 : « In resurrectione, ait, neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. »

Hinc rursum notat Viegas τὸ *super montem* significare virgines, si virginitatem suam tueri et conservare velint, debere alterum sexum fugere, in cellas, claustra et montes secedere. Nam, ut ait Tertullianus, lib. *De Veland. virgin.* : « Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est : quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitari, dum percutitur oculis incertis et multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus et oscula assidua coalescit; sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur : pura virginitas nihil magis timet quam semetipsam : etiam feminarum oculos pati non vult. » Idem, libro *De Cultu feminarum* : « Cum omnes, inquit, templum Dei simus, illato in nos et consecrato Spiritu Sancto, ejus templi æditimus et antistes est pudicitia, quæ nihil immundum neque profanum inferri sinit, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. » Virgines ergo, fugientes cum Lot incendium Sodomæ, sibi æque ac illi dictum putent illud Angeli *Genes.* XIX, 17 : « Salva animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione; sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. » Ita Nazianzenus, *Exhort. ad virgines* : « Recte, inquit, incedis, virgo, in montibus salveris, ad Sodomam ne respexeris, ne in salis statuam obdureris. » Vide S. Hieronymum, epist. *ad Eustochium*, de Custodia virgin.; S. Basilium, Ambrosium, Ephrem, Nazianzenum, et quotquot de virginitate scripserunt.

Mirabile castitatis, æque ac fugæ dedit exemplum S. Pelagia, virgo Antiochena et martyr quindecim annorum, cujus festum colit Ecclesia 9 julii : quam mire celebrat S. Ambrosius, lib. III *De Virgin.*, sub initium; et S. Chrysostomus duas homilias de ejus laudibus scripsit, quæ exstant apud Lipomanum, tom. VII; celebrat et eam S. Augustinus lib. I *De Civit.*, XXVI. Quæ cum sola esset domi, et a persecutoribus, id est, ut ait S. Ambrosius, « a prædonibus fidei vel pudoris circumsideri se videret, absente matre et sororibus, vacua præsidio, sed Deo plenior : Quid agimus, inquit, nisi prospicimus, captiva virginitas. Moriamur, si licet, vel si nolint licere, moriamur. Jam sacrilegas aras præcipitata subvertam, et accensos focos cruore restinguam. » Ergo præcipitavit se ex alto, itaque in cœlum evolavit. Hoc enim innuit ipsa dicens, « Præcipitata, » et diserte asserit S. Chrysostomus. Quare mirum Baronium in *Martyrol.*, dicere, S. Ambrosium asserere eam cum matre in flumen se conjecisse. Hoc enim de ejus sororibus, non autem de ipsamet asserit S. Ambrosius. Subdit enim : « Ast ubi detestandi persecutores ereptam sibi viderunt prædam pudoris, matrem et sorores cœperunt quærere. Verum illæ spirituali volatu jam campum castitatis tenebant : cum subito hinc persecutoribus imminentibus, inde torrente fluvio exclusæ a fuga, inclusæ ad coronam. Quid veremur? inquiunt. Ecce aqua, quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptisma est quo peccata donantur, regna quæruntur. Excipiat nos aqua quæ cœlum aperit, inferos tegit, mortem abscondit, Martyres reddit. Te, rerum Conditor, precamur, Deus, ne exanimata spiritu corpora vel unda dispergat, ne mors separet funera, quarum vitam non separavit affectus; sed sit una constantia, una mors, una etiam sepultura. Hæc effatæ et suspensæ paululum, Incincto sinu quo pudorem tegerent, nec gressum impedirent, consertis manibus tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alveum, ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius, illo vestigia dirigentes. Nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tentavit ubi figeret gressum : anxiæ cum terra occurreret, offensæ vado, lætæ profundo. Videres piam matrem nodo stringentem manus, gaudere de pignore, timere de casu, ne sibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hostias, Christe, immolo, præsules virginitatis, duces castitatis, comites passionis. Sed quis jure miretur tantam viventibus fuisse constantiam, cum etiam defunctæ immobilem stationem corporum vindicaverint? non cadavera unda nudavit, non rapidi cursus fluminis volutarunt. Quin etiam, sancta mater licet sensu carens, pietate tamen adhuc servabat amplexum, et religiosum quem strinxerat nodum, nec morte laxabat, ut quæ religionis debitum solverat, pietate hærede moreretur. Nam quas ad martyrium junxerat, usque ad tumulum vindicabat. »

CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR MILLIA. — Putant aliqui, ut S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, et Alcazar, hos esse eosdem cum illis totidem signatis cap. VII (1); sed longe verius est esse diversos : nam hi virgines sunt; illi fideles et sancti cujusque status, etiam conjugalis; illi omnes sunt Judæi, hi tam Judæi quam Gentiles. Describitur ergo hic numerus, æque ac sors, virginum, qui erit tempore Antichristi, utpote qui potentissimum vitium libidinis, ad quod tum caro, tum magis Antichristus incitabit, eo tempore fortissime superarint. Hoc enim ipsa verba, ipseque textus clare significat; nihil enim cogit nos ad allegorias, vel tropos confugere. Ita Aretas, Ribera, Viegas et alii, qui hæc plane ut sonant, non de aliis quam virginibus in fine mundi futuris accipiunt.

Porro Viegas censet hic numerum definitum poni pro indefinito : Plures enim, inquit, in fine mundi erunt virgines quam 144 millia, ut patet ex eo quod soli parvuli et infantes, qui utique virgines sunt, plures erunt. Nam in sola Ninive tempore Jonæ, fuerunt plusquam 120 millia parvulorum et innocentium, *Jonæ* IV, 11; itaque ipse numerum centenarium putat significare universitatem infantium et puerorum virginum, qui tunc erunt : numerum vero quadragenarium significare universitatem virginum Deo dicatarum, quæ tunc erunt : denique numerum quaternarium significare universos viros et feminas, qui in sæculo virginitatem tunc colent. Melius magisque ad litteram Ribera putat, præcise in fine mundi fore 144 millia virginum. Qua enim alia de causa hunc numerum præcise poneret et definiret Joannes? cur super quadragenarium adderet quaternarium, non senarium vel octonarium, nisi quia significat præcise totidem fore. Nec enim hic illa causa assignari potest quæ data est capit. VII. Ibi enim recensentur tantum ii qui ex singulis duodecim Judæorum tribubus erunt electi, et ex singulis numerantur duodecim millia (eo quod duodenarius sit symbolum universitatis, significetque omnes fideles, qui duodecim tum Patriarcharum, quam Apostolorum sunt discipuli et filii), quæ in unum conflata faciunt 144 millia. Hic vero promiscue omnes virgines, tam Gentium quam Judæorum, numerat S. Joannes.

Ad argumentum Viegas respondet hic non numerari infantes et parvulos : in his enim virginitas non est virtus, sed conditio ætatis. Hic autem recensentur virgines, qui pro virginitate contra Antichristum stabunt et decertabunt usque ad mortem, ideoque omnes lauream virginitatis, multi etiam martyrii, a Deo accipiunt. Constat enim parvulos, uti virtutis, ita et laureæ virginitatis, non esse capaces.

Notat S. Cyprianus, lib. *De Habitu virgin.*, hic tantum numerari virgines masculos, non feminas; quia Joannes non ait : « Hæ sunt, sed hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; » per masculos tamen significari quoque feminas, quia femina viri portio est, et a viro sumpta.

Verum dico tam feminas, quam masculos, hic numerari. In feminis enim, utpote fragilioribus, fortior et generosior erit virginitas. In genere ergo masculino, utpote nobiliori, intelligitur femininum, quasi subalternum. Nec enim aliter dicere, et utrumque simul complecti potuit Joannes. Si enim dixisset feminine : « Hæ sunt, » exclusisset masculos. Non enim mares sub feminis, uti feminæ sub maribus, comprehendi et intelligi solent. Porro Ecclesia legit hæc loco Epistolæ in festo SS. Innocentium : unde aliqui opinati sunt Innocentes ab Herode occisos fuisse 144 millia. Sed temere : Ecclesia enim tantum hæc accommodat illis, quia innocentes sunt, cum ad litteram sciat hæc non ad illos, sed ad virgines futuros spectare.

HABENTES NOMEN EJUS (Agni), ET NOMEN PATRIS EJUS SCRIPTUM IN FRONTIBUS SUIS. — Hæc scriptura, sive character Agni opponetur characteri Antichristi, de quo capite præcedenti, in fine. Sensus ergo est, *q. d.* Hi virgines, Agni asseclæ, libere profitebantur et vocabant se servos, imo sponsas Christi et Dei Patris, hoc est, se non tantum fidem et religionem, sed et virginitatem perpetuam in æternum obtulisse et consecrasse Deo et Christo instar martyrum, qui sanguinem et vitam Deo consecrarunt. Habet enim et castitas suum martyrium, idque difficile et longum.

Rursum, hi ab omnibus cognoscebantur et vocabantur familiares et intimi Christo et Patri, in ejusque aula et familia esse quasi primi et principes, imo reginæ, utpote sponsæ, de quibus ait Paulus II *Corinth.* XI, 2 : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Est catachresis. Nec enim necessum est dicere, quod reipsa hoc nomen frontibus virginum inscribetur. Symbolice tamen hoc eis inscribi vidit Joannes, ad significandam hanc liberam eorum professionem quam dixi. Si quis tamen reipsa inscribendum velit ad eorum decus et gloriam, non repugnabo; præsertim quia character Antichristi, cui hic opponetur, realis erit et visibilis, uti dixi cap. præcedenti, in fine. Vide dicta de signo crucis, quo omnes fideles tempore Antichristi signabuntur, cap. VII, vers. 3.

Nota hic rursum castitatem esse virtutem principem, regalem et divinam, ita ut virgines nomine Dei insigniantur, ejusque nomen et titulum in fronte præferant. Quocirca David rex a regio castitatis gradu delapsus in adulterium, orat *Psal.* L, 14, dicens : « Spiritu principali confirma me; » ubi pro *principali* Hebr. est. נדיבה *nedaba*, id est *principe*, qui princeps est decetque regem et principem, *q. d.* Spiritum castitatis quasi principem, quem adulterio perdidi, mihi restitue, eoque me confirma, ut rursus regem et principem referam et repræsentem. *Secundo*, Hugo : Habent, inquit, virgines nomen Dei scriptum in frontibus, quia eodem nomine appellantur quo Deus : vocantur enim dii. Sic enim judicibus ait Deus : « Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes; » multo magis idipsum dicet virginibus.

2. ET AUDIVI VOCEM DE COELO, TANQUAM VOCEM AQUARUM MULTARUM. — Una eademque vox et jubilus 144 millium, puta virginum, comparatur hic tribus diversis vocibus sive sonis : *primo*, sono aquarum multarum, quia sonora erat, et ex multis variisque vocibus et sonis conflata, uti aquæ multæ in saxa decidentes aut collisæ, sonoræ sunt, magnumque et varium edunt strepitum. *Secundo*, sono tonitrui magni, qui non tantum sonorus, sed et terribilis est et horrendus, utpote cœlestis; itaque *primo*, quia virginum vox cœlestis est, atque impiis et incestis in fine mundi terribilis erit et horrida ut tonitru. Sic disputante S. Paulo de castitate, justitia, judicio, tremefactus est Felix Præses incestus, *Actor.* XXIV, 25. *Secundo*, quia ut tonitru ex nubis collisione, et ex nube erumpentis fulminis violentia nascitur, ita

(1) Numerus 144,000 est idem quem supra (VII, 4) habuimus, et indicat insignem electorum multitudinem, sive ex Judæis, scil. ex Gentilibus.

virginitas continua membrorum omnium edomatione, ac quadam naturæ violentia acquiritur, et quasi tonitruum generatur. Hinc et castitas est famosissima et celeberrima, ejusque vox et fama quasi tonitru ab omnibus auditur et celebratur.

*Tertio*, hæc vox virginum similis est sono citharæ, *primo*, quia suavissima est, et suavissimo cantu Deum, Angelos et Sanctos demulcet. Hi enim virgines ore canendo, æque ac manibus pulsando citharas, concinunt novum et inauditum in orbe canticum. Ita Scipio apud Ciceronem, lib. *De Repub.*, ait civitatem esse concentum. « Sicut, inquit, in fidibus et tibiis, ac cantu ipso et vocibus concentus quidam tenendus est ex distinctis sonis : sic ex summis, mediis et infimis interjectis ordinibus ut sonis, moderata ratione civitatem consensu dissimillimorum concinere : et quæ harmonia a musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam, arctissimum atque primum in omni republica vinculum incolumitatis, eamque nullo pacto sine justitia esse posse, » uti refert S. Augustinus, lib. II *De Civit.*, cap. XXI. *Secundo*, sonus citharæ significat virtutum omnium in virginibus consonantiam : ita S. Hieronymus in XVI *Isaiæ*, vers. 14. Virginitas enim paritur abstinentia, pœnitentia, humilitate; alitur prudentia, fortitudine, obedientia; perficitur solitudine, silentio, charitate, oratione aliisque virtutibus : omnes enim virtutes circa virginitatem quasi excubant, ut eam tueantur, et circa eam quasi chorum agunt. *Tertio*, Rupertus : « Citharæ, ait, significant pectora fidelium, in quibus per fidem musica cœlestis inhabitat. » Fides ergo comparatur citharæ, et quia sola fides ad salutem non sufficit, hinc extendi debent in ea chordæ mandatorum Dei, æque tractari et pulsari manibus, id est, operando et exequendo perfici et impleri, ut integra fiat harmonia. *Quarto*, chordarum in cithara distensio et sonus significat distensionem et mortificationem carnis, quæ mater et nutrix est virginitatis, ideoque suavissime sonat in auribus Dei. Ita Ansbertus : « Quod, inquit, citharas Dei de bestia triumphantes habere dicuntur, sic intellige, q. d. Ipsi erant citharæ Dei, laudibus scilicet corda habentes dicata, et utriusque testamenti consona veritate canora. Vel certe citharas habent, voluptates scilicet carnis ligno passionis affixas. Passio enim Christi lignum est citharæ; chordæ vero superextensæ sanctorum sunt corpora terrenis concupiscentiis emortua. De quibus Paulus dicit : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Quorum etiam voce Psalmista ait, *Psalm.* XI, 8 : « Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui. »

Ita et S. Gregorius, II *Moral.* XXXI, ubi explicans illud *Job*, cap. XXX : « Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium, » sic ait : « Quia organum per fistulas, et cithara per chordas sonat, potest per citharam recta operatio, per organum vero sancta prædicatio designari. Per fistulas quippe organi, ora prædicantium : per chordas vero citharæ, intentionem recte viventium non inconvenienter accipimus. Quæ dum ad vitam aliam per afflictionem carnis tenditur, quasi extenuata chorda in cithara per intuentium admirationem sonat. Siccatur enim chorda ut congruum in cithara cantum reddat; quia et sancti viri castigant (et jejuniis siccant) corpus suum, et servituti subjiciunt, atque ab infimis ad superiora tendunt. » Hæc ergo est cithara crucis Christi, quam præfiguravit cithara Davidis, quam ipse pulsans fugabat spiritum malum qui exagitabat Saulem, I *Reg.* XVI, 23. Nam, ut ibidem ait Eucherius, et ex eo Beda et Angelomus : « Iste puer in cithara suaviter, imo fortiter canens, malignum spiritum qui operabatur in Saule, compescuit; non quod citharæ illius tanta virtus erat, sed figura crucis Christi, quæ de ligno et extensione nervorum mystice gerebatur, ipsaque passio cantabatur, eaque jam tunc dæmonis spiritus opprimebatur : in hoc tribuens moraliter exemplum, ut fastum divitum sermone humili ad aliquod bonum provocemus; » et fastum carnis mortificatione distendendo et pulsando prementes, suave castumque melos Deo cantemus. Sicut enim in honoribus humilitas, in opibus paupertas, ita et in deliciis periclitatur castitas. Id præ cæteris sensit et docuit S. Carolus Borromæus, qui ad servandam castitatem voluptatibus omnibus bellum indicens, austeram admodum egit vitam : atque ad Cardinalem quemdam scripsit, « sine pœnitentia et asperitate vitæ impossibile esse servare castitatem, » utpote quam tantopere caro, dæmon et mundus impugnant. Quocirca castitas dicitur a castigatione, ait D. Thomas, II II, *Quæst.* CLI, art. 1 : « Nomen, inquit, castitatis sumitur ex hoc, quod per rationem concupiscentia castigatur, quæ ad modum pueri est refrenanda, » ut patet per Philosophum, in II *Ethic.*, cap. ultim. Sicut enim pueri, quia ratione, qua carent, regi nequeunt, regendi et frenandi sunt virga : ita et concupiscentia, quæ est instar pueri, castigatione domanda est. Hoc est quod ait S. Hieronymus ad *Furiam* : « Ardentes diaboli sagittæ jejuniorum et vigiliarum rigore extinguendæ. » Si objicias inde te fore debilem, vel infirmum, respondet S. Hieronymus in *Vita sanctæ Paulæ* : « Satius est stomachum dolere, quam mentem. » Et S. Antonius apud Athanasium : « Mihi, ait, credite, fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem. » Quin et Christus, *Marci* IX, 28 : « Hoc genus, ait, in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio. » In *Chronicis* S. Francisci, part. I, lib. VI, cap. XXXII, narratur quod quidam quæsierit a viro sancto : Cur Joannes Baptista sanctificatus in utero ivit in desertum, ibique tam austeram vitam egit? Respondit Sanctus : Dic et tu : Cur caro recens, esto sit bona, salitur? Cumque ille diceret, ut conservetur, et non corrumpatur; subjunxit Sanctus : « Ita pariter Baptista sale pœnitentiæ salivit corpus, ut illud sanctum purumque a peccato conservaret, » juxta id quod de eo canit Ecclesia : « Ne levi saltem maculare vitam famine posset. » Axioma est S. Francisci, quod se experientia didicisse asserebat : « Dæmones horrent et fugiunt austeritatem vitæ et rigorem pœnitentiæ; appropinquant vero iis qui carnem delicate habent, eosque valide tentant et impugnant. » Ita *Chronic.* Ordinis S. Francisci, part. I, lib. I, cap. XXI.

Hinc mystice Alcazar (quod tamen ipse putat esse litterale) : Vox, inquit, Apostolorum fuit quasi vox e cœlo, tanquam aquarum multarum et tonitrui magni, quia instar cœlestis tonitrui percellebat mentes audientium, easque prosternebat et ad Christum convertebat; vox vero fidelium primitivorum, qui perfecti erant et quasi Religiosi, ideoque stabant supra montem Sion, erat quasi vox citharœdorum. *Primo*, quia illorum omnium dulcissima erat concordia et consonantia. *Secundo*, quia non tantum ore, sed et manibus, id est, operibus piis et sanctis, laudabant Deum. *Tertio*, quia in ærumnis, persecutionibus, martyriis et equuleis distenti quasi chordæ in cithara, gratias agebant Deo, quæ ingens erat Dei et Apostolorum laus et gloria, atque Gentilium confusio et admiratio : hocque est canticum novum et sæculis prioribus inauditum quod cantabant, nimirum exultans Apostolorum, Martyrum et fidelium gloriatio in ipsismet persecutionum et cruciatuum procellis.

Hisce ergo citharœdis optime convenit illud Psaltis *Psalm.* XXXII, 2 : « Confitemini Domino in cithara; » et *Psalm.* XLII, 2 : « Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus. » Talis citharœdus fuit S. Bonifacius Martyr, cujus festum celebrat Ecclesia 14 maii, qui cum ungulis ferreis excarnificaretur, et acuti calami ei inter manuum ungues et carnes infigerentur, atque plumbum liquefactum in os infunderetur, hæc tantum ejus quasi citharizantis vox audiebatur : « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, Fili Dei. »

3. ET CANTABANT QUASI CANTICUM NOVUM. — Τὸ *quasi* non est nota similitudinis, sed veritatis et asseverationis; hanc enim sæpe apud Hebræos significat. Sic *Joann.* cap. I, vers. 14, dicitur : « Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti. » Ubi clarum est τὸ *quasi* non esse assimilativum, sed assertivum; sensus enim est, q. d. Vidimus ejus gloriam talem et tantam, qualis et quanta decebat et congruebat unigenito Dei Filio. *Secundo* et melius, S. Joannes passim hic usurpat τὸ *quasi*, quia non audiebat ipsas reales voces virginum in se, sed illæ tantum per visionem propheticam et imaginariam, vel intellectualem illius phantasiæ aut menti objiciebantur et repræsentabantur, ut videretur sibi eas audire. Phantasia enim, et magis intellectus, eminenter continet omnes sensus et sensiones. Quocirca in intellectu idem est videre et audire, uti ostendi Canone primo in Isaiam.





Porro canticum hoc novum est laus Dei, exultatio et jubilus virginum ob tam rarum et insigne donum castitatis, sibi præ aliis plurimis (quibus hoc negatum est) concessum. Ita S. Gregorius, III part. *Pastor.*, admon. 29, Ribera et alii. « Singulariter, ait S. Gregorius, canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus, etiam de incorruptione carnis gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeunt; quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant. » Porro quodnam sit hoc canticum in particulari, vel in individuo, felix nos docebit experientia, cum in cœlo illud canemus, vel audiemus. Vere Sapiens : « Innocentia tuba est argentea. » Porro sicut virginitas est virtus nova et propria novi Testamenti, in veteri fere incognita : sic et præmium ejus ac canticum erit novum. Simili modo S. Joannes charitatis mandatum vocat novum *Epist.* I, cap. II, vers. 7. Vide ibi dicta (1).

ET NEMO POTERAT DICERE. — Videtur corrigendum *discere* : hoc enim significat Græcum μαθεῖν, quasi innuat alios Sanctos avidos esse hujus cantici, æque ac laureæ virginitatis, sed ad illud aspirare non posse; virginitas enim semel amissa reparari nequit. Romana tamen Biblia, S. Gregorius et alii legunt *dicere*; atque eodem redit sensus : discitur enim canticum ut dicatur et canatur.

Memorabile est quod de S. Emerico legimus in ejus Vita apud Surium, die 4 novembris, Conradum quemdam ob enormia peccata, jussu Pontificis, loricam ferream ad nudum corpus ferreis catenis astrictam gestasse, donec divinitus catenæ dissolverentur, et scriptura peccatorum in charta descriptorum obliteraretur : et hunc visitasse multa Sanctorum templa spe indulgentiæ, sed frustra; tandem adiisse sepulcrum S. Stephani, regis Hungariæ, qui eidem apparens : « Surge, inquit, amice, et Emerici filii mei monumentum, quod juxta est, adito. Ille, quod carnis servanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum tibi veniam impetrabit. Ex eorum enim numero est, qui non inquinaverunt vestimenta sua, sequunturque Agnum quocumque ierit, et ante thronum Dei cantant canticum novum. » Et evigilat homo, illico ad B. Emerici sacellum se confert, fundit ibi preces, atque opinione celerius dissiliunt ferrei nexus, charta peccatorum nullum ostendit litteræ scriptæ vestigium.

QUI EMPTI SUNT DE TERRA. — Syrus : *Isti a Jesu empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno.* Arabicus : *Hi sunt qui empti sunt ex hominibus primo,*

(1) Canere canticum novum est signum gaudii, *Isai.* XLII, 10; *Psal.* XL, 3. Nec aliud denotare videtur hic vox *novum*, nisi dicas hac voce alludi ad *novum* Dei opus scil. redemptionem hominum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Deo et Agno*, q. d. Hi sunt qui pretio sanguinis Christi acceperunt hanc perfectam corporis et animæ puritatem, ut terra altiores cœlestem hic agerent vitam, ideoque Dei sunt « primitiæ, » id est, selectissimi et gratissimi fructus et oblationes, quales in veteri Testamento erant primitiæ frugum et hominum. Videtur ergo Christus pro virginibus quasi gemmis pretiosissimis coemendis, peculiari modo orasse, laborasse, et pretium sanguinis sui Deo Patri obtulisse, destinasse et applicasse.

4. HI SUNT QUI CUM MULIERIBUS NON SUNT COINQUINATI; VIRGINES ENIM SUNT. — Hinc patet ad litteram hic agi de proprie dictis virginibus, qui erunt tempore Antichristi. Quare mysticum est, non litterale, quod censet Alcazar, nimirum hic virgines appellari omnes eos, qui rerum creaturum inordinata affectione se non contaminant, quique Christum crucem bajulantem usque ad Calvariæ montem sequuntur in constanti rerum temporalium vitæque despicientia, et divinæ gloriæ desiderio : quales erant primitivæ Ecclesiæ Christiani (unde illi hic vocantur *primitiæ*), et modo sunt Religiosi, qui angelicam puritatem consectantur, et Dei præceptorum observationem cum observatione consiliorum copulant, quod est, « sequi Agnum quocumque ierit (1). »

Mysticum quoque est quod Ambrosius in cap. XI, epist. 2 *ad Corinth.* vers. 1, citans hunc locum ait : « In mulieribus errorem significavit, quia error per mulierem cœpit; sicut et Jezabel mulierem dicit *Apocal.* II, 20, propter uxorem Achab, quæ zelo Baal Prophetas occidit, cum intelligatur idololatria, qua corrumpuntur mores et fidei veritas. Nam si, per mulieres, mulieres intelligas, ut ideo putes virgines dictos, quia corpora sua intaminata servaverunt, excludit ab hac gloria sanctos, quia omnes Apostoli, exceptis Joanne et Paulo, uxores habuerunt. » S. Ambrosium sequitur noster Hieronymus. Prado in *Ezech.* cap. XVI, 15 : « Hi sunt, inquit, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt, id est Martyres, qui cultum exhibere idolis etiam cum vitæ dispendio recusarunt, persliteruntque in fide illibata constantes. »

HI SEQUUNTUR AGNUM QUOCUMQUE IERIT. — « Sequuntur, » scilicet gressibus non tam corporis, quam animi, intellectus et voluntatis, nimirum quasi individui, et ab eo summe dilecti, Agni comites et pedissequi, sequuntur eum in omnia gaudia cœlestia, quæ Agnum sequentibus, id est mundis corde, promittuntur; hæc enim sunt gaudia Agni et agnorum, id est virginum; non autem sequuntur in gaudia leonum, aut taurorum et vitulorum jugulatorum, puta Martyrum, præconum et doctorum Evangelii.

(1) Alcazarii interpretationem litteralem esse, non mysticam, ut vult Noster, e contextu patet, et expresse docent Bossuetius, Allioli, Verschraege, etc.

Franciscus Ribera tamen hanc sequelam intelligit, quoad omnia omnino gaudia et præmia cœlestia : Quia, inquit, virgines illæ in fine mundi etiam martyrio, doctrina aliisque virtutibus excellent; quocirca omnium gaudia et præmia accipient. Sed esto hoc de multis verum futurum sit, tamen S. Joannes hic proprie loquitur tantum de ipsa virginitate ultimorum virginum, ejusque præmio; a sola enim virginitate eos commendat.

Melius ergo Viegas et Alcazar censent hac phrasi : « Sequuntur Agnum quocumque ierit, » non aliud significari quam quod Agnus virginibus mire delectetur, ita ut eos a suo latere nunquam velit discedere, sed eum comitentur et sequantur quaquaversum; perinde ac reginam virginem et sponsam comitantur virgines primariæ et nobilissimæ, juxta illud *Ps.* XLIV : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. » Et : « Filiæ Tyri in muneribus, etc. Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia et exultatione, adducentur in templum regis. » Sicut enim regina omnem suam voluptatem, colloquium et consolationem habet in suo puellarum gynæceo, quod perpetuo eam stipat instar chori; ita eamdem habet Christus in suo virginum cœtu. Rursum, sicut musici sequuntur principem, miroque concentu eum demulcent, eique sunt in deliciis : ita et virgines Christo. Sunt enim ipsi citharœdi Christi, qui citharizantes in citharis suis, uti dixi vers. 2, mirifice eum oblectant. Denique sicut sponsa sponsum, ita virgines comitantur Christum : sunt enim sponsæ Christi, ut ait Apostolus II *Corinth.* XI, 2. Christus ergo amat virgines, iisque oblectatur, uti sponsus sponsa.

Pulchre S. Augustinus, lib. *De S. Virginitate*, cap. XXVII : « Quo putamus, ait, hunc Agnum ire, in quos saltus et prata? ubi, credo, sunt gramina gaudia, non gaudia sæculi hujus vana, insaniæ mendaces : nec gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt, sed a cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia. » Ite in hæc, « sequimini Agnum, quia et Agni caro utique virgo. Hoc enim in se retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus et natus. » Et cap. XXIX : « Videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hæc sequi non potest : videbit, nec invidebit; et collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Nam et illud canticum novum proprium vestrum dicere non poterit, audire autem poterit, et delectari vestro tam excellenti bono. » Addit cap. LI : « Non custodit bonum virginale, nisi Deus ipse qui dedit, et Deus qui charitas est. Custos ergo virginitatis charitas, locus autem hujus custodis humilitas. Ibi quippe habitat qui dixit, super humilem et quietum, et



trementem verba sua requiescere spiritum suum. Facilius sequuntur Agnum, et si non quocumque ierit, certe quousque potuerint, conjugati humiles, quam superbientes virgines. » Tertullianus, lib. I *ad Uxorem*, de virginibus loquens : « Deo, inquit, speciosæ sunt puellæ, cum illo vivunt, cum illo sermocinantur : illum diebus et noctibus tractant, orationes suas velut dotes Dei assignant : ab eodem dignationem, veluti munera maritalia, quotiescumque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupaverunt, ac jam in terris non nubendo, de familia angelica deputantur. » S. Bernardus ad sororem *De modo bene vivendi*, serm. 12 : « Si, inquit, Christum tota mente secuta fueris, et eum tota mente dilexeris, absque ulla dubitatione cum eo in cœlesti patria gaudebis, et eum cum sanctis virginibus, quocumque ierit, sequeris. Si eum omni devotione Christo adhæseris, et ad eum die ac nocte suspiraveris in hoc præsenti sæculo, sine dubio cum eo exultabis in cœlesti palatio, atque inter virginum choros cantabis illi dulces hymnos, sicut scriptum est : Qui pascis inter lilia septus choreis virginum, sponsas decorans gloria, sponsisque reddis præmia. Quocumque pergis, virgines sequuntur, atque laudibus post te canentes cursitant, hymnosque dulces personant. » Unde subdit : « Obsecro te, dilecta soror, ut nullam præter Christum sentias dulcedinem, nullum præter Christum quæras amorem, et nullam præter Christum diligas pulchritudinem. » S. Hieronymus, tom. II, *epist.* 11 : « Fruatur, ait, ille virtutis corona, et ob quotidiana martyria stolatus Agnum sequatur. » Ex hoc loco virginitas in emblematibus pingitur quasi juvencula pallida, macilenta, oculis decoris, coronam e floribus capite gestans, candida sindone amicta, lætitiam vultu præferens, citharam manu pulsans, sequens Agnum in medio prati.

Ita S. Clemens Pontifex, Domitiani Imperatoris cognatus, perpetuam virginitatem coluit, uti docet S. Ignatius, epist. *ad Philadelph.* Idem eamdem mire extulit, aliosque docuit, ut patet ex ejus Epistolis encyclicis, et testatur Epiphanius, *hæres.* 30. Quapropter ejus exemplo et hortatu S. Flavia Domitilla, neptis et ipsa Domitiani, quam Aureliano desponsam, S. Clemens virginem Deo consecravit; Euphrosyna, Theodora et aliæ nobilissimæ virgines illustre pro fide et virginitate martyrium obierunt. Quocirca Clemens a Trajano imperatore in Chersonam relegatus, cum plurimos Christianos eo pariter ad metalla damnatos, et inopia aquæ laborantes invenisset, pro iis preces fundens, vidit agnum stantem, qui dexterum pedem levavit, velut S. Clementi locum fontis indicans. Ergo Clemens ad locum in quo agnus stabat accedens, parvoque ictu locum qui erat sub pede agni pulsans, mox fontem pulcherrimum elicuit, qui magno impetu effusus fecit fluvium; ex quo omnes Christiani tunc et deinceps sitim levarunt. Quo miraculo Gentiles indigenæ ad fidem Christi conversi sunt. Ita habet ejus Vita, et Baronius, anno Christi 100; unde et in officio Ecclesiæ S. Clementis antiphonas has legimus : « Orante S. Clemente, apparuit ei Agnus Dei. » Et : « Vidi supra montem Agnum stantem, de sub cujus pede fons vivus emanat : fluminis impetus lætificat civitatem Dei. » In S. ergo Clemente adhuc vivente impletum est illud *Apocal.* VII, 17 : « Agnus qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitæ fontes aquarum. » Fuit enim ipse agnus Agni Dei assecla, id est virgo, et ob virginitatem Martyr, paulo postquam hoc scripsit Joannes, ut ad eum hic allusisse videatur : imo sub Clemente Pontifice et hæc quæ dixi inchoante, scripsit Apocalypsin et hæc ipsa S. Joannes. Videtur ergo Domitillam, et alias virgines tum florentes, et pro virginitate martyrium obituras, ad hoc fortiter obeundum, hac visione, et hisce encomiis virginitatis animare et roborare voluisse.

Ita sub idem tempus S. Petrus, S. Praxedem et S. Potentianam; S. Paulus, S. Theclam et plurimas alias; S. Matthæus, S. Iphigeniam, regis Æthiopum filiam, ad virginitatem Deo vovendam excitarunt, qua de causa S. Matthæus ad aram sacrificans ab Hirtaco regis fratre, qui Iphigeniam conjugem ambiebat, occisus, « virginitatis factus est victima, » ut ait Hippolytus, lib. *De duodecim Apostolis*; æque ac Paulus a Nerone truncatus est, quod virgines Christianas suæ libidini subtraheret, et Deo dicaret, uti proœmio in S. Paulum ostendi ex S. Chrysostomo.

Ita S. Agnes post mortem laureata apparuit, cum virginibus radiantibus et splendidissime vestitis, sequens Agnum. Audi S. Ambrosium, lib. V, *epistol.* 34 : « Dum parentes Beatæ Agnetis assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum ejus (qui prope Romam exstat via Numentana, templo marmoreo gemmisque illustris, quem quoties visito, mira me cum aliis sentio lætitia et devotione perfundi), vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine prætcribant. Inter quas vident B. Virginem simili veste fulgentem, et ad dexteram ejus Agnum nive candidiorem, quæ rogans sanctas virgines parumper gradum figere, stans parentibus suis dixit : Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed gaudete mihi, et congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi; et illi sum juncta in cœlis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. » Ita Agnum secuta est B. Catharina Senensis, cui hoc datur elogium :

Transiit ad sponsum tribus exornata coronis.

Et illud :

Dulce signum charitatis,
Dum amator castitatis
Cor mutat in virgine.

Quæ proinde ex hoc corde Christi igneo in suis Epistolis ardentes Christi flammas in omnes ejaculatur, atque in omnibus non aliud facit, quam ut Pontifices, Cardinales, Prælatos, Principes, Urbes, Doctores, etc., ad quos scribit, inflammet amore Christi, ad ejusque perfectam sequelam incitet et exstimulet : quem proinde crebro agnellum nuncupat, ideoque singulas Epistolas incipit pariter et concludit : « In Jesu dulci, Jesu amore. »

Moraliter S. Bernardus, serm. 1 super *Missus est* : « Utrinque, ait, stupor, utrinque miraculum; et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocumque ierit : quibus vero laudibus dignam judicas (B. Mariam) quæ etiam præit? Disce, homo, obedire; disce, terra, subdi; disce, pulvis, obtemperare; erubesce, superbe cinis. Deus se humiliat, et tu te exaltas? » Et infra : « Sequitur Agnum coinquinatus humilis, sequitur et virgo superbus; sed neuter quocumque ierit : quia nec ille ascendere potest ad munditiam Agni qui sine macula est, nec is ad ejusdem mansuetudinem descendere dignatur, qua scilicet non coram tondente, sed coram occidente se obmutuit. Attamen salubriorem elegit sequendi partem in humilitate peccator, quam in virginitate superbus; cum et illius immunditiem sua humilis satisfactio purget, et hujus pudicitiam superbia inquinet. »

Denique suis hisce verbis ad Christum Agnum in cœlum evocavit noster S. Joannes S. Eduardum, regem Anglorum, anno Domini 1066. De quo audi Alredum, Abbatem Cisterciensem (qui floruit anno Domini 1164), in Vita ejus. S. Eduardus « nulli petenti in nomine S. Joannis Evangelistæ aliquid denegabat; hunc enim post Apostolorum principem arctius diligebat. Unde contigit, quod quidam peregrinus, absente camerario, in nomine S. Joannis Evangelistæ importune a rege eleemosynam postularet. Cui Rex pretiosum annulum, cum nihil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post hæc duos Anglicos ad adorandum Salvatoris sepulcrum Hierosolymam proficisci. Qui die quadam a publica strata declinantes, devia quæque sectati sunt; et sole ruente, nox obscura adducta est. Et cum nescirent quid agerent, quo se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad civitatem reducit. Susceptis autem hospitio mensa paratur, lautissimeque refecti dant membra quieti. Mane autem facto egressis illis de civitate, ait senex : Viri fratres, cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis; quoniam prosperum iter faciet vobis Deus, et ego ob amorem regis vestri, in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi Joannes, qui regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denuntiantes ei obitus sui instare diem; quem infra sex menses visitans visitabo, ut mecum sequatur Agnum quocumque ierit. His dictis, disparuit; et illi ad patriam prospere redeuntes, quæ viderant et audierant, regi seriatim retulerunt. »

Hi EMPTI SUNT (quomodo empti sunt dixi in fine vers. 3) EX HOMINIBUS PRIMITIÆ DEO ET AGNO. — *Primo*, quia virginitatem quasi primitias Deo gratissimas obtulerunt. Sicut enim primi fructus sui novitate sapidissimi et gratissimi sunt, ita et virginitas Deo. Alludit ad *Jerem.* cap. II, vers. 3 : « Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus : omnes qui devorant eum, delinquunt. » Sicut enim Israel præ omnibus Gentibus fuit electus, et dilectus Deo, eique oblatus quasi primitiæ, ut esset populus primus fidelis et sanctus : ita ex omnibus Christianis virgines, quasi primitiæ nobilissimæ Deoque acceptissimæ, secernuntur et offeruntur.

*Secundo*, sicut per primitias frugum Deo oblatas, reliquæ fruges omnes censebantur Deo oblatæ, ac ab eo benedictæ, ut patet *Proverb.* III, 9, ubi dicitur : « Honora Deum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei, et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. » Ita pariter per virgines quasi primitias Deo oblatas, Deus totis earum familiis, totique Ecclesiæ benedicit et benefacit, eas fecundando, bonisque temporalibus et spiritualibus augendo. Unde S. Ambrosius, lib. III *De Virginitate*, docet ubi multæ sunt virgines, ibi conjuges esse fecundiores. »

Præclare S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*, qui conjugium æquabat virginitati : « Si virgines, inquit, primitiæ Dei sunt; ergo viduæ et in matrimonio continentes erunt post primitias, id est in secundo et tertio gradu : nec prius perditus populus salvari poterit, nisi tales hostias castitatis Deo obtulerit, et immaculatum Agnum purissimis victimis reconciliaverit. »

5. ET IN ORE EORUM NON EST INVENTUM MENDACIUM. — Quia ab hæresi et idololatria (quæ sunt mendacia perniciosissima contra Deum Deique cultum, quæque maxime vigebunt tempore Antichristi) longissime abierunt. Ad hæc enim proxima dispositio est licentia carnis et libido, quæ uti Salomonem ad idololatriam, III *Reg.* XI, 1, impulit, ita hodie multos ad hæresim et infidelitatem impellit, et plures in fine mundi impellet. Sicut ergo qui carni et veneri indulgent, facile in hæresim labuntur : ita virgines qui vitiis carnis resistunt, ab ea sunt eruntque remoti.

*Secundo*, virginum decus est sinceritas et veritas, ipsaque virginitas hunc candorem secum affert, quia cum uni Deo placere studeant, non est cur hominum favores blanditiis, mendaciis, fucis et dolis sibi concilient; ut de illis merito dicatur id quod Christus dixit de Nathanaele,



*Joan.* I, 47 : « Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. » Sicut ergo vulgo dicimus, Ostende mihi mendacem, ostendam tibi furem; mendacium enim comitatur furtum; fures enim sua furta mendaciis celant et tuentur : ita pariter si dubium de cujuspiam castitate occurrat, dicas : Ostende mihi mendacem, ostendam tibi incestum : ostende mihi veracem, ostendam tibi castum. Hinc Arabicus vertit, *et non invenitur quid de mendacio in ore eorum.*

SINE MACULA (græce ἄμωμοι, id est, *inculpati*, irreprehensibiles) ENIM SUNT ANTE THRONUM DEI. — Τὸ *enim* dat causam præcedentium, cur scilicet in ore eorum non sit inventum mendacium, ac consequenter cur sint electi in primitias Deo et Agno, quia nimirum fuerunt et sunt puri et immaculati, quia vitam egerunt virgineam et angelicam sine macula. Maculam intellige graviorem, quæ illis objici possit, v. g. mendacii, libidinis, etc. Nam alioqui nemo hanc vitam transigit sine labe et macula aliqua veniali. « Si enim dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, » ait Joannes, *epist.* I, cap. I, vers. 8.

Nota hic decem epitheta et elogia virginum. *Primo*, vers. 1, quod cum Agno stent supra montem Sion. *Secundo*, quod habeant nomen Agni et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. *Tertio*, vers. 2, quod sint citharœdi Dei, sed sonori ut tonitru. *Quarto*, vers. 3, quod soli cantent canticum novum coram throno Dei, quatuor animalibus et 24 senioribus. *Quinto*, quod empti sint de terra. *Sexto*, vers. 4, quod cum mulieribus non sint coinquinati : virgines enim sunt. *Septimo*, quod sequantur Agnum quocumque ierit. *Octavo*, quod sint primitiæ Deo et Agno. *Nono*, vers. 5, quod in ore eorum non sit inventum mendacium. *Decimo*, quod sine macula sint ante thronum Dei.

Hinc similia elogia multis virginibus data legimus. Ita S. Agathæ hoc epitaphium posuerunt Angeli : « Mentem sanctam, spontaneam, Deo honorem, et patriæ liberationem. » Ita Proceres Poloniæ nomine totius regni B. Stanislao Kostka hoc elogium, quasi vitæ compendium, statuerunt : « Juveni castissimo, nobili humillimo, diviti pauperrimo, rerum humanarum contemptori, suique ipsius victori acerrimo, etc., qui a puero Jesu cum ejus matre ægrotans meruit visitari, et a duobus Angelis, præsente S. Barbara Martyre, cœli pane refici. Qui desiderio vitæ perfectæ generis nobilitatem, amplissimasque facultates negligens, Societati Jesu nomen dedit; in eaque religiosi instituti tenacissimus, disciplinæ exactæ brevi exemplar factus, ad præmia strenue certantibus promissa anno ætatis 18, Christi 1568, die 14 augusti, præter omnium spem (morte sua prædicta) citius evocatus, Poloniam nascens, Ordinem Religiosum vivens, Romam moriens, et inde cœlum petens, sua gloria illustravit. Ob gloriam admirandorum post mortem operum a Clemente Papa VIII, Beati appellatione donatus, a Paulo V, publica imaginis collocatione, et lampade ad sepulcrum ejus accensa auctus, » etc.

Denique Sostratus Byzantinus apud Achillem Tatium, lib. II, narrat lucum Byzantii fuisse, et in eo olivam, quam stupendo prodigio dicitur imber igneus fecundasse. Et Pausanias in *Atticis* refert olivam Minervæ, incensa a Persis urbe, conflagrasse, eodemque die in duorum cubitorum altitudinem germinasse. Oliva est symbolum virginis, quæ ex ipso damno compendia quærit ac fortitudinem invictam, quæ æternos parit triumphos. Præclare Tertullianus *ad Martyres* : « Negotiatio est, aliquid amittere, ut majora lucreris. » Vir ergo et virgo patiens similis est cœlo, quod per et post nubila serenatur et splendescit.

6. ET VIDI ALTERUM ANGELUM VOLANTEM. — « Alterum, » scilicet a Michaele, de quo cap. XII, vers. 7 Vel potius « alterum, » græce ἄλλον, id est *alium* et diversum, scilicet a duobus sequentibus vers. 8 et 9. Ita Alcazar. Vidit enim Joannes hic tres Angelos, quorum primus denuntiat diem judicii, secundus casum Babylonis, tertius iram Dei, ignem et sulphur gehennæ in eos qui adoraverint bestiam.

Quæres, quinam hi? *Primo*, Alcazar referens hæc omnia ad primitivam Ecclesiam, accipit tres duces Christi, tribus ducibus hostibus, scilicet draconi, bestiæ maris, et bestiæ terræ, puta diabolo, mundo et carni, oppositos, v. g. S. Joannem, Paulum et Petrum, qui milites Christi animarunt ad debellandum regnum draconis et gentilismi. *Primi* enim Angeli vox sumpta est ex S. Joanne, *secundi* ex S. Paulo, *tertii* ex S. Petro. *Primus* ergo, scilicet S. Joannes, volat per medium cœli, quia instar aquilæ res divinas perspexit, atque ad ipsam Sanctissimam Trinitatem evolavit, dicens : « In principio erat Verbum, » etc. Rursum, volat per medium cœlum, ut ab omnibus videri et exaudiri possit. Hic habet Evangelium æternum, quia prædicavit et scripsit Evangelium, id est lætissimum nuntium, de prostrato diabolo, deque felicitate et gaudiis æternis, quæ Deus promisit timentibus se, ita scilicet ut non timeant Domitianum, nec tormenta, nec mortem, sed unum Deum. Porro in eo quod clamat : « Quia venit hora judicii ejus, » non intelligit judicium extremum, sed illud de quo Christus, *Joan.* XII, 31 : « Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Christus enim primo suo adventu dæmonem ex sua injusta possessione, id est Gentibus, exturbavit : tuncque fuit judicium, græce ἀκμὴ, id est, dies quasi decretoria morbi et mortis, id est expulsionis diaboli. *Secundus* Angelus, puta Paulus, canit Babylonis, id est Romæ Ethnicæ et Romani Imperii Ethnici, ruinam, cum cœpit regnare Constantinus et posteri Christiani; hoc enim Paulus prædixit II *Thess.* II, 7, dicens : « Mysterium jam operatur iniquitatis; tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. » *Tertius* Angelus est S. Petrus, qui æque ac Ange-

tus hic, hominibus carnalibus et luxuriosis ignes gehennæ æternos intentat *Epistola* II, cap. I, vers. 2, 4, 6, 10, 12, 13, 14.

Verum dico hunc Angelum, uti et sequentes duos in visione ostensos Joanni, symbolice significare prædicatores triplices, per quos Angeli hæc ipsa quæ a Joanne hic recensentur, proclamabunt toti orbi in ejus fine. Unde volant per medium cœli, ut significetur per prædicatores, qui per medium mundi omnesque ejus plagas discurrent in tota Ecclesia, quæ hic cœlum vocatur, ut dixi cap. XII, vers. 2, hæc promulganda fore. Simile vidimus cap. VIII, vers. 6 et 13. Suavis enim Dei providentia ad homines docendos et monendos, hominibus, non Angelis, utitur. Ita Ticonius, Beda, Rupertus, Ansbertus, Anselmus, Gagneius, Ribera et alii. Unde et Victorinus per tres hosce Angelos accipit tres famosos prædicatores, quorum primus futurus sit Elias, secundus Eliæ socius, quem ipse putat fore Jeremiam, sed falso, ut dixi cap. XI; tertium aliquem hisce similem (1).

Possumus *secundo*, cum Viega, hos tres Angelos ad visionem imaginariam referre, ut Joannes scilicet sibi visus sit eos videre, et audire ita loquentes, tantum ad hoc, ut ipse quæ videbat et audiebat, litteris mandaret : non autem quod hi Angeli repræsentarent concionatores futuros tempore Antichristi. Simile enim est vers. 13.

HABENTEM EVANGELIUM ÆTERNUM. — Evangelium vocatur æternum, quia Deus et Christus in eo æterna in cœlis bona annuntiat et promittit suis asseclis, ut homines temporarias voluptates, æque ac pœnas contemnant; unde clamat : « Timete Dominum, quia venit (id est appropinquat, imminet) hora judicii ejus. » Quocirca anagogice S. Hieronymus, epistol. *ad Avitum*, Quid cavendum sit in libris Origenis περὶ ἀρχῶν : « Evangelium, inquit, sempiternum, id est, futurum in cœlis. » Dicitur « sempiternum, ad comparationem videlicet hujus nostri Evangelii, quod temporale est, et in transituro mundo ac sæculo prædicatum. » Porro Evangelium quod prædicabitur Beatis in cœlo, erit annuntiatio et revelatio beatitudinis, bonorumque omnium in Deo, quodque hæc eis in æternum perennabunt.

Aureolus per hunc Angelum accipit S. Bonifacium, qui missus a Gregorio Pontifice, anno Christi 741, prædicavit Evangelium duris Frisiis, Thuringiis et Austriacis, eosque timore judicii et gehennæ concussit, atque ad cultum, timorem et amorem unius Dei impulit. Verum hæc adaptatio est et applicatio, non explicatio hujus Angeli, qui erit in fine mundi.

Rursum, Vincentius Justinianus in *Vita Beati Vincentii Fererii*, I part., cap. XIV, asserit mortuum quemdam publice coram multis a Beato Vincentio vitæ fuisse restitutum, ut eo miraculo confirmaret se esse illum Angelum, quem Apocalypsis, cap. XIV, vers. 16, refert visum fuisse Joanni per medium cœli volantem et clamantem : « Timete Dominum, quia venit hora judicii ejus. » Angelum intelligit non litteralem, sed symbolicum, et litterali similem, puta qui missus esset a Deo ut similem legationem obiret, hominesque induceret ad pœnitentiam et timorem Dei, quique similiter ac hic Angelus clamaret : « Timete Dominum, quia venit hora judicii ejus. »

Moraliter S. Augustinus in *Sentent.*, sententia 248 : « Ad omne, inquit, opus bonum amor ducit et timor Dei : ad omne peccatum amor ducit et timor mundi. Ut apprehendatur bonum, et declinetur malum, discernendum est quid diligi debeat, et quid timeri. »

8. ET ALIUS ANGELUS SECUTUS EST, DICENS : CECIDIT, CECIDIT BABYLON ILLA MAGNA. — Alludit ad *Jerem.* LI, 8 : « Subito cecidit Babylon et contrita est. » Et ad *Isaiæ* XXI, 9 : « Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram. » Quibus locis Prophetæ ad litteram casum et excidium Babylonis, regnique Chaldæorum per Cyrum futurum describunt. Porro quidnam hic a Joanne intelligatur ad litteram, dicam cap. XVII, vers. 5, et toto capite XVIII; ibi enim graphice hoc Babylonis excidium depingitur; quocirca eo hæc referenda sunt. Est enim in Apocalypsi, uti et in aliis Prophetis, crebra hysterologia, uti dixi in Canonibus præfixis Isaiæ. Hæc ergo pertinent ad cap. XVIII, vers. 2; ibi enim dicitur : « Cecidit, cecidit Babylon; » nisi dicas hic aliter sumi « cecidit, » scilicet ut significet actum instantem et quasi inchoantem : « cecidit, » id est, jam cadere incipit, ac brevi prono casu cadet Babylon.

Aureolus per Babylonem accipit Constantinopolim, censetque prædici hic excidium Imperii Constantinopolitani, eo quod ejus Imperatores plerique hæretici fuerint, vel Ariani, vel Eutychiani, vel Monothelitæ, vel Iconomachi, vel Schismatici (1).

(1) Postquam ambo exercitus, ait Alii oli, Ethnicorum scil. et Christianorum, certamini sese accinxerunt, et jam in conspectu stant, angeli tres, providentiæ divinæ ministri, Romani Imperii ac idololatriæ exitium, victoriamque Sanctorum pronuntiant. Frustra, ut videtur, quis sit primus, secundus et tertius angelus, quæritur.

(1) Babylonis nomine designatur Roma pagana, aut sane a Paganismo non repurgata. « Dicitur enim, ait Rosenmullerus ad h. l., hæc Babylon inebriasse omnes nationes vino suæ scortationis. Quum vati Romæ ipsius nomen celandum signisque tantum Judæis et Christianis innuendum videretur, Babylonem eam vocat. Ut enim Babylon olim potentissima peccatis omnis generis gravissimis, Judæis potissimum injuria oppressis, notissima, proptereaque pœna excidii divina dignissima erat : ita Roma, cum aliis flagitiis innumeris, tum Christianis vexatis infamis, haud minorem meruit Dei pœnam. Igitur quum tanta sit urbis utriusque similitudo, vates potiora omnia, quæ Prophetæ olim de Babylone effati erant, verbis fere iisdem ad Romam transfert. *Fornicatio* est idololatria. *Vinum iræ*, seu *œstus*, est vinum inebrians, vel pharmaco infectum. Describitur urbs quæ variis artibus usa est ad gentes sub jugum mittendas, ut mere-



10. ET HIC BIBET DE VINO IRÆ DEI, QUOD MIXTUM EST MERO. — Erasmus vertit, *de vino iræ Dei, quod infusum*, vel *propinatum est merum*, sive purum et non mixtum. Nam Græcum κεράννυσθαι, id est *miscere*, significat etiam infundere et propinare : olim enim bibebant ex cornibus, unde a κέρας, id est cornu, dicti sunt crateres, quasi κερατῆρες : inde κεράννυσθαι significat in cornu, vel aliud simile vas infundere. Ita Athenæus in *Dypnosophistis*, lib. XI, et alii. Hinc et Dionysio (id est Baccho, qui vini fuit inventor) cornua affinxit antiquitas; quin et taurum eum appellavit.

Verum melius proprie vertas hic, *quod mixtum est*. Nam veteres (uti etiamnum faciunt Itali, Hispani, Galli, etc., idque medici docent esse utilissimum, et quasi divinum inventum) tum sanitatis, tum sobrietatis causa, vinum aqua miscebant et diluebant, ut docet Athenæus loco citato, et Plutarchus, lib. VIII *Sympos.*, quæst. VI. Antiquissimi enim bibebant merum, sed non sine noxa : unde Polyphemus in tragœdia Aristi, cui titulus *Cyclops*, increpabat Ulyssem, dicens : « Vini liquorem perdidisti infusa aqua, » quasi vinum aqua corrumperetur, cum e diverso medicorum judicio reddatur melius ac salubrius : quocirca vinum aqua diluere docuit et adinvenit Staphylus, Sitheni filius, teste Plinio, lib. VII, cap. LVI. Porro Genebrardus in *Chronol.*: Primus apud Græcos, inquit, Melampus medicus vinum aqua diluere præcepit sub annum mundi 2847; quo tempore apud Hebræos, judices erant Debora et Barac, quadraginta annis ante Gedeonem; nempe ab ultimis temporibus mero dediti Græci : hinc græcari. Ita Plato admonet ut Bacchum temulentum deum Nymphis (id est aquis : his enim præsident Nymphæ) sobriis deabus temperemus. Vulgare carmen tria commoda vini lymphati, id est aqua diluti, recenset. Ait enim

Lymphatum crescit, dulcescit, lædere nescit.

Dicit ergo Joannes hoc vinum iræ Dei mixtum fore, non aqua, sed mero, id est alio puro vino. Tale enim vinum sic cum alio commixtum potentius est magisque inebriat. Ita Andreas, Ribera et alii, quasi dicat : Ira hæc et punitio Dei nulla clementia, nulla consolatione mitigabitur, sed omni desolatione et dolore potius augebitur. Sic enim *miscere* alibi accipitur, ut *Isaiæ* XIX, vers. 14 : « Dominus miscuit (Septuaginta ἐκέρασε) in medio ejus spiritum vertiginis, » id est, Deus miscuit in ea (Ægypto) varios errorum et vertiginum spiritus. *Proverb.* IX, vers. 5 : « Bibite vinum quod miscui vobis. » Veteres enim temperantes erant, ideoque vinum aqua diluebant, uti jam dixi. *Psal.* LXXIV, 9 : « Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. » Si merum, quomodo mixtum? Respondeo, merum est et tamen mixtum alio vino mero, vel vini fæcibus, a quibus abhorremus, ut citius vehementiusque inducat soporem et ebrietatem potanti. *Isaiæ* V, vers. 27 : « Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem ! » Hebraice, *ad miscendum sechar*, id est *siceram*, hoc est inebriativa, v. g. varia vina quæ magis turbant stomachum et cerebrum, ideoque magis inebriant. Hisce locis pro *mixtum* et *miscere*, hebraice est מסך *masach*, quod proprie significat miscere (imo a *masach*, deductum videtur Latinum *misceo*), non infundere, nam נסך *nasach*, significat infundere, non *masach*. Cum ergo Hebræum *masach* Septuaginta vertant κεράννυσθαι, sequitur illud pariter significare miscere, non infundere (1).

11. ET FUMUS TORMENTORUM EORUM. — Syrus et Arabicus, *fumus tormentorum*, id est, ignis gehennæ et pœna reproborum. Est metonymia : ponitur enim effectus pro causa, scilicet fumus pro igne. Nam in inferno non videtur esse fumus, vel ignis fumans, quia ibi nihil est corruptibile vel resolubile, sed omnia constantia sunt et solida, puta idem numero semperque sibi constans ignis sulphureus. Alludit ad *Isaiæ* cap. XXXIV, vers. 10, ubi Propheta agens de Bosræ, quæ Idumææ erat metropolis, excidio et conflagratione per Nabuchodonosor, ait : « In sempiternum ascendet fumus ejus. » Hic est ergo « Tartarus horrificos eructans faucibus æstus, » ut ait Lucretius, lib. III. Quocirca vere damnatus quidam apparens suo amico, qui ei preces suas offerebat, respondit : « Sine pœnitentia sunt judicia Dei in inferno. Dum rotat astra polus, dum pulsat littora pontus, pro criminibus meis puniar. Si totus mundus mihi remedia exquireret, æterna tamen et innumera pœnarum genera patiar. »

DIE ET NOCTE, — id est semper. Nam proprie apud inferos nulla erit dies, sicut apud superos et Beatos nulla erit nox; sed his una perennis dies, illis una et perennis erit nox.

Moraliter, hæc cogitent peccatores, qui peccando acceperunt imaginem bestiæ, id est diaboli, item ii quos bestia ad peccatum tentat et sollicitat, nimirum qui sint fructus, quæ pœnæ peccati. Scilicet *primo*, quod peccator bibet de vino iræ, id est, de felle Dei. *Secundo*, quod vinum hoc mixtum est mero suppliciorum omnium, sine ulla aqua aut gutta consolationis. *Tertio*, quod cruciabitur igne et sulphure. *Quarto*, quod erit probrum et ludibrium in conspectu sanctorum Angelorum, et ante conspectum Agni. *Quinto*, quod fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum. *Sexto*, quod non habebit unquam requiem die ac nocte, nec ab igne corpo-

trices, quæ philtris aliisque artibus meretriciis ad amandum alliciendos uti solebant. »

(1) Veteres vino addebant varia pharmaca et condimenta : hinc κεραννύειν, *miscere*, pro *infundere*; vino ita mixto addebant insuper aquam, ut vim ejus mollirent. At hoc vinum iræ Dei non temperatum aqua dicit Joannes, sed merum fore, ut iram rigidam implacabilemque significet.

reo, nec a verme conscientiæ per omnem æternitatem. Hæc cogitans percellatur, dicatque : Ego non ero tam demens, ut parvo melle æternum fel emam, ut modica voluptate peccati, immensos gehennæ ignes et sulphur mihi accersam : « Momentaneum enim quod delectat, sed æternum quod cruciat. »

Quocirca hisce Apocalypsis verbis S. Cyprianus, lib. IV, *epist.* 6, fideles adhortatur ut usque ad martyrium resistant tyrannis et Antichristo. « Venit, inquit, Antichristus, sed et supervenit Christus; grassatur et sævit inimicus, sed statim sequitur Dominus, passiones nostras et vulnera vindicaturus. Irascitur adversarius et minatur, sed est qui possit de ejus manibus liberare. Ille metuendus est, cujus iram nemo potest evadere. Si quis adorat bestiam et imaginem ejus, etc., bibet de vino iræ Dei. » Et mox : « Ecce agon sublimis et magnus, et coronæ cœlestis præmio gloriosus, ut spectet nos certantes Deus, et super eos quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens certaminis nostri spectaculo perfruatur. Spectant Angeli ejus, spectat et Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas præside Deo congredi, et Christo judice coronari? Integros honor, lapsos dolor ad prælium provocet. » Et inferius : « O dies ille qualis et quantus adveniet, fratres, cum cœperit populum suum Dominus recensere, et divinæ cognitionis examine singulorum merita recognoscere, mittere in gehennam nocentes et persecutores nostros, nobis vero mercedem fidei et devotionis exsolvere, » etc.

12. Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu. — Sunt verba, non tertii Angeli, sed Joannis, qui hoc quasi epiphonema elicit, et annotat ad tres voces trium Angelorum, *q. d.* Cum Babylon deciderit, omnesque impii bibent de calice iræ Dei, tunc apparebit fructus non solius fidei, ut volunt hæretici, sed patientiæ et obedientiæ Sanctorum, qui timentes Dominum, diemque judicii, inter tot impios, inter tot tentationes, persecutiones, tormenta et martyria, constanter usque ad mortem custodierunt et fidem Jesu, et mandata Dei. Nam hi immunes erunt a plagis, quibus in die judicii punientur impii, et insuper amplis præmiis, puta æterna felicitate, donabuntur.

13. Et audivi vocem de coelo dicentem mihi : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur. — Aliqui hæc intelligunt de Martyribus, qui in « Domino, » id est pro Domino, vel propter Dominum moriuntur. Sic Jacob, *Genes.* XXIX, vers. 18, in Hebræo dicitur serviisse ברחל *Berachel*, id est *in Rachele*, hoc est, pro Rachele, septem annis Labano : et sic alibi sæpe ב, id est *in*, capitur pro *propter*. Ita S. Ambrosius, Ansbertus, Haymo, Alcazar, qui ait : Loquitur hæc vox de iis qui fortiter mori decreverunt (hoc enim moriendi decretum significat τὸ *moriuntur*) potius quam sceleris aliquid contra Deum admittere, *q. d.* Illi qui protinus firmiter apud se statuant vitam ipsam Christo libenter immolare, ac morti seipsos, cum opus fuerit, destinare : ex eo ipso temporis puncto incipient ingenti pace, animique tranquillitate perfrui, ac a laboribus et ærumnis requiescere. Hoc est enim quod subdit : « Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant, *q. d.* Antequam reipsa moriantur, statim ac se morti pro Christo devovent, ex eo tempore jam depositis laboribus requiescent, quasi reapse occubuissent. Vide hic quam efficax felixque sit serium et efficax Deo serviendi propositum; facit enim ut pacati et tranquilli omnino vitam agant fideles, mox ut se resolverint, Christique crucem, labores et mortem strenue amplecti apud se plane statuerint; rursum facit ut in opere sint efficaces, uti mox dicam.

Verum planius et plenius alii hæc ad quoslibet Sanctos referunt, sive Confessores, sive Martyres. Hi enim omnes beati sunt, quia « in Domino, » id est in fide, charitate et gratia, ac amicitia Dei moriuntur. Ita Primasius, Andreas, Beda, Richardus, Joachim, Pannonius et alii. Unde S. Bernardus : « Mori, ait, pro Domino, Martyrum est; in Domino autem mori, Confessorum. » Rursum in « Domino, » id est, in Domini quasi manu, aut potius sinu « moriuntur, » id est, dormientes requiescant, quomodo de S. Stephano, *Actor.* cap. VII, dicitur (quod etiamnum pii in fidelium morte usurpant, dicuntque) : « Obdormivit in Domino. »

Beati mortui, etc. — Præclare S. Cyprianus suos exhortans ad fortem patientiam, lib. *De Mortalitate*, sive peste grassante tunc : « Adversa, inquit, non debilitent, nec frangant Christiani fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis injuria malorum præsentium, fiducia futurorum bonorum. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Aversa non avocant a fidei virtute, sed corroborant in dolore, etc. Quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum! » Et mox : « Mortalitas Christianis præstat quod martyrium : cœpimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere. Non est exitus, sed transitus, et temporali itinere decurso ad æterna transgressus. » Sic et S. Bernardus, cap. XV *De Natura et dignitate divini amoris*, mortem vocat Pascha. « Hunc transitum, inquit, ad vitam miseri infideles mortem appellant, fideles autem quid, nisi Pascha? quia moritur mundo, ut perfecte vivat Deo. Ingreditur locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. » Rursum S. Cyprianus, lib. IV, epist. 6 *ad Tibaritan.* : « Gravior, ait, et ferocior pugna nunc imminet, ad quam virtute robusta parare se debent milites Christi (imminente persecutione Decii et Valeriani), considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere. » Idem *De Exhortat. Martyrii* docet « timendas non esse injurias et pœnas persecutionum, quia major est Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum. » Quocirca « in persecutionibus nemo cogitet quod periculum diabolus importet, sed consideret quod auxilium Deus præstet. Nemo difficile vel arduum putet esse Martyrem fieri, quando videat Martyrum populum non posse numerari. » Idem (vel quisquis est Auctor), tract. *De Laude Martyrii*, hosce vel titulos, vel stimulos sparsim dat martyrio, *Primum* : « Impavidos, ait, animos dat dolori. *Secundum* : Mens crescit in pugna; pulsata licet crebrius, hæret immobilis, uti rupes pulsata fluctibus. *Tertium* : Morte vitam condemnat, ut vitam morte custodiat. *Quartum* : Miles triumphalibus de hoste spoliis onustus, vulneribus suis gaudet. *Quintum* : Nec timendum iis, quorum spes æternitatis et vita cœlestis est, ac salus de promissa immortalitate lætatur. *Sextum* : Quorum animo despectus hic mundus, et alienata sæculi facies, quibus semper hic mundus loco carceris. Nec poteris amare martyrium, nisi ante oderis sæculum. *Septimum* : Martyrio velut socio Christi cruore decoraris. » Et sub initium : « Prædurantibus licet costis resultans ungula recurrat in vulnus, et euntibus flagris cum avulsa corporis parte rediens habena ducatur, stat immobilis tamen pœnis suis fortior : hoc solum secum ipse convolvens, quod in illa crudelitate carnificum, plus pro quo patitur, Christus ipse patiatur. Quid est ergo martyrium? delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, patientiæ magister, domus vitæ : quo perfecto etiam ea occidunt, quæ in futuro discrimine potuissent tormenta reputari. » Vide eumdem lib. *De Bono patientiæ.* Insuper S. Augustinus in *Sentent.*, sententia 148 : « Mors, ait, etiam piorum, peccati pœna est. Sed ideo ipsis dicitur bona, quia illa bene utuntur, quibus finis est ad mala temporalia, et transitus ad vitam æternam. Sicut enim injustitia male utitur non tantum malis, verum etiam bonis : ita etiam justitia non tantum bonis, verum etiam malis bene utitur. » Hic bonus usus maxime fit per patientiam, uti indicat hic S. Joannes, de qua S. Augustinus, *sententia* 33 : « Tota, ait, fidelium salus, tota patientiæ fortitudo, ad eum qui in Sanctis suis mirabilis est, referenda est; quia nisi in illis Dominus esset, furori impiorum fragilitas succumberet humana.

Nota : Ambrosius et Alcazar per mortuos hic intelligunt eos, qui mortui sunt non corpori, sed mundo, sive qui mortui sunt non physice, sed mystice et spiritualiter; qui enim physice mortui sunt, amplius mori non possunt, quod tamen de mortuis hic dicitur. Ait enim : « Beati mortui, qui in Domino moriuntur. » Unde Aureolus hæc refert ad Monachatum restauratum in monte Cassino anno Christi 716, quando et Carlomannus, frater Pipini regis Francorum, ibidem factus est monachus, uti et Chilpericus, Rex Francorum, aliique regum et principum filii facti sunt monachi. Monachi enim sunt mystice et civiliter mortui, tum quia sæcularibus negotiis sunt defuncti, tum quia cum S. Paulo mortificationem Jesu, semper in corpore, et magis in animo circumferunt. De qualibus ait idem Apostolus *Coloss.* III, vers. 3 : « Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. » Hi proinde duplici fructu gaudent. Prior est, quod jugi pace et lætitia conscientiæ fruantur, uti experientia constat, et vox divina hic promittit, dicens : « Ut requiescant a laboribus suis. » Posterior est, quod « opera eorum sequuntur illos, » quia cum sua firma resolutione mortem quasi devorarint, hac de causa postea in opere ipso viribus non deficiunt, sed stabiles potius, et in actionibus suis efficaces, constantes, patientes et fideles Christi amatores inveniuntur, juxta illud *Proverb.* XII, 20 : « Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. »



Verum hæc partim accommodatitia, partim mystica et tropologica sunt. Dico ergo ad litteram τὸ *mortui* ample sumi, scilicet pro mortuis tam in præsenti et in futuro, quam in præterito, ut significet tam morientes et morituros, quam de facto jam mortuos, quasi dicat : « Beati » sunt « mortui, » id est morientes, morituri et mortui; qui moriuntur, morientur, vel mortui sunt in Domino. Sic enim Hebræi sæpe ampliant tempora suorum verborum, ut sub præterito intelligant præsens et futurum; et vice versa sub præsenti præteritum et futurum, atque sub futuro præsens et præteritum.

Porro, ut quis moriatur in Domino, vivere debet in Domino, id est, in Dei gratia, lege et voluntate. Dicebat Balaam, *Numer.* cap. XXIII, 10 : « Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. » Sed sapientius dixisset : « Vivat anima mea vita justorum, ut moriatur morte justorum. » Fere enim bonam vitam bona mors, et malam vitam mala mors sequitur, ut ait S. Augustinus. Sicut ergo Romæ mori non potest, qui Romæ non vixit; sic qui in Deo non vixit, in Deo mori non poterit : et contra, qui cum Deo conjunctus vixit, in Deo etiam morietur.

Denique nota hic beatos non dici viventes, sed mortuos, ut significetur ante mortem neminem esse, nec dicendum esse beatum. Clarius id significant græca, quæ sic distinguunt, ut « amodo » quod sequitur, sit finis sententiæ præcedentis, ut sit sensus : « Amodo, » id est, posthac, erunt beati qui in Domino mortui fuerint. Denique sequitur : ναὶ λέγει τὸ πνεῦμα, id est, *etiam dicit Spiritus*, vel *certe dicit Spiritus*; τὸ enim ναὶ affirmantis et asseverantis est. Vidit idipsum per umbram Gentilis Philosophus Solon, cui Crœsus opulentus Lydorum rex, ostendens suas opes, rogavit num quem nosset se beatiorem; respondit Solon nosse se Tellum civem suum, qui honestis relictis liberis, cum nihil ei in vita defuis-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

set, fortiter pro patria dimicans cum laude occubuerat. Rogavit deinde Crœsus, post Tellum num quem alium cognosceret beatiorem; respondit Solon nosse se Cleobin et Bitonem, singulari et inter se, et in matrem pietate viros, qui remorantibus bobus, jugum ipsi plaustri subiissent, et matrem gratulantibus civibus exultantes traxissent ad Junonis templum : inde sacris peractis epulati, non surrexissent postridie, sed in tanta gloria vitam cum morte suaviter commutassent. Quid nos? (inquit ira jam incensus Crœsus) nullone nos numero inter beatos habes? cui Solon : « Beatus est, cujus prosperitatem Deus exitu et morte confirmavit; at viventis adhuc, et periculis in vita expositi beatitudo, sicut certantis præconium et corona, fluxa est et vana. » Ægre accepit hoc Crœsus, et paulo post captus a Cyro, damnatusque ad rogum, exclamavit : Solon, Solon, Solon, nunc experior verum fuisse tuam de beatitudine sententiam. Ita Plutarchus in *Solone*. Hac de causa Ecclesia diem mortis Sanctorum vocat natalem, quia eodem renascuntur in vitam beatam et gloriosam. Natalitia ergo Sanctorum vocat et recolit, non ea quibus cum peccato nascuntur ad vitam mortalem, sed ea quibus per temporalem mortem transeunt ad vitam beatam et immortalem.

Moraliter innuit hic S. Joannes mortem beatam et perfectam eorum esse, qui « in Domino, » id est, in Domini Dei commemoratione, invocatione, amore, ideoque in actu charitatis, animam efflant; quod proinde omnibus desiderandum et reipsa faciendum est. Ita mortuus est S. Augustinus recitans cum lacrymis Psalmos pœnitentiales in actu contritionis, qui est actus amoris Dei, teste Possidonio in ejus Vita. S. Hieronymus obiit exhortando suos ad amorem Dei et proximi. S. Ambrosius subito post sanctam Synaxin raptus, colloquens cum Christo Salvatore expiravit. S. Antonius de Padua animam Deo reddidit, recitato hymno ad beatam Virginem, exultans in Christo. S. Thomas Aquinas, elevatis in cœlum oculis et manibus, alta voce pronuntians illa *Cantic.* cap. VII, vers. 11, verba, ultimo a se explicata : « Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, » moriens in cœlum evolavit. S. Ludovicus fixis in cœlum oculis, ardenti spe et amore suspirans : « Introibo in domum tuam, Domine, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, » spiritum Deo et cœlo reddidit. B. Petrus Cœlestinus, qui renuntians pontificatui in eremum rediit, post magnos labores et cruces decrepitus, psalmum centesimum quinquagesimum instar cycni canens, ultimis ejus verbis : « Omnis spiritus laudet Dominum, » immortuus est. Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, in quo sanctitas cum doctrina de excessu certabat, explicatis quinquaginta proprietatibus divini amoris ex *Cantico Canticorum*, viva facie, ore et corde, identidem repetens suspiransque : « O Domine, fortis est ut mors dilectio tua, » animam amantem Deo amato reddidit. S. Franciscus Xaverius, Indorum apostolus, manu tenens crebroque osculans Christum crucifixum, ac ingeminans : « O Jesu, Deus cordis mei, » in cor ejus spiritum suum deposuit.

Beatiores sunt, qui non tantum in actu, sed ex actu et vi amoris Dei moriuntur. Ita mortua est Beata Virgo ex languore et desiderio videndi Christum suum Filium. Dicebat enim illud Sponsæ in *Canticis* : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Ita ex amore mortua est S. Maria Magdalena, quæ quotidie vi amoris ab Angelis septies in aerem elevabatur. Nam quadam Dominica rapta in ecclesiam, ibique contemplationi dedita, lacrymis perfusa, elevatis brachiis S. Synaxin a S. Maximino percipiens, ad Christum sibi dilectum evolavit. S. Franciscus ex vehementia amoris crebras patiebatur exstases et deliquia, tandemque acceptis sacris stigmatibus in Christum crucifixum quasi transformatus, consumptis viribus et spiritibus naturalibus, vi amoris divini tabescebat, ac deficiens, pronuntians illud *Psalmi* centesimi quadragesimi primi : « Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo; me exspectant justi, donec retribuas mihi, » expiravit anno ætatis quadragesimo quinto. Sic præ vehementia amoris vitam abbreviarunt mortemque sibi accelerarunt S. Catharina Senensis, moriens in ætate florenti, anno trigesimo tertio; S. Carolus Borromæus, moriens anno ætatis 46; noster Stanislaus Kostka, cujus cor ita amore ardebat, ut crebro injecta aqua refrigerari deberet, unde ad vigesimum ætatis annum non pervenit.

AMODO JAM DICIT SPIRITUS, UT REQUIESCANT (perperam Beza, « quoniam requiescunt) A LABORIBUS SUIS. — « Amodo, » id est, ex nunc et deinceps in æternum, puta a tempore mortis illico requiescunt, et requiescent in omne ævum. Ita Ambrosius, Haymo, Beda, *q. d.* Usque ad mortem oportet laborare, certare, pati; post mortem dicitur : « Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. » Ita, inquit S. Bernardus, serm. *De Virgin.*, « S. Germanus, Pontifex Altissiodorensis, Romam petens, cum Eduam devenisset, ad tumulum S. Cassiani divertit; quem proprio vocans nomine : Quid, inquit, agis, frater charissime? Et ille de tumulo : Dulciter, inquit, in pace requiesco, et adventum Redemptoris exspecto. » Pro *amodo* græce est ναί, id est *utique*, profecto, ita prorsus, imo vero, merito certe.

Objiciunt hæretici : Si justi omnes mox a morte requiescunt a laboribus; ergo nulli sunt ad Purgatorium ejusque cruciatus. Respondeo negando consequentiam. Nam *primo*, quod dicitur hic justos requiescere a laboribus, intellige hujus vitæ, quos scilicet exantlarunt in mortificatione passionum, in observatione divinæ legis, et in persecutionum tolerantia. Hi enim mox a morte ab iis



requiescunt; sed si quid adhuc labis habeant, illud detergendum est in Purgatorio. Adde eos in Purgatorio requiescere in certa spe salutis et gloriæ brevi affuturæ, quæ, dum aderit, reipsa in æternam requiem introibunt.

*Secundo*, Turrianus, et ex eo Franciscus Suarez, III part., tract. *De Pœnitentia*, disp. XLV, sect. 1, censent S. Joannem hic loqui tantum de perfecte justis, qui nulla labe culpæ, etiam venialis, nullo quoque reatu pœnæ pro culpa luendæ obstricti sunt, sed puri prorsus sunt et liberi. Hi enim cum nullum habeant debitum, mox in æternam requiem transeunt.

*Tertio*, Gregorius de Valentia, III part., tract. *De Locis animarum post mortem*, disp. XI, Quæst. I, puncto 1, respondet vocem « amodo, » non ad tempus determinatum mortis cujusque justi referri, sed ad totum illud tempus militantis Ecclesiæ. Voluit enim Deus hic significare, hoc ipso tempore quo Ecclesia nunc in terris militat, et persecutiones patitur, habere etiam in regno cœlesti suum locum, et Ecclesiam aliquam triumphantem, ubi Beati requiescant, cum plane purgati fuerint : neque exspectare ipsam tempus extremi judicii et resurrectionis corporum, ut piorum animæ recipiantur in beatitudinem, idque ut hac ratione animet eos ad constantiam in persecutione. Unde præcessit : « Hic, » id est, hoc tempore, « patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei et fidem Jesu; » ac mox subdit : « Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo, » etc. Ita et S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, cap. IX.

SPIRITUS, — τὸ πνεῦμα, puta Spiritus Sanctus. *Secundo*, Haymo, Richardus et Ansbertus : Spiritus, inquiunt, id est Sanctissima Trinitas. *Tertio*, Pannonius : Spiritus, id est, Angelus qui Joanni loquebatur.

OPERA ENIM (nam δὲ, id est *autem*, capitur pro γὰρ, id est *enim* : ita notat Maldonatus et fatetur Beza) ILLORUM SEQUUNTUR ILLOS. — Græce μετ' αὐτῶν, id est *cum illis*, *q. d.* Comitantur illos proxime et individue (sicut famuli comitantur herum, maxime principem, ait Hugo), ut ante regem gloriæ cum pulcherrimo operum comitatu appareant. « Ad quid, ait S. Bernardus, sequuntur opera Sanctos, nisi ut laudent eos in portis opera eorum? »

*Secundo*, opera, id est merces operum. Ita Anselmus, Richardus, Haymo. Opera ergo præcedunt merito, sed sequuntur præmio. In morte nos deserent amici, opes, honores; sola opera nos sequentur, ut pulchris similitudinibus declarat Barlaam Josaphat regi, apud Damascenum in *Historia*, cap. XIII. Nudat ergo mors hominem opibus, non operibus. Nota : Sicut opera bona sequuntur hominem, ita et mala. Unde S. Augustinus, *homil.* 42, inter 50, cap. VIII : « Ipsa, inquit, est infelicitas hominum : propter quod peccant (scilicet opes, delicias, honores), morientes hic dimittunt, et ipsa peccata secum portant. » E contrario Sancti labores et dolores, per quos meriti sunt, hic dimittunt, et ipsas virtutes ac merita secum portant ad præmium mox adipiscendum. Pulchre S. Bernardus, serm. 2 *in Festo omnium Sanctorum* : « Quanta, inquit, est felicitas eorum, quam immensa lætitia, qui nimirum triplici gaudio, de recordatione transactæ virtutis, de exhibitione præsentis quietis, de certa exspectatione futuræ consummationis exultant! Dicunt enim singulæ animæ quibus jam datum est ad hanc requiem pervenire : In pace in idipsum dormiam et requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Et : Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Hoc est suavissimum animæ stratum, quod nullis jam lavet aut riget lacrymis, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis ejus. » Et mox : « Sit ergo beatæ animæ culcitra, conscientiæ suæ puritas; sit capitale, tranquillitas; sit opertorium ejus, securitas : ut in hoc interim strato dormiat delectabiliter, feliciter requiescat, » etc. Et superius : « Nemo parvam aliquam requiem aut lætitiam suspicetur eorum, qui ab omni penitus molestia liberi, recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ; lætantur pro diebus quibus humiliati sunt, annis quibus viderunt mala; cum jucunda admiratione et mira jucunditate considerant pericula quæ evaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt; et pro his omnibus certa et indubitata fide exspectant beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris sui, qui suscitabit corpora eorum configurata proprii corporis claritati. » Idem S. Bernardus, epist. 103 *ad Romanum* : « O quam beati mortui, inquit, qui in Domino moriuntur, audientes a Spiritu, ut requiescant a laboribus suis! Non solum autem, sed et succedit jucunditas de novitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra mors peccatorum pessima. Et audi unde pessima. Mala siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione. »

14. ET VIDI, ET ECCE NUBEM CANDIDAM, ET SUPER NUBEM SEDENTEM SIMILEM FILIO HOMINIS, — scilicet Christum regem et judicem, qui sedebit in judicio in nube candida, ut indicet candorem ejus, atque in judicio nullum fucis et prætextibus fore locum, sed omnia manifesta et sincera futura. Habet falcem acutam, quia venit demessurus universum mundum illique finem impositurus : ita Andreas. Unde *Matth.* cap. XIII, vers. 39, dicitur « messis, » id est messio, « consummatio sæculi est. » Aureolus per Filium hominis intelligit Pipinum, filium Caroli Martelli, qui pro Chilperico factus rex Francorum, illud regnum pro-

pagavit. Hoc accommodatitium est, non litterale (1).

15. ET ALIUS ANGELUS EXIVIT DE TEMPLO, — id est, de penetrali Dei cœlesti, puta de loco Beatorum in cœlo, deferens scilicet ad Christum omnium Sanctorum et cœlitum desiderium de consummatione mundi, punitione impiorum, et gloria justorum : de quo dixit cap. VI, vers. 10 : « Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum ? » Ait ergo Christo :

MITTE FALCEM (hoc est demete), QUONIAM ARUIT MESSIS TERRÆ. — Alcazar per messem accipit uberem animarum segetem, et copiosam Gentium conversionem, quam suis concionibus collegerunt Apostoli, a Christo ad id ipsum missi, de qua dicitur *Lucæ* X, 2 : « Messis quidem multa, operarii autem pauci. » Verum agitur hic de messe mundi in die judicii. Alludit enim ad *Joel.* III, 13 : « Mitte falces, quoniam maturavit messis : » ubi agi de die judicii patet ex eo quod præcessit vers. 12 : « Consurgant, et ascendant Gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu. » Sensus ergo est, *q. d.* Angelus : O Christe, mete, id est, demete homines, animalia omneque vivens. Hoc enim desiderant animæ Martyrum omniumque Sanctorum, qui me hac de causa ad te legatum miserunt, quia plane matura est messis, id est, quia completus est electorum numerus, æque ac cursus mundi, sæculaque a Deo præstituta jam evoluta sunt. Proprie autem hic intendit dicere completum esse Electorum numerum ; hos enim maxime amat et intendit Deus, ac propter eos sæculum totum disposuit, illudque vel arctavit vel prolongavit. Atque hæc est falx et messis tritici. Nam de falce reproborum sequitur, eamque judicii sequens Angelus. Ita S. Gregorius, lib. XXXIII *Moral.*, cap. X, Beda, Ansbertus, Haymo, Pannonius, Viegas, Ribera et alii. Cur judicium Dei comparetur falci causam dat S. Gregorius : « Potestas, inquit, divini judicii, quia intra se omnia incidendo complectitur, falcis appellatione signatur ; in falce enim quidquid inciditur, quaquaversum flectatur, intus cadit. Et quia potestas superni judicii nullatenus evitatur (intra ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur), recte, cum venturus judex ostenditur, falcem tenere perhibetur : quia, cum potenter ad omnia obviat, incidenter circumdat. » Porro Christus petitioni Angeli hujus, et Martyrum ac Beatorum obsequitur, piosque et electos demetit, finemque mundo imponit. Hoc est enim quod subdit : « Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, et demessa est terra. »

Aureolus sequens filum chronologiæ suæ, per hunc angelum accipit Stephanum Papam, qui e templo, id est e Roma, exivit anno Christi 753, ob persecutiones Astulphi, regis Longobardorum, perrexitque in Franciam ad Pipinum, ejus opem implorans. Pipinus ergo, copiis collectis, quasi falce sua demessuit exercitum Astulphi.

17. ET ALIUS ANGELUS EXIVIT DE TEMPLO (cœlesti, uti dixi vers. 15) HABENS ET IPSE FALCEM, — non messoriam, sed vindemiatoriam, sive putatoriam (2). Falx ergo hæc est cultellus curvus, quo vindemiatores multis in locis utuntur, eoque vites putant et vindemiant, atque uvas abscindunt. Falx hæc significat punitionem et excidium impiorum : hos enim vindemiabit vers. sequenti.

Quæres, quisnam hic Angelus ? Respondent Primasius, Ansbertus, Beda, Pannonius, Viegas et alii, hunc Angelum, æque ac præcedentem, esse Christum : Christus enim utramque falcem habet, scilicet tam messoriam tritici, id est electorum, quam vindemiatoriam uvarum, id est impiorum.

Melius Ribera censet hunc proprie dictum esse Angelum, eumque a præcedentibus diversum. Nam Christus hic non vocatur Angelus, sed Filius hominis. Hic ergo Angelus egreditur ut Christo cooperetur, utque ejus nutu et jussu demetat impios, cum Christus demetet pios et sanctos, uti dixi vers. præced. Apte enim Christo præmiatio, Angelo vero punitio tribuitur. Solent enim reges, utpote quos decet et ornat clementia et liberalitas, præmia per se distribuere, supplicia vero per alios irrogare : hoc enim exigit majestas regia.

18. ET ALIUS ANGELUS EXIVIT DE ALTARI, QUI HABEBAT POTESTATEM SUPRA IGNEM : ET CLAMAVIT VOCE MAGNA AD EUM QUI HABEBAT FALCEM ACUTAM, DICENS : MITTE FALCEM TUAM ACUTAM, ET VINDEMIA BOTROS VINEÆ TERRÆ. — Tres hic vers. 15, 17, 18, distinguuntur Angeli : *Primus*, vers. 15, ait Filio hominis : « Mitte falcem tuam, et mete. » *Secundus*, vers. 17, est vindemiator vindemiaturus botros terræ. *Tertius* est qui secundum admonet ut botros vindemiet.

Quæres, quinam sunt hi ? Respondet Alcazar, hæc verba petita esse ex *Joelis* cap. III, vers. 13 : *primum* ergo Angelum esse Joelem, *secundum* esse Mosen, *tertium* esse Eliam. Moses typus est sapientiæ, Elias zeli. Introducitur ergo hic per prosopopœiam Moses mysticus, id est sapientia, clamans ad mysticum Eliam, id est ad zelum, ut mittat falcem atque vindemiet Christi Confessores, puta Martyres. Zelus enim est qui Sanctos impellit, ut sanguinem pro Christo fundant : quod in lege nova sub Christo futurum prædixit Joel, et præfigurarunt Moses et Elias. Censet enim ipse uti et alii nonnulli angelum hunc mitti ad hoc, ut Martyres in suo agone adjuvet et confirmet, ideoque habere potestatem super ignem, id est, supra charitatem, ut eam in Martyribus excitet. Dicit ergo mystico Mosi, id est sapientiæ, mysti-

(1) Ab hoc versu usque ad finem cap. excidium Romæ symbolis messis et vindemiæ, quæ antiquis Prophetis vulgatæ erant imagines pœnarum et interitus, declaratur tanquam mox futurum.

(2) Seu *vineaticam*, ut ait Varro.



cus Elias, id est zelus : « Mitte falcem, et vindemia botros terræ, quia uvæ hujus amputatio et in torcular immissio, ut ibi conteratur, id est passiones et martyria, sunt res quæ directe cœlestem sapientiam attingunt, quam Deus suis martyribus copiose elargitur. Porro botri mittuntur in lacum iræ Dei magnum, quia maximus fuit Martyrum numerus, qui suo sanguine iram Dei contra hostes restinxerunt, eumque hominibus conciliarunt.

Pannonius quoque per Angelum hunc accipit Eliam. Elias enim videtur notari, cum dicitur angelus hic potestatem habere super ignem : hanc enim habuit Elias, qui ter ignem de cœlo evocavit, ut dixi cap. XI, vers. 5. Ipse tamen alium dat sensum, *q. d.* Elias clamat ad Christum, ut potestatem judiciariam et vindictam in impios et Antichristianos exerceat in fine mundi.

Huc pertinet expositio et prophetia Abbatis Joachim, qui per hunc angelum intellexit et prædixit Ordinem Eremitarum S. Augustini, paulo post sua tempora instituendum. De eo enim sic ait, explicans hunc angelum : « Surget Ordo, qui videtur novus, et non est. Induti nigris vestibus, et desuper accincti zona pellicea. Hi crescent, et fama eorum divulgabitur : et prædicabunt fidem, quam et defendent usque ad mundi consummationem in spiritu et virtute Eliæ. Qui erit Ordo Eremitarum æmulantium vitam angelorum. Quorum vita erit quasi ignis ardens in amore et zelo Dei, ad comburendum spinas et tribulos, hoc est, ad consumendum et extinguendum perniciosam vitam pravorum, ne mali amplius abutantur Dei patientia. » Quod Joachimi oraculum citans S. Antoninus, titul. ult., III part. *Histor.*, ex eo probat illum habuisse spiritum propheticum. Joachim enim id dixit et prædixit sub annum Domini 1200. Ordo autem Eremitarum S. Augustini institutus, vel potius restauratus est ab Innocentio IV Pontifice, anno Domini 1243, ut docet idem S. Antoninus, III part., tit. XXIV, cap. XIV, et ex eo P. Hieronymus Platus, lib. II *De Bono status Religiosi*, cap. XXII.

*Tertio*, Ansbertus et Haymo hunc angelum, æque ac præcedentem, volunt esse Christum qui habet potestatem super ignem, quia potest Spiritum Sanctum mittere in corda fidelium. Nam, ut ait ipse *Lucæ* XII, 49 : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ? » Egreditur de altari, quia est Pontifex.

Verum hic non agitur de martyrio aut missione Spiritus Sancti, sed de die judicii et vindictæ, et consequenter ignis hic non est charitatis, sed conflagrationis mundi vel inferni.

*Quarto*, Aureolus et Lyranus per angelum hunc tenentem falcem intelligunt Carolum Magnum, qui demessuit infideles ; per alium vero angelum exeuntem de altari intelligunt Adrianum Papam, qui opem Caroli imploravit contra Desiderium, regem Longobardorum : quem proinde Carolus vivum cepit, et regnum Longobardorum extinxit. Verum hæc accommodatitia sunt, non genuina.

Dico ergo cum Ribera, Viega et aliis, tres angelos qui præter Christum, de quo vers. 14, hic vers. 15, 17 et 18 recensentur, esse hos : *Primus* est vers. 15, legatus Martyrum, qui eorum nomine obsecrat Christum, ut sua falce demetat triticum, id est, Sanctos et electos, eosque congreget et colligat ad se per angelos a quatuor mundi plagis, ut resurgant ad gloriam, et cum eo ascendant ad cœlum. *Secundus*, vers. 17, est angelus qui in fine mundi demetet impios : unde habet falcem acutam. *Tertius* hoc versu est pariter angelus, qui secundo imperat ut falcem exerat et demetat impios. Est ergo hic angelus proprie dictus, æque ac secundus, qui præerit impiorum tum morti per secundum angelum, tum pœnis gehennæ, non per se, sed per dæmones inferendis. Exit de altari, quia, cap. VI, dictum est quod sub altari quiescant animæ Martyrum poscentes vindictam : inde ergo egreditur quasi legatus Martyrum, æque ac primus, a Deo postulans vindictam, ut Martyrum homicidas, omnesque improbos in tartara detrudat, eaque impetrata mandat angelo secundo vindictæ divinæ executori, ut falce sua vindemiet botros, id est impios. Hinc habet potestatem super ignem, ut videlicet inducat in orbem ignem conflagrationis, a. Andreas : vel ut mittat reprobos in ignem gehennæ, ut vult Aretas et Beda, tradendo scilicet eos dæmonibus, qui eos in tartara abripiant (1).

Nota : Sicut per messem et triticum tum hic, tum *Matth.* III, 12, et cap. XIII, vers. 29, significantur electi : ita per vindemiam et botros significantur reprobi, quia calicem iræ divinæ implebunt, ab ea calcandi extra civitatem, id est, extra Ecclesiam, vel extra cœlum, in torculari infernali, ut sequitur. Alludit rursum ad *Joelis* III, 13, ubi cum dixisset Propheta de tritico et messe : « Mittite falces, quoniam maturavit messis ; » subdit de botris et vindemia : « Venite et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia : quia multiplicata est malitia eorum. » Sic passim in Scriptura vindemiatio pro punitione capitur, ut *Psal.* LXXIX, 13 : « Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam ? » *Thren.* I, 12, inducitur Jerusalem ita in sui vastatione lamentans et dicens : « Vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui. » Et vers. 22 : « Vindemia eos, sicut vindemiasti me. » Isaias quoque cap. XVI, vers. 9, agens de excidio Idumææ, ait : « Super vindemiam tuam, et super messem tuam vox calcantium irruit. » Alludit quoque ad *Zachar.* V, 1, ubi ipse vidit falcem volantem juxta Septuaginta. Ita Cyrillus ibidem.

(1) « Qui habebat potestatem supra ignem. » Allicit : potentissimus, seu igne potentior. Rosenmullerus : supra ignem, scil. super altari suffitus.

Aliter Viegas : Falx, inquit, messoria tritici pertinet ad senes : sicut enim messis est arida et cana, ita et senectus; falx vero putatoria uvarum pertinet ad juvenes, qui sunt quasi botri pulchri et florentes, ac succo et sanguine pleni : utrosque enim metit et putat mors. Verum prior sensus aptior est, ut patet ex textu et ex dictis. Unde et sequitur : « In lacum iræ Dei, » græce εἰς λανόν, id est in lacum, in quem exprimitur et recipitur uvarum liquor (1).

20. ET EXIVIT SANGUIS DE LACU USQUE AD FRENOS EQUORUM PER STADIA MILLE SEXCENTA. — Arabicus vertit, *et exivit sanguis de torculari ad frenos equorum, mille et sexcenta milliaria.* Sed male pro *stadia* ponit *milliaria*, quæ stadiis octuplo sunt majora; nisi forte in Arabia, Syria, vel alibi, milliaria adeo brevia sint, ut stadiis æquentur. Alcazar, qui de sanguine Martyrum hæc accipit, dicit eum exivisse ad frenos quatuor equorum quadrigæ Christi : Quatuor hi equi sunt, inquit, ii de quibus cap. VI, vers. 2 et sequentibus ; scilicet *primus* albus, qui significat mansuetudinem Christi et Martyrum ; *secundus* rufus, qui eorumdem zelum ; *tertius* niger, qui eorumdem modestiam ; *quartus* pallidus, qui eorumdem mortificationem repræsentat. Porro in stadiis 1600 alluditur ad longitudinem terræ promissæ, quæ fuit 160 milliarium, ut ait S. Hieronymus, *epist.* 129 (qui et insinuat hæc 160 milliaria Palæstinæ, sive 1600 stadia, facere 200 milliaria Romana ; quod etiam asseverat Alcazar), quæ præcise faciunt 1600 stadia. Vocat vero stadia, quia alludit ad agones Martyrum, qui fieri solebant in stadiis. Terra autem promissa significat Ecclesiam. Sensus ergo est, *q. d.* Tota Ecclesia, totusque orbis quasi irrigatus est, et decoratus copia et ubertate sanguinis, quem recens conversi pro Christo profundebant.

Porro 160 milliaria facere 1600 stadia patet. Nam milliare continet octo stadia; Romani enim singulis passibus dant quinque pedes, et stadiis singulis passus 125, qui Romanos pedes conficiunt 625. Cæterum in Græcorum dimensione decem stadia milliare unum, sive mille passus juste conficiunt. Quippe apud Græcos passus unus sex continet pedes (quæ mensura humanam staturam adæquat), et stadium unum centum passibus, sive staturis humanis constat, id est pedibus sexcentis, ac proinde 160 milliaria præcise sunt stadia 1600. Quod autem Romani ad unius stadii dimensionem adjiciant 25 pedes, id propterea fit, quia ex communioribus Græcis pedibus, 24 pedes exæquabant longitudinem 25 pedum Romanorum. Quare ut in stadii mensura Romani cum Græcis convenirent, stadio tribuebant Romanos pedes 625, sive (quod idem est) 125 passus Romanos. S. Joannes vero hic, quia græce et in Græcia scripsit, utitur stadio Græco, non Romano, accipitque stadium pro centum passibus; quo fit ut 160 milliaria contineant 1600 stadia, uti jam dixi (2).

Hæc vera sunt et erudita, sed non ad propositum. Nam stadia hæc spectant ad dimensiones, non terræ promissæ, nec Ecclesiæ, sed loci reproborum (hic enim est lacus iræ Dei, nisi dicas hunc lacum commensurari et adæquari terræ sanctæ) et damnatorum, puta gehennæ et inferni. Sanguis ergo hic non Martyrum, sed reproborum accipi debet. Sensus ergo est, *q. d.* Tanta erit impiorum et reproborum, qui in fine mundi occidentur et damnabuntur, strages, ut, si locus ille quem ipsi in inferno obtinebunt, torcular esset quo sanguis eorum exprimeretur, sanguis hic via regia excurreret ad 1600 stadia usque ad altitudinem frenorum equorum. » Equos intellige Christi et sanctorum ejus. Illi enim hic et cap. XIX, per prosopopœiam inducuntur ut victores equites, qui egrediuntur pedibus, non corporis, sed mentis, extra civitatem cœlestem, ad contemplandam victoriam Christi de impiis, eorumque stragem. Ita Andreas, Ambrosius, Beda et alii. Est catachresis et hyperbole.

Similes catechreses et phrases alibi habet Scriptura, ut *Psal.* CIX, 7 : « De torrente in via bibet. » *Num.* XXIII, 24 : « Donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat. » *Psal.* LVII, 11 : « Manus suas lavabit in sanguine peccatoris. » Quibus tantum plena victoria et ultio de hostibus significatur.

Simili schemate ait L. Florus in bello Cimbrico : « Tanto ardore pugnatum est, caque cædes hostium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit quam sanguinis barbarorum. » Idem Florus, lib. II *De Bello Punico* : « Documenta, inquit, cladis, cruentus aliquando Aufidus. »

Potest *secundo*, hic locus proprie accipi de capacitate totius inferni, *q. d.* Impiorum in fine mundi sanguis et cadavera decurrent, et spargentur per totam capacitatem et longitudinem inferni. Infernus enim in longum (uti et in latum, et in profundum quaquaversum) extenditur ad 1600 stadia, id est leucas Hispanicas 50. Ita Ribera, qui censet hic præcise describi spatium et quantitatem inferni, scilicet quod extendatur ad 1600 stadia, tam in longum, quam in latum et profundum : licet hoc Viegæ et Alcazari non placeat, eo quod in Scriptura alibi nihil tale exprimatur. Verum hæc ratio non concludit : nam ex ea tantum sequitur nihil certi de hac quantitate inferni afferri posse, non autem sequitur nihil probabiliter conjici posse. Probabile ergo est hoc spatium 1600 stadiorum esse mensuram inferni, tum quia id

(1) Vers. 20. « Extra civitatem, » Sanctam scil., id est extra Ecclesiam. Alluditur ad consuetudinem Hierosolymitanam.

(2) Igitur stadium unum continebat Gall. circiter 185 mètres.



hic innui videtur, tum quia hic locus satis capax est, ut capiat omnes omnium temporum reprobos et damnatos. Est enim hoc spatium 1600 stadiorum circiter tantum, quantum est Roma Bononiam, aut Bruxellis Parisios : quod plurimos et quasi innumeros hominum milliones complecti posset, præsertim accedente justa et proportionata tam latitudine, quam profunditate, qualis est in inferno. Nam, ut ait Isaias XXX, 33 : « Præparata est ab heri *Topheth* (id est ab æterno gehenna), a rege præparata, profunda et dilatata. » Nam 1600 stadia faciunt ducenta milliaria Italica; milliare enim continet mille passus, indeque dictum est milliare. Passus continet quinque pedes, pes quatuor palmas, palma quatuor digitos transversos. Stadium autem est octava pars milliaris, continetque passus 125. Ergo 1600 stadia faciunt ducenta milliaria : hæc enim sunt octava pars mille sexcentorum.

Confirmatur hæc sententia, *primo*, quia S. Joannes hic infernum vocat lacum iræ Dei magnum ; est ergo ingens valde et magnus, ut Deo iræque Dei aliquatenus respondeat et commensuretur. Rursum diserte ei assignat stadia mille sexcenta, quæ cum proprie accipere possimus, cur ea alio torquemus ? Quod enim aliqui viri docti hæc stadia censeant esse loci, quem occupabunt damnandi in die judicii circa vallem Josaphat, non videtur esse ex mente S. Joannis, qui hæc stadia assignat lacui iræ Dei. Hic enim lacus in quo calcantur damnati, sine dubio est infernus. *Secundo*, quia idcirco infernus in Scriptura et a Patribus vocatur abyssus, quia est profundissimus et maximus, ut videatur esse ἄβυσσος, id est, *sine fundo*. *Tertio*, quia ignis conflagrationis mundi totum occupabit orbem, scilicet totam terram, totam aquam, totum aerem usque ad cœlum. Hic autem ignis totus ibit in infernum, eoque secum convolvet damnatos : ignis autem tantus et tam vastus, esto densetur, vastissimum poscit locum. *Quarto*, incendium Sodomæ et Pentapolis extendit se ad septuaginta duo milliaria in longum, et novemdecim in latum, teste Josepho et aliis ; complexum enim est quatuor urbes valde a se distantes : hoc autem fuit typus incendii infernalis. *Quinto*, Ætna aliquando flammas et cineres eructavit et ejaculata est ad triginta milliaria : similia scribit Plinius de Vesuvio. Ætna autem et Vesuvius tantum sunt umbra, et, ut aliqui vocant, os inferni. *Sexto*, quia ex visionibus constat amplissimas esse gehennæ flammas. Tales enim tantasque vidit S. Furseus, et S. Diethelmus apud Venerabilem Bedam, lib. V *Historiæ Anglicanæ*, cap. XIII. *Septimo*, quia valde verisimile est in inferno dæmones habituros corpora ignita, tum ut ipsi magis puniantur, tum ut horribili sua specie, plagis et tormentis corporeis, magis puniant damnatos : de qua re plura dixi *Isaiæ* XXXIV, sub finem capitis. Infernus ergo maximus sit oportet, utpote qui capiet tot millenos milliones, non solum hominum damnatorum, sed et dæmonum corporatorum.

Contrarium tamen sentit P. Lessius, lib. XIII *De Perfectionibus divinis*, cap. XXIV. Ubi *primo*, docet infernum non esse aliud quam stagnum ignis et sulphuris, *Apocal.* XX, 15 ; *secundo*, hoc stagnum esse in medio terræ, ita ut centrum stagni, centrum inferni, et centrum terræ sit unum idemque, sulphureo illo stagno circa centrum se in orbem colligente : quocirca stagnum hoc habere murum spississimum et impermeabilem, qui omnem evadendi spem damnatis adimet ; ambitur enim spissitudine terræ, quæ a centro ad superficiem plusquam mille leucas continet. Quis hujusmodi murum perfodiat aut penetret ? *Tertio*, cavitatem inferni esse circiter unius leucæ, seu quatuor milliarium Italicorum. Ratio ejus est, quia damnati in inferno non insistent pedibus, nec huc illucque discurrent, sed colligentur in cumulum instar carbonum, vel lignorum ardentium, ut Scriptura indicat. Jam etiamsi singulis corporibus damnatorum demus sex pedes quadratos (qui abunde sufficiunt), tamen una leuca (id est, mensura viginti millium pedum) cubitata, seu cubice multiplicata, capere poterit plusquam octinginta millia millionum corporum, cum tamen certum videatur, facta subductione, non futuros centies mille milliones. Addit deinde : Verum, inquit, quia ibi quoque ingens stagnum erit ignis et sulphuris, et dæmones omnes ignitis corporibus includentur, fortasse erit capacior. Sit ergo diameter duarum leucarum, seu octo milliarium Italicorum, tunc superficies concava terræ ambiens infernum, erit sex leucarum. Unde facile poterit cavitas inferni in medio sui continere stagnum, cujus profunditas sit undique unius mediæ leucæ, quanta vix usquam est profunditas maris, et supererit adhuc media leuca vacua inter concavam superficiem terræ et superficiem stagni. Hæc ipse probabiliter et erudite. Alii tamen aliter supputant, pluresque damnatorum milliones fore censent. Insuper, esto locus iste capiendis corporibus damnatorum constipatis sufficeret, tamen multo iis majorem fore censent. *Primo*, ut magnitudo incendii immanis et quasi immensi, solo aspectu horribili percellat damnatos ; quo enim majus est incendium, eo majore nos horrore concuti in hac vita sentimus. *Secundo*, quia in incendiis hisce corpora damnatorum constipata volutabuntur, ut jam in altum conscendere, jam in abyssum mergi, jam ad latera quaquaversum latissime gyrari et raptari videantur, uti ibidem conscendere et descendere vidit animas S. Diethelmus jam citatus. Hoc insinuat S. Joannes dicens : « Et fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum. » Sic enim non parum augebitur horror et cruciatus reproborum. *Tertio*, quia in inferno variæ variorum criminum sunt pœnæ, variæ carnificinæ, varia tormentorum genera, instrumenta et loca, ut patet ex visionibus Venerabilis Bedæ jam

citatis, et ex multis energumenorum testimoniis, qui adjurati idipsum confessi sunt. Inter alia nostri patres Hispani oculati testes hæc Romam perscripserunt, quæ in Litteras annuas anni 1604 collegii Huetensis, provinciæ Toletanæ, relata sunt, scilicet dæmonem per energumenam, concionem sibi a Deo imperatam habuisse ad circumfusam multitudinem, qua ejus peccata coarguebat, ac inter alia dicebat : « Me ex cœli vertice ad barathrum dejecit peccatum, et vos ullum in terræ locum tutum existimabitis? Eundum igitur vobis erit, nisi caveatis, cum inferis Satanis ad sulphur, ad ignem, ad pontem, ad castellum, ad fluvium, ad rotundam domum, » quibus verbis utique varia tormentorum et loca et genera in gehenna significabat. Unde liquet corpora damnatorum non ita esse constipata, ut omnia in unum quasi fascem colligata sint, sed potius ita ut varios fasciculos efficiant, variis locis, catastis et equuleis dispositos, qui pro dæmonum libitu et Dei vindicta subinde solvantur, ut reprobi ab una catasta in aliam raptentur, iterum deinde colligantur, et in ollam vulcaniam mergantur. Est enim ibi pœnarum omnigenum maxima varietas et multitudo, et ab una in aliam damnati quasi in orbem ire coguntur, ut semper supplicia eis innovari, aliaque et nova instaurari videantur. Ut ergo seorsim disponi et torqueri possint eorum corpora, ingenti spatio est opus, uti fatetur P. Lessius, loco jam citato, ubi ad hoc requirit centum leucas et amplius.

Symbolice Petrus Bongus, lib. *De Num. mysteriis* : Numerus, inquit, 1600 a quadragenario tetragonus est. Nam quadragies quadraginta faciunt 1600. Hunc etiam componunt quatuor quadringenti. In sacra Scriptura totum insinuat mundum, cujus partes quatuor esse constat. *Apocal.* XIV scriptum est, quod manavit sanguis usque ad frenos equorum per stadia 1600, *q. d.* Per quatuor mundi partes, Ortum, Occasum, Septentrionem et Meridiem. Unde et *Threni* Jeremiæ quatuor sunt, et quadruplici alphabeto distincti ; quia in illis Jeremias non tantum Judæorum, sed etiam totius mundi scelera deplorat, et omnes ad deplorandum invitat. Ita Bongus.

Memento, quod jam sæpius monui, in his Joannis visionibus nonnulla esse hyperbata, ac saltus ab uno ad aliud et resultus, uti sunt in aliis Prophetis. Nam a signis judicio præviis, de quibus egit vers. 6 et seq., salit vers. 16 et sequent., ad præmia electorum et pœnas reproborum : inde rursum resilit ad signa judicio prævia. Nam cap. seq. XV et XVI, recenset septem plagas orbis novissimas ; inde cap. XVII et XVIII, describit Babylonis excidium : hæc enim omnia præibunt diem judicii.

Moraliter disce hic quam horrendus sit infernus, et in eo pœna reproborum. *Primo*, quia sunt botri iræ Dei, qui ab eo quasi furente calcantur in torculari gehennæ. *Secundo*, quia fumus tormentorum eorum ascendit in sæcula sæculorum, uti dixi vers. 11. *Tertio*, quia jactantur in lacu igneo quaquaversum per stadia 1600. Cogita fornacem igneam flammas conglobantem et ejaculantem quaquaversum (id est tam in longum, quam in latum et in profundum) per ducenta milliaria, et in eo corpora damnatorum volutari, nuncque ascendere, nuncque descendere, nunc gyrari in omnem partem, idque jugiter nocte et die per omnia sæcula, per omnem æternitatem. Ecce hoc est infernus.

« Anima, inquit S. Gregorius, lib. IV *Dial.*, XLV, illic (in inferno) posita bene esse perdit, et esse non perdit : qua ex re semper cogitur ut non mortem sine morte, et defectum sine defectu, et finem sine fine patiatur : quatenus ei, et mors immortalis sit, et defectus indeficiens, et finis infinitus. » Idem, lib. IX *Moral.*, XXXIX : « Horrendo modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. » Et mox : « Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu : quia et mors semper vivit, et finis semper incipit, et defectus deficere nescit. Mors perimit, et non extinguit ; dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat ; flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit. » Et inferius : « Tunc eos flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit. Tunc infinitum patens barathrum inferni devorat, quos inanis elatio nunc exaltat. » Idem in illud *Matth* : « Ejicientur in tenebras exteriores : In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio bonorum omnium. » Hugo, lib. IV *De Anima* : « Infernus, ait, locus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili : ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. » Illic dæmones horrendas induunt larvas, quibus percellunt damnatos, de quibus Virgilius, *Æneid.* VI :

Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra,
Gorgones, Harpyæque et forma tricorporis umbræ.

Refert Climacus *gradu* 4, se in monasterio vidisse fratrem quemdam cocum, qui a Deo donum jugiter lacrymandi obtinuerat ; qui rogatus quomodo id obtinuisset, respondit : « Ex ignis culinæ, quem perpetuo cerno, aspectu, vasta ignis inferni incendia animo verso : quæ consideratio uberes ex oculis lacrymas elicit. » Exempla et visiones hac de re horrificas recenset S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XXX, ubi Theodorici regis jactum in ollam Vulcaniam recenset, et cap. XXXVI et XLIII, et Damasius, *Histor.* cap. XXX, ubi Josaphat regis visionem de inferno enarrat. Nota est Doctoris Parisiensis defuncti historia, qui in exequiis surgens e feretro dixit : « Justo Dei judicio accusatus, judicatus et damnatus sum, » qua voce S. Bruno, aliique permoti Carthusiam instituerunt, uti narrat Franciscus Puteus in *Vita S. Brunonis*, et ex eo noster Petrus Thyræus, lib. *De Judicio particulari*, cap. VI. Nota etiam est Udonis Episcopi monitio cœlestis : « Udo, Udo, cessa a ludo, lusum satis Udo ; » cumque non cessaret, ejusdem judicium, decollatio et damnatio, quam enarrat Fulgosius, lib. IX, cap. XII ; Nauclerus, vol. II, gener. 37 ; S. Antoninus et alii. Refert Gregorius Turonensis, lib. VIII *Hist. Franc.*, cap. V. Chilpericum regem pessimum, Francorum tyrannum, post mortem Guntramno regi visum confractis membris projici in ollam æneam, statimque undarum vapores ita dissolvi ac liquefieri, ut nullum ex eo penitus vestigium remaneret. Plura hac de re dixi *Deuter.* XXXII, 22.



# CAPUT DECIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Redit hic Propheta post aliqualem digressionem capitis* XIV *de die judicii, deque damnatione impiorum, ad cap.* XIII, *scilicet ad tempora Antichristi : unde hic producere incipit septem angelos effundentes septem phialas iræ Dei. Primo ergo, vers.* 2, *videt Sanctos qui vicerunt bestiam, stantes super mare vitreum, citharizantes et cantantes canticum Mosis et Agni. Identidem enim Deus per Joannem proponit hic et inculcat gloriam Sanctorum, ut fideles animet ad certamen, præsertim contra Antichristum. Secundo, vers.* 5, *aperitur templum in cœlo, ex quo prodeunt septem angeli vestiti lino mundo et zonis aureis, quibus singulis dantur singulæ phialæ iræ Dei, quæ continebant septem plagas orbis novissimas, quocirca templum impletum est fumo a Majestate Dei.*

**1. Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, angelos septem, habentes plagas septem novissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei. 2. Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, et eos, qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei ; 3. et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens ; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. 4. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es : quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt. 5. Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo. 6. Et exierunt septem angeli habentes septem plagas, de templo, vestiti lino mundo et candido, et præcincti circa pectora zonis aureis. 7. Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. 8. Et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute ejus : et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem angelorum.**

1. ET VIDI ALIUD SIGNUM IN COELO MAGNUM ET MIRABILE, ANGELOS SEPTEM, HABENTES PLAGAS SEPTEM NOVISSIMAS, — scilicet, ultimas quas Deus infliget peccatoribus in hac vita (1). Unde subdit : « Quoniam in illis consummata est ira Dei. » Has plagas ordine recensebit capite sequenti. Est hysterologia : hic enim versus postponendus est versui secundo, tertio et quarto. Nam prius vidit Joannes Sanctos stantes super mare vitreum, et cantantes canticum Mosis : post hanc enim visionem

(1) « Hoc et sequenti cap. idem Romæ excidium sub novo signorum et figurarum apparatu oculis subjicitur. Imago desumpta ex historia Israelitarum, ante eorum exitum ex Ægypto. Angeli autem hic iterum sunt ministri providentiæ divinæ. *Plagas septem ultimas* habebant, symbola malorum quæ evenire debebant Romæ Christianis, novo populo Dei inimicæ. Ægyptus Judæis typus erat imperii insidias populo Dei struentis. Ab hoc typo eo deductus est vates, ut in alteram Ægyptum, Romam puta, similes, quas prior illa subierit, rerum conversiones et plagas transferret, quibus Christiani, novus Dei populus, e simili tyrannide eximerentur. Angeli ex aere imminentes conspecti, in mandatis habebant, plagas septem *ultimas* Romæ inferre ; devicta enim Roma (idolorum cultu oppresso), nullus amplius populi Dei adversarius subigendus erat. » Hæc apposite Rosenmullerus.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

citatis, et ex multis energumenorum testimoniis, qui adjurati idipsum confessi sunt. Inter alia nostri patres Hispani oculati testes hæc Romam perscripserunt, quæ in Litteras annuas anni 1604 collegii Huetensis, provinciæ Toletanæ, relata sunt, scilicet dæmonem per energumenam, concionem sibi a Deo imperatam habuisse ad circumfusam multitudinem, qua ejus peccata coarguebat, ac inter alia dicebat : « Me ex cœli vertice ad barathrum dejecit peccatum, et vos ullum in terræ locum tutum existimabitis? Eundum igitur vobis erit, nisi caveatis, cum inferis Satanis ad sulphur, ad ignem, ad pontem, ad castellum, ad fluvium, ad rotundam domum, » quibus verbis utique varia tormentorum et loca et genera in gehenna significabat. Unde liquet corpora damnatorum non ita esse constipata, ut omnia in unum quasi fascem colligata sint, sed potius ita ut varios fasciculos efficiant, variis locis, catastis et equuleis dispositos, qui pro dæmonum libitu et Dei vindicta subinde solvantur, ut reprobi ab una catasta in aliam raptentur, iterum deinde colligantur, et in ollam vulcaniam mergantur. Est enim ibi pœnarum omnigenum maxima varietas et multitudo, et ab una in aliam damnati quasi in orbem ire coguntur, ut semper supplicia eis innovari, aliaque et nova instaurari videantur. Ut ergo seorsim disponi et torqueri possint eorum corpora, ingenti spatio est opus, uti fatetur P. Lessius, loco jam citato, ubi ad hoc requirit centum leucas et amplius.

Symbolice Petrus Bongus, lib. *De Num. mysteriis* : Numerus, inquit, 1600 a quadragenario tetragonus est. Nam quadragies quadraginta faciunt 1600. Hunc etiam componunt quatuor quadringenti. In sacra Scriptura totum insinuat mundum, cujus partes quatuor esse constat. *Apocal.* XIV scriptum est, quod manavit sanguis usque ad frenos equorum per stadia 1600, *q. d.* Per quatuor mundi partes, Ortum, Occasum, Septentrionem et Meridiem. Unde et *Threni* Jeremiæ quatuor sunt, et quadruplici alphabeto distincti; quia in illis Jeremias non tantum Judæorum, sed etiam totius mundi scelera deplorat, et omnes ad deplorandum invitat. Ita Bongus.

Memento, quod jam sæpius monui, in his Joannis visionibus nonnulla esse hyperbata, ac saltus ab uno ad aliud et resultus, uti sunt in aliis Prophetis. Nam a signis judicio præviis, de quibus egit vers. 6 et seq., salit vers. 16 et sequent. ad præmia electorum et pœnas reproborum : inde rursum resilit ad signa judicio prævia. Nam cap. seq. XV et XVI, recenset septem plagas orbis novissimas; inde cap. XVII et XVIII, describit Babylonis excidium : hæc enim omnia præibunt diem judicii.

Moraliter disce hic quam horrendus sit infernus, et in eo pœna reproborum. *Primo*, quia sunt botri iræ Dei, qui ab eo quasi furente calcantur in torculari gehennæ. *Secundo*, quia fumus tormentorum eorum ascendit in sæcula sæculorum, uti dixi vers. 11. *Tertio*, quia jactantur in lacu igneo quaquaversum per stadia 1600. Cogita fornacem igneam flammas conglobantem et ejaculantem quaquaversum (id est tam in longum, quam in latum et in profundum) per ducenta milliaria, et in eo corpora damnatorum volutari, nuncque ascendere, nuncque descendere, nunc gyrari in omnem partem, idque jugiter nocte et die per omnia sæcula, per omnem æternitatem. Ecce hoc est infernus.

« Anima, inquit S. Gregorius, lib. IV *Dial.*, XLV, illic (in inferno) posita bene esse perdit, et esse non perdit : qua ex re semper cogitur ut non mortem sine morte, et defectum sine defectu, et finem sine fine patiatur : quatenus ei, et mors immortalis sit, et defectus indeficiens, et finis infinitus. » Idem, lib. IX *Moral.*, XXXIX : « Horrendo modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. » Et mox : « Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu : quia et mors semper vivit, et finis semper incipit, et defectus deficere nescit. Mors perimit, et non extinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit. » Et inferius : « Tunc eos flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit. Tunc infinitum patens barathrum inferni devorat, quos inanis elatio nunc exaltat. » Idem in illud *Matth.* : « Ejicientur in tenebras exteriores : In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio bonorum omnium. » Hugo, lib. IV *De Anima* : « Infernus, ait, locus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili : ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. » Illic dæmones horrendas induunt larvas, quibus percellunt damnatos, de quibus Virgilius, *Æneid.* VI :

Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra,
Gorgones, Harpyiæque et forma tricorporis umbræ.

Refert Climacus *gradu* 4, se in monasterio vidisse fratrem quemdam cocum, qui a Deo donum jugiter lacrymandi obtinuerat; qui rogatus quomodo id obtinuisset, respondit : « Ex ignis culinæ, quem perpetuo cerno, aspectu, vasta ignis inferni incendia animo verso : quæ consideratio uberes ex oculis lacrymas elicit. » Exempla et visiones hac de re horrificas recenset S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XXX, ubi Theodorici regis jactum in ollam Vulcaniam recenset, et cap. XXXVI et XLIII, et Damasius, *Hister.* cap. XXX, ubi Josaphat regis visionem de inferno enarrat. Nota est Doctoris Parisiensis defuncti historia, qui in exequiis



surgens e feretro dixit : « Justo Dei judicio accusatus, judicatus et damnatus sum, » qua voce S. Bruno, aliique permoti Carthusiam instituerunt, uti narrat Franciscus Puteus in *Vita S. Brunonis*, et ex eo noster Petrus Thyræus, lib. *De Judicio particulari*, cap. VI. Nota etiam est Udonis Episcopi monitio cœlestis : « Udo, Udo, cessa a ludo, lusum satis Udo; » cumque non cessaret, ejusdem judicium, decollatio et damnatio, quam enarrat Fulgosius, lib. IX, cap. XII; Nauclerus, vol. II, gener. 37; S. Antoninus et alii. Refert Gregorius Turonensis, lib. VIII *Hist. Franc.*, cap. V. Chilpericum regem pessimum, Francorum tyrannum, post mortem Guntramno regi visum confractis membris projici in ollam æneam, statimque undarum vapores ita dissolvi ac liquefieri, ut nullum ex eo penitus vestigium remaneret. Plura hac de re dixi *Deuter.* XXXII, 22.

# CAPUT DECIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Redit hic Propheta post aliqualem digressionem capitis XIV de die judicii, deque damnatione impiorum, ad cap. XIII, scilicet ad tempora Antichristi : unde hic producere incipit septem angelos effundentes septem phialas iræ Dei. Primo ergo, vers. 2, videt Sanctos qui vicerunt bestiam, stantes super mare vitreum, citharizantes et cantantes canticum Mosis et Agni. Identidem enim Deus per Joannem proponit hic et inculcat gloriam Sanctorum, ut fideles animet ad certamen, præsertim contra Antichristum. Secundo, vers. 5, aperitur templum in cœlo, ex eoque prodeunt septem angeli vestiti lino mundo et zonis aureis, quibus singulis dantur singulæ phialæ iræ Dei, quæ continebant septem plagas orbis novissimas, quocirca templum impletum est fumo a Majestate Dei.*

**1.** Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, angelos septem, habentes plagas septem novissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei. **2.** Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, et eos, qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei; **3.** et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. **4.** Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es : quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt. **5.** Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo. **6.** Et exierunt septem angeli habentes septem plagas, de templo, vestiti lino mundo et candido, et præcincti circa pectora zonis aureis. **7.** Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. **8.** Et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute ejus : et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem angelorum.

**1. ET VIDI ALIUD SIGNUM IN COELO MAGNUM ET MIRABILE, ANGELOS SEPTEM, HABENTES PLAGAS SEPTEM NOVISSIMAS,** — scilicet, ultimas quas Deus infliget peccatoribus in hac vita (1). Unde subdit : « Quoniam in illis consummata est ira Dei. » Has plagas ordine recensebit capite sequenti. Est hysterologia : hic enim versus postponendus est versui secundo, tertio et quarto. Nam prius vidit Joannes Sanctos stantes super mare vitreum, et cantantes canticum Mosis : post hanc enim visionem

(1) « Hoc et sequenti cap. idem Romæ excidium sub novo signorum et figurarum apparatu oculis subjicitur. Imago desumpta ex historia Israelitarum, ante eorum exitum ex Ægypto. Angeli autem hic iterum sunt ministri providentiæ divinæ. *Plagas septem ultimas* habebant, symbola malorum quæ evenire debebant Romæ Christianis, novo populo Dei inimicæ. Ægyptus Judæis typus erat imperii insidias populo Dei struentis. Ab hoc typo eo deductus est vates, ut in alteram Ægyptum, Romam puta, similes, quas prior illa subierit, rerum conversiones et plagas transferret, quibus Christiani, novus Dei populus, e simili tyrannide eximerentur. Angeli ex aere imminentes conspecti, in mandatis habebant, plagas septem *ultimas* Romæ inferre; devicta enim Roma (idolorum cultu oppresso), nullus amplius populi Dei adversarius subigendus erat. » Hæc apposite Rosenmullerus.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

subdit, vers. 5 : « Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum, et exierunt septem angeli habentes septem plagas. » Præmittit tamen hasce plagas hic obiter et in genere, ut significet eo hæc omnia de mari vitreo et Sanctis super illud stantibus spectare, ut scilicet illi jam quasi victores et triumphantes, e cœlo quasi emittant et ejaculentur hasce plagas in impios, utpote hostes Dei, æque ac suos. Est ergo hic quasi propositio, vel summa eorum quæ his duobus capitibus dicenda sunt, quæque enarrari incipiunt vers. 2, et pertexuntur usque ad finem capitis sequentis. Porro hæ plagæ dicuntur novissimæ, non mathematice, sed moraliter, quia scilicet erunt sub finem mundi, eruntque inter ultimas. Nam alioqui præcise post has plagas sequetur plaga et excidium Babylonis, ac post illud plaga et excidium Antichristi, Gog et Magog, etc.

2. ET VIDI TANQUAM MARE VITREUM MIXTUM IGNE, ET EOS QUI VICERUNT BESTIAM ET IMAGINEM EJUS, ET NUMERUM NOMINIS EJUS, STANTES SUPER MARE VITREUM, HABENTES CITHARAS DEI (1). — *Primo*, Alcazar : Mare, inquit, vitreum cap. IV, significavit mare æneum quod Salomon fecit in templo : hic vero significat ipsas maris Rubri undas coagulatas. Hic enim alluditur ad Hebræorum sicco pede transitum per mare Rubrum. Ergo maris vitrei figura hic similis est mari Rubro, ita tamen ut aquæ ardentes appareant, et in vitream soliditatem coagulatæ. Vitreum enim mare hic idem est quod mare congelatum et solidum. Significatur itaque hic Apostolos et primos fideles, quasi novos Israelitas, mare gentilitatis ingressos, supra illud quasi super mari solido illæsos ambulasse, illudque igne et flammis Evangelii accendisse : cujus rei symbolo S. Petrus Christi gratia fultus super mare ambulavit et ad Christum perrexit, *Matth.* XIV, 28. Stantes ergo super mare vitreum sunt illa ipsa 144 millia signatorum, de quibus cap. VII et XIV. Veteres enim Israelitæ transierunt mare Rubrum, sed divisum, ideoque infra, puta in alveo, non supra : hi vero novi fideles calcantes mare, terram, ac terrena omnia, supra mare et terram stant et incedunt.

*Secundo*, Aureolus putat hic describi pietatem et zelum Caroli Magni. Itaque mare vitreum esse populum Gallicanum, qui transiens per aquas maris, id est baptismi, in Christi fidem, ita constanter ei adhæsit, ut Christianissimi cognomen acceperit. Mare hoc vitreum mixtum fuit igne, id est zelo et fervore fidei, qui bestiam, id est Saxones, Saracenos et Hunnos subegit, eosque vel Christi amore inflammavit, vel excussit et occidit. Cantant canticum Agni, quia Carolus Magnus instituit, ut omnes Ecclesiæ Gallicanæ sequerentur cantum et officium Ecclesiæ Romanæ. Est hæc elegans allusio et adaptatio.

*Tertio*, Primasius, Richardus, Ansbertus et alii per mare vitreum intelligunt Sacramentum baptismi ; hoc enim adumbratum est mari Rubro, ad quod hic alluditur, ut patet I *Corinth.* X, 1. Est vitreum, quia facit Christianos puros et sinceros instar vitri. Est mixtum igne, quia tribuit Spiritum Sanctum. Vel, ut Ansbertus : mare quod igne et calore in vitrum solidum convertitur, est fides charitate formata et solidata; vel, ut alii, ignis hic est ardor persecutionum; unde super hoc mare victores Antichristi, quasi triumphantes stant. Ita Viegas.

*Quarto* et genuine, Ribera per mare vitreum accipit sæculum hoc, sive terram, aerem et aquam, quæ instar vitri pellucent; item homines hujus sæculi, qui mixti sunt igne conflagrationis mundi, quem Deus in pœnam peccatorum orbi immittet, de quo cap. XIV, vers. 18. Sæculum enim hoc periculosum et tempestuosum vocatur mare, uti dixi cap. XII, vers. ultimo. Dicitur vitreum, *primo*, quia sic a poetis cognominatur, eo quod sit pellucidum ; *secundo*, quia habet colorem vitri; *tertio*, quia fragile est instar vitri. Itaque aliter hic accipitur mare vitreum, quam cap. IV, vers. 6: ibi enim mare vitreum significat cœlum crystallinum, vel potius empyreum, angelosque qui in eo sunt in circuitu throni Dei. Hic vero mare vitreum dicitur igne mixtum, et Sancti dicuntur supra illud stare, quia scilicet sæculum hoc sancte, prudenter et feliciter transierunt et superarunt, jamque quasi victores stant in littore quod mari imminet, estque supra mare, quia jam appulerunt ad portum salutis, et in cœlo beati consistunt. Alludit enim ad mare Rubrum, quod duce Mose Hebræi sicco pede transierunt, cum persequeretur eos Pharao, *Exodi* XIV. Pari enim modo sæculum hoc transeunt Sancti, ita ut maneant illæsi a Pharaone, id est a diabolo et Antichristo : unde et cantant canticum Mosis. Simili schemate ait Poeta :

Ludunt in vitreo monstra marina salo.

Sicut ergo *Gen.* I, 1, dicuntur duplices esse מים *maim*, id est *aquæ*, et consequenter duplices esse שמים *scamaim*, id est *cœli*, scilicet alii supra firmamentum, alii sub firmamento : ita et duplex est mare hoc vitreum, scilicet unum sublunare et terrestre, aliud cœleste, et ex illo in hoc transeunt et ascendunt Sancti : de sublunari agitur hic, de cœlesti cap. IV, vers. 6. Si quis tamen contendat eodem modo hic accipiendum esse mare

(1) Hoc strato sive pavimento circa thronum Dei, alluditur ad solum templi Salomonei auro obductum, *I Reg.* VI, 30. Comparatur vero *mari*, quod interdum ex Hebraismo *quamcumque planitiem magnam* denotat. Erat *mare mixtum igne*, fulguribus quasi micantibus in planitie ista splendida, qua thronus Dei circumdabatur. Confessores repræsentantur, et fideles Christiani, qui neque blanditiis, neque minis, adduci poterant, ut aut Deos Romanos invocarent, aut coram imaginibus se flecterent, aut signum saltem aliquod idololatriæ susciperent. *Stant* sancti circa thronum Dei, quippe qui vicerunt, nec quid illis a malis metuendum est. Levitæ olim usi citharis. *Citharæ Dei* vero sunt eximiæ, ut arbores Dei, cedri Dei, etc.



vitreum, quo cap. IV, hic dicat Sanctos stare supra, id est, juxta mare vitreum, vel in ipso mari vitreo, id est in cœlo, quin et proprie dici possunt Sancti stare supra cœlum, id est, supra cœli partem concavam, esto non stent supra convexam : concava enim inferior est, imo ima ; convexa autem superior, imo summa cœli pars est et superficies. Hoc cœlum mixtum est igne, id est, fervore charitatis angelorum.

Moraliter, disce hic omnem hujus sæculi pompam, opes, gaudia et gloriam esse fragilem instar vitri; unde Arabicus pro *mare vitreum*, vertit *mare vitri*, quasi totum factum sit ex vitro, sitque vitreum. Recte dixit tragœdus : « Fortuna vitrea est, dum splendet frangitur. » Rursum : « Si tanti vitrum, quanti margaritum? » si tam speciosa est terra, quam speciosum erit cœlum? si tam gloriosus fuit impius Nero, Decius, Diocletianus, quam gloriosi sunt S. Petrus, Paulus, Joannes? Præclare Horatius, lib. II *Serm.*, satyr. 3.

Et furiosus erit quem cepit vitrea fama :

« Vitrea, » id est *fragilis*, *q. d.* Insanit qui famam, rem adeo fragilem instar vitri aucupatur. Egregie Boetius, *Metro* 3, lib. II :

Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat, æterna positumque lege est,
Ut constet genitum nihil.

Nam, ut ait Aristoteles, lib. I *De Cœlo* : « Genitum et corruptibile sese mutuo consequuntur. » Et Seneca, *epist.* 88 : « Cui nasci contigit, mori restat. » Et Maximianus :

Cuncta suos repetunt ortus, matremque requirunt.

Vetus est illud Varronis Adagium : « Homo bulla, » de quo Faustus :

Subdita sunt certo mortalia corpora fato,
Cunctaque præcipiti tempore fluxa ruunt.
Tam nimis humanum celeri genus interit hora,
Turgida quam pluviæ bulla liquescit aquæ.

« Quid est homo, inquit Seneca? quodlibet quassum vas, et quodlibet fragile jactatu. Quid est homo? imbecillissimum corpus et fragile, nudum suapte natura, inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, frigoris et laboris impatiens, ex infirmis fluidisque contextum. Odor illi saporque, et lassitudo, et vigilia, humor et cibus, sine quibus vivere non potest, mortifera sunt. » Valerius Maximus, lib. VI : « Caduca, ait, nimium, et fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis sunt ista, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subito, repente dilabuntur; nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt; sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos sublime extulerunt, improviso recursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergunt. » Adde his istud Senecæ : « Punctum est, et adhuc puncto minus, quod incolimus. » Porro, sicut læta et prospera, ita quoque tristia et adversa quælibet hujus mundi vitrea sunt : hostes et persecutores (quales in fine mundi erit Antichristus, de quo hic agitur) vitrei sunt, ac similes fictis et vitreis militibus, quos in latrunculorum sive schaccorum lusu ita depingit Ovidius *ad Pisonem* :

Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, et vitreo peraguntur milite bella.

Omnes ergo inimici sunt vitrei, omnes morbi vitrei : paupertas vitrea, infamia vitrea, labores vitrei.

Quocirca viri sancti et sapientes hosce vitreos hostes non timent, sed stant super hoc mare vitreum, animumque in cœlum attollentes dicunt cum S. Hieronymo illud Socraticum : « Æthera conscendo, et solem solumque despicio. » Sentiunt enim, et a Deo nanciscuntur illud ab Isaia dictum, ipsisque promissum, cap. LVIII, 14 : « Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui. » Vide ibi dicta. Hi ergo sunt Anicii, id est, invicti ; et Nicetæ, id est, victores et triumphatores. Scribit ex S. Gaudentio, S. Thoma, Giselberto et aliis Franciscus Zazzera, tract. *De Familia Anicia*, eam ortum ducere a legione Græcorum militum, quæ dicta est Anicia, id est invicta : ex eaque fuisse S. Georgium militem et martyrem. Rursum, ex ea natos invictos pugiles, Virgines, Martyres, Doctores, Pontifices, ut S. Paulinum Nolanum Episcopum, S. Benedictum Ordinis fundatorem, S. Scholasticam, S. Gregorium, S. Thomam, Severinum Boetium, de quo proinde vere ait Giselbertus : « Digne vocatus est Anicius fortitudine, Severinus gravitate, opitulatione Boetius, meritis Manlius. » Tales pariter sunt hi Anicii S. Joannis, qui proinde quasi victores stant supra mare vitreum. Anthracites lapis ignitus et carbo, jactatus in ignem velut inter mortuos extinguitur; at contra aquis perfusus exardescit, inquit Isidorus, lib. XVI, *Origin.*, cap. XIII. Talis est virtus constantiæ cœlestis, quæ adversis exercita magis splendescit. « Contraria semper virtuti fecere viam. » Eduardus II, Angliæ rex, in symbolo pingebat araneam telam suam elaborantem, quam vehemens ventus perflat, cum hoc lemmate : « Ardentior ibo. » Idem fuit sensus Alexandri Magni, ut patet ex Plutarcho, *De Fortuna Alexandri*. Quid jam sentiat, quid faciat Alexander Christianus?

CITHARAS DEI. — De hisce citharis exultationis et jubilationis dixi cap. XIV, vers. 2, et cap. V, vers. 8.

3. ET CANTANTES CANTICUM MOYSI. — Non illud *Deuter.* XXXII : « Audite, cœli, » sed illud quod

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habetur *Exodi* XV : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, » quo Moses et Hebræi post transitum maris Rubri gratias agunt Deo, pro suo miraculoso maris transitu et liberatione a Pharaone. Sicut ergo Moses et Hebræi tunc alacres et grati Deo cecinerunt carmen hoc eucharisticum et quasi epinicion : « Cantemus Domino, » etc.; ita Christus, qui est Moses Christianus, ejusque fideles et Sancti, qui sunt veri Israelitæ, postquam feliciter transierunt mare hujus sæculi, merso in eo Pharaone, id est, diabolo et Antichristo, quasi victores super illud stantes canent dicentque : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare; » quia scilicet jamjam ad nostras preces et merita, Antichristum cum suis asseclis puniet septem phialis iræ suæ in hac vita, ac mox igne gehennæ in futura.

Et canticum Agni. — Idem est canticum Agni et Mosis, sed dicitur Mosis, tanquam figuræ et typi; Agni vero, tanquam exemplaris et antitypi, et quia hoc cantico Beati Agnum laudant. Addit Alcazar canticum hoc in sensu litterali significare utrumque, scilicet tam transitum fidelium per mare gentilitatis ad fidem et salutem, quam transitum Hebræorum per mare Rubrum. Cum enim hoc illis fuerit typus, Moses utrumque, scilicet tam typum quam antitypum, eodem sensu litterali complexus videtur : ita enim de antitypo hic innuere et explicare videtur S. Joannes. Verum clarum est litteralem sensum illius cantici Mosis esse de solo transitu Hebræorum per mare Rubrum in Chanaan; allegoricum vero esse de transitu Gentium per fidem et baptismum in Ecclesiam, ut patet I *Corinth.* cap. X, vers. 1; anagogicum denique esse de transitu fidelium per mortem vel martyrium in cœlum, quem unum hic ad litteram amplectitur Joannes. Ad litteram enim loquitur de triumpho, gaudio et gloria Beatorum, quem anagogice significavit et repræsentavit Moses in transitu maris Rubri, atque in hoc suo cantico *Exodi* XV descripsit. Vide ibi dicta. Dicant ergo qui mare hujus vitæ prudenter et feliciter transierunt, jamque ex altis æternitatis montibus illud despectant, ac jubilant : « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. »

Justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. — « Viæ, » id est, opera et judicia tua sunt justa, quia justam de impiis et persecutoribus nostris jam sumis vindictam. Eadem sunt « vera, » id est fidelia, quia fideliter eripis Sanctos hic afflictos e periculis, eosque præmiis et coronis, uti promisisti : sicut olim Hebræos transeuntes mare Rubrum eripuisti a Pharaone et Ægyptiis eos insequentibus, dum ipsos in mari mersisti.

Rex sæculorum. — Legit Interpretes αἰώνων, id est sæculorum : jam legunt ἁγίων, id est Sanctorum. Andreas vero et Aretas legunt ἐθνῶν, id est *Gentium*. Alludit ad Danielem, cap. IV, vers. 31, ubi Deus vocatur « vivens in sempiternum; » Chaldaice, *vivens sæculorum*; Syriace, *gigas sæculorum*. Vide ibi dicta.

4. Quia solus pius es. — Pro *pius* græce est ὅσιος, id est sanctus, justus, purus, innocens; hoc ergo est pius : a quo dicitur piare et expiare pro expurgare et depurare. Ita Ribera. Verum simplicius æque ac plentius ὅσιος accipias pro sancto et pio, id est misericorde, qui viscera pietatis exerit et ostendit, *q. d.* Tu, Domine, olim quasi pater et mater ostendisti Mosi et Hebræis viscera misericordiæ et pietatis, dum eos a Pharaone liberasti, et salvos per mare Rubrum deduxisti in Chanaan, sed eadem jam multo magis ostendisti Christo et Christianis Sanctis et electis tuis, dum eos per mare hujus sæculi turbidum et tempestuosum, in quo tot animæ pereunt, salvos et incolumes deduxisti ad portum salutis.

Quoniam omnes gentes venient. — To *quoniam* hic non est causale, sed δεικτικόν, sive explicativum et denotativum, poniturque pro *quod*, *q. d.* Quis non magnificabit te, Domine, dicens, quod solus justus et pius sis, uti in nostra protectione et salvatione ostendisti, quodque omnes gentes merito venient ad adorandum te, et quod judicia tua tam in pios quam in impios, clara et manifesta sint? Sive brevius et clarius, *q. d.* Quis non magnificabit te, Domine, dicens te solum esse pium et omnes gentes ad te adorandum venturas, et manifesta esse judicia tua? Sic *Isaiæ* cap. III, vers. 10, dicitur : « Dicite justo, quoniam bene, » id est, quod bene erit ei. Aliter Alcazar. Nam is *quoniam* accipit proprie et causaliter, hoc sensu : « Quis non magnificabit te, Domine? » *q. d.* Omnino omnes magnificabunt te, quoniam Gentes omnes per tuum Christum et Apostolos ad te tuique cultum convertisti. Alcazar enim hæc omnia accipit de prima Gentium ad Deum et Christum per Apostolos conversione, uti jam sæpius dixi.

5. Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii, — id est, templum quod est tabernaculum testimonii, seu in quo servabatur testimonium, id est lex, et tabulæ legis sive Decalogi (1). Templum hoc, et maxime sacratior ejus pars, scilicet Sancta Sanctorum, significat locum Beatorum. Nam in Sancto sanctorum, erat arca cum tabulis legis, ut significaretur in custodia legis quasi in radice et causa virtualiter contineri beatitudinem : quocirca septem hi angeli inde Joanni hic exire videntur, utpote ultores futuri violatæ legis Dei. Vidit ergo Joannes templum hoc in cœlo simile tabernaculo Mosis, atque ex ejus Sancto sanctorum prodire hos angelos Dei vindices et plagarum auctores. Imo Alcazar per templum tabernaculi præcise accipit Sanctum sanctorum tabernaculi; hoc enim erat quasi templum, id est, chorus tabernaculi. Unde, *Psalm.* XXVII, vers. 2, Aquila et Symmachus pro *templum*, vertunt *oraculum*, quod erat in Sancto sanctorum.

(1) Vel, *in quo* Deus præsentem se exhibebat, *testimoniumque* præsentiæ suæ præbebat.



6. Et exierunt septem angeli. — *Primo*, Alcazar hosce angelos et plagas mystice exponit, scilicet ut in speciem sint plagæ, sed reipsa sunt maxima beneficia, quibus Deus contra gentilitatem dimicavit, eamque fidei et Christo subegit. Ratio ejus est : nam harum plagarum ultima est Babylonis divisio, quæ ipsius excidium antecedit. Babylonis autem excidium significat conversionem Romæ ad Christum. Nam ipsam Babylonis eversionem subsequuntur mille pacis anni, cap. XX. Quare pro certo habendum, inquit, has plagas ante mille annorum initium eventuras; significant ergo illæ mysticam prædicationis Evangelicæ bellum, quo Deus pro Ecclesia contra gentilismum depugnavit. Sicut enim septem tubarum plagæ cap. VIII, immissæ sunt in Judæos : ita hic septem plagæ immittuntur in Gentes ad earum conversionem. Porro septem hæ plagæ sunt, *prima*, pudor Gentilium, dum de peccatis arguuntur; *secunda*, persecutionis crudelitas in Evangelii prædicatores; *tertia*, in Gentiles etiam ad fidem conversos mira sævitia; *quarta*, ex Christianorum sapientia gravissima offensio; *quinta*, summa in ipsa persecutione excæcatio; *sexta*, post invasionem Romæ mira persecutio; *septima*, manifesta urbis Romæ divisio. Tempore enim Constantini imperatoris et S. Sylvestri Pontificis, ita excrevit Christianorum numerus Romæ, ut Gentilibus æquari posset, tumque Roma quasi divisa fuit in Christianos, Gentiles et neutrales. *Primus* ergo angelus, ait ipse, est S. Paulus, qui præcipuus est in cunctis hominibus de peccatis arguendis, ut sic ostendat omnes Dei gratia indigere : « Omnes enim, inquit ipse, peccaverunt, et egent gloria (id est, gratia gloriosa) Dei. » *Secundus* angelus est S. Petrus; ipse enim Neronem sua prædicatione irritavit. *Tertius* est S. Clemens Papa, qui egregius fuisse dicitur in Gentilium plurimis ad fidem adducendis, et ad martyrium animandis. *Quartus* est alius Pontifex, cujus opera Christianorum sapientia effulsit, v. g. Alexander primus, qui fuit sextus a S. Petro, suaque sapientia et sanctitate multos nobiles Romanos convertit. *Quintus* erit ille, qui sua prædicatione excitavit rabidam persecutionem postea subsecutam, in qua eminebant in primis hinc Gentilium excæcatio, inde constantissima Dei et Christianorum patientia. *Sextus* ille erit, qui in multorum Senatorum conversione magis claruit. Vide an sit S. Fabianus. *Septimus* videtur fuisse S. Sylvester. Nam sub eo, et per eum accidit magna illa Romæ inter Christianos et Paganos divisio. Porro hæ plagæ dicuntur novissimæ, non quia ultimæ, sed quia novum sunt et admirabile, ac inauditum Dei vindictæ genus, quo ex hostibus fecit amicos; et quia per eas Deus finem imposuit peccato et gentilismo, æque ac iræ et offensæ suæ : hoc est enim quod ait : « Quoniam in illis consummata est, » græce ἐτελέσθη, id est *expleta est*, « ira Dei. » Ita ipse more suo ex sua acoluthia ingeniose et apposite, sed mystice et allegorice, non litteraliter, non genuine.

*Secundo*, alii hæc accommodant ad plagas quas Deus immittit peccatoribus ob septem peccata capitalia.

*Tertio*, noster Viegas censet hic numerum certum et definitum poni pro incerto et indefinito, scilicet septem phialas et plagas significare multas.

*Quarto*, Rupertus, Beda, Haymo, Richardus, Ansbertus et alii, per hos septem angelos accipiunt universos (septenarius enim symbolum est universitatis) prædicatores, qui tum initio mundi et deinceps fuerunt, tum maxime erunt in ejus fine. Hi phialas iræ Dei in terram fundent, id est terribilia peccatoribus a Deo decreta supplicia denuntiabunt, idque ex phialis aureis, id est, ex charitate : plagæ ergo eorum sunt minæ plagarum. Exeunt de templo, quia contemplationi et orationi erunt addicti. Sic Christus nocte pernoctans in oratione Dei, per diem concionabatur, ait S. Gregorius, lib. VI *Moral.*, XVI. *Tertio*, vestiuntur « lino mundo, » id est vitæ puritate et mortificatione. Linum enim, quia varie et diu maceratur et carminatur, symbolum est mortificationis, ut docui *Jeremiæ* XIII, 1. *Quarto*, habent zonas, id est continentiam, easque aureas, ob charitatem; vel, ut Primasius, ob sapientiam qua pollent. Alii pro *lino* legunt *lapide*, quia concionator debet esse adamas per patientiam, sed magnes per mansuetudinem. Unde de S. Athanasio ait Nazianzenus in oratione de ejus laudibus : « Athanasius factus est percutientibus adamas, diffidentibus magnes. »

Verum hæc tropologica sunt. Ad litteram enim veri hic intelligendi sunt angeli, qui judicia et supplicia Dei, quæ symbolice per phialas significantur, in homines effundent in fine mundi; hi enim sunt administri et executores divinæ providentiæ et vindictæ. Quocirca probabiliter Ribera censet hos septem phialarum angelos esse eosdem qui, cap. I, vers. 4, vocantur « septem Spiritus qui in conspectu throni sunt. » Et cap. VIII, vers. 2, vocantur angeli septem « stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illi septem tubæ. »

Vestiti lino mundo. — Ita legendum cum Romanis et Complutens., scilicet λίνον, id est *lino*, non λίθον, id est *lapide*, ut legunt aliqui. Vestitus hic significat angelorum candorem et puritatem : « zonæ » castitatem, « aureæ » charitatem eorum repræsentant. *Secundo*, linum mundum et candidum significat divinorum judiciorum, quæ angeli in effundendis phialis exercent et exequuntur, puritatem, candidamque et mundam ab omni sive passione favoris vel odii, sive crimine, divinæ justitiæ æquitatem. *Tertio*, candida vestis est symbolum lætitiæ. Gaudent enim an-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

geli, dum puniuntur impii, utpote rei læsæ divinæ majestatis : quia vident in eis impleri divinum consilium, Dominique sui et Dei honorem ab eis læsum vindicari. Alii qui legunt, « vestiti lapide mundo, » sic exponunt, *q. d.* Angeli hoc suo vestitu, puta lapide mundo, id est, gemmis limpidis et lucentibus, repræsentant, quod Deus pulcherrimos pretiosissimosque lapillos et gemmas, æque ac zonas aureas, id est, ornatum virtutum omnisque gratiæ et gloriæ, ditissimum et pulcherrimum promiserit et præparaverit iis, qui suppliciis ab ipso inflictis contriti, vitam corrigunt et emendant.

7. Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas. — Nota : « Dedit » hasce phialas angelis in templo ante egressum ; nam clare id dicitur versu præcedenti, cum ait : « Et exierunt septem angeli habentes septem plagas de templo. « Dedit » ergo, id est *dederat*.

Jam « unum, » id est, primum animal, puta leo, ut patet cap. IV, vers. 7. Leo enim fortitudinis, iræ et vindictæ est symbolum. Significatur ergo Deum et angelos in effundendis hisce plagis et phialis quasi leones rugituros et sævituros in impios. Jam qui per quatuor animalia, capite IV, accipiunt quatuor Evangelistas, sic explicant, *q. d.* Unus ex Evangelistis qui Evangelicam legem scripserunt, per quam judicabuntur et damnabuntur impii rebelles Deo, symbolice hic mihi Joanni visus est dare septem angelis septem phialas iræ Dei ; quia ob Evangelii legem ab eo editam, ab impiis neglectam, hæ plagæ dabuntur angelis, ut illis impios Evangelicæ legis violatores puniant, ita Ribera et Viegas. Porro hic unus Evangelista est S. Lucas, ait Aureolus. Hic enim tristissima Hierosolymitis et Antichristianis in fine mundi supplicia prænuntiat, cap. XXI et alibi. Alii tamen accipiunt S. Marcum : hic enim inter quatuor animalia, quatuor Evangelistarum symbola, significatur per leonem.

Verum, quia hæc quatuor animalia Ezechielis et Joannis non sunt homines, nec Evangelistæ ad litteram, sed primarii angeli, puta Cherubini stipatores Dei, uti ostendi cap. IV, hinc dicendum est hoc unum animal fuisse primum e quatuor hisce Cherubinis, qui quasi summus justitiæ divinæ præses, septem angelis inferioribus has suppliciorum plagas, id est, potestatem plagas hasce impiis inferendi, dedit, easque iis inferri jussit et mandavit.

Septem phialas. — Isidorus, lib. XX, cap. XX, phialas putat dici ab ὕαλος, id est vitrum, quod vitreæ essent. Verum obstat orthographia ; nam phiala per *i*, ὕαλος per *y* scribitur ; deinde in phiala accedit littera *ph* : licet enim spiritus asper sive aspiratio, quæ est in ὕαλος, sæpe apud Latinos vertatur in litteram *s*, ut ex ὗς fit *sus*, ex ὕλη *sylva*, ex ὑπὲρ *super*, tamen nunquam vertitur in *ph*. Adde phialas sæpe ex auro, non ex vitro, conflari solitas : unde et Juvenalis, *Satyr.* 5, aureas vocat phialas. Exstat et apud Martialem, lib. XIV, epigramma de phiala aurea. Ex phialis enim bibebant reges et principes. Unde de Jahel quæ dedit lac Sisaræ principi, itaque eum soporavit et occidit, dicitur *Judic.* V, 25 : « Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum. » Melius ergo Græci phialam quasi πιάλην dictam putant, ἀπὸ τοῦ πίνειν (π in φ commutata), id est a bibendo ; inde enim dicitur πιαλός, id est humidus, potabilis.

Jam quoad sensum, censet Alcazar has phialas fuisse sacrificii ; in sacrificio enim ex phialis libabatur, id est infundebatur Deo vinum, ut patet *Exodi* cap. XXXVII, 16, et cap. XXV, vers. 29. Liquor in hac phiala Deo libandus est ira Dei, id est sanguis Christi, ejusque virtus efficacissima. Christus enim in suis plagis et sanguine excepit et exhausit omnem Dei contra homines indignationem et iram. Angeli ergo, id est Apostoli, effunderunt Gentibus in suo mystico sacrificio, id est in prædicatione Evangelii, hoc sanguinis Christi libamen, cum ejus virtute illos converterunt, abluerunt, Deoque reconciliarunt. Rursum, in phialis fit allusio ad sacrificium Eucharistiæ, quod fit in phialis, id est calicibus : illius enim virtute factum est ut Apostoli eorumque prædicatio tantæ essent efficaciæ, ut tot hominum millia, imo omnes gentes ad Christum converterent.

Verum hæc non tantum mystica, sed et ἄντικρυς sunt. Iram enim in amorem et in sanguinem Christi transformant, cum manifeste hic agatur de ira proprie dicta, deque vindicta septuplici quam Deus per angelos septem contra impios in fine mundi effundet.

Quare potius dicas has phialas esse sacrificii, quod immolabitur divinæ justitiæ et vindictæ, per impiorum mactationem et stragem ; hæc enim est victima honorifica, æque ac grata Deo, de qua dicitur *Isaiæ* XXXIV, 6 : « Victima Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom. » Et *Ezech.* XXXIX, 17 : « Concurrite undique ad victimam meam quam ego immolo vobis. »

Itaque ad litteram phialæ, inquit Pannonius, sunt decreta, sententiæ et judicia Dei, in quibus ira, id est, ultio et supplicia Dei impiis inferenda, quasi thesauri justitiæ divinæ reservantur, sicut acetum, balsamum, aliaque distillata ; aut potius sicut thus, aromata et thymiamata servantur et proponuntur in phialis. Sic enim sæpe Scriptura dicit Deum impiis parare et propinare calicem sive phialam iræ suæ. Alludit enim ad præfectum convivii, sive symposiarcham, qui in mensa cuique convivæ suum olim temperabat et propinabat calicem : sic enim et Deus quasi symposiarcha et modimperator, cuique homini suam dat sortem quasi calicem, et cuique peccatori suum, quod meretur, supplicium decernit et distribuit.

Nota *primo* : Ira et ultio Dei est res pretiosa ; hinc servatur in phialis aureis instar thymiamatis. Est enim ipsa actus summæ justitiæ, qua puniuntur nocentes, et innocentes deterrentur a peccato et noxa.

*Secundo*, hæc ira non est in patera lata, sed in phiala, quæ habet os arctum et angustum, inquit Viegas ; quia hæc judicia et decreta vindictæ Dei comprimit ejusdem Dei misericordia, ne profundant, sed tantum stillent iram. Hinc *Ezech.* XX, 46, dicitur : « Stilla ad Africum, » « ut non tota, ait ibidem S. Hieronymus, ira Dei videatur effusa, sed stilla quædam et pars. Si autem stilla tantæ sævitiæ est, quid in totis imbribus æstimandum erit ? »

Verum licet phialæ subinde significent vasa oris angusti, ut cum lagenas vitreas in quibus servatur aqua rosacea, aqua vitæ, aqua fortis, etc., vocamus phialas, tamen hoc loco phialæ accipiendæ sunt patulæ et latæ, quales sunt pateræ, inquit Alcazar. Ita patet *primo*, quia tales pateræ sunt phialæ ex quibus bibitur, de quibus dicitur *Amos* VI, 6 : « Bibentes vinum in phialis. » Et *Zach.* IX, 15 : « Bibentes inebriabuntur quasi a vino, et replebuntur ut phialæ. » Multo magis tales sunt phialæ ex quibus libatur et sacrificatur, quales hæ sunt : unde et in iis ponebatur et adolebatur thus et thymiama, ut patet tum ex *Exodi* XXV, 29, tum ex dictis hic, cap. V, vers. 8, ubi 24 seniores dicuntur habere phialas plenas odoramentorum. *Secundo*, quia hæ phialæ sunt iræ Dei extremæ et summæ : unde eam non stillabunt, sed instar pateræ totam simul effundent in impios in fine mundi. *Tertio*, hæ phialæ sunt aureæ, quia ultio Dei in hac vita procedit ex amore, non ex odio. Vult enim per illam hominis mentem perversam corrigere et sanare ; secus est in altera vita et gehenna. Cum ergo hic castigaris a Deo, cogita Deum te amare ; cum vero tua peccata impunita relinquit, cogita eum tibi irasci, et parare tibi gehennam ; ideoque dare tibi hic paradisum, ut modica bona quæ fecisti, præsenti et modica voluptate remuneretur. Vide II *Machab.* VI, 12.

Pari modo angeli ad puniendum ex charitate procedunt, ut hisce pœnis inducant peccatores ad vitæ emendationem. In hoc ergo Deum et angelos imitentur judices et Prælati, ut supplicia, non ex ira vel odio, sed ex amore reis irrogent : ex amore, inquam, tum reorum, tum reipublicæ et boni communis, ut hoc ab improborum violentia et sceleribus terrore suppliciorum immune et indemne servent.

8. Et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute (id est potentia, græce enim est δύναμις) ejus. — Alludit ad dedicationem tam templi, quam tabernaculi ; tunc enim utrumque nebula et nube obtexit Deus, ut patet *Exodi* XL, 32, et III *Reg.* VIII, 10. Sic enim Moses et Aaron ob populi tumultum fugerunt ad tabernaculum, *Num.* XVI, 34, ubi dicitur : « Operuit illud nubes, et apparuit gloria Domini. » Sic et *Ezech.* X, 3 : « Nubes, ait, replebit atrium, et repleta est domus nube. » Idem accidit *Isaiæ* cap. VI, vers. 4 : « Et domus repleta est fumo. »

Pro *majestate* græce est δόξα, id est *gloria*, *claritas*. Alcazar exponit, *q. d.* Ex claritate prædicationis Evangelii in primitiva Ecclesia processit « fumus, » id est, summum Ecclesiæ periculum, ut videretur a Gentibus comburenda et incineranda ; sed Deus hoc periculum vertit in præsidium. Nam virtus, id est fortitudo, gloria et claritas Dei hominum infirmitate, ignobilitate et abjectione perficitur, dum tam infirmos, rudes et ignobiles apostolos, totque periculis expositos ita tutatur, provehit et extollit, ut totum orbem sibi et Christo subigant. Unde subdit : « Et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ ; » non quod nemo in Ecclesiam Christi ingrederetur, sed quod Ecclesiæ fulgor et splendor non appareret, ac proinde qui in eam ingrediebantur, videbantur sese in fumum, in laborem, in periculum conjicere ; sed in septimæ plagæ effusione mox hic fumus in claritatem, deformitas in pulchritudinem, periculum ac lacrymæ in solatium et securitatem conversa sunt.

Verum dico : Fumus hic symbolice significat *primo*, obscuritatem et incomprehensibilitatem judiciorum et suppliciorum, quæ divina majestas et potentia in fine mundi exercebit in impios, ita scilicet, ut homines tunc in terra viventes, videntesque tot tantasque plagas, ac tantam Dei potentiam et vindictam, quasi in tenebris sint versaturi, stupentes et nescientes quorsum illa tendant, et quid sibi velit Deus tali ostensione majestatis et fortitudinis suæ. Ita Primasius, Ansbertus, Ambrosius et Ribera. Unde sequitur : « Et nemo poterat introire, » etc.

Hinc consequenter fumus hic est symbolum et prognosticon maximæ vastationis in hac vita, ac incendii infernalis in gehenna, ubi fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum.

Et nemo poterat introire in templum (ad contemplanda hæc profunda judiciorum Dei, eorumque causas, modos et rationes) (1), donec consummarentur septem plagæ. — id est, donec consummatis septem plagis sequeretur universale judicium, in quo Deus omnia toti orbi manifestabit. Alludit ad *Psal.* LXXII, 16 : « Existimabam ut cognoscerem hoc : labor est ante me ; donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum, » id est, donec ingrediar in secretarium judiciorum Dei ; quod fiet, cum finem et exitum impiorum videbo. Ita Primasius, Richardus et Ansbertus.

(1) « Et nemo poterat, » etc. Id est, juxta quosdam, noluit Deus alia præter ista edere oracula, donec consummarentur septem plagæ exsequendæ per septem angelos. Unde intelligere licebat, gravissimas fore pœnas, quas daturæ essent Gentiles.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# CAPUT DECIMUM SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Septem Angeli septem phialas et plagas novissimas in orbem effundunt, scilicet primus, vers. 2, producit vulnera sæva et pessima; secundus, vers. 3, mare; tertius, vers. 4, flumina et fontes vertit in sanguinem; quartus, vers. 8, facit ut sol adurat homines et terram; quintus, vers. 10, facit regnum Antichristi tenebrosum et dolorosum, ut homines linguas suas manducent; sextus, vers. 12, siccat Euphratem, ut congregentur reges, et cædantur a Deo in Armagedon; septimus, vers. 17, inducit fulgura, tonitrua, terræ motus et grandinem talentarem.*

1. Et audivi vocem magnam de templo, dicentem septem angelis : Ite, et effundite septem phialas iræ Dei in terram. 2. Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram : et factum est vulnus sævum et pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, et in eos, qui adoraverunt imaginem ejus. 3. Et secundus angelus effudit phialam suam in mare : et factus est sanguis tanquam mortui, et omnis anima vivens mortua est in mari. 4. Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum : et factus est sanguis. 5. Et audivi angelum aquarum dicentem : Justus es, Domine, qui es, et qui eras sanctus, qui hæc judicasti ; 6. quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere : digni enim sunt. 7. Et audivi alterum ab altari dicentem : Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa justitia tua. 8. Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu affligere homines, et igni. 9. Et æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam ut darent illi gloriam. 10. Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ : et factum est regnum ejus tenebrosum, et commanducaverunt linguas suas præ dolore. 11. Et blasphemaverunt Deum cœli, præ doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. 12. Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten : et siccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis; 13. et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum. 14. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, et procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei. 15. Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. 16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedon. 17. Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna de templo a throno, dicens : Factum est. 18. Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræ motus factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram : talis terræ motus, sic magnus. 19. Et facta est civitas magna in tres partes, et civitates Gentium ceciderunt; et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. 20. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. 21. Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines : et blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.

1. Et audivi vocem magnam de templo, — Dei scilicet, qui hic jubet septem angelis inferre septem plagas impiis Antichristianis. Nota : Hæ plagæ similes sunt et adumbratæ in plagis Ægypti, *Exod.* VII et seq. Nam, ut superius dixi, et hic repetendum est, *prima* plaga Ægypti fuit eversio Nili et aquarum in sanguinem; *secunda*, ranarum; *tertia*, ciniphum; *quarta*, cœnomyiæ omnis generis muscarum; *quinta*, pestis; *sexta*, ulcerum; *septima*, grandinis; *octava*, locustarum; *nona*, tenebrarum; *decima*, cædis primogenitorum; *undecima*, siccatio maris Rubri, et demersio Pharaonis cum suis asseclis. Hæ ergo plagæ Ægyptiæ indices erant et exempla vindictæ Dei in peccatores, maxime in Deum contumaces et rebelles, qualis erat Pharao cum suis : atque allegorice significabant plagas in fine mundi impiis et Antichristianis infligendas, imo hæ eædem sunt cum illis. Nam plaga *primi* angeli hic eadem est cum sexta Ægyptiaca; plaga *secundi* angeli et *tertii* eadem est cum prima Ægyptiaca; plaga *quarti* angeli eadem est cum quinta; plaga *quinti* eadem est cum nona; plaga *sexti* eadem est cum undecima et secunda; plaga *septimi*, eadem est cum septima Ægyptiaca.

Nota : Hi septem angeli, phialæ et plagæ, diversi sunt a septem angelis, tubis et plagis, de quibus actum est cap. VIII et IX. Illi enim cap. VIII et IX continebantur in septimo sigillo, ut patet cap. VIII, vers. 1; hi vero continentur in ipso libro septem sigillis signato. Ergo illi præcedent tempore, hi sequentur; illi plagas immittent ante Antichristum, hi tempore Antichristi. Quocirca et plagæ pleræque utrobique diversæ sunt, ex parte tamen vel eædem, vel similes sunt, ut tuba et plaga *prima* grandinis, cap. VIII, vers. 7, ex parte eadem est cum plaga septima hic vers. 21 : inter alia enim quæ plaga hæc affert, affert et grandinem, sed immanem instar talenti. Sic tuba et plaga *secunda* cap. VIII, vers. 8, similis est plagæ secundæ hic vers. 3, in eo quod mare versum sit in sanguinem, sed dissimilis in eo quod, cap. VIII, magnus mons missus sit in mare, hic vero nil tale dicatur. Rursum, cap. VIII, tertia tantum pars maris versa est in sanguinem, et tertia pars piscium interiit : hic vero totum mare versum est in sanguinem, omnesque pisces mortui sunt. *Tertia* tuba et plaga cap. VIII, vers. 10, facta est in fluminibus, uti et tertia hic vers. 4; sed cap. VIII, aquæ versæ sunt in absinthium; hic vero in sanguinem. *Quarta* tuba et plaga cap. VIII, vers. 12, fuit in sole, uti et quarta hic vers. 8; sed cap. VIII sol percussus est tenebris et obscuritate, hic vero ardore et æstu. *Quinta* tuba et plaga cap. IX, vers. 2, est locustarum cruciantium et tenebras inducentium; quinta pariter plaga hic vers. 10, facit regnum Antichristi tenebrosum et miserum, ita ut homines præ doloribus blasphement Deum et manducent linguas. *Sexta* tuba et plaga cap. IX, vers. 15, solvit quatuor angelos ligatos in Euphrate, qui soluti in aciem producunt ducentos milliones equitum; sexta pariter plaga hic vers. 12, siccatur Euphrates, ut paretur via regibus ab ortu solis. *Septima* tuba cap. XI, vers. 15, inducit mundi finem et consummationem, canitque : « Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus. » *Septima* plaga hic vers. 17, ait : « Factum est, » ac mox inducit horrenda fulgura, tonitrua, terræ motus et grandinem. Ex dictis liquet septem illos angelos cum tubis hisce esse similes, diversos tamen et hisce prævios, ac quasi prodromos : unde et minores plagas inducunt, quas hi, utpote posteriores, adaugent et consummant. Excipe septimam cap. XI, vers. 15, quæ omnium finem inducit, uti ibidem ostendi.

2. Et abiit primus angelus, et effudit phialam suam. — Nota : Quod angeli hic dicuntur effudisse phialas in mare, flumina, solem, etc., non ad litteram ut sonat, quasi in fine mundi reipsa phialas suas effusuri sint, sed symbolice accipiendum est. Tantum enim hac phrasi et symbolo significatur angelos operaturos et effusuros esse in mari, fluminibus, sole, etc., iram et vindictam divinam, in phiala quasi contentam et repræsentatam : verbi gratia, efficient ut aquæ maris et fluminum vertantur in sanguinem, ut sol solito ardentius urat impios, etc.

Et factum est vulnus (græce ἕλκος, id est *ulcus*. Ita Vatablus et alii; dicitur tamen *vulnus*, quia ulcus, dum aperitur, fit vulnus) sævum (id est, dirum et horridum; rursum « sævum, » id est sæviens, dolore affligens et crucians Antichristianos) et pessimum, — id est, maxime putidum, pudendum et fœtidum. Alludit ad sextam plagam Ægypti, *Exod.* IX, 10, de qua dicitur : « Factaque sunt ulcera vesicarum turgentium; » et ad ulcera quibus Deus percussit Philistæos ob captam et circumdatam arcam Testamenti : de quibus dicitur, I *Reg.* V, 6 : « Aggravata est manus Domini super Azotios, et percussit in secretiori parte natium Azotum. » Et mox, vers. 9 : « Computrescebant prominentes extales eorum. » De quibus dicitur et *Psalm.* LXXVII, vers. 66 : « Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. » Simili ergo plaga pudenda, æque ac dolorosa percutiet Deus in fine mundi eos qui habent characterem bestiæ, id est Antichristi, de quo dixi cap. XIII, vers. 16 : nimirum ut puniat tum alia eorum scelera, tum pudendas libidines, quibus Antichristus et Antichristiani fræna laxabunt. Sic etiamnum hodie Deus punit obscenos et libidinosos obscœnis et molestis ulceribus ac lue venerea, sive morbo Gallico, maxime in membris verecundis, quibus peccaverunt. Deus enim « ipsa peccata sic ordinat, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti, » ait S. Augustinus in *Psalm.* VII.

Hæc enim ulcera, cæteræque plagæ plane ut sonant ad litteram videntur accipienda : licet nonnulli hæc mystice exponant, ut facit Alcazar, cujus de singulis hisce septem plagis interpretationem recensui cap. præced., vers. 5. Aliorum recensebo in fine capitis (1).

(1) Ex his septem plagis priores quatuor *terram* infestant, ait Allioli; tres posteriores (vers. 10-21) propius ad *Romanum imperium* Romamque accedunt funditus evertendam. Cæterum non opus esse videtur *terram*, *mare*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3. Et secundus angelus effudit phialam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui, — quasi dicat : Angelus secundus operatus est in mari, vertitque aquam totius maris in sanguinem. Sed quid significat τὸ *tanquam mortui? Primo*, aliqui id exponunt de sanguine atro, vel congelato, qui ex corpore mortui profluit. Verum hoc recte refellit Alcazar. Fieri enim potest, ut sanguis ex mortuo fluens sit rubeus et nitidus, uti in hœdi sanguine apparet. Nec vero aut diversi coloris est, aut minus congelatur sanguis ex scissa vivi hominis vena exiliens, quam cruor ex cadavere manans.

*Secundo*, alii p.ƒant alludi ad mare Mortuum, in quod Sodoma ob scelera sua conversa est : ejus enim maris aquæ sunt bituminosæ, indeque atræ : de iis enim ait Tacitus, lib. V : « Ater natura sua liquor. » Pari modo angelus hic in fine mundi aquas maris faciet atras, et quasi mortuas; unde sequitur : « Et omnis anima vivens mortua est. »

*Tertio*, Alcazar τὸ *mortui* refert ad victimas, quarum, cum immolabantur, sanguis excipiebatur in vase, quod aqua semiplenum erat, ut sanguis aquæ mixtus esset fluidior, ac effusus in fossam, quæ erat juxta crepidinem altaris, facilius deflueret, nec juxta altare hæreret, illudque inficeret. Mystice autem significabat quod de Christo in cruce, qui futurus erat victima totius mundi, efflueret sanguis et aqua. Sensus ergo est, quasi dicat : Aqua maris versa est in sanguinem, non secus atque in lebete, in quem animalis immolati sanguis immittebatur, aqua ipsa sanguineo tingebatur colore. Porro censet Alcazar hoc sanguine significari sanguinem Martyrum, qui mare gentilitatis rubricavit, et in sanguinem convertit, id est, sibi Christoque subjecit, et sanctificavit. Unde S. Isidorus in Quæst. *in Exodum*, cap. x : « Aquæ, inquit, in sanguinem versæ significant populos conversos ad sanguinis Christi fidem ; » inde *pisces*, id est fideles, *mortui*, id est morti sunt addicti ab Imperatoribus eos persequentibus.

*Quarto* et optime, alii hæc referunt ad sanguinis copiam. Cum enim homo, vel animal aliud occiditur, plurimum effluit sanguinis, quasi dicat : Aqua maris versa est in sanguinem, perinde ac si factæ essent in eo hominum cædes, multique essent occisi et mortui, ideoque pisces omnes, qui in mari non sanguine, sed aqua vivunt, pariter emortui sunt. Genitivus enim singularis νεκροῦ, id est *mortui*, ponitur pro plurali νεκρῶν, id est *mortuorum*, quasi dicat : Facta est aqua maris quasi sanguis occisorum et mortuorum (1). Sic dicitur, IV *Regum* III, 22 : « Viderunt Moabitæ aquas rubras quasi sanguinem, dixeruntque : Sanguis gladii est; pugnaverunt reges contra se, et cæsi sunt mutuo. » Causam subdit vers. 5, dicens : « Justus es, Domine, » qui punis eos in eo quo peccaverunt, et quod aliis injuste irrogarunt, juste rependis et remetiris eis : « Quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere : digni enim sunt. » Sic Ægyptiis mutasti aquam in sanguinem, eo quod ipsi sanguine infantium Hebræorum, quos aquis mergebant, eas contaminassent, *Exod.* VII, 19.

4. Et tertius angelus effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis. — Sicut secundus angelus mare vertit in sanguinem, ita hic tertius flumina et fontes pariter in sanguinem vertit. Itaque sicut in Ægypto sub Pharaone, a Mose omnis aqua versa est in sanguinem, et omnes pisces mortui sunt : ita sub finem mundi per totum orbem, universum mare et omnia flumina vertentur in sanguinem, et omnes pisces morientur. Quod enim olim in Ægypto accidit, typus et præludium fuit ejus quod futurum est in fine mundi. Sicut tamen in Ægypto conversio illa non duravit nisi octo diebus, ne homines perirent siti, ita pariter videtur istam conversionem non valde diu duraturam, ne omnes pereant, sed post aliquod tempus mare et flumina suæ naturæ, colori et sapori restituenda fore, sicut factum est in Ægypto. Probabile quoque est fidelibus hanc plagam aquarum non nocituram, sicut non nocuit Hebræis in Ægypto; hæc enim plaga immittetur in impios, ad vindicandum sanguinem Sanctorum, quem impii tunc effundent. Quod ad pisces attinet, non est necesse eos reviviscere, quia mundus brevi finietur ; et forte non deerunt pisces in stagnis, lacubus et vivariis : nam de iis aquis non dicitur quod in sanguinem convertentur. Ita P. Lessius, lib. XIII *De Perfectionibus divinis*, cap. XVIII.

5. Et audivi angelum aquarum. — Nota : Ex hoc loco patet angelos certos a Deo præfectos esse præsidere certis creaturis, ac singula elemen suum habere angelum præsidem. Si enim aqu habent suum angelum, cur non pari jure habea suum et terra et aer? Deus enim hæc inferiora per angelos distribuit, ut ipsi sigillatim eorum curam gerant. Ita docet Origenes, hom. 14 *in Num.*; S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæst.*, Quæst. LXXIX, ubi ait : « Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet angelicam potestatem sibi præpositam ; » S. Thomas I p., *Quæst.* CX, art. 1; Gabriel Vasquez, I part, tom. II, disp. 243, num. 6, ubi præter Origenem et S. Augustinum, citat Andream et Aretam, quin et Platonem. Quod enim Alcazar per

ac *fluvios* subtilius de rebus diversis interpretari, sed omnia conjunctim sunt sumenda cum terra. Sic enim series orationis postulat, ubi Angeli jussi effundere phialas suas *in terram*, dicuntur eas effudisse in tria hæc; unde colligere est, esse tres partes unius ejusdemque rei, neque ab ea distinguendas. Insuper, quum septenarius numerus pro perfecto habeatur, *septem Angeli* eorumque *septem phialæ*, ac *septem* eorum *effusiones*, significare videntur, imagine remota, maximas calamitates, sed quæ gradatim immissæ fuerint Romanis.

(1) Ita et Rosenmullerus.



angelum aquarum Mosen, per angelum altaris Eliam accipit, mysticum est et symbolicum, non litterale nec genuinum.

Porro angelus hic aquarum præses laudat Dei justitiam, eo quod impios aquis abutentes punierit, mutando eas in sanguinem. Ait ergo : « Justus es, Domine, qui es, et qui eras sanctus, qui hæc judicasti ; quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere (1). » Syrus vertit, *justus est ille qui est, et ille qui erat, et pius* ( vel *indulgens,* ) *quia hæc judicasti,* etc. Gaudent enim angeli, cum creaturæ, quibus præsunt, Deum Deique justitiam commendant et laudant. Nota : In his novissimis mundi plagis elucet non solum justitia, sed et misericordia Dei ; nam paulatim, et cum moderamine adhibentur, ut peccatores per eas invitentur ad pœnitentiam et emendationem. Hinc non semper durant, sed alii aliis succedunt, ut advertant esse manum Dei castigantis, non causas naturales, aut fatum aliquod stellarum.

7. Et audivi alterum angelum. — Lege cum Romanis et Græcis : « Et audivi alterum ab altari, » scilicet egredientem e loco Martyrum petentium vindictam, et « dicentem : Etiam, Domine, etc., era et justa judicia tua ; » *alterum*, intellige anlum.

8. Et quartus angelus effudit phialam suam in lem, — quia scilicet effecit ut sol intensius et acrius impios ureret. Unde sequitur : « Et datum est illi (soli) æstu affligere homines et igni. » Ubi τὸ *et* ἐξηγητικὸν, sive explicativum est ; « æstu et igni, » id est, æstu igneo, æstu intenso et ardente instar ignis. Sic ait Poeta : « Aurum frenosque, » id est, frenos aureos « momordit. » Significat enim homines arsuros tanto æstu, ut hic æstus eis videatur esse ignis, utque sibi videantur in igne versari et torreri. Nam græce est καυματίσαι ἀνθρώπους ἐν πυρί, id est, *datum est illi æstuare facere,* sive adurere *homines in igne.*

Sic fingunt Poetæ quod Phaeton, cum solis currum regere nesciret, terras et cœlum ambusserit. Unde et Phaeton dicitur ἀπὸ τοῦ φάους, id est, a *luce*, et αἴθω, id est *uro*, ait Servius in illud *Æneid.* V :

Auroram Phaethontis equi jam luce vehebant.

Et Cicero, lib. III *Officiorum*, fabulam ita narrat : « Phaethonti filio sol facturum sese dixit, quidquid optasset ; optavit ut in currum patris tolleretur : sublatus est : atque is antequam constitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum? »

Tropologice S. Gregorius, XXXIV *Moral.*, cap. XII : « Phialam, ait, in solem effundere, est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi ut affligeret homines æstu et igni, quia dum sapientes viri cruciatibus victi, mali agendi errore, tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi quique, temporalibus desideriis inardescunt. Ruinae namque fortium augmenta praestant perditionibus infirmorum (2). »

10. Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, — id est, super regnum et subditos Antichristi : unde factum est regnum ejus tenebrosum, tum proprie, tum symbolice « tenebrosum, » id est infelix, peste, fame, morbis, aliisque ærumnis et infortuniis miserum et calamitosum, adeo ut Antichristiani manducent, id est mordeant, linguas suas, quasi rabiosi eas vellent manducare et vorare præ doloribus et tormentis. Est hyperbole et catachresis; tenebræ enim symbolum sunt adversitatis et ærumnarum, uti lux prosperitatis et lætitiæ; et manducare sumitur pro mordere (3).

12. Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten, et siccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis. — Nam, ut dixi *Daniel.* cap. VII et XI, et dicam hic cap. XVII, ex decem illis regibus qui Antichristi tempore orbis imperium divident, tres occidentur ab Antichristo, ac mox septem reliqui territi ei se subdent ; et quia aliqui ex his erunt in Oriente, hinc siccabitur ab angelo Euphrates, ut facile possint ad Antichristum transire, utque cum illo contra Christum et Ecclesiam pugnantes, a Deo proterantur, ut dicitur vers. 14, ideoque hæc siccatio Euphratis, quæ fiet a bono Angelo, non fiet, nec cedet in bonum et victoriam Antichristi et Antichristianorum, quales erunt hi reges, sed Christi et Christianorum. Alludit ad Darium et Cyrum reges Persarum et Medorum, qui ab Oriente, id est ex Perside et Media, venerunt ad excidium Babylonis, ac Euphrate in alios multosque alveos deducto, sicco pede milites in urbem immiserunt, itaque eam ex improviso ceperunt, uti dixi *Danielis* V, 30. Hæc enim Euphratis siccatio rursum iterabitur in fine mundi, idque non naturaliter opera hominum, uti factum est tempore Cyri, sed miraculose opera angeli hujus sexti (4).

(1) « Et sanguinem, » etc. *Et hic valet propterea.* Bibere dicuntur sanguinem, qui mœrore implentur ob interfectos parentes, liberos, cognatos, populares.

(2) Vers. 9 potest intelligi de exprobrationibus Ethnicorum, qui religionem Christianam horum imperii malorum causam esse dictitabant. SS. Patres enim prodiderunt, quum pestis, aut fames, aut alia plaga ingrueret, continuo exclamasse Ethnicos : « Christiani ad leones, » quasi calamitatum auctores fuissent. Vid. S. Cyprianum *ad Demetrianum* ; S. Augustinum, libris V primis *de Civitate Dei*, etc.

(3) *Sedes bestiæ* hic designat Imperatores, seu potius Imperium Romanum, obscuratum scil., id est enervatum, viribus in dies deficientibus. Vers. 11 idem fere ait quod vers. 9

(4) Videtur Joannes describere non ipsius urbis Romæ verum excidium, sed idololatriæ destructionem sub imagine urbis expugnatæ. Ornatus petitur ex Babylonis per Cyrum facta expugnatione. Quapropter in Romæ vicinia fingitur Euphrates, quo hæc ipsa urbs inaccessa videretur, derepente exsiccatus tanquam vi magica ve-

Censet Viegas hic, *sect.* III (licet *sect.* II, contrarium dixerit), et Genebrardus in *Psal.* LXVII, 37, hos reges venturos non pro, sed contra Antichristum, atque pro Christo et Ecclesia pugnaturos : tum quia emittuntur ab Angelo bono, qui eis siccat Euphratem; tum quia Antichristus contra eos ingentem parabit exercitum. Subdit enim quod draco et bestia, id est, diabolus et Antichristus, tres spiritus immundos mittent, qui alios omnes reges sibi fœderatos contra eos in suum auxilium evocent; sed ut omnes cædentur, non tam a regibus ex Oriente venientibus, quam a Christo vers. 16.

Hæc sententia in speciem videtur probabilis. Probabilius tamen videtur contrarium, scilicet eos pro Antichristo contra Ecclesiam venturos. Ita Ribera et alii, imo ipse Viegas, *sect.* II. Nam hæc spectant ad ultimum Antichristi annum, quo ipse jam subjectos habebit omnes orbis reges, eritque monarcha; unde acerrimam instituet ubique persecutionem in Christianos, ac contra eos hunc exercitum convocabit, ut per eum fideles ubique perscrutetur, oppugnet et exterminet. Erit enim hoc ultimum bellum, ultima persecutio Antichristi, in qua ipse non a regibus, sed a Deo et Christo (contra quos pugnabit) profligabitur in loco qui vocabitur Armagedon, ut dicitur vers. 14 et 16, et cap. XIX, 15, et XX, 9. Erit ergo hæc ex ultimis plagis tam mundi, quam Antichristi.

Objicies : Quorsum tantus militum numerus ad profligandos Christianos, cum hi sub Antichristo futuri sint perpauci? Respondeo paucos fore, si cum Antichristianis comparentur; revera tamen fore multos, præsertim qui in montes, sylvas aliasque latebras sese abdent. Si enim numerus Hebræorum egredientium ex Ægypto ascendit ad tres milliones, uti ostendi *Exodi* cap. XII, vers. 37, quot milliones fore putamus Christianorum in toto mundo? Quare sicut Pharao ad subjugandum Hebræos coegit omnes regni sui copias, ita Antichristus ad subigendos sibi Christianos totius orbis, omnes suas vires et copias colliget; et, sicut Pharao cum omnibus suis periit obrutus mari Rubro, ita Antichristi exercitus peribit obrutus igne cœlesti. Hoc ergo consilio et fine faciet Deus colligi omnes hos ejus exercitus, ut universos in unum collectos uno ictu, unoque quasi fulmine affligat et perdat; sicut idcirco fecit Pharaonem cogere universos bellatores Ægypti, ut omnes simul conficeret, mergeretque in mari.

Mystice, Laurentius Justinianus, et ex eo Alcazar (licet ipse id putet esse litterale) : Siccatio, inquit, Euphratis symbolum est terrenæ felicitatis, mundanos homines in ipso decursu deficientis et deserentis. Euphrates enim significat torrentem rapidissimum superbiæ, deliciarum, atque opum, et forte etiam humanæ sapientiæ et eloquentiæ, quibus Romani circumfluebant, quibusque repellebant Christi Evangelium. Sed hæc in Romanis desiccavit Deus per Darium et Cyrum, id est, per S. Petrum et Paulum : quo factum est ut [illegible] in Babylonis, id est Romæ, familias illustres irrumperent, easque occuparent. Unde et Adamus Sasbout, *Prolog. in Isaiam*, refert S. Hieronymum docere, quod in Medis et Persis Apostoli et eorum successores denotentur, qui Babylonem, id est confusum mundum, everterunt. Sicut enim Cyrus et Darius non vi, nec armis, sed occulte alio derivando Euphratem (quod Babylonii impossibile putantes non præcaverant), Babylonem occuparunt : ita Christiana religio non vi, sed occulte serpendo, senatorias domos Romæ occupavit, antequam Romani persentiscerent; ita ut subito unus uxorem propriam Christianam deprehenderet, alius filiam, alius fratres, alius cognatos et affines, jamque viderent Christianismum totam Romam pervasisse. Hic sensus mysticus congruit Cyro et Dario expugnantibus Babylonem, non autem hisce regibus pugnantibus contra Christum et Ecclesiam.

13. Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ (de quibus dictum est cap. XIII) spiritus tres immundos in modum ranarum, — supple prodire, vel *exire*, uti legunt aliqui codices manuscripti. Quæres, quinam sunt hi? *Primo*, Prosper in *Dimidio temporis*, cap. XI, censet fore tres Antichristi præcones, de iisque subdit : « Quod in Daniele dictum est, Examina ex eo surgent, hic aperte dictum est, exire velut præcones ejus tres spiritus immundos, tanquam in tres partes orbis, Asiæ, Europæ et Africæ, qui persuadeant Antichristum esse Christum. »

Verum dico tres hosce spiritus esse immundos, esseque dæmones; hoc enim diserte asserit S. Joannes. Censet Viegas hosce tres dæmones ab Antichristo, in visibili hominum, quasi legatorum, specie, mittendos ut gentes ad se congregent.

Verum hoc incertum est, præsertim cum hic a Joanne non hominibus, sed ranis comparentur. Illud certum est dæmones hosce exire de ore draconis, bestiæ et pseudoprophetæ, id est, jussu et imperio dæmonis, Antichristi et præcursoris ejus mitti, ut sollicitent congregentque gentes et milites ad Antichristum. Exeunt ergo, ut septem reges reliquos et superstites, in bellum contra Christianos cum Antichristo inferendum, tum suasione, tum signis et prodigiis, sive per se, sive per magos suos inducant et concitent, ut sequitur. Quocirca subdit Joannes : « Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa. » Ubi *enim* dat causam præcedentium, *q. d.* Ne quis putans omnes spiritus esse puros et bonos, esseque angelos sanctos, miretur id quod dixi esse « spiritus immundos; » sunt enim revera tales inter spiritus, utique spiritus dæmoniorum (non enim omnes spiritus sunt angeli boni), iique faciunt signa et prodigia.

nenti ab angelo in illum injecti, ut adeo nihil superesset, quod hostibus in urbem irrupturis obstaret. Reges hi Orientales universe hic ponuntur pro Barbaris omnibus, qui Romanum imperium vastarunt.



Porro hi spiritus comparantur ranis, ob immunditiem, fœditatem, loquacitatem et contumaciam, qua magno, sed inani et imbelli strepitu, omnes ad arma contra Christum et Christianos concitabunt. Rana enim clamorem edit raucum, molestum et importunum, sed invalidum, inefficacem et imbellem : quocirca rana a Græcis vocatur βάτραχος, ab aspero clamore; ranæ enim competit illud Laconicum : « Vox est, præterea nihil. »

Unde eos quasi deridens Joannes, stultumque eorum Christo obstrependi et obsistendi consilium ostendens, asserit nullum alium fore tantæ congregationis et conjurationis finem, quam ut congregentur reges omnes ad prælium in die magno omnipotentis Dei, ibique omnes pariter ab eo siderentur et perimantur, sicque in eis impleatur illud *Psalm.* II, 2 : « Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversum Christum ejus : qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. » Et illud *Isaiæ* VIII, 9 : « Congregamini, populi, et vincimini. » Erit ergo hæc quasi gigantomachia. Sicut enim Titanes superbi gigantes, moventes bellum contra Jovem, ab eo fulmine adacti sunt in tartara : ita et hisce regibus contra se bellantibus faciet Deus. Quocirca omnis hæc eorum conspiratio nihil aliud proficiet, quam ut omnipotens Deus eos simul collectos corripiat, et suæ fortitudinis documentum clarissimum in eorum excidio edat, idque præstet eadem via atque consilio, qua ipsi suum Christum et Christianos oppugnare et exterminare tentabant. Colliget enim eos cum Antichristo in unum locum, cujus nomen erit Armagedon, ut ibi simul collectos uno quasi ictu et telo conficiat et occidat. Unde cap. XVII, vers. 14, dicitur : « Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos. » Hinc dies tantæ potentiæ et victoriæ vocatur hic dies magnus omnipotentis Dei, quo scilicet Deus edet stragem tantam, ut ad cœnam magnam vocet omnes aves cœli, ut dicitur cap. XIX, vers. 17.

Mystice, Alcazar (quod tamen ipse affert quasi litterale) : Per tres, inquit, hasce ranas significantur tres fidelium hostes : dæmon, mundus, caro; aut potius eorum locutio et suggestio, de quibus fuse et docte agit noster Bernardinus Rossignolius, lib. III *De Discip. perfectionis*, cap. XV. Hæc enim triplex eorum locutio et suggestio, scilicet ad honores, opes et delicias consectandas, prodit ex ore draconis, et bestiæ marinæ, ac bestiæ terrestris, de quibus cap. XIII, id est, ex ore diaboli, mundi et carnis; suntque eorum quasi halitus, sive spiraculum, imo sternutamentum, sicut ait ille felem esse leonis aut tigridis quasi sternutamentum. Huic enim symbolo convenit ranæ fœditas, obscœnitas et figura. Nam in ipso cœno in quo et nascitur et volutatur semper, mirifice luxuria ac turpis libido repræsentatur. In maculis quibus velut ocellis quibusdam undique distinguitur, oculorum concupiscentia insinuatur. In pertinaci importuni clamoris elatione, superbia adumbratur. Qua de re extat apologus apud Æsopum, de rana cum bovis ingenti mole sese per tumorem comparante. Tres ergo ranæ sunt triplices molestæ et obstreperæ suggestiones diaboli, mundi et carnis, sive superbiæ, avaritiæ et libidinis. Hinc et triplices sunt ranæ, scilicet *primo*, ranæ communes et palustres; *secundo*, rubetæ, quæ sunt terrestres et virulentæ; ac *tertio*, calamitæ, quæ degunt inter arundines et fruticeta, teste Plinio, lib. VIII, cap. XXXI, et lib. XXXII, cap. X. *Primas* carni, *secundas* diabolo, *tertias* mundo, non male adaptaveris. Hucusque Alcazar, sed mystice. Nam ad litteram ait Joannes hasce ranas esse tres spiritus immundos, esseque tres dæmones.

Symbolice, rana est inverecunda, obstrepera, curiosa, obscœna, stolida, ideoque loquax; unde proverbium : « Rana gyrina sapientior. » De quo Plato in *Theæteto* : « Nos, inquit, illum tanquam Deum ob sapientiam admirabamur; ille nihilo magis antecellebat prudentia quam rana gyrina. » Dicitur gyrina, a figura corporis, quia in gyrum orbiculatur, ut quoquoversum se facile flectere et vertere possit. Hinc rana significat hæresin et hæreticos stolidos, loquaces, curiosos et obstreperos. Quocirca Fredericus Staphylus, lib. *De Lutheranorum concordia*, et Gabriel Prateolus in *Catalogo hæretic.*, apposite hasce tres ranas adaptant tribus sectis quæ a Luthero promanarunt. *Prima* est Anabaptistarum, quorum pater est Rothmannus. *Secunda* est Sacramentariorum, quorum auctor est Carolstadius, ex quo Zuinglius et Calvinus prognati sunt. *Tertia* est Protestantium, quorum dux est Melanchthon.

Rursum, Alcazar per tres hasce ranas accipit judaismum, gentilismum et hæresin. Vide quæ de ranis dixi *Exodi* VIII, 3 et seq. (1).

15. Ecce venio sicut fur, — tum ad judicium universale, tum ad prælium et cladem hanc Antichristi et Antichristianorum, quæ judicio erit prævia, et « sicut fur, » id est clanculum, inexspectato et ex improviso. Unde Varro, lib. XIV, nomen *fur* derivat a furvo, id est atro, quod per tenebras atrasque noctes furetur; alii a fraude; alii a ferendo, id est, auferendo res alienas; alii a Græco φώρ, id est *fur*. Ita Gellius, lib. I, cap. XVIII. Hac furis comparatione adventum inexspectatum, arcanum et subitum Christi ad judicium designat sæpe Scriptura, *Matth.* XXIV, 43; I *Thessal.* V, 2; II *Petri* III, 10; *Apocal.* III, 3, ut

(1) *Draconem* esse diabolum, et *bestiam* esse idololatriam, supra dictum est. Idem esse videtur *Pseudopropheta* hic. *Spiritus tres* sunt, tum præstigia, oracula et sortes a magicis edita, tum fraudes omnes artesque malæ quibus sophistæ atque Ethnici pontifices ad paganismum suum trahendum utebantur. Quod hi Spiritus dicuntur similes fuisse *ranis*, id ad ranas Ægyptiacas, *Exod.* VIII, 7, respicere videtur.

jugi et continua ejus exspectatione et metu homines teneat suspensos; itaque ipsi singulis diebus, imo horis et momentis, studiose totoque mentis conatu ad eum se comparent. Nam, ut ait S. Hilarius, can. 27 *in Matth.*, in fine : « Paratos nos esse convenit, quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ exspectationis exagitat. »

Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, — puta Dei gratiam et virtutis, quibus quasi vestibus ornatur anima, ne appareat ejus turpitudo, id est nuditas, puta ei innata concupiscentia et labes originalis, aliaque vitia et peccata inde prognata (1).

16. Et congregabit illos in locum qui vocatur hebraice Armagedon. — Ita Romana et Græca legunt, non *Armageddon*, sed *Armagedon*, penultima brevi. Arabicus quoque legit *Armachadon*. Quæres *primo*, quid hebraice significet, et ubi sit Armagedon. *Primo* S. Hieronymus in *Nominibus Hebr.* : « Armagedon, inquit, interpretatur *consurrectio tecti*, sive *consurrectio in priora* (quia Antichristo everso rursum Ecclesiæ tectum in pristinam gloriam consurget); sed melius *mons* et *latrunculus*, vel *mons globosus*, » quia scilicet eo convenient Antichristiani, qui fures erunt et latrones; volent enim furari Deo suum honorem, et Sanctos vita spoliare. Addit Viegas, *Armagedon* significare *montem pomorum*, sive *fructuum* : מגד *meged* enim significat *pomum*.

*Secundo*, Ticonius, *hom.* 13, et Ribera putant *Armagedon* esse Mageddo, qui est campus et civitas in tribu Manasse, juxta Jezrahel, ubi a Pharaone Nechao percussus et occisus est Josias, rex Juda, II *Paral.* xxxv, 22. Neque id vero est absimile : favent enim Septuaginta qui *Zachar.* xii, 11, ubi nos legimus : « Sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon, » vertunt, *sicut campus malogranati quod in campo succiditur*, quasi in Mageddo littera *m* sit servilis et heemantica, ac radix ejus sit גדע *gada*, id est *succidit*, quæ etiam est radix et etymon *Armagedon*, ut mox dicam.

Verum, quia ad *Mageddo* hic additur *Ar*, quod non campum, sed montem significat, neque *Mageddo*, sed *Armagedon* vocatur; et quia nusquam alibi Scriptura, nec cosmographi meminerunt loci qui vocetur *Armagedon*, hinc verisimile fit *Armagedon* novum esse nomen loci, quod illi imponetur ab eventu tempore Antichristi. *Armagedon* enim significat hebraice *dolum congregationis exercitus*, sive *insidias*, vel *dolum excidii*. Derivatur enim a radice ערם *aram*, id est, dolose egit, astutus fuit (unde ערמה *orma* est dolus vel astutia), et גדד *gadad*, unde per crasin fit *gad*, id est, exercitum congregavit, vel a גדע *gada*, id est *succidit*, unde גדעון *gidon* est *succisio*; itaque vocatus est Gedeon, quia succidit altare Baal, indeque succisurus erat Madianitas. Pro Hebræo *gidon*, Græci dicunt *gadon*, quia non possunt exprimere mediam litteram *ain*, quæ est in *gidon*. Dicitur ergo hic locus *Armagedon*, quia in eum Deus callide, et quasi per dolum hos reges cum Antichristo adunabit, ut omnes uno die perdat : vide cap. xix, vers. 11 et seq. (2).

Aut certe *Armagedon* significat *anathema*, vel *excidium excidii*, quia scilicet Deus ibi Antichristum cum suis pleno excidio ad internecionem usque delebit : חרם *cherem* enim, sive *chorma*, vel ut nos dicimus *horma* (de quo *Num.* xxi, 3) hebr. significat anathema, vel rem excidio addictam et devotam ; *gidon* significat succisionem et excidium : littera enim *chet*, quæ prima est in *cherem* et *chorma*, quia gutturalis est, eaque durior pronuntiatur, eo quod sit profundæ aspirationis, hinc apud Græcos et Latinos liquescit et perit, ut pro *chorma* dicamus *horma*. Idem fit in nominibus Oreb, Enoch, Ezechias, etc., in quibus prima littera *chet* perit et evanescit.

Porro familiare est Hebræis nomen imponere ab eventu, maxime bellico. Sic enim locus in quo cæsi sunt Chananæi ab Hebræis, vocatus est *horma*, *Num.* xxi, 3 (quo forte hic alludit S. Joannes). Sic alius locus in quo Philistæi a Judæis cæsi sunt, vocatus est Lapis adjutorii, I *Reg.* vii, 12. Alius vocatus est *Baal pharasim*, II *Reg.* v, 20. Alius ubi Samson maxilla cecidit mille Philistinos, inde nuncupatus est *Ramat lechi*, id est elevatio maxillæ, *Judic.* xv, 17.

Verisimile est *Armagedon* fore juxta Jerusalem et vallem Josaphat, tum quia, ut dixi cap. xi, et rursum dicam cap. xvii, ibi erit regia Antichristi; tum quia in valle Josaphat futurum est judicium, uti patet *Joelis* iii, 2; tum quia *Armagedon* Hebræum est nomen : erit ergo in Palæstina et Judæa. Porro hic congregantur gentes et reges in *Armagedon*, sed sensim, viciniores citius, remotiores tardius. Interim fit excidium Babylonis, quod describitur cap. xvii et xviii, mox cap. xix, vers. 11. Christus cum suis in aciem prodit, qui eos cædit in *Armagedon*. Ergo non est hic hysterologia, ut vult Ribera, sed recta rei gerendæ series et ordo.

17. Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna de templo, dicens : Factum est, *q. d.* Hic finis est septem phialarum et plagarum novissimarum, ideoque pariter mundi finis et dies judicii instat. Porro effudit phialam suam in aerem, quia in aere Deus ostensurus erat suam iram, edendo in eo fulgura, et voces et tonitrua. Viegas voces has accipit articulatas, quasi sint voces spectrorum, puta exercituum discurrentium in aere, et conclamantium cædes et strages ; sicut ante obsidionem Hierosolymæ in aer apparuerunt armatæ acies, et vox de templo

(1) Legendum est hoc comma per parenthesin.

(2) Retinendum videtur quod asserit Drusius, scil. hoc nomen constare ex vocibus חרמה, *excidium, deletio*, et גדודן, vel גדדן, *exercitus eorum*, ita ut *exercitum in Armageddon colligere* idem sit, ac internecione eum delere.



« Migremus hinc, » teste Josepho, lib. VII *Belli*, cap. xii. Potest *secundo*, esse hendiadys, « voces et tonitrua, » id est, voces tonantes, sive tonitrua vocalia. Si quis *tertio*, alias voces malit hic accipere e cœlo terribiles, non repugnabo (1).

18. Et terræ motus. — Juxta illud *Psalm.* xvii, vers. 8 : « Commota est et contremuit terra : fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis (2). »

19. Et facta est civitas magna in tres partes. — Alcazar per civitatem hanc magnam accipit Babylonem, quæ civitas magna vocatur cap. xvii, vers. 18, id est Romam (3), quæ in tres partes divisa est cum Constantinus factus est Christianus, scilicet in Christianos, Paganos et neutrales. Per vocem vero de throno procedentem accipit notitiam, quam S. Sylvester Pontifex toti Ecclesiæ tradidit de Constantini Imperatoris decreto, quo se Christianum publice professus est, et templa in Jesu Christi honorem erigi imperavit. Ita ipse, more suo mystice et pie in Romanam Ecclesiam.

Dico ergo ad litteram civitatem hanc non fore Babylonem, id est Romam, quia de ea mox aget Joannes sub nomine proprio Babylonis; sed esse Jerusalem : hæc enim vocatur civitas magna cap. xi, vers, 8, et hæc maxima erit tempore Antichristi : erit enim ipsius regia, uti docui cap. xi, vers. 8. Ita Aretas, Viegas, Ribera et alii. Sensus ergo est, *q. d.* Hoc terræ motu Jerusalem findetur in tres partes, tam quoad ædificia, quam quoad mœnia : tantus enim erit, ut etiam insulæ et montes loco moveantur, ut sequitur; quocirca non tantum civitas ita findetur, ut habeat scrobes et hiatus interjectos, sed etiam ita dividetur, ut partes ipsæ inter se sejunctæ sint et divisæ : quod olim alibi accidisse narrat Plinius, lib. II, cap. lxxxiii.

Mystice, multi per civitatem magnam intelligunt impiorum cœtum et multitudinem, quæ in tres, id est, varias partes et schismata abibit, et dividetur, uti in hoc mundo, ita et in inferno. Unde Richardus per tres partes accipit paganismum, judaismum et falsum christianismum. Rursum, alii tres has partes censent esse eas, de quibus dicit S. Joannes, *epist.* I, cap. ii, vers. 16 : « Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. »

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum. — Quænam sit hæc Babylon, dicam cap. seq.

Nota : Simul hæc ostensa sunt Joanni, licet non simul mandanda sint executioni.

20. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. Cum enim elementum terræ post diem judicii, alio perfectiori modo ac figura constituendum sit, nihil mirum est quod antea incipiat commoveri inusitato illo et stupendo modo, ac quasi universali totius terræ motu. Unde præcessit : « Et civitates Gentium ceciderunt. » Quo etiam fiet ut magna pars hominum intereat, et qui superstites manserint, ingenti pavore concutiantur, ait Franciscus Suarez, III part., Quæst. LIX, art. 6, disp. 56, sect. iv.

21. Et grando magna sicut talentum descendit. — Græce ὡς ταλαντιαία, id est *quasi talentaris*, hoc est magnæ molis et vastæ magnitudinis, ait Erasmus ; hoc enim Græci vocant ταλαντιαῖον, id est *talentare*, etiamsi præcise non adæquet magnitudinem et pondus talenti. Alcazar tamen censet præcise grandinem hanc habere molem et pondus talenti. Est enim sæculis omnibus invisa et inaudita. Unde, « blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer. » Porro talentum Atticum continebat minas 60, hoc est Romanas libras 62 cum media, quæ conficiunt uncias 750. Hebræum vero antiquum talentum duplum erat ad Atticum, de quo loqui interdum solent Græci et Latini, et de eo quoque videtur hic loqui Joannes, inquit Alcazar. Dicitur talentum a ταλάντον, id est statera, trutina, libra. Hinc metonymice pondus quod ei imponitur librandum et ponderandum, ac proprie pondus illud ingens (quod talentum vocamus) hoc nomine appellatur. Sic Nonius balistas talentarias vocat, quæ scilicet lapides talenti pondo jacularentur.

Porro exempla ingentis et portentosæ grandinis ac lapidum recensui *Exodi* cap. viii, vers. 18, et *Ezech.* cap. xxxviii, vers. 22. Hæ ergo sunt septem plagæ novissimæ, quæ totum orbem confundent, et tantum non evertent. Viderunt hæc per umbram Gentiles et Poetæ. Unde Lucanus, initio lib. I *Pharsal.*, ita canit :

Sic, cum compage soluta,
Sæcula tot mundi suprema coegerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
Sidera sideribus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum ; fratri contraria Phœbe
Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poscet sibi; totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi.

Et Ovidius, I *Metamorph.* :

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Et Seneca in *Hercule Œtæo* :

Jamjam legibus obrutis,
Mundo cum veniet dies,
Australis polus obruet
Quidquid per Libyam jacet ;

(1) « Factum est, » id est actum est de eo, scil. Romano imperio et paganismo, ut « fuimus Troes, fuit Ilium. »

(2) Terræ motus h. l., ait Allioli, est signum ingentis rerum mutationis, ut apud Prophetas sæpe.

(3) Ita et Allioli. Converso ad Christum Constantino, Roma, magna saltem ex parte, paganismum retinuit, in cujus rei pœnam mox calicem indignationis ipsa ebibet, cap. xvii et xviii.

Arctoos polos obruet
Quidquid subjacet axibus.
Amissum trepidus polo
Titan excutiet diem.
Cœli regia concidet,
Certus atque obitus trahet :
Atque omnes pariter deos
Perdet mors aliqua, et chaos,
Et mors fata novissima
In se constituet sibi.

Mystice, Richardus et alii per grandinem talentarem accipiunt obdurationem damnatorum in gehenna : hæc est supplicium gravissimum, æque ac justissimum. Alcazar vero accipit obdurationem, qua nonnulli ex Gentilibus plectebantur, cum Constantinus et Roma ad Christum fuerunt conversi. Generalius accipias quamvis obdurationem sceleratorum, de qua notanda est sententia S. Augustini, serm. 3 *De SS. Innocentibus*, tom. X : « Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei. » Idem, serm. 88 *De Tempore* : « Cum, inquit, in peccatis suis cœperint permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur. » Unde contra eam remedium suggerens : « Quoties, ait, nobis aliqua peccata subrepserint, sine ulla mora medicamentum eleemosynæ, vel pœnitentiæ festinemus animarum nostrarum vulneribus providere. »

Denique Aureolus sequens filum suæ chronologiæ, hosce septem angelos, phialas et plagas adaptat eventis et gestis a Carolo Magno usque ad Henricum IV Imperatorem. Itaque *primum* Angelum censet esse Adrianum I Pontificem, qui in II Nicæna Synodo damnavit Iconoclastas ; per *secundum* Angelum, accipit Romanorum quorumdam crudelitatem in Leonem Pontificem, anno Christi 797 ; per *tertium*, eorumdem Romanorum per Carolum Magnum castigationem ; per *quartum*, Crescentii patricii Romani in Gregorium V Pontificem, et in Othonem III Imperatorem rebellionem ; per *quintum*, Crescentii per Othonem Imperatorem castigationem ; per *sextum*, constantiam Gregorii VII Pontificis contra Henricum IV Imperatorem, et principum investituras laicas in beneficiis Ecclesiasticis, anno Christi 1073 ; per *septimum*, Christianorum in Turcas et Saracenos expeditionem, sive cruciatam, quando milites omnes cruce signati sunt, ac duce Godefrido Bullonio receperunt Hierosolymam et terram sanctam, ac Godefridum crearunt primum regem Hierosolymorum anno Christi 1096 ; convenerunt enim quasi grando talentaria sex milliones Christianorum, esto non omnes penetrarint, nec de facto irrexerint in terram sanctam.

Mystice, Primasius, Richardus, Ansbertus et Haymo (licet ipsi hoc quasi sensum litteralem afferant) : *Primus*, inquiunt, Angelus significat Apostolos, qui minati sunt Judæis terrenis iram Dei ; unde factum est in eis « vulnus sævum, » id est, grave peccatum infidelitatis, et gravis excæcatio, quia Christum recipere noluerunt.

*Secundus* Angelus significat Concionatores, qui mari, id est Gentilibus, iram Dei minati sunt : unde et illi ob infidelitatem reprobati sunt, et damnati ad sanguinem, id est, ad mortem æternam.

*Tertius* Angelus significat Concionatores, qui Dei iram et « sanguinem » pari modo et sensu denuntiant in hæreticos.

*Quartus* Angelus « soli, » id est, malis Prælatis, iram Dei intentat. Hi urunt et affligunt populum ; unde populus afflictus et desperans blasphemat Deum.

*Quintus* Angelus effundit iram Dei « in sedem bestiæ, » id est, in impios Antichristo adhærentes.

*Sextus* significat Concionatores, qui iram Dei intentabunt dæmonibus in hoc aere agentibus, eo quod Antichristum cum suis adjuverint.

Jerusalem et Babylon significant reprobos ; scissio in tres partes significat tria genera infidelium, scilicet Paganos, Judæos et falsos Christianos, qui aliter et aliter punientur pro cujusque meritis.

Symbolice, significantur hic septem vitia capitalia. *Primus* ergo Angelus effundit phialam in terram, id est in *invidos*, qui ex invidia terreo et luteo sunt colore. Unde in his fit vulnus sævum mœroris et ægritudinis animi. Invidus enim tristitia consumitur, et alienis bonis contabescit.

*Secundus* Angelus effundit phialam in mare, id est in *acedos*, qui fluctuant ut mare ; nesciunt enim quid agere debeant. Hi enim sunt mare ob amaritudinem et tædium, quo omnes virtutes moriuntur.

*Tertius* effundit phialam in flumina, id est in *gulosos*, qui quasi flumina omnia devorant et absorbent ; sed vertuntur in sanguinem, quia instar divitis Epulonis in inferno petent guttam aquæ, nec obtinebunt, sed bibent sanguinem suum.

*Quartus*, qui solem accendit, est *ira*, quæ mentem accendit, et iratum stimulat ad maledicendum et blasphemandum.

*Quintus*, qui tangit sedem bestiæ, est *superbia* : hæc enim est sedes dæmonis et Antichristi.

*Sextus*, qui tangit Euphraten, est *libido*, quæ instar Euphratis delectat, hominesque plurimos secum rapit et devolvit : sed siccatur Euphrates, quia voluptas hæc vertitur in tormenta præsentia et æterna.

*Septimus*, qui tangit aerem, est *avaritia*, quæ instar chamæleontis aere pascitur : nec enim bonis suis uti aut frui audet.



# CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Videt Joannes purpuratam meretricem, cui nomen Babylon, insidentem bestiæ habenti capita septem et cornua decem ; atque vers. 7, singulorum explicationem audit et discit ab Angelo.*

1. Et venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum,
dicens : Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas mul-
tas. 2. Cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt qui inhabitant terram, de vino
prostitutionis ejus. 3. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem
super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, et
cornua decem. 4. Et mulier erat circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et la-
pide pretioso, et margaritis ; habens poculum aureum in manu sua, plenum abomina-
tione, et immunditia fornicationis ejus. 5. Et in fronte ejus nomen scriptum : Mysterium :
Babylon magna, mater fornicationum, et abominationum terræ. 6. Et vidi mulierem
ebriam de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu. Et miratus sum, cum vi-
dissem illam, admiratione magna. 7. Et dixit mihi Angelus : Quare miraris ? Ego dicam
tibi sacramentum mulieris, et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem, et cornua
decem. 8. Bestia, quam vidisti, fuit, et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum
ibit : et mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a
constitutione mundi) videntes bestiam, quæ erat, et non est. 9. Et hic est sensus, qui
habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges
septem sunt. 10. Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit, et cum venerit,
oportet illum breve tempus manere. 11. Et bestia, quæ erat, et non est, et ipsa octava est :
et de septem est, et in interitum vadit. 12. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt,
qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges una hora accipient post
bestiam. 13. Hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent.
14. Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos : quoniam Dominus dominorum est, et
Rex regum, et qui cum illo sunt, vocati, electi et fideles. 15. Et dixit mihi : Aquæ, quas
vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ. 16. Et decem cornua, quæ
vidisti in bestia, hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam, et carnes
ejus manducabunt, et ipsam igni concremabunt. 17. Deus enim dedit in corda eorum
ut faciant quod placitum est illi ; ut dent regnum suum bestiæ, donec consummentur
verba Dei. 18. Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges
terræ.

1. ET VENIT UNUS DE SEPTEM ANGELIS, QUI HABEBANT SEPTEM PHIALAS. — Hinc patet hoc excidium Babylonis pertinere ad septem angelos, phialas et plagas novissimas, de quibus cap. præced. Ergo non est hic hysterologia, ut contendit Ribera, sed recta rerum et temporis series et ordo ; qua de re plura vers. 16.

VENI, OSTENDAM TIBI DAMNATIONEM MERETRICIS MAGNÆ, — puta Babylonis, uti explicat vers. 5. Quæres, quænam intelligatur hic Babylon ? *Primo*, noviti intelligunt cœtum omnium impiorum, sive mundum, mundique gloriam, opes, delicias, pompas, quatenus iis fundata est civitas, sive cœtus impiorum super septem montes, id est, super multitudinem omnium regum superborum, in qua caput est diabolus, ac proinde hæc est civitas diaboli, quæ adversatur civitati Dei, sicut Babylon adversata est Sion, sive Jerusalem, eamque ædificat amor sui usque ad contemptum Dei ; qua de re scripsit S. Augustinus libros *De Civitate Dei*. Ita Ambrosius, Ticonius, Beda, Primasius, S. Thomas, Haymo, Rupertus, Gagneius,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Arctoos polos obruet:
Quidquid subjacet axibus,
Amissum trepidus polo
Titan excutiet diem.
Cœli regia concidet,
Certus atque obitus trahet :
Atque omnes pariter deos
Perdet mors aliqua, et chaos,
Et mors fata novissima
In se constituet sibi.

Mystice, Richardus et alii per grandinem talentarem accipiunt obdurationem damnatorum in gehenna : hæc est supplicium gravissimum, æque ac justissimum. Alcazar vero accipit obdurationem, qua nonnulli ex Gentilibus plectebantur, cum Constantinus et Roma ad Christum fuerunt conversi. Generalius accipias quamvis obdurationem sceleratorum, de qua notanda est sententia S. Augustini, serm. 3 *De SS. Innocentibus*, tom. X : « Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei. » Idem, serm. 88 *De Tempore* : « Cum, inquit, in peccatis suis cœperint permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur. » Unde contra eam remedium suggerens : « Quoties, ait, nobis aliqua peccata subrepserint, sine ulla mora medicamentum eleemosynæ, vel pœnitentiæ festinemus animarum nostrarum vulneribus providere. »

Denique Aureolus sequens filum suæ chronologiæ, hosce septem angelos, phialas et plagas adaptat eventis et gestis a Carolo Magno usque ad Henricum IV Imperatorem. Itaque *primum* Angelum censet esse Adrianum I Pontificem, qui in II Nicæna Synodo damnavit Iconoclastas ; per *secundum* Angelum, accipit Romanorum quorumdam crudelitatem in Leonem Pontificem, anno Christi 797 ; per *tertium*, eorumdem Romanorum per Carolum Magnum castigationem ; per *quartum*, Crescentii patricii Romani in Gregorium V Pontificem, et in Othonem III Imperatorem rebellionem ; per *quintum*, Crescentii per Othonem Imperatorem castigationem ; per *sextum*, constantiam Gregorii VII Pontificis contra Henricum IV Imperatorem, et principum investituras laicas in beneficiis Ecclesiasticis, anno Christi 1073 ; per *septimum*, Christianorum in Turcas et Saracenos expeditionem, sive cruciatam, quando milites omnes cruce signati sunt, ac duce Godefrido Bullonio receperunt Hierosolymam et terram sanctam, ac Godefridum crearunt primum regem Hierosolymorum anno Christi 1096 ; convenerunt enim quasi grando talentaria sex milliones Christianorum, esto non omnes penetrarint, nec de facto irrexerint in terram sanctam.

Mystice, Primasius, Richardus, Ansbertus et Haymo (licet ipsi hoc quasi sensum litteralem afferant) : *Primus*, inquiunt, Angelus significat Apostolos, qui minati sunt Judæis terrenis iram Dei ; unde factum est in eis « vulnus sævum, » id est, grave peccatum infidelitatis, et gravis excæcatio, quia Christum recipere noluerunt.

*Secundus* Angelus significat Concionatores, qui mari, id est Gentilibus, iram Dei minati sunt : unde et illi ob infidelitatem reprobati sunt, et damnati ad sanguinem, id est, ad mortem æternam.

*Tertius* Angelus significat Concionatores, qui Dei iram et « sanguinem » pari modo et sensu denuntiant in hæreticos.

*Quartus* Angelus « soli, » id est, malis Prælatis, iram Dei intentat. Hi urunt et affligunt populum ; unde populus afflictus et desperans blasphemat Deum.

*Quintus* Angelus effundit iram Dei « in sedem bestiæ, » id est, in impios Antichristo adhærentes.

*Sextus* significat Concionatores, qui iram Dei intentabunt dæmonibus in hoc aere agentibus, eo quod Antichristum cum suis adjuverint.

Jerusalem et Babylon significant reprobos ; scissio in tres partes significat tria genera infidelium, scilicet Paganos, Judæos et falsos Christianos, qui aliter et aliter punientur pro cujusque meritis.

Symbolice, significantur hic septem vitia capitalia. *Primus* ergo Angelus effundit phialam in terram, id est in *invidos*, qui ex invidia terreo et luteo sunt colore. Unde in his fit vulnus sævum mœroris et ægritudinis animi. Invidus enim tristitia consumitur, et alienis bonis contabescit.

*Secundus* Angelus effundit phialam in mare, id est in *acedos*, qui fluctuant ut mare ; nesciunt enim quid agere debeant. Hi enim sunt mare ob amaritudinem et tædium, quo omnes virtutes moriuntur.

*Tertius* effundit phialam in flumina, id est in *gulosos*, qui quasi flumina omnia devorant et absorbent ; sed vertuntur in sanguinem, quia instar divitis Epulonis in inferno petent guttam aquæ, nec obtinebunt, sed bibent sanguinem suum.

*Quartus*, qui solem accendit, est *ira*, quæ mentem accendit, et iratum stimulat ad maledicendum et blasphemandum.

*Quintus*, qui tangit sedem bestiæ, est *superbia* : hæc enim est sedes dæmonis et Antichristi.

*Sextus*, qui tangit Euphraten, est *libido*, quæ instar Euphratis delectat, hominesque plurimos secum rapit et devolvit : sed siccatur Euphrates, quia voluptas hæc vertitur in tormenta præsentia et æterna.

*Septimus*, qui tangit aerem, est *avaritia*, quæ instar chamæleontis aere pascitur : nec enim bonis suis uti aut frui audet.



# CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Videt Joannes purpuratam meretricem, cui nomen Babylon, insidentem bestiæ habenti capita septem et cornua decem ; atque vers. 7, singulorum explicationem audit et discit ab Angelo.*

1. Et venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum, dicens : Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas. 2. Cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt qui inhabitant terram, de vino prostitutionis ejus. 3. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, et cornua decem. 4. Et mulier erat circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis ; habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, et immunditia fornicationis ejus. 5. Et in fronte ejus nomen scriptum : Mysterium : Babylon magna, mater fornicationum, et abominationum terræ. 6. Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu. Et miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magna. 7. Et dixit mihi Angelus : Quare miraris ? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem, et cornua decem. 8. Bestia, quam vidisti, fuit, et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit : et mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a constitutione mundi) videntes bestiam, quæ erat, et non est. 9. Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt. 10. Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit, et cum venerit, oportet illum breve tempus manere. 11. Et bestia, quæ erat, et non est, et ipsa octava est : et de septem est, et in interitum vadit. 12. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges una hora accipient post bestiam. 13. Hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent. 14. Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos : quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt, vocati, electi et fideles. 15. Et dixit mihi : Aquæ, quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ. 16. Et decem cornua, quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni concremabunt. 17. Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum est illi ; ut dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei. 18. Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

1. Et venit unus de septem angelis, qui habebant septem phialas. — Hinc patet hoc excidium Babylonis pertinere ad septem angelos, phialas et plagas novissimas, de quibus cap. præced. Ergo non est hic hysterologia, ut contendit Ribera, sed recta rerum et temporis series et ordo ; qua de re plura vers. 16.

Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, — puta Babylonis, uti explicat vers. 5. Quæres, quænam intelligatur hic Babylon ? *Primo*, multi intelligunt cœtum omnium impiorum, sive mundum, mundique gloriam, opes, delicias, pompas, quatenus iis fundata est civitas, sive cœtus impiorum super septem montes, id est, super multitudinem omnium regum superborum, in qua caput est diabolus, ac proinde hæc est civitas diaboli, quæ adversatur civitati Dei, sicut Babylon adversata est Sion, sive Jerusalem, eamque ædificat amor sui usque ad contemptum Dei ; qua de re scripsit S. Augustinus libros *De Civitate Dei*. Ita Ambrosius, Ticonius, Beda, Primasius, S. Thomas, Haymo, Rupertus, Gagneius,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Augustinus in *Psalm.* XXVI, enarratione 2, Prosper in *Dimidio temporis*, cap. VII. « Hæc est, inquit Prosper, Babylon illa magna per mundum; ejus vero filiæ, quæcumque facta ejus et superbiam imitantur : nec eam in uno loco existimes civitatem, quæ toto est sparsa in orbe. » Hi ergo per Babylonem accipiunt impiorum omnium multitudinem. His accedunt Joachim, Seraphinus et Ubertinus, qui per Babylonem intelligunt improborum, non quidem omnium, sed tantum Christianorum cœtum.

Verum hoc mysticum videtur et nimis generale; Joannes enim de certa urbe loquitur, quæ potestatem habet super reges terræ, ut ipse ait versu ultimo, quæque evertenda et concremanda est sub tempora Antichristi a decem regibus, ut ait vers. 16. Et quomodo conveniat cœtui impiorum illud, quod cap. XVIII, vers. 9, de Babylone eversa dicitur : « Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus, longe stantes propter timorem tormentorum ejus. » Hi enim reges erunt de cœtu impiorum; quomodo ergo longe spectabunt incendium Babylonis, illudque plangent, si Babylon est cœtus impiorum, ac consequenter in se complectetur hosce reges? Rursum, quomodo de impiorum cœtu dici potest illud, quod hic, vers. 16, dicitur de regibus æque impiis : « Hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni concremabunt. » Hi enim reges erunt ex cœtu impiorum : quomodo ergo eum odire, desolare, concremare et manducare possunt?

*Secundo*, Aureolus per Babylonem intelligit Saracenismum, sive sectam Mahometis, quæ fœdissima est, docet fornicationem omnemque turpitudinem : unde permittit cuique tot uxores, quot alere potest. Per bestiam accipit Sultanum Ægypti, qui a Sultano Turcarum residente tunc in Perside, regno, puta Syria et Ægypto spoliatus est. Cecidit Babylon, id est, Saracenismus in Syria, quando Christiani anno Christi 1100, profligatis Saracenis, Terram sanctam recuperarunt.

*Tertio*, Aretas et Caponsachius per Babylonem accipiunt Constantinopolim, quia hæc est Turcarum, Christi et Ecclesiæ hostium, metropolis, atque « sedet super aquas multas : » adjacet enim Bosphoro Thracio. Verum Joannes per aquas hic non mare, sed populos accipit : « Aquæ, inquit vers. 15, quas vidisti, populi sunt. »

*Quarto*, aliqui proprie hic Babylonem accipiunt, quæ fuit metropolis Chaldæorum; censent enim Antichristum Babylone prodituram, ibique regnum suum inchoaturum. Probant id, quia ibi cœpit regnare Nemrod, primus tyrannus orbis, et deinde Nabuchodonosor; ac postea eidem dominatus est Antiochus Epiphanes, qui fuere typi Antichristi. Unde et Zacharias, cap. V, vers. 11, vidit mulierem insidentem amphoræ portari in Sennaar, id est in Babylonem, subditque : « Hæc est impietas. » Porro Antichristum Babylone venturum censent S. Hieronymus in cap. XI *Daniel.*, D. Soto in IV, dist. XLIX, Quæst. 1, art. 1, Pererius, lib. XIV *in Daniel.*, et Suarez, tom. II, in III *part.*, disp. LIV, sect. 5, et alii. Verum Babyloni non conveniunt ea quæ hic a Joanne dicuntur, uti mox patebit. Idem dico de Hierosolymis, quam aliqui (idque innuit Franciscus Suarez loco mox citando) hic per Babylonem intelligunt.

Dico ergo : Babylon hic et capite sequenti est Roma, non Christiana, qualis nunc est; sed infidelis et Pagana, qualis fuit tempore S. Joannis, qualisque rursum erit tempore Antichristi. Probatur hæc sententia. *Primo*, quia Roma Ethnica est « civitas magna quæ habet regnum super reges terræ; » hanc autem esse mulierem, puta Babylonem, ait Joannes versu ultimo : quæque habet « septem montes, » uti de eadem ait vers. 9; hoc enim nulli alteri, nisi soli Romæ competit. *Secundo*, quia Joannes asserit Babylonis nomen hic non proprie, sed mystice sumendum; ait enim vers. 5 : « Mysterium Babylon magna, » etc. Ergo significat florentissimam et vitiosissimam urbem, quæ Christianos persecuta est, ut olim Babylon Judæos. Talis autem est Roma Ethnica. *Tertio*, quia Roma et Romani Imperatores acerrime tempore S. Joannis, et deinceps per trecentos annos, non tantum Romæ, sed toto orbe oppugnarunt Ecclesiam, ut eam exterminarent. Unde nulli alteri nisi Romæ Ethnicæ competit illud, vers. 6 : « Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu. » Et illud cap. XVIII, vers. ultim. : « Et in ea sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra. » *Quarto*, quia hac de causa pariter a S. Petro, *epist.* I, cap. V, vers. 13, Roma vocatur Babylon, id est, confusio errorum, vitiorum et tyrannorum. « Salutat, inquit, vos Ecclesia quæ est in Babylone (id est Romæ, ait Beda, Œcumenius, S. Thomas, Eusebius, II *Histor.* XV, ex Papia S. Joannis discipulo, S. Hieronymus in *Catalogo scriptorum*, in *Vita S. Marci*, et alii) collecta. » Eadem de causa Roma et Romani Imperatores a S. Paulo, II *Thessal.* II, 7, vocantur « Mysterium iniquitatis ; » ubi et addit Romam et Romanum Imperium duraturum usque ad Antichristum, atque adeo signum adventantis, vel potius præsentis Antichristi fore Romani Imperii ruinam. *Quinto*, S. Joannes jam recenter a Domitiano in dolium ferventis olei projectus, indeque relegatus in Patmon (ubi hæc scripsit), hæc vidit et scripsit ad sui et fidelium secum afflictorum consolationem et corroborationem, quod scilicet a Babylonis, id est, a Romanis Imperatoribus ita vexati, visuri essent Deum sui vindicem, qui Babylonem igne cremaret : ergo Babylon hic est Roma Ethnica.

Hæc est sententia *primo*, S. Hieronymi in illud Isaiæ XLV, *Attrita est civitas vanitatis* : « Attrita, inquit, civitas vanitatis, sive omnis civitas, vel spiritualis Babylon, quæ sedet in septem montibus purpurata, cujus supplicia in Apocalypsi S. Joannis legimus. Pulchreque dixit urbem vanitatis. Si enim de cœlo et terra, et omnibus quæ terrena sunt dicitur : Vanitas vanitatum, et omnia vanitas; quanto magis hoc de una urbe dicendum est, quæ totius orbis pars modica est ? » Idem, *Prologo* in libros Didymi de Spiritu sancto : « Cum, ait, in Babylone versarer, et purpuratæ meretricis essem colonus, et jure Quiritium viverem. » Idem, epist. 151 *ad Algasiam*, Quæst. XI : « Secundum Apocalypsin Joannis in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ æternæ. » Idem, prœmio in lib. XI Comment. *in Isaiam* : « Quod si, inquit, in expositione statuæ, pedumque ejus et digitorum, discrepantia ferrum et testam, super Romano Imperio interpretatus sum, quod primum forte, deinde imbecillum Scriptura portendit, non mihi imputent, sed Prophetæ. Neque enim sic adulandum est principibus, ut S. Scripturæ veritas negligatur, nec generalis disputatio unius personæ injuria est. »

*Secundo*, Tertulliani, lib. *Contra Judæos*, cap. IX : « Sic et Babylon, inquit, apud Joannem nostrum Romæ urbis figuram portat, proinde et magnæ, et regno superbæ, et Sanctorum debellatricis. » Idem asserit, lib. III *Contra Marcionem*, sub initium.

*Tertio*, S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.*, cap. II, ait Babylonem esse quasi primam Romam. « Ut appareat, inquit, quemadmodum Babylonia quasi prima Roma, cum peregrina in hoc mundo Dei civitate procurrat, etc. Ubi et ipsa Roma quasi secunda Babylonia est. » Et cap. XXII : « Condita est Roma velut altera Babylon, et velut prioris filia Babylonis. » Et cap. XXVII, Romam vocat Babylonem occidentalem. S. Augustinum quasi discipulus sequitur Paulus Orosius, lib. II *Histor.*, cap. IV, ubi ostendit multis in rebus Romam similem esse Babyloni.

*Quarto*, Andreas Cæsariensis, Aretas, Ambrosius, Victorinus, Œcumenius, Viegas et Ribera hic, et fusius cap. XIV, vers. 8 et seq., Lindanus, lib. IV *Panopliæ*, cap. LXXXII; Sixtus Senensis, lib. II *Biblioth.*, verbo *Meretricis magnæ inscriptio*; Cardinalis Bellarminus, lib. II *De Pontific.*, cap. II; Alcazar, *Apocal.* XIII, pag. 670, littera D, ubi et pro hac sententia citat Cassiodorum, Aprigium, Forerium, Gagneium, Salmeronem, Pererium, Pradum, Hesselium, et alios ad viginti. Idem censet Thomas Bozius, lib. XXIV *De Signis Eccl.*, cap. VI, Franciscus Suarez, III *part.*, tom. II, disp. LIX, sect. 2. Hi omnes per Babylonem hic interpretantur Romam infidelem et ethnicam, qualis fuit tempore Joannis, et rursum erit in fine mundi. Huc accedit prophetia S. Malachiæ, quam recenset Arnoldus Wion in *Chronicis Ordinis S. Benedicti*, sive in *Ligno vitæ*, lib. II, cap. XL, in fine; in ea enim Malachias a suo ævo (fuit ipse coævus S. Bernardo; hic enim scripsit ejus vitam) per symbola depingit omnes Romanos Pontifices futuros usque ad finem mundi; ultimumque fore asserit Petrum Romanum, de quo ita vaticinatur : « In persecutione extrema S. R. E. sedebit Petrus Romanus qui pascet oves in multis tribulationibus; quibus transactis civitas septicollis (Roma) diruetur, et judex tremendus judicabit populum suum. » Hæc S. Malachiæ oracula singulis Pontificibus usque ad Clementem VIII, apposite adaptavit Alfonsus Ciacconus, uti videre est apud Wion loco citato.

Objiciunt hæretici : Roma est Babylon; ergo Romana Ecclesia cum suo Pontifice est Babylon. Respondeo consequentiam esse absurdam, æque ac fallacem. Aliud est enim Roma urbs, aliud Romana Ecclesia. Rursum aliud est Roma Ethnica, aliud Roma Christiana. S. Joannes loquitur de Roma Ethnica, qualis erat suo tempore sub Domitiano persecutore, non autem de Roma Christiana, multo minus de Romana Ecclesia. Itaque sub Domitiano, Nerone, Decio et similibus Roma fuit potens, sed impia; Ecclesia tamen Romana fuit pia et sancta, imo tunc habuit præclarissimos Martyres, virgines, sacerdotes et Pontifices. Absit ergo ut eam, aut S. Petrum Romanum tunc Pontificem taxare voluerit S. Joannes, qui et ipse Romæ pro fide Christi, Petri et Ecclesiæ Romanæ, martyrium in dolio ferventis olei ante portam Latinam obiit. Fideles enim Romani sunt « Martyres Jesu, » quorum sanguinem, ut ait vers. 6, fudit Babylon, id est Roma Ethnica, et Romani Imperatores Ethnici. Hæc ergo est Babylon, non autem Ecclesia Romana, cujus fundator, caput et Pontifex fuit S. Petrus. Quocirca Romæ Ethnicæ vituperium hic, damnatio et excidium, est laus, sublimatio, triumphus et gloria Romæ Christianæ, et Romanæ Ecclesiæ. Nam quo magis Roma Ethnica impia fuit, et sæviit in Christianos, eo magis constans, victoriosa et gloriosa fuit Roma Christiana, ut patet in primis ejus trecentis annis post Christum. Idem erit in fine mundi : multi tamen in ea erunt fideles et sancti, uti erant olim, tum publici, tum occulti et abdentes se in cryptas et latibula. Horum ergo, æque ac Pontificis, major fuit eritque virtus, laus et gloria, quod inter magistratus et cives impios, in fide et pietate constantes usque ad martyrium persistant, quam si Roma prorsus esset fidelis et pia. Sane Romani Martyres illustrissimi omne suum decus tulerunt in persecutione Romanorum Imperatorum, nec unquam magis floruit Romana fides quam tunc.

Est ergo manifestus paralogismus hæreticorum, ac insignis fraus et fallacia, dum ipsi ea quæ de Roma prisca Pagana a S. Joanne et S. Petro dicuntur, detorquent ad Romanam Ecclesiam, aut ad Romam, quæ nunc est, fidelis scilicet, et sedes ac ditio Pontificis, qui est Vicarius Christi. Roma ergo Ethnica sub Nerone et sequentibus



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Imperatoribus usque ad Constantinum fuit Babylon : sub Constantino facta Christiana et pia, desiit esse Babylon, cœpitque esse civitas sancta, urbs fidelis, Sion Deo dilecta, columen fidei, mater pietatis, magistra sanctitatis; sub finem mundi deserens fidem, pietatem, Christum, Pontificem, rursum fiet Babylon. Idque permittet Deus, ut urbem ab Ecclesia, Romam a Cathedra Petri secernamus; utque Romani non urbis suæ majestati, nec suis meritis, sed Christi Petrique gratiæ tribuant, quod ipsi Sedem Pontificiam, et Ecclesiæ metropolin obtineant. Soleter id advertit et annotavit Cardinalis Baronius, tom. I, anno Christi 58. Paulus, inquit, Romanos arguit « facilitatis atque superbiæ, quod (ut notat Hieronymus) hæc fuerint peculiaria vitia Romanorum; quæ etiam Bernardus exprobrat, lib. IV *De Considerat. ad Eugen.*, sic dicens : Populus Romanus est. Nec brevius potui, nec expressius tamen aperire de tuis parœcianis quod sentio. Quid tam notum sæculis, quam protervia et fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta, gens immitis et intractabilis, et usque adhuc subdi nescia, nisi cum non valet resistere. » Subdit Baronius : « Quæ nos idcirco voluimus retulisse, ut quisque intelligat non esse Romanorum virtutis, si Romana Ecclesia, semper florentissima, caput exstitit omnium Ecclesiarum, et deficientibus cæteris sedibus Apostolorum, ipsa permanserit inconcussa ; et sicut olim, ita et semper, illibata fides ipsius in universo orbe Catholico prædicetur : sed potius esse Sedis Petri tam excellentem prærogativam, et privilegium eidem divinitus impertitum. Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. » Quocirca Tertullianus, *De Præscript.* : « Felix, ait, Ecclesia (Romana) cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt. » S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 3, Sedem Romanam vocat Petri cathedram, et Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est. » Et lib. IV, vers. 8, eamdem vocat « Ecclesiæ matricem et radicem. » S. Hieronymus *ad Damasum* : « Ego, ait, Beatitudini Tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est : si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. » Similia habet S. Irenæus lib. III, cap. III, Optatus, lib. II *Contra Parmenionem*, S. Augustinus, *epist.* 162, S. Leo, *epist.* 87, et alii.

Instant hæretici, et perpetim occlamant, Romæ etiamnum non deesse scelera, ac nominatim lupas et lupanar permitti : ergo illam etiamnum esse Babyloniam meretricem. Roma, inquiunt, est Ruma. At ubi gentium desunt scelera? Itane omnes hæretici sunt integri vitæ, scelerisque puri? Quot Respublicæ honestæ et nobiles tolerant lupas et fornices, ut virginum et honestarum pudori consulant, ac crimina graviora avertant? Ecclesia sancta est, at, quot in ea sunt impii? Sane Roma Sancta est, et sanctior omnibus orbis Ecclesiis et urbibus. Ubi tot Monasteria, tot Basilicæ, tot Apostolorum, S. Pontificum, martyrum, virginum martyria et templa, tot hospitalia, tot nosocomia, tot orphanotrophia, quot Romæ? ubi tot charitatis opera, tot misericordiæ Sodalitates, tot eleemosynæ, tot pietatis exercitia, quot Romæ? ubi tot prælati sapientes et integri, tot sacerdotes probi et pii, tot religiosi sancti, tot virgines Deo dicatæ, quot Romæ? ubi cives et populus tam devotus, tam Christianus, tam ardens zelo Dei, uti videmus Romæ? Verum hæretici livore cæci ab his oculos avertunt, et Romæ non nisi lupas et gurgustia quærunt : quærunt et inveniunt; fur enim furem agnoscit, lupus lupam, leno lenam. Hæ enim longe magis exteris quam civibus, ut expositæ, ita et cognitæ sunt; Romæ enim est confluxus omnium ex toto orbe nationum : in urbe est orbis. Quid mirum in tanta colluvie esse spurcos et incestos, quibus ni lupas concedas, agnos invadent.

Hæreticis ergo qua curiosis, Roma est rima et rumor; qua vinolentis, est rumen; qua ægris, rheuma et ruina; qua effeminatis, ruma et remora salutis. At fidelibus qua credentibus, Roma est ῥῆμα et ῥῦμα, id est *oraculum et propugnaculum* fidei; qua pœnitentibus, est ῥύμμα, id est *purgamentum et lustramentum*; qua sanctis, est רמה *rama*, id est *sublimitas* et celsitudo virtutis; qua piis et solitariis, est ῥύμη, id est *vicus*, eremus et solitudo cleri et religiosorum; qua sanis et robustis, est ῥώμη, id est *robur* et fortitudo mentis et corporis, ut ait S. Hieronymus. Quin et nonnulli viri docti censent hoc proprium esse Romæ etymon, utpote quam prisci apud Solinum Polyhist. cap. II, Festum et Dionysium Halicarnasseum, lib. I *Antiq. Roman.*, Valentiam prius fuisse dictam Latinis tradunt. Denique Roma est ῥυμός, id est temo aurigantibus, et remus navigantibus in cœlum. Per anastrophen, Roma est *Amor* Dei et cœli; unde versus retro in se recurrens :

> Roma, tibi subito motibus ibit *Amor*.

Verum hæc, licet hæreticis opportuna, S. Joanni tamen parerga sunt, utpote qui de Roma non Christiana, sed Ethnica loquatur, uti paulo ante ostendi.

Porro cum liber signatus, puta Apocalypsis, sit prophetia de futuris in fine mundi sub Antichristo, uti in proœmio et cap. v docui, hinc sequitur hæc intelligenda esse de Roma urbe, non quæ est, aut fuit, sed quæ erit in fine mundi : ac consequenter Romanam urbem tunc redituram ad pristinam suam gloriam, pariter et idololatriam aliaque vitia, ac talem fore qualis fuit tempore S. Joannis sub Domitiano, Nerone, Decio, etc. Nimirum ex Christiana tunc rursum fiet Ethnica, Pontificemque Christianum et fideles ei adhærentes ejiciet, persequetur et occidet, uti dicitur vers. 6. Unde vocatur meretrix, quia omnium deorum cultu, superstitionibus et vitiis imbuta, quasi meretrix prostituta cunctis gentibus, gentiumque diis sedebit. De hac enim recte dicitur, quod sit « Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ, » quod sit « ebria de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu, » quodque Deus judicabit et vindicabit in ea cædem Apostolorum : quia nimirum in fine mundi, ipsa rursum Ethnica æmulabitur persecutiones Imperatorum Ethnicorum in Christianos; itaque Deus in ea puniet et propriam, et antiquam patrum infidelitatem. Si quis tamen per persecutionem malit intelligere hæresin, ac dicere Romam in fine mundi lapsuram in hæresin, aut simile vitium, uti singulis sæculis novas videmus oriri hæreses, ideoque persecuturam Orthodoxos, æque ac Ethnici olim persecuti sunt, itaque imitaturam et impleturam ipsorum peccata, ac propter illa, pariter ac sua, a Deo puniendam ac concremandam, non multum repugnabo; quamvis contextus magis faveat priori sententiæ, magisque innuat Romam ad Ethnicismum redituram. Ut ut est, grave scelus sit oportet, quod tam horribili urbis incendio et excidio vindicandum est, de quo cap. sequenti.

Dices : Quomodo Roma in fine mundi ad pristinas opes et gloriam, æque ac ad Ethnicismum redibit? Respondeo, modus quo id fiet nos latet, solique Deo præcognitus est. Variis tamen modis id fieri poterit, v. g. si Ethnicus aliquis occupet Imperium Romanum, Romæque Senatores gentiles, ac dignitatem pristinam restituat, uti fecit Julianus Apostata. Rursum, si Romam commigrent Ethnici plures nobiles et potentes, qui sensim numero et viribus crescant, uti primitus crevit Roma. *Tertio*, si magi aliqui et politici Romanos primores pervertant, eosque incitent ad pristinam patrum gloriam, et deorum cultum restaurandum, etc., si eos invitent ad vitia carnis, omnemque vitæ licentiam, ut eos deducant ad atheismum, uti multis locis factum olim, et etiamnum fieri audimus et videmus. Gula enim et libido continua recta sunt via ad atheismum. Sic videmus Jerusalem *primo*, fuisse Paganam sub Chananæis; *secundo*, fidelem sub Judæis; *tertio*, Christianam sub Apostolis; *quarto*, Paganam rursum sub Romanis, præsertim sub Adriano et deinceps; *quinto*, Saracenam sub Turcis. Similem videmus Tyrum, Constantinopolim, Alexandriam, Antiochiam, etc. Pari modo in opibus et gloria hæ urbes, æque ac ipsa Chaldæorum Babylon, nunc creverunt, nunc decreverunt, nunc recreverunt sæpius : quomodo Roma olim nunc crevit, ut sub Regibus et Cæsaribus; nunc decrevit, ut sub Annibale, et sub Gallis, duce Brenno, qui Romam occuparunt, ut Romani nil nisi Capitolium tenerent, donec Camillus eos liberavit, Gallosque cecidit, ad arcem et portam quæ etiamnum inde *Portugallo*, sive *busta Gallica* dicitur, teste Marliano, lib. III *Topogr. Rom.*, cap. XXV. Sic eadem decrevit sub Gothis, Alanis, Wandalis, Longobardis, sed paulo post vires resumpsit et quasi resurrexit. Pari modo Venetias, Antverpiam, Parisios, Brugas aliasque urbes nunc crescere, nunc decrescere videmus. Quin et singulis pene sæculis, pluraque regna vel crescere, vel decrescere, vel plane mutari cernimus. Ea est rerum humanarum vicissitudo, hæc fortuitorum natura, sors et conditio. Ex dictis patet non esse probabile quod opinatus est vir doctus, scilicet hoc caput et sequens posse accipi de cladibus et excidiis illatis Romæ ab Alarico, Genserico, Odoacre et Totila : illa enim non a decem, sed a singulis regibus Romæ fuerunt inflicta; nec fuere tanta, quantum hoc erit quod cap. sequenti describitur, nimirum extremum et inauditum. Rursum, tunc Roma fuit Christiana, ac consequenter non fuit tunc infidelis, nec ita superba et dives, ut Babylon vocari posset.

Hæc eo dixi, ut ostendam me cum heterodoxis in fide candide et liberaliter agere, non fugere difficultates, non tergiversari, nec affectu agi, sed ratione; quinimo concedere eis quod probabiliter concedi potest, ut ipsi eo facilius mihi concedant, quod recta ratio et fides concedendum docent. Alioqui dicere possem arcanum aliud in hac prophetia latere mysterium, quod Deus latere nos voluit, ut opportuno tempore quo reipsa hæc complebit, patefaciat, ut in priscis Prophetarum oraculis eum fecisse scimus. Concedo igitur heterodoxis urbem Romam vocari hic Babylonem; concedant ipsi pariter mihi, inde non sequi Ecclesiam Romanam vocari Babylonem, utpote quæ sit caput omnium Ecclesiarum, cui præsidet summus Pontifex, successor S. Petri et Christi Domini in terra Vicarius. Si hoc fateantur, dabimus eis dextras fidei et societatis, atque exclusa hæresi omnes in unam sententiam et Ecclesiam coibimus, fietque unum ovile et unus Pastor.

Minus probabile est quod censet Alcazar, ad litteram hic describi vindictam, quam Deus de Roma Ethnica et tot Martyrum interfectrice sumpsit, cum Ethnicismum in ea abolevit, et Christianismum sub Constantino induxit. Tunc enim, inquit, Deus quasi occidit Romam Ethnicam, eamque in Christianam commutavit. Unde unus, id est primus, angelus phialarum, de quibus cap. præcedenti, vers. 1, puta S. Paulus, hanc divinam de Roma vindictam Joanni annuntiavit. Paulus enim fuit Gentium et Romanorum doctor, qui primus suam in eos phialam effudit, cum eos de suis sceleribus coarguit et convicit, ut patet in ejus epist. *ad Rom.* Alter vero Angelus gloriosus, habens potestatem magnam, qui cap. XVIII, vers. 1, Joanni inclamat : « Cecidit, cecidit Babylon, » est S. Petrus, cui Christus claves regni cœlorum tradidit, quique Romam vocans Babylonem, *Epist.* I, cap. V, vers. 13, hoc ejus excidium

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

videtur cognovisse et Joanni significasse. Petrus enim et Paulus Romanæ fidei et Ecclesiæ sunt auctores et principes : unde ipsis Deus revelavit hanc futuram Romæ mutationem. Hoc enim ad eorum statum et gradum spectabat. Hosce duos angelos, puta Petrum et Paulum, præfigurarunt ascensor cameli, id est Darius, et ascensor asini, id est Cyrus, qui *Isaiæ* XXI, 7, visi sunt evertere Babylonem. Petrus enim fuit ascensor cameli, id est doctor Judæorum; Paulus ascensor asini, id est doctor Gentium. Hi ergo desolarunt et concremarunt Romam Ethnicam, cum idololatriam in ea everterunt, eamque igne amoris Christi succenderunt.

Verum hæc non tantum mystica, sed et ἀνάλογα sunt : convertunt enim triste, atrox et funestum Romæ excidium et conflagrationem, quod graphice depingitur cap. sequenti, in lætum, pium, et omnibus votis optandum fidei, salutis et charitatis incendium.

Objicit Alcazar Romam fore æternam, nec exscindendam, ut veteres senserunt : unde et S. Benedictus prædixit eam nunquam ab infidelibus eversum iri, uti refert S. Gregorius, lib. II *Dial.*, cap. XV. Idem cecinit olim Erinna Lesbia, ode in laudem Romæ :

> Martis o proles mihi, Roma, salve,
> Aurea bellis decorata corona,
> Quæ vel in terris stabiles Olympi
> Incolis arces.
>
> Hoc dedit soli tibi Parca munus,
> Sceptra quod gentes lædere nunquam,
> Imperatricis tibi quo potestas
> Cuncta gubernet.
>
> Ipsa quæ gaudet dare cuncta passim,
> Resque transvertens hominum vetustas,
> Implet æternum tua sola ventis
> Regna secundis.

Respondeo : S. Benedictus tantum prædixit Romam a Totila et suo sæculo non evertendam; sic enim habent verba S. Gregorii : « Canusinæ Antistes Ecclesiæ, dum cum viro Dei (S. Benedicto) de ingressu regis Totilæ et Romanæ urbis perditione colloquium haberet, dixit : Per hunc regem civitas ista destruetur, ut jam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini respondit : Roma a Gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus coruscis, turbinibus, ac terræ motu fatigata, in semetipsa marcescet. Cujus prophetiæ mysteria nobis jam facta sunt luce clariora, qui in hac urbe dissoluta mœnia, eversas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus. » De suis ergo temporibus locutus est S. Benedictus, non de ultimis mundi.

Porro superbum æternitatis, et consequenter deitatis nomen, Romæ a Gentilibus scriptoribus, utpote adulatoribus, datum est, ut vocaretur Roma æterna, Roma Dea. Fateor tamen æternam dici posse hoc sensu, quia usque ad finem mundi durabit, sed tempore Antichristi evertetur. Origo opinionis de Romæ æternitate orta est ex eo, quod scribit Lucius Florus in *Tarquinio Superbo* : « De manubiis, ait, captarum urbium templum crexit; quod cum inauguraretur, cedentibus cæteris diis, restitere Juventus et Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum, siquidem firma omnia et æterna pollicebantur. »

Hinc Attalus tyrannus Imperii sub Honorio Imperatore numisma cudit, in cujus altera facie Roma expressa erat hoc titulo : « Invicta Roma æterna. » Similia numismata plura habet Pierius, *Hierogl.* 43. Hinc et Virgilius, I *Æneid.*, ex Jovis ore ita canit :

> Romulus excipiet gentem et Mavortia condet
> Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet :
> His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
> Imperium sine fine dedi.

Similia habet Tertullianus, Lactantius et alii, quorum verba referam in fine capitis.

Objicit *secundo* : Cap. XVIII, vers. 5, 6 et 20, dicitur Roma exscindenda ob Prophetas et Apostolos interfectos a Romanis, puta a Nerone, Decio, etc. Atqui quis credat Deum hoc Romæ supplicium differre per duo millia annorum? quis credat Deum Neronis et Decii crudelitatem puniturum in Romanis qui erunt in fine mundi? punivit ergo eam, cum eam evertit, convertendo Romanos ad Christum, illosque ei subjiciendo? Ad hoc respondebo cap. XVIII, vers. 20.

QUÆ SEDET SUPER AQUAS MULTAS, — id est, præsidet populis multis (sic enim explicat Joannes vers. 15); qui instar aquæ dilabuntur, et sibi invicem succedunt. Alludit ad veteris Babylonis situm. Sita enim erat Babylon in confluxu Tigris et Euphratis, quasi domina utriusque. Sic etiam urbes maritimæ, ut Tyrus, Ulysippo, Venetiæ et aliæ recte considerantur quasi dominæ illius maris, quod longe lateque despectant (1).

2. CUM QUA FORNICATI SUNT (spiritualiter, scilicet idola colendo, ut essent hujus magnæ meretricis amasii et rivales mystici) REGES TERRÆ, — tum Romani Senatores, qui erant quasi reges orbis; tum aliarum provinciarum proprii reges et principes, qui Romanis erant subditi vel confœderati. Sic enim Prophetæ idololatriam vocant fornicationem, quia in ea anima, relicto Deo sponso, desciscit ad idola quasi ad adulteros.

ET INEBRIATI SUNT QUI HABITANT TERRAM DE VINO PROSTITUTIONIS EJUS, — puta vino illo quo ipsa ad secum fornicandum, id est idololatrandum, tam reges quam populos pelliciebat. Vinum hoc fuerunt opes et honores Romanorum, sive spes lucri, voluptatis et dignitatis a Romanis consequendæ, si quis eis adularetur, eorumque deos coleret. Exstat emblema : Cupido κεραυνοφόρος, id est *fulminans*, cum hac apodosi : « Omnia vincit amor. » Ita Alcibiades in scuto aureo pro insigni habuit Cupidinem, qui ulnis fulmen amplecteretur. Cupido enim potentior est ictu fulmineo. Audi Oppianum, XXX, 6 de Cupidine :

> Omnia te metuunt, et cœlum latum superne,
> Et quæcumque infra terram sunt, tristesque cœtus
> mortuorum.

Et mox :

> Tuis ignibus et lumen cedit
> Pertimescens, et simul Jovis cedunt fulmina.

[E]xstat et inter Europæ antiquitates, Cupido pro [Jo]ve Tonante fulmen ejaculans in mare, Neptuno [en]im posito tridente, et genibus nixo Amoris [n]umen reverente. Sic enim canit Amor :

> Sol calet igne meo, Neptunus flagrat in undis.
> Quamvis liber erat, feci servire Tonantem :
> Quamvis liber erat, Martem sine Marte subegi.

Aliter Alcazar : Vinum hoc, inquit, est ira et sæva persecutio in Christianos. Hanc enim a Romanis imbiberunt, didicerunt et exercuerunt alii principes et populi, de quo sævitiæ vino accipit illud cap. XVIII, vers. 3 : « De vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes Gentes. » Hic sensus ingeniosus est, sed prior planior et naturalior.

3. ET ABSTULIT ME IN SPIRITU IN DESERTUM. — Desertum hoc, inquit Alcazar, est gentilitas inculta et deserta, cujus caput erat Roma, quam Joannes hic in spiritu vidit per mysticam hanc Spiritus Sancti conflagrationem, ex deserto convertendam in Paradisum Dei. Verum dico Joannem hic sibi posito in mentali raptu, videri rapi in desertum, tum ut significetur Babylonis interitus, quod in desertum sit convertenda, tum ut innuatur, viro spiritali, et divino Prophetæ, qualis erat Joannes, omnem mundi pompam esse instar deserti : ut intelligamus innumeram illam Ethnicorum Romæ agentium turbam, eximiam urbis structuram, palatiorum, templorum, ac curiæ magnificentiam, reipublicæ mirum ordinem, leges et politiam, senatus splendorem, cæteraque omnia viro sancto et cœlestibus intento esse instar deserti et solitudinis, quod non hominum, sed ferarum et brutarum est habitaculum : ubi nulla pietatis et veræ virtutis, sed tantum pompæ, fastus et gloriæ habetur ratio; quibus non rosæ, sed spinæ scelerum omnium innascuntur. Quomodo Diogenes in frequenti urbe cum lucerna incedens aiebat, « Se quærere hominem, nec invenire. »

ET VIDI MULIEREM (hæc est Babylon, ut patet vers. 5) SEDENTEM SUPER BESTIAM COCCINEAM, PLENAM NOMINIBUS BLASPHEMIÆ, HABENTEM CAPITA SEPTEM, ET CORNUA DECEM. — Quæres : Quænam est hæc bestia? *Primo*, Ribera, Viegas et alii censent hanc bestiam esse diversam a bestia cap. XIII, vers. 1 : illa enim similis erat pardo, hæc est coccinea; illa significabat Antichristum, hæc diabolum ejusque regnum : unde vocatur bestia, quæ « erat, et non est, » quia ante Christum erat, sed Christus diabolo hoc regnum ademit : est coccinea, quia diabolus est draco rufus et sanguinarius, uti dictum est cap. XII, vers. 3.

*Secundo*, Alcazar et Suarez, III *part.*, tom. II, disp. LIX, art. 6, sect. 2, et alii censent hanc bestiam esse eamdem cum illa cap. XIII, vers. 1 : eadem enim ibi, æque ac hic, et rursum cap. XIX, vers. 19, vocatur bestia, quæ significat et repræsentat Antichristum; unde et cap. XIII, æque ac hic, dicitur habere capita septem, et cornua decem. Antichristus dicitur habere septem capita, quia habuit septem tyrannos prævios et prodromos, quos ipse ultimo loco quasi rex et princeps consequitur. Habuit ergo eos, cum adhuc non existeret; habuit, inquam, non quasi præsentes, sed prævios, quomodo Christus habuit Prophetas quasi præcursores, figuras et typos suos, in iisque typice fuit et exstitit. Varii enim sunt modi habendi, inquit Aristoteles in *Postprædicamentis*, æque ac existendi. Res enim dicitur existere, cum ejus exemplar, imago, typus aut figura existit.

*Tertio*, alii per bestiam accipiunt cœtum sive congregationem impiorum, puta hostium et persecutorum Christi et Ecclesiæ.

*Quarto*, alii proprie per bestiam accipiunt hunc mundum, sive sæculum imperans et dominans : mundum, inquam, non tam physicum, quam moralem et theologicum, hoc est complexionem hominum mundanorum et vitiosorum, qui ex vitio naturæ corruptæ student honoribus, deliciis, opibus et pompis mundi, ideoque sunt superbi, avari, luxuriosi, impii. Mundus ergo hic est regnum infidelitatis, idololatriæ, superbiæ, omnisque peccati. Huic enim insidet et præsidet Babylon, eique propinat vinum suum ex calice aureo. Hic etiam habet capita septem, et cornua decem, ut mox patebit. Hæ omnes sententiæ eodem tendunt, et in unum idemque conspirant. Nam mundi hujus sustentator, et quasi anima eum dirigens, movens et agitans est diabolus, et consequenter Antichristus diaboli vicarius et princeps. Rursum mundus hic non est aliud quam cœtus mundanorum, id est, hominum fastuosorum et vitiosorum, qui est corpus politicum diaboli et Antichristi, sicut respublica est corpus civile regis et principis. Bestia ergo est mundus, sive mundi regnum, fastus et pompa, in quo

(1) Mulier hoc capite descripta est Roma Ethnica, ait Allioli. Dicitur insidere aquis multis, id est, imperare populis multis. Reges terræ fornicati sunt cum ea, id est ejus idololatriam imitati sunt. Bestia coccinea, vel coccino instrata, cui sedet, Romanum est imperium, seu potius paganismus, martyrum sanguine purpuratus. Jacet in deserto (vers. 3), quia Constantinus, Christianus factus, imperii sedem Byzantii fixit. Denique sedet super montes septem : nulla poterat ad describendam Romam afferri nota illustrior. Horatius, *Carmen sæcul.*

> Di, quibus septem placuere colles.

Et Propertius, III, 10 :

> Septem urbs alta jugis, quæ toti præsidet orbi.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

inequitat Babylon, id est, Roma Ethnica et impia, mundi impiorumque domina. Hæc enim præsidet regno diaboli, ideoque super diabolum, qui impiorum multitudinem sustinet, et quasi animat et vegetat, sedere dicitur, ut ab eo sustentari, regi et agitari videatur. Unde bestia hæc plena est « nominibus blasphemiæ, » quia sua infidelitate et impietate, tam vita quam voce blasphemat Deum. Rursum vox blasphemiæ est quod Roma Ethnica vocata sit, et vocarit se æternam et deam. Ita S. Hieronymus, epist. 151 *ad Algasiam*, Quæst. XI : « In fronte, ait, purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est Romæ æternæ. »

Objicit Anglo-Calvinista : Babylon hæc est Roma; bestia cui insidet, est Antichristus. Atqui illa non insidet bestiæ futuræ : hæc enim necdum exstat; sed præsenti et existenti. Ergo jam præsens est Antichristus, et reipsa existit : frustra ergo Papistæ eum futurum exspectant. Atqui alius fingi nequit Antichristus jam existens cui Roma insideat, quam Papa; ergo Papa est Antichristus. Verum hoc argumento pariter concludere S. Petrum aliosque primos Pontifices et Martyres fuisse Antichristos. Nam et hi Papæ fuerunt, quibus Roma et Romana Ecclesia insedit. Rursum Roma fuit Babylon tempore S. Joannis; ergo si bestia cui insedit erit Antichristus, isque est Papa, sequitur S. Petrum, Linum, Cletum, Clementem, etc., qui tempore S. Joannis fuerunt Papæ Babylonis, id est Romæ, fuisse Antichristos, quod etiam ipsi dicere horrent, imo exsecrantur.

Respondeo ergo bestiam hanc esse cœtum impiorum, ut dixi; huic enim insedit et præsedit Roma Ethnica tempore S. Joannis, et rursum insidebit et præsidebit in fine mundi. Quod si omnino contendas bestiam hanc esse eamdem cum cap. XIII, ac proinde esse Antichristum, respondeo id hoc sensu verum esse, quod Antichristus sit caput et rex impiorum, ac proinde ubi est corpus impiorum, ibi censetur quoque esse ejus caput, puta Antichristus. Esto enim Antichristus tempore S. Joannis necdum existeret physice et personaliter, uti omnes etiam hæretici admittunt, existebat tamen politice et per moralem denominationem; quia scilicet ejus corpus politicum, puta cœtus impiorum, existebat et quia ipsius vicarii et prodromi, qui huic corpori præsidebant illudque regebant, existebant. Hi nempe erant Nero, Domitianus, Trajanus, Decius, etc., qui typum et vices gerebant Antichristi nasciturí; fecerunt enim et inchoarunt id ipsum, quod Antichristus facturus et perfecturus est. Rursum vere et proprie dici nequit, quod Roma etiam Ethnica in fine mundi insidebit ipsi Antichristo; nam, ut dicetur vers. 16, Antichristus odio persequetur, ac per decem suos reges evertet et comburet Romam. Itaque non alio sensu dici potest quod Roma Ethnica insideat bestiæ, et bestia hæc sit Antichristus, quam hoc, quod nimirum Roma insideat cœtui impiorum, cujus caput erit Antichristus, qui tempore S. Joannis et etiamnum censetur esse per mysticam et moralem denominationem; sicut rex absens dicitur esse præsens, mandare, leges condere, cum parlamentum quod vices regis gerit, est præsens, mandat et leges condit. Constat enim ex dictis cap. XI, vers. 8, Antichristum thronum regni sui collocaturum non Romæ, sed Hierosolymæ. Sicut ergo Romana Ecclesia nequit dici Babylon, ita nec Papa ei præsidens dici potest bestia, puta Antichristus : potius Calvinus dicendus est Antichristus, ac Babylon vocanda Ecclesia hæretica, qualis modo est Genevensis et Anglicana, in qua mira dogmatum, statuum rerumque omnium est confusio. Atque, ut alia taceam, primum caput Ecclesiæ Anglicanæ deformatæ fuit Henricus VIII rex, laicus, et sex uxorum vel vir, vel maritus. Huic in hoc Ecclesiæ primatu successit filius, non vir, sed puer Eduardus. Puero Eduardo successit, non mas, sed femina, puta ejus soror Elisabeth, etc. An non hæc Babylon? an non hæc regni et Ecclesiæ confusio? Quæ ætas, quod sæculum posterorum hæc religionis probra, hæc Ecclesiæ propudia non admirabitur? non obstupescet? imo quis exstitisse in orbe credet? Justus es, Domine, et rectum judicium tuum, ut qui caput Ecclesiæ a te constitutum agnoscere noluerunt, illudque indignis titulis lacerant et proscindunt, acephali sint, imo excæcati et excordes, laicos, pueros, feminas, etc., capita religionis, fidei et Ecclesiæ sibi constituant, ut ipsi ludicrum hocce idolum, quod sibi finxerunt, venerentur et colant. Misisti enim eis spiritum erroris et vertiginis, ut credant mendacio, « eo quod charitatem veritatis non receperint, ut salvi fierent. » Sed usquequo, Domine, non miserberis errantium, imo deceptorum?

Coccineam. — Dicitur bestia hæc coccinea, non mulier illi insidens, ut patet ex genere neutro quod est in Græco : ait enim καὶ εἶδον γυναῖκα καθημένην ἐπὶ θηρίον κόκκινον, quia bestia, id est mundus, regio splendore et fastu triumphat : coccus enim et purpura sunt vestis regum et principum. Aliter Alcazar : Coccinea, inquit, est vestis rubea, id est, cruenta sanguine Martyrum. Erat enim hæc bestia colore pardi, ut dixi XIII, 2; sed hic dicitur coccinea, quia aspersa sanguine Martyrum. Coccus ergo hic non ad delicias, nec ad fastum pertinet, sed cædis et internecionis, quam in Christi agnis fecerat, est argumentum. Verum prior expositio est verior. Esto enim bestia esset pardus et pardi colore, inducitur tamen hic ut vestita et induta cocco, ad significandum ejus opes, luxum et fastum. Nam mox mulier illi insidens pariter dicitur « circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua. » Quæ omnia non ad cædem, sed ad fastum et pompam pertinent.

Habentem capita septem, et cornua decem. — Quænam hæc sint, dicet vers. 9. Insulse et impie Kemnitius, in *Examine Concilii Tridentini*, part. II, p. 18 et 20, hinc probare contendit non esse septem Sacramenta in Ecclesia Christi, sed totidem esse in Ecclesia Antichristi. Nam bestia, inquit, *Apocal.* XVII, vocatur Sacramentum, quæ septem habebat capita : ergo septenarius numerus Sacramentorum pertinet ad bestiam, id est ad Antichristum. Sed apage, blaspheme, qui Sacramenta Christi et Ecclesiæ, ac consequenter Baptismum et Eucharistiam (quæ tu ipse fateris vere esse Sacramenta, quæque Catholici inter septem Sacramenta ponunt prima et præcipua) asseris esse capita bestiæ. Adde : S. Joannes non dicit septem capita esse septem Sacramenta, sed esse unum Sacramentum bestiæ : quod magis congruit Luthero, qui unum tantum posuit Sacramentum, et plura signa Sacramentalia. Denique S. Joannes septem hæc capita interpretatur esse septem reges, non septem Sacramenta. Sacramentum ergo bestiæ, hic idem est quod mysterium, sive arcana significatio bestiæ, non autem Sacramentum proprie dictum.

4. Et mulier erat circumdata purpura et coccino. — Describitur hic mundana gloria, luxus et opes quibus superbiebat Roma Ethnica, instar meretricis, quæ auro et gemmis vestita superbe incedit. Quare imperite æque ac petulanter Beza censet hoc nomine et veste notari Cardinales Ecclesiæ Christianæ, in eosque hoc carmen virulentum maledicus intorquet :

> Semiviros quicumque Patres radiante galero
> Conspicis, et rubræ syrmata longa togæ;
> Sume rubra vices sanctorum cæde virorum,
> Et mersa insonti tota cruore madent.
> Aut memor istorum quæ celat crimina vestis
> Pro dominis justo tacta pudore rubet.

Ita impuris sycophanta omnes sibi similes putat, omnibus suam Candidam et Audebertum affricare conatur. Quam hæc falsa sint et indocta patet ex paulo ante dictis.

Inaurato auro. — Ita legendum cum Romanis, licet Græca jam habeant κεχρυσωμένη χρυσῷ, id est, *inaurata auro*; utrumque eodem tendit, sed Romana lectio est significantior; significat enim fucum hujus mulieris, *q. d.* Non erat vestita vero et solido auro, sed auri tantum superficie et externa specie, puta vestita erat auro, id est aurichalco, sive ære inaurato. Ita Alcazar.

Aut potius id ad luxum et fastum referendum videtur, *q. d.* Ita splendide fuit vestita, ut non auro simplici, sed *inaurato*, id est duplici, ornaretur : solent enim aurifices in re magnifica aurum vulgare cooperire et inaurare auro præstanti et fulgenti. Id exigunt sequentia, quæ docent eam insuper gemmis et margaritis fuisse circumcinctam, præsertim quia mulieres proprie non inaurantur, sed earum vestes. Unde non recte dicitur ipsa *inaurata auro*, sed bene vestita *inaurato auro*: civitas vero recte deaurata auro dicitur XVIII, 16.

Habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione et immunditia fornicationis. — Poculum aureum est mundana felicitas, imperii majestas, terror et splendor, opumque et rerum omnium abundantia, sub cujus specie, illecebra et pompa Roma Pagana suam idololatriam, suaque vitia omnibus gentibus propinavit. Alludit ad *Jerem.* cap. LI, 7 : « Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram : de vino ejus biberunt Gentes, et ideo commotæ sunt. » Sed ibi calix notat supplicium, gentibus aliis per Babylonios irrogandum : unde est in manu Domini. Hic vero notat culpam, puta propinationem idololatriæ et scelerum : unde est in manu meretricis, puta Babylonis. Sic enim meretrices externa specie et pompa in conviviis, per calices aureos et gemmeos, perque epulas splendidas et magnificas dementant amasios, uti Cleopatra dementavit Antonium; de cujus in conviviis luxu et pompa videre est Plinium, lib. IX, vers. 35, et Plutarchum, in *Antonio*, qui inter alia ait de Cleopatra veniente ad Antonium : « Manavit per omnes rumor Venerem, ad salutem Asiæ, venire ad Bacchum comessatum, » additque Antonium ab ea invitatum, ad magnificentiam convivii obstupuisse, ac risisse suæ cœnæ sordes et rusticitatem. Plinius vero refert eam sponsione cum Antonio de magnificentia convivii concertasse, dieque dicta duos uniones per manus Orientis regum sibi traditos protulisse, æstimatos sexcenties sestertium, hoc est duodecies centies millibus Philippicorum, unumque ex eis aceto liquatum absorpsisse, cumque secundum liquare et absorbere pararet, prohibitam fuisse a L. Plancio, dicente eam jam magnificentia vicisse Antonium. Hunc postmodum Augustus capta Cleopatra in duos divisum, Veneris auribus in Pantheo Romæ appendit. De conviviorum et compotationum harum luxu vere dixit Seneca :

> Venenum in auro bibitur.

Et Poeta :

> Nulla aconita bibuntur
> Fictilibus : tunc illa time, cum pocula sumes
> Gemmata, et lato Setinum ardebit in auro.

Aliter Hieronymus Prado in *Ezech.* XXIII, 31 : Poculum, inquit, quod meretrix Babylonia aliis præbuit, est poculum damnatorum, *q. d.* Damnavit eos ad mortem, eo quod nollent secum fornicari, id est idola colere. Sic enim *Jeremiæ* XXV, 17, *Isaiæ* LI, 17, et alibi calix significat damnationem et vindictam. Verum ex dictis liquet calicem hic aliter sumi, scilicet pro deliciis et culpis, non pro damnatione et pœnis.

Plenum abominatione et immunditia. — Alludit ad meretrices et veneficas, quæ in calice aureo propinant sua philtra amasiis. Philtra enim veneficarum fiunt ex cineribus bufonum, ranarum, serpentum, aliarumque rerum immundarum et



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

abominandorum. Tropologice, notantur hæretici et similes, qui sua eloquentia et verborum lenociniis suos errores, hæresesque impios auditoribus propinant et instillant.

5. ET IN FRONTE EJUS NOMEN SCRIPTUM : MYSTERIUM, BABYLON MAGNA, MATER FORNICATIONUM ET ABOMINATIONUM TERRÆ. — Arabicus : *Et nomen scriptum super frontem ejus, id est, mysterium Babylonis matris fornicariorum, et immundorum conditus, qui de terra sunt.* Alludit ad lupanar et fornices, in quibus cellæ meretricum nomina inscribebantur, uti docet Tertullianus, lib. *De Pudicitia* : « Ubi, inquit, proponetur liberalitas ista sub ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. » Et clarius Seneca *Controvers.* I : « Meretrix, ait, vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus. » Porro, si plane impudens aut famosa esset meretrix, non tantum in cella, sed in fronte nomen et elogium scriptum præferebat. Docet id Seneca loco citato : « Nomen, inquit, tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti, et manus quæ diis datura erat sacra, capturas tulit. » Idem ex Martiali, Tertulliano et Juvenali docet Durandus, lib. I *Variorum*, cap. II. Talis hic a Joanne inducitur Babylon, quæ publice fornicata est, et in fornicationibus, id est idololatriis, suis gloriata.

Gestat ergo hæc meretrix nomen suum mysticum in fronte, sicut Aaron gestabat nomen Dei in fronte, quo significatur eam publice profiteri, et jactare se esse cultricem Jovis et deorum, eorumque errores, pariter ac vitia et scelera, sectari et propagare, ideoque Christum et Christianos eis obsistentes persequi usque ad necem, ut sequitur.

MYSTERIUM. — Hoc non est nomen mulieris, uti putavit Pannonius, sed a Joanne quasi per parenthesin interjicitur, ut excitet advertentiam nostram, utque meminerimus nomen mulieris quod sequitur, non esse proprium illius, sed figuratum et mystice exponendum. Unde, vers. 7, vocat Sacramentum mulieris, id est, quid typice significet mulier. Sic et cap. XI, vers. 8, de Jerusalem dixit : « Quæ spiritualiter vocatur Sodoma. »

BABYLON MAGNA. — Hoc est nomen meretricis, id est, Romæ Ethnicæ ; idque *primo*, quia, sicut Babylon colebat Bel sive Baal, ejusque cultum propagavit in alias gentes, etiam Judæos : ita fecit olim, et rursum faciet in fine mundi Roma Ethnica.

*Secundo*, quia, sicut Babylon erat receptaculum et confusio omnium gentium, ac consequenter omnium idolorum et vitiorum, ita et Roma Ethnica. Audi S. Leonem, serm. *in festo Apostolorum Petri et Pauli*, de Roma : « Cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus; et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. » Hinc omnium deorum templa erant Romæ, ac, ne cujus oblivliscerentur, tandem ædificarunt Pantheon, id est, omnium deorum templum, quod quasi orbis miraculum ex omnibus veteris Romæ templis solum exstat, ac in honorem B. Virginis et Sanctorum omnium Deo consecratum est. Merito ergo vocatur mater fornicationum, id est, errorum et idolorum, quia ea quasi mater fovebat et propagabat.

*Tertio*, sicut Babylon luxu, opibus et gloria erat inclyta, orbisque domina, ita et Roma Ethnica.

*Quarto*, sicut Babylon Judæos, ita Roma Ethnica Christianos persecuta est et occidit, et rursum persequetur et occidet in fine mundi; erit enim tunc, uti fuit olim, caput idololatriæ omnisque abominationis. Unde sequitur : « Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum. » Pulchre S. Hieronymus, lib. II *contra Jovinianum*, in fine : « Ad te, ait, loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti : urbs potens, urbs orbis domina, urbs Apostoli voce laudata. Interpretare vocabulum tuum : Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos (ἀπὸ τοῦ ῥώειν, id est valere, esse fortem ac robustum), aut sublimitatis juxta Hebræos (a rad. enim רום *rum*, id est altus fuit, dicitur Roma, quasi dicas, Altitudo, sublimitas, celsitudo) : serva quod diceris. Virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem quam tibi Salvator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Ninivitarum. Cave Joviniani nomen, quod de idolo derivatum est. Squalet Capitolium, templa Jovis et ceremoniæ conciderunt, cur vocabulum ejus et vitia apud te vigeant? Adhuc sub regibus, et sub Numa Pompilio facilius majores tui Pythagoræ continentiam, quam sub Consulibus Epicuri luxuriam susceperunt. »

Sicut ergo in Scriptura sæpe res figurata accipit nomen figuræ, ut cum Christus vocatur David, Salomon, Zorobabel, etc., ita hic Roma vocatur *Babylon*, et hoc est quod dixit, *mysterium*. Plures analogias Romæ et Babylonis ex S. Augustino et Orosio recensui I *Petri* V, 13.

MATER FORNICATIONUM, — id est, idololatriæ, superstitionum et scelerum. Alludit ad virgines et sponsas Babylonias, quæ nupturæ, prius prostituebant se, et pretium inde collectum offerebant Veneri, ut ejus ope auspicatas inirent nuptias, et bonos nanciscerentur maritos, itaque sua fornicatione colebant, et quasi sacrificabant Veneri, uti docui *Baruch* VI, 42.

6. ET VIDI MULIEREM EBRIAM DE SANGUINE SANCTORUM, ET DE SANGUINE MARTYRUM JESU. — Nam, ut canit Prudentius *Peristephanōn* hymno 11, de immenso sanguine Martyrum Romæ effuso :

Non contentus humum celsæ intra mœnia Romæ
Tingere justorum cædibus assiduis :
Janiculum cum jam madidum, fora, rostra, Suburram
Cerneret eluvie sanguinis effluere.

Idem fiet in fine mundi cum Roma, ad paganismum rediens, Christum et Christianos, ac maxime Pontificem persequetur, expellet vel occidet,



ut patet ex hoc loco, etc. cap. XVIII, vers. 20, et ultim.

Manebunt tamen fideles Romæ, uti manserunt in persecutione Decii et Diocletiani ; ac consequenter manebit Ecclesia Romana et Pontificatus Romanus : et Pontifex erit Episcopus urbis Romæ, licet exul et expulsus. Nec enim Gentiles eum episcopatu, multo minus pontificatu suo deponere aut privare poterunt. Pari modo cum Pontifices resederunt Avenione in Francia per 70 annos, vocabantur tamen et revera erant Episcopi urbis Romæ. An autem Pontifex cum consensu Ecclesiæ pontificatum Roma in aliam urbem transferre possit, si Ecclesiæ necessitas id posceret, uti censent Bellarminus, Suarez loco citato, et alii, disquirere non est præsentis loci.

ET MIRATUS SUM CUM VIDISSEM ILLAM, — tam vesanam, tamque furentem in Christianos, tamque ebriam sanguine Sanctorum. Rursum miratus sum mulieris habitum, scilicet quod insideret bestiæ septemcipiti, et habenti cornua decem, ea pompa et titulo quem paulo ante descripsi, non intelligens quid hæc omnia significarent et portenderent (1). Unde angelus hæc ei explicat, ut mirari desinat.

ET DIXIT MIHI ANGELUS : QUARE MIRARIS? EGO DICAM TIBI SACRAMENTUM MULIERIS, ET BESTIÆ QUÆ PORTAT EAM, QUÆ HABET CAPITA SEPTEM, ET CORNUA DECEM. — « Sacramentum » est mysterium, ut dixi vers. 5, *q. d.* Explicabo tibi hanc mulieris visionem mysticam, puta quid mulier hæc mystice significet et repræsentet.

8. BESTIA, QUAM VIDISTI, FUIT, ET NON EST, ASCENSURA EST DE ABYSSO, ET IN INTERITUM IBIT. — Dixi vers. 3, bestiam hanc esse regnum mundi et diaboli, sive diabolum in mundo quasi regno suæ impietatis dominantem. Ante Christum ergo hæc bestia erat, quia in mundo dominabatur impietas et diabolus. Sed Christus hoc regnum sustulit, et alligavit diabolum, uti audiemus cap. XX, vers. 3. Hoc est quod ait Christus : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, » *Joan.* XII, 31. Sed in fine mundi rursum bestia hæc « ascensura est de abysso. » Alludit ad id quod de bestia hac dixit cap. XIII, vers. 1, scilicet eam prodire ex abysso, sive ex mari, *q. d.* Bestia hæc est instar draconis vel ceti, qui nunc e mari caput et dorsum attollit, nunc rursum in illud se totum demergit, tertio iterum emergit et ascendit. Sic enim diaboli ejusque regnum et potestas, puta regnum infidelitatis et impietatis, magna ex parte sublatum est a Christo. Licet enim adhuc multis dominetur, tamen si ejus potestas et dominium præsens comparetur cum præterito quod habuit ante Christum, exiguum et quasi nullum censebitur ; sed in fine mundi rursum quasi ascendet de abysso, quando Lucifer alligatus in inferno solvetur, regnumque mundi recipiet, et omnem suam vim ac furorem per Antichristum in homines exeret. Verum habebit tempus modicum sui regni ; nam mox rursum cum Antichristo in abyssum mergetur, « et in interitum, » et in gehennam ibit : ita Ambrosius, Beda, Aretas, Viegas, Ribera et alii. Quocirca Græca mox addunt, καὶ πάρεστι, *et adest*. Unde Vatablus vertit, *bestiam quæ erat, et non est, et tamen est*, *q. d.* Bestia hæc « erat, » id est *fuit* ; sed jam « non est, » id est *non apparet* ; « est tamen, » quia in abyssum demersa vivit in inferno ; unde in fine mundi rursum prodibit, et ostendet se. Quocirca Biblia Regia et Aretas, pro πάρεστι, id est *adest*, legunt παρέσται, id est *aderit*. Censet Alcazar hac phrasi, « fuit, et non est, » alludi ad *Ezech.* XXVII, 13, ubi pro *Græcia* in Hebræo est, יון *javan*, quod teste S. Hieronymo significat *est et non est*, quo videtur notari Græcorum inconstantia, non ingeniorum modo, sed et fastus ac potentiæ. Rursum hac phrasi, « fuit, et non est, » significatur brevitas durationis, ait Maldonatus in *Notis*.

ET MIRABUNTUR (homines) BESTIAM, QUÆ ERAT, ET NON EST, — videntes eam, quæ quasi demersa in abysso et extincta videbatur, rursum subito emergere, et ascendere cum tanta potestate, fastu et pompa. Admiratio enim, ait Aristoteles, ex eo provenit, quod videatur effectus novus cujus non videtur causa. Ita mirantur homines terreni mundi honores, opes et delicias, quia majora quæ in cœlis sunt non cognoscunt ; sicut pueri mirantur nuces, poma et crepundia sua, quia delicias virorum non gustarunt ; et rustici mirantur casas suas stramineas, et pecora, quia palatia, et templa, ac domos urbanas non viderunt. Ex adverso docti et sancti nihil in terris mirantur, quia omnia vident esse exilia, infirma, caduca, brevia præ cœlestibus, divinis, immensis et æternis. Recte Petrarcha : « Sapienti nihil est inopinabile, stulto omnia sunt impræmeditata. » Ita Cyrus, ait Xenophon, nihil admirabatur, sed omnia sub se quasi parva et subdita despiciebat, docebatque principes nihil admirari. Illi enim cum excelso sint animo, et quasi in rerum culmine positi, omnia præ se parva et vulgaria arbitrantur, ideoque indigna quæ magni æstiment, quibusque mentem et animum affigant. Vere Horatius :

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque quæ possit facere et servare beatum.

In cœlis mente habitans despicit hoc terræ punctum, dicitque : « O quam exigui sunt mortalium termini ! O quam exigui mortalium animi (2) ! »

9. ET HIC EST SENSUS, QUI HABET SAPIENTIAM. — ὧδε ὁ νοῦς, ὁ ἔχων σοφίαν, id est, *hic latet intellectus qui*

(1) Alii : Obstupui, fœminam tam speciosam, tam ornatam, sic furere et cruentari.

(2) Comma 8 Allioli sic interpretatur : Bestia, id est, paganismi regnum, quod olim florebat, nunc converso ad Christum Constantino, jam deletur, nec nisi ad breve tempus resurget, scil. *primo*, tempore Juliani Apostatæ ; *secundo*, tempore Antichristi.

*habet sapientiam*, scilicet arcanam et reconditam, *q. d.* Hoc ænigma bestiæ et mulieris sapiens est, et sapienter a Spiritu Sancto adinventum ad arcanas res significandas : itaque in ea latet magna sapientia magnaque mysteria (1). Alii vertunt : *Hic mens advertat quæ habet sapientiam* ; νοῦς enim proprie mentem significat; significat tamen quoque sensum seu intellectum, ut cum Apostolus ait, I *Corint.* XIV, 15 : « Psallam spiritu, psallam et mente, » græce νῷ, id est *sensu*, intelligentia, id est, intelligibiliter, ut alii sentire et intelligere possint id quod psallo.

SEPTEM CAPITA, SEPTEM MONTES SUNT, SUPER QUOS MULIER SEDET, ET REGES SEPTEM SUNT, — *q. d.* Septem capita significant *primo*, septem montes; *secundo*, septem reges. In septem montibus patet denotari Romam, de qua canit Virgilius *Georgicon* II, in fine :

> Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
> Septem quæ una sibi muro circumdedit arces.

Et Sibylla, lib. II :

> Romæ septem verticis habentis magnæ divitiæ peribunt,
> Irrigatæ multo igne a flamma Vulcani.

Et Horatius in *Carm. sæcul.* :

> Dii quibus septem placuere colles.

Et Ovidius, lib. I *Trist.* :

> Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
> Montibus, Imperii, Roma, Deumque locus.

Et Tertullianus, *Apologet.* LIII : « Ipsos, ait, Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio. » Et Claudianus in *Panegyr.* :

> Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi,
> Armorum legumque parens, quæ fundit in omnes
> Imperium.

Porro hi septem Romæ colles sunt : *primus*, Capitolinus sive Tarpeius ; *secundus*, Palatinus, in quo extant ruinæ palatii magni Neroniani ; *tertius*, Cælius, in quo sita est basilica Lateranensis, quæ fuit estque prima totius orbis, unde ei in frontispicio hoc carmen inscriptum litteris uncialibus legimus :

> Munere Papali simul et datur Imperiali,
> Quod sim cunctarum mater caput Ecclesiarum.

Hic enim est prisca sedes Papæ, qui in hac ecclesia accipit possessionem episcopatus Romani, et consequenter annexi ei pontificatus totius orbis. *Quartus*, Esquilinus, in quo eminet templum B. Virginis Majoris, cujus dedicatio celebratur 5 augusti sub nomine B. Virginis ad Nives, ob miraculum nivis quæ locum templo designavit sub Liberio Papa. *Quintus*, Viminalis, in quo extat locus martyrii S. Laurentii, in ejus ecclesia quæ Panisperna cognominatur. *Sextus*, Quirinalis, qui hodie a duabus ingentibus statuis marmoreis Alexandri domantis Bucephalum, quarum unam sculpsit Phidias, alteram Praxiteles, vocatur « Monte cavallo. » *Septimus*, Aventinus, in quo sunt templa S. Sabinæ, S. Alexii, S. Sabæ. Romulus enim ambitu urbis Romæ tantum complexus est duos colles, Capitolinum et Palatinum; tertium, Cælium scilicet, eversa Alba, adjecit Tullus, Esquilinsque (qui quartus est) auxit; quintum, scilicet Aventinum, pro advenis adjunxit Ancus Marcius; sextum et septimum, scilicet Quirinalem et Viminalem, addidit Servius Tullius, sextus rex Romanorum. Quin et postea tres alios ambitu urbis complexi sunt, scilicet Janiculum trans Tiberim, in quo fertur crucifixus esse S. Petrus ; Vaticanum, in quo sepultus est S. Petrus in ejus Basilica quæ est orbis miraculum ; et Pincium, in quo exstat hodie templum S. Trinitatis, et monasterium Religiosorum S. Francisci de Paula : ita Bartholomæus Marlianus in *Topographia urbis Romæ*, lib. I, cap. IV. Quare licet, cum hæc scriberet Joannes, Roma plusquam septem colles muris suis complecteretur, tamen ab eo ex prisco nomine vocatur Septimontium : quia sub regibus septem tantum erant in urbe montes, sive colles, singuli singulis diis, uti nunc singulis Sanctis, dicati et consecrati.

Nota : Hæc septem capita repræsentant duo, *primo*, septem Romæ montes jam dictos; *secundo*, septem reges, de quibus sequitur. Sunt enim hæc septem capita non mulieris, sed bestiæ, sive mundi, id est, regni impietatis et diaboli, qui in eo rex est, regnatque per suos ministros. Quare minus recte Arabicus vertit : *Septem capita sunt septem montes, super quæ mulier sedet ; hi sunt septem reges* : quasi septem capita, et septem montes, non aliud sint quam septem reges.

10. QUINQUE CECIDERUNT, UNUS EST, ET ALIUS NONDUM VENIT : ET CUM VENERIT, OPORTET ILLUM BREVE TEMPUS MANERE. — *Primo*, Andreas Cæsariensis : Septem, inquit, capita et montes sunt septem monarchiæ et regna : *primum*, Assyriorum in Ninive; *secundum*, Medorum in Ecbatanis sub principe Arbace ; *tertium*, Chaldæorum in Babylone; *quartum*, Cyri in Susis ; *quintum*, Alexandri in Macedonia ; *sextum*, Augusti et Imperatorum in Roma antiqua ; *septimum*, Constantini in nova et Christiana Roma. Consequenter septem reges sunt, *primus* Ninus, *secundus* Arbaces, *tertius* Nabuchodonosor, *quartus* Cyrus, *quintus* Alexander, *sextus* Augustus, *septimus* Constantinus. Verum hic montes cum regibus confundit, qui distinguendi sunt, ut dixi. Ad hæc Constantinum fidelem et Ecclesiæ quasi nutritium, ponit inter capita bestiæ. Quocirca idem Andreas ex S. Irenæo, aliter communi more computat hos septem reges, eo modo quem mox referam.

(1) Hæc est apertior figurarum explicatio, ostendens mirabilem Dei sapientiam, res præteritas, et præsentes, et futuras ob oculos ponentis



*Secundo*, Victorinus : Quinque reges, inquit, qui, cum hæc scriberet Joannes, ceciderant, id est, mortui erant, sunt Vespasianus, Titus, Galba, Otho, Vitellius ; sextus qui jam « est » et regnat, est Domitianus. Septimus qui necdum venit, est Nerva ; quia hi post Neronem usque ad tempus quo Joannes hæc scripsit, regnarunt. Sed quid faciunt hæc ad Antichristum, cujus tempora omnibus totisque hisce capitibus descripsit S. Joannes ?

Dico ergo hos septem reges significare collectionem tyrannorum, qui septem ætatibus, sive sæculis regnarunt in mundo, sive in regno impietatis et diaboli, atque fideles et Ecclesiam persecuti sunt. Ita Richardus, Ambrosius, Beda et alii, et patet ex sequentibus. Ait enim Joannes quinque transiisse, sextum adhuc superesse, septimum exspectari et regnaturum per breve tempus. *Primus* ergo rex est Cain cum gigantibus aliisque similibus, qui fideles et pios persecuti sunt, prima mundi ætate, quæ fuit ab Adam usque ad Noe et diluvium. *Secundus* est Nemrod cum fabris turris Babel, in secunda mundi ætate quæ fuit a Noe ad Abraham. *Tertius* sunt reges Sodomæ, et Pharaones Ægypti ante Mosen in tertia mundi ætate, quæ fuit ab Abraham ad Mosen. *Quartus* sunt impii reges Israel et Juda cum aliis similibus, qui vixerunt a tempore Mosis usque ad captivitatem Babylonicam, quæ fuit quarta mundi ætas. *Quintus* sunt Chaldæorum reges, ut Nabuchodonosor ; ac Asiæ et Syriæ, ut Antiochus Epiphanes, aliique a captivitate Babylonica usque ad Christum, quæ fuit quinta mundi ætas. *Sextus* sunt Imperatores Ethnici Romani, item Saraceni, Turcæ aliique qui a Christo usque ad Antichristum fuerunt, sunt et erunt. Unde de eo dicitur hic : « Unus adhuc est. » *Septimus* est Antichristus, qui venturus est, et per breve tempus, puta tres annos cum medio, regnabit : ita Gagneius, Ribera et Viegas, qui asserit hanc esse communem expositionem. Accedit et Richardus cum suis, nisi quod ipse quartam ætatem consignet a Mose ad Davidem, quando fuerunt Balaam, Balac, Moabitæ, Idumæi, Philistæi, et similes hostes populi Dei, puta Israelis ; quintam vero consignat a Davide usque ad Christum.

Alludit ad primos Babylonis quæ bestiæ insidet, id est Romæ, reges. Hi enim numero fuerunt septem, scilicet Romulus, Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priscus, Servius Tullius, Tarquinius Superbus.

Perperam ergo Anglo-Calvinista per hos septem reges accipit septem regimina Romæ : *primo* enim, inquit, rexerunt eam Reges ; *secundo*, Consules ; *tertio*, Dictatores ; *quarto*, Decemviri ; *quinto*, Tribuni ; *sexto*, Imperatores tempore S. Joannis ; unde de iis ait : « Unus est ; » *septimo*, Papa, de quo dicit : « Oportet illum breve tempus manere ; » quia post centum annos a Constantino Roma eversa est a Genserico et Wandalis, ac rursum a Totila. Unde de eodem subdit : « Bestia autem, quæ erat, et non est, » *q. d.* Septimus ille rex Papa, qui venerat et « erat » quoad ortum et originem potestatis per centum annos a Constantino, « et non est, » quia opinione hominum exstinctus videtur per invasionem Barbarorum : Hæc, inquit, bestia *octava* est, et e septem illis, quia post Gensericum Papa imperium et papatum resumpsit, et quasi revixit.

Verum hæc et historiæ et textui repugnant. Nec enim Dictatores successere Consulibus, quasi ordinarii Romæ gubernatores, sed iis additi sunt quasi extraordinarii, qui tempore gravis belli et periculi eam tutarentur. Similes fuere Decemviri. Tribuni quoque plebis fuerunt patroni, cum Consules urbem regerent. *Secundo*, sub Genserico etsi Roma vastata sit, pontificatus tamen non fuit exstinctus ; imo S. Leo mansit Pontifex, eumque reveritus Gensericus a templis manum abstinuit, ac mox Roma discessit, moxque S. Leo ita et Rempublicam et Ecclesiam administravit, ut vix eo major et gloriosior Pontifex deinceps extiterit. Falso ergo de papatu et Papa dicitur : « Oportet illum breve tempus manere, » cum jam manserit per 1600 annos ; et illud : « Bestia quæ erat, et non est. » Semper enim papatus, in quantacumque Genserici et Totilæ vastatione, permansit. *Tertio*, falsum est quod decem reges bestiæ, id est Papæ, odient fornicariam (id est Romam), eamque evertent et concremabunt : quod tamen de decem bestiæ regibus dicitur vers. 16. Quis enim Papa unquam curavit per reges vel principes Romam everti et comburi ? quis unquam Papa cum Agno, id est, cum Christo, pugnavit, et ab eodem devictus est ? *Quarto*, perperam commiscet hæreticus bestiam cum septem regibus, cum ab iis distincta et diversa sit, uti patet ex textu, et mox clarius patebit. Hisce ergo principiis ejus eversis, ruit ejus conjectura, quam ipse demonstrationem esse censet, estque talis : septimus hic rex est Antichristus ; atqui septimus hic rex est Papa : Papa enim successit regi sexto, id est, Romanis Imperatoribus. Ergo Papa est Antichristus. Minor enim est falsa ; manet enim Papa cum Romano Imperatore, et uterque simul manebit usque ad Antichristum : non ergo Papa successit Imperatoribus in Imperio Romano, sed cum iis simul consistit, uti jam videmus Serenissimum Ferdinandum esse Imperatorem Romani Imperii, et S. D. N. Paulum V, Ecclesiæ Romanæ esse Pontificem (1).

(1) Allioli : *Quinque reges ceciderunt*, scil. Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximinus Daia et Maxentius ; *unus* rex Ethnicus *est*, scil. Licinius ; *et alius nondum venit*, puta Julianus, qui biennio minus regnavit ; *et bestia octava est* : paganismus enim post Julianum in privatis hominibus superfuit, et usque ad mundi finem remanebit ; bestia *de septem est*, iisque similis, id est Christianos odio habebit et persequetur ; peribit tamen, scil. in fine mundi. Decem reges (vers. 12) sunt barbarorum reges qui Romanas provincias ferro et igne vasta-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Moraliter, sicut Dei nomen est *Jehova*, hoc est, qui est, vel, ego sum qui sum, *Exod.* III, 14, et VI, 3 : ita creaturæ et hominis, præsertim impii, nomen est : « Qui non est. » *Secundo*, Dei nomen est : « Qui fuit, et est; » hominis et bestiæ : « Qui fuit, et non est. » *Tertio*, Dei nomen est : Fuit, est, erit; hominis, Babylonis et temporis : « Non erit amplius, » cap. X, vers. 6. Sic et de Diabolo dicitur *Job* XVIII, 15 : « Socii ejus qui non est, » id est, socii diaboli, ait S. Gregorius, lib. XIV *Moral.*, cap. XI : « Qui jam non est, quia a summa essentia recessit, et quasi ad non esse intendit, ex quo semel ab eo qui vere est cecidit, quia bene esse perdidit. »

11. ET BESTIA QUÆ ERAT, ET NON EST : ET IPSA OCTAVA EST (id est, ipsa est octavum caput bestiæ (erat enim una bestia, sed septem habebat capita); unde Græca habent, *et ipse octavus est*, scilicet rex : hæc enim capita significant reges), ET DE SEPTEM EST. — Sensus est, *q. d.* Diabolus, qui est hæc bestia, distinctus est a septem bestiæ capitibus, id est, regibus jam nominatis; et tamen de septem est, quia ipse in omnibus septem quasi membris et subditis suis, regit et dominatur, ac contra Ecclesiam dimicat, eamque divexat. Favet Arabicus, qui vertit : *Et bestia quæ erat, et non est, est etiam angelus e septem : et est in interitum.* Unde et sequitur, quod decem alii reges potestatem acceperunt una hora post bestiam, quia bestia primariam habet potestatem : reges autem ab ea quasi secundi sunt.

Rursum bestia hæc est mundus, sive regnum impietatis et peccati : huic enim præsidet dæmon quasi monarcha; hoc regnum octavum est, quia distinctum a singulis septem regibus jam dictis : et tamen e septem est, quia in omnibus septem existit, quasi totum in suis partibus quibus conflatur et integratur.

*Tertio*, Prosper in *Dimidio temporis* cap. VIII, et Haymo : Bestia, inquiunt, est Antichristus; hic unus est e septem capitibus, id est, regibus, uti jam dixi; et tamen octavus est, quia ipse non tantum particularis erit rex, uti cæteri, sed princeps, imperator et quasi monarcha omnium præcedentium, et, ut ait Haymo, septies amplius dominabitur ac persequetur Ecclesiam, quam reliqui omnes superiores tyranni, qui Ecclesiam variis temporibus et sæculis sunt persecuti.

Moraliter, nota τὸ *quæ erat, et non est*. Hoc enim est epithetum impiorum, eorumque mortis et interitus periphrasis. Sic regi Tyri intentat Deus, *Ezech.* XXVIII, 19 : « Nihili factus es, et non eris in perpetuum. » Quidquid ergo fuerit homo, si homo fuit et vita functus est, « fuit, et non est. » At Deus, qui est α et ω, solus habet immortalitatem, cujus regnum est regnum omnium sæculorum, proinde ejus nomen est : « Qui est, et qui erat, et qui venturus est, » cap. I, vers. 8.

Aliter Alcazar, cujus explicationem recensui cap. XIII.

12. ET DECEM CORNUA QUÆ VIDISTI, DECEM REGES SUNT. — Alcazar per decem reges accipit polyarchiam, sive multitudinem Senatorum Romæ, qui ad vindictam de Roma tot Martyrum effectrice sumendam, justo Dei judicio ad Christum conversi per S. Petrum, Paulum, Alexandrum et alios Pontifices, Romæ Ethnicismum damnarunt, et pro viribus extirparunt, ante reliquias Martyrum venerabundi prociderunt, imo seipsos martyrio pro fide Christi obtulerunt, itaque tandem Romam igne charitatis Christi accenderunt et concremarunt. Hæc pia sunt et ingeniosa, sed mystica.

*Secundo*, Ambrosius, Ticonius, Beda et alii passim, ut dixi vers. 1, per Babyloniam hanc meretricem accipiunt cœtum omnium impiorum; per decem cornua accipiunt omnia regna regibus impiis subjecta, de quibus dicitur : « Hi odient fornicariam; » quia fovendo et adjuvando impiorum multitudinem contra Christum, eam faciunt obnoxiam cruciatibus sempiternis, quod in re est odire, etiamsi in mente et affectu eorum videatur esse amor et amare, uti fuse explicat Gagnæus. Verum hic sensus alienior, impropriius et durus est; quis enim dicat, v. g. Decium et Diocletianum odivisse Romam et Romanum imperium, illamque concremasse, et carnes Romanorum manducasse, cum idololatriam et impietatem Romanorum adjuverunt et propugnarunt?

*Tertio*, plane et genuine Anselmus, Ansbertus, Haymo, Richardus, Ribera et Viegas, per decem cornua accipiunt decem reges qui erunt in orbe sub finem mundi, quasi orbis domini, cum veniet Antichristus, qui Romæ et Romano imperio erunt subjecti, aut certe ex eo prodibunt, et invidentes Romæ tantas opes et gloriam, ejus jugum excutient, eamque invadent, vastabunt et concremabunt. Ex hisce tres Antichristus bello superabit, mox reliqui septem ei subdent, unusque omnium rex et monarcha evadet, uti patet ex hoc versu et vers. 16, juncto cum *Daniel.* VII, 24. Estque communis Patrum et Interpretum sensus et traditio, uti ait S. Hieronymus, *Daniel.* VII.

Hinc patet hos decem reges diversos fore ab illis septem, qui per septem cornua repræsentati sunt vers. 9 : illi enim tempore præcedent Antichristum, hi autem decem erunt tempore Antichristi. Unde dicuntur nondum potestatem accepisse, sed eam accepturi post bestiam una hora, id est, brevissimo tempore.

POST BESTIAM. — Legit Interpres græce μετὰ τὸ θηρίον; alii legunt μετὰ τοῦ θηρίου, id est, *cum bestia* : utrumque verum, scilicet *post bestiam*, quia eam sequentur; *cum bestia*, quia ei parebunt : ita Ribera. Quænam sit hæc bestia dixi vers. 3.

14. HI CUM AGNO PUGNABUNT (puta cum fidelibus

bunt, sanguinemque Christianorum fundent, v. g. Athanaricus, Gothorum rex, multos Christianos martyrio affecit, teste Augustino et Orosio.



et populo Christiano, qui sunt subditi Agni, scilicet Christi), ET AGNUS VINCET ILLOS, — quia cum Antichristo quem sequentur, a Christo deturbabuntur in tartara.

15. AQUÆ QUAS VIDISTI UBI MERETRIX SEDET, POPULI SUNT, ET GENTES, ET LINGUÆ, — *q. d.* Aquæ quas vidisti significant omnes gentes et populos quibus Roma imperabit : quæ proinde in unius Romæ, utpote suæ heræ et orbis dominæ, obsequium, vanitatem et idolorum superstitionem pedibus ibunt.

16. HI ODIENT FORNICARIAM (scilicet Babylonem, id est Romam), ET CARNES EJUS MANDUCABUNT. — Est hyperbole, *q. d.* Ea rabie Romam et Romanos invadent, ut videantur eorum carnes voraturi. Similis est *Job* XIX, 22 : « Quare persequimini me, et carnibus meis saturamini? » Et *Ps.* XXVI, vers. 2 : « Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. » Unde sequitur : « Et ipsam igni concremabunt (1). »

17. DEUS ENIM DEDIT IN CORDA EORUM, UT DENT REGNUM SUUM BESTIÆ, — id est diabolo, Antichristo, tyrannidi et impietati. « Deus dedit, » non immissive, sed *primo*, permissive, laxando scilicet frena eorum ambitiosæ voluntati, quæ sine Dei permissu, imo concursu generali, in actum exire non potuisset. *Secundo*, objective, immittendo scilicet eis cogitationem de Roma, quod sit superba dives dignaque expugnatu, ac facile expugnabilis ob scelera ejus, quæ Deus velit punire; idque ad hoc, « ut faciant quod placitum est illi, » ut scilicet peragant judicium et vindictam in Babylone ex decreto et sententia Dei exercendam : « Donec consummentur verba Dei, » quæ scilicet Deus prædixit per me hic, et per Danielem cap. VII et XI, de consummatione urbis et orbis, *q. d.* Donec consummetur excidium plenum urbis et orbis.

Græca nonnulla addunt : *Et ut consentiant*, sive *habeant sententiam unam et voluntatem* de Roma expugnanda. Verum hoc satis innuitur in sequentibus.

Nota : Ex hoc loco, et *Daniel.* VII, 24, certum est fore decem reges in orbe, cum veniet Antichristus, e quibus ipse tres prælio vincat; mox reliqui septem territi ei se subdent. Rursum certum est hosce decem reges eversuros et concrematuros Romam; sed dubium est an hi futuri sint ante Antichristum, an sub Antichristo, itaut Antichristus eversurus sit Romam, et pariter Romanum imperium per hosce reges.

*Primo*, Franciscus Suarez, III part., tom. II, disp. LIV, art. 6, sect. II, censet incertum esse an Romanum imperium, et multo magis an Romana urbs, evertenda sint ante Antichristum, an per ipsum Antichristum.

*Secundo*, Ribera et Viegas hic censent ante Antichristum evertenda, idque putant se demonstrare ex eo quod Roma hic dicatur evertenda a decem regibus : ergo ante Antichristum; nam Antichristus veniens statim debellabit tres reges et occidet, ut tantum septem restent, qui sponte ei se subdent. Cum ergo sub Antichristo tantum futuri sint septem reges, sequitur tunc Romam non esse evertendam, sed ante, cum nimirum in orbe erunt decem reges. Hæc sententia est probabilis, eamque secutus sum II *Thessal.* II, 9, eique favere videtur S. Hieronymus in *Daniel.* VII.

Verum re exactius considerata, perspectaque tota acoluthia Apocalypseos, ac Danielis, contrarium mihi nunc videtur probabilius, scilicet Romam et Romanum imperium evertenda esse non ante Antichristum, sed ab Antichristo per decem reges ei jam subjectos.

Probatur *primo*, quia Daniel, cap. VII, recensens seriem monarchiarum, docet quod, sicut Chaldæorum monarchia eversa est a Persis, Persarum a Græcis, Græcorum a Romanis, ita Romanorum imperium evertetur ab ipso Antichristo.

*Secundo*, quia communis Doctorum sententia est, Romanum imperium esse ultimum et duraturum usque ad finem mundi : nec tantum doctorum recentiorum, sed et Patrum communis; teste S. Hieronymo in cap. IX *Danielis*, hæc est traditio, eaque, ut videtur, Apostolica : ergo non a decem regibus, sed ab Antichristo in fine mundi evertetur. Confirmatur, quia Daniel, VII, 8 et 24, vidit cornu parvulum, quod designat Antichristum, inter decem cornua, id est, decem reges, oriri ex bestia quæ designat Romanum imperium. Ergo orietur Antichristus ex Romano imperio. Stabit ergo illud usque ad ejus adventum, et ab eo evertetur. Rursum, cum hoc loco mulier, id est Roma, dicatur insidere eidem bestiæ habenti hæc cornua decem, sequitur Romam dominaturam Romano imperio et decem regibus, donec a cornu parvulo, id est, Antichristo ex eo oriente, per decem reges ei rebellantes evertatur et concremetur, uti dicitur hic vers. 16.

*Tertio*, quia id exigit acoluthia Apocalypseos. Hæc enim dividitur in duas partes : prior usque ad caput undecimum, continet et enarrat septem sigilla libri signati; posterior a cap. undecimo usque ad finem, continet contenta ipsius libri. Jam sigilla continent ea quæ prævire debent tempus Antichristi, liber vero continet illa quæ fient tempore Antichristi. Ergo cum hæc duo cap. XVII et XVIII contineantur in ipso libro signato, sequitur ea spectare ad ipsum Antichristum, ejusque tempus.

Respondet Ribera esse hysterologiam, sive perturbatum ordinem. Hæc enim duo capita, sive hoc Babylonis, id est Romæ, excidium recto ordine ponendum esse anterius, nimirum cap. IX, vers. 13, in tuba sexti angeli. Verum hæc hysterologia nimis dura est et præpostera : perturbat enim totum Apocalypseos ordinem. Adde sic ipsa

(1) Ab anno 410 ad ann. 547, quinquies Roma capta spoliataque est.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

sigilla libri fore longe majora et copiosiora ipso libro : deme enim hæc duo capita et alia quæ eodem spectant, relinques exiguam libri materiam. Itaque ut in acoluthia Apocalypseos evitemus hanc hysterologiam, et hæc incommoda non parva, dicendum est hæc, uti et præcedentia, a capite undecimo et deinceps, spectare ad ipsum librum signatum, et consequenter ad tempora Antichristi. Sic enim plana evadit tota series Apocalypseos. Confirmatur, quia angelus unus ex iis qui cap. præcedenti visi sunt Joanni habere phialas et plagas novissimas, hæc de Babylonis excidio revelavit Joanni : ergo hoc ipsum pertinet ad plagas orbis ultimas.

*Quarto*, quia hic, vers. 12 et 13, dicuntur hi decem reges potestatem accepisse post bestiam, et potestatem suam bestiæ, id est Antichristo, tradidisse ; ac deinde de iisdem subditur vers. 16 : « Hi odient fornicariam et ipsam igne concremabunt, » quasi posterius id sit futurum.

*Quinto*, quia cap. præcedenti in phiala septimi angeli ait Joannes : « Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. » Et hoc cap. XVII, calicem hunc enarrare incipit. Ergo plane significat post septem phialas et plagas novissimas, fore hoc Babylonis excidium. Hoc enim apte ultimo quasi loco servatur : quia erit generale, eritque quasi plaga totius orbis ; eo quod ipsa erit orbis domina, ac proinde ea excisa, orbis excisus videbitur. Confirmatur, quia id valde congruet genio et scopo Antichristi, ut nimirum ipse rex Hierosolymæ et Judæorum, pugnans contra Christum, regni et Ecclesiæ ejus metropolim, puta Romam, evertat. Hoc enim ipse summis votis optabit, ut regnum Christi delevisse videatur. Sicut ergo Antichristus Christo, Judæi Christianis, Hierosolyma Romæ opponitur : ita Antichristus Christum, Christianos, Romam, ejusque pontificatum abolere satagent, uti jam satagunt ejus prodromi Calvinistæ, aliique hæretici.

*Sexto*, id docent Patres. Tertullianus, lib. *ad Scapulam*, cap. II : « Christianus, ait, nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut et ipsum diligat et revereatur, et honoret, et salvum velit cum toto Romano Imperio, quousque sæculum stabit ; tamdiu enim stabit : » Theodoretus in *Daniel.* VII, docet Antichristum ex Romano Imperio proditurum, et contra ipsum pugnaturum. S. Hieronymus in *Daniel.* XI, sic ait de Antichristo : « Et brachia pugnantis populi Romani expugnabuntur ab eo et conterentur. » Lactantius, lib. VII, cap. XV et XXV, docet Antichristum Imperium Romanum eversurum, illudque ab Occidente in Asiam translaturum : « Cujus, inquit, interitu mundus ipse lapsurus est. » Rursum : « Res, inquit, ipsa declarat lapsum ruinamque brevi fore, nisi quod incolumi urbe Roma nihil istis videtur esse metuendum. At vero cum caput illud orbis ceciderit, et ῥύμη esse cœperit (quod Sibyllæ esse aiunt), quis dubitet venisse jam finem rebus humanis orbique terrarum? » S. Chrysostomus, *homil.* 4 in epist. II *ad Thessal.* : « Sicut, ait, regnum Medorum a Babyloniis destructum est, Babyloniorum a Persis, Persarum a Macedonibus, Macedonum a Romanis, ita et regnum Romanorum ab Antichristo. » Errant ergo, sed sponte et fraudulenter, Beza ac hæretici, dum docent defecisse Romanum Imperium, ut ex eo probent venisse jam Antichristum, eumque esse Romanum Pontificem : quem errorem fusius et efficacius confutavi II *Thessal.* II, 3. In hanc sententiam impingit et Alcazar hic, sed incogitanter et alio fundamento. Contendit enim defecisse Romanum Imperium, ut ex eo probet hæc non esse intelligenda de Antichristo, deque Romæ et Romani Imperii excidio in fine mundi, sed de excidio Romæ Ethnicæ, sive Ethnicismi per Christianismum sub Constantino ; de quo jam sæpius dixi.

Ad argumentum Riberæ respondeo, etsi Antichristus tres reges sit debellaturus, non tamen constat an eos sit occisurus. Daniel enim ait tantum, quod eos humiliabit, id est subjugabit. Et esto eos occideret, eorum regna aliis sibi amicis aut subditis tradet, ita ut post eum, æque ac ante, sint decem reges. Id patet ex eo quod bestia, cap. XIII, vers. 1, quæ significat Antichristum, dicitur habere decem cornua, id est, decem regna et reges. Rursum, ex eo quod hic decem reges dicuntur potestatem accepisse post bestiam, id est, post Antichristum. Erit ergo Antichristus monarcha et rex decem regnorum et regum orbis, ac per eos quasi vassallos suos invadet et evertet Romam. Non enim apparet quomodo decem reges toto orbe dispersi conspiraturi sint in unius Romæ excidium, nisi quia suberunt uni monarchæ, puta Antichristo, ab eoque dirigentur ad Romæ sibi invisæ excidium ; idque insinuat hic Joannes, cum causam excidii Romæ afferens, subdit : « Deus enim dedit in corda eorum ut dent regnum suum bestiæ ; » Romæ ergo et Romani Imperii interitus, signum erit non prævium, sed simultaneum, non advenantis, sed præsentis Antichristi. Jungo Romam cum Romano Imperio, quia Roma in fine mundi erit, uti olim fuit, dives et potens : unde in fine capitis ait Joannes : « Civitas magna quæ habet regnum super reges terræ ; » ergo illa tunc obtinebit imperium, præsertim quia non tantum Gentiles, sed et Christiani multi, ut Tertullianus, Lactantius verbis jam citatis, et alii censuerunt Romam, æque ac Romanum Imperium, fore æternam, id est, duraturam usque ad finem mundi, puta usque ad Antichristum. Nam, cap. seq., cædetur Antichristus cum suis, et mox cap. XX, inducetur dies judicii. Hoc tamen Romæ imperium, cæsis jam et subjugatis decem regibus ab Antichristo, erit valde attenuatum et imminutum, ac ruinæ proximum.



Hic ergo videtur futurus ordo et series rei gerendæ. Antichristus sensim viribus et numero crescens, debellabit tres reges ex decem, qui tunc erunt in orbe. Mox reliqui decem, omnesque gentes perculsæ ad eum legationes mittent, eique se subdent, uti fecerunt Alexandro Magno devicto Dario : unde ipse tunc statim factus est monarcha. Antichristus deinde omne suum virus in Christum et Christianos exerens, ac imperium firmans et propogans, Romam, tum quia imperii fuit eritque æmula, tum quia sedes fuit Pontificum Christi, obsideri et everti curabit, remque committet decem regibus, id est aliquot ex iis qui potentiores et Romæ viciniores erunt, cæteris tamen faventibus, et pecunia, commeatu, aliisque modis adjuvantibus. Nec enim opus erit pro una urbe exscindenda exercitus decem regum, id est, totius mundi, congregare, nec etiam tempus regni Antichristi (quod erit trium annorum cum medio) tam longas moras patietur, ut ex extremo Oriente, ut dicitur cap. XVI, vers. 14, reges ad eum veniant in Armagedon, inde pergant ad Romam evertendam, mox revertantur in Armagedon. Hæc enim plures annos requirunt. Aliquot ergo reges Romæ viciniores eam evertent et comburent. Hosce deinde in Armagedon evocabit : uti jam evocarat illos ex Oriente, cap. XVI, vers. 14, aliasque gentes ex quatuor plagis terræ una cum Gog et Magog. Hi ergo omnes ad Antichristum in Judæa convenient, ut Christi et Christianorum nomen ubique deleant, eritque exercitus eorum innumerabilis. Mox Christus omnes congregatos conficiet, et occidet igne de cœlo in eos immisso, ut dicitur cap. XX, 9. Antichristum vero, ejusque pseudo-prophetam, vivum deturbabit in tartara. Hæc ita esse patebit, si quis simul consideret cap. XVI, vers. 14 et 16, ubi convocantur reges trans Euphratem ab ortu solis, ad diem magnum Dei in Armagedon, et cap. XVII, vers. 14, ubi de decem regibus dicitur, quod potestatem suam tradent bestiæ, id est Antichristo, quodque pro eo pugnabunt contra Christum et Christianos ; sed Christus devincet et delebit eos : « Hi, inquit, cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet eos. » Et cap. XIX, vers. 11 et 18, ubi Christus cum suo cœlitum exercitu prodit debellans et occidens eos ; ibi enim inter alia avibus cœli dicitur : « Venite, et congregamini ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, » etc. Et vers. 19 : « Et vidi bestiam, et reges terræ (nimirum decem jam dictos), et exercitus eorum congregatos, ad faciendum prœlium cum illo qui sedebat in equo, » id est cum Christo. Mox subdit bestiam, id est Antichristum cum suo pseudo-propheta raptum in tartara, cæteros vero occisos, nimirum eo modo quem describit cap. XX, vers. 7, 8 et 9, ubi de Satana soluto post mille annos ait : « Et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog, et congregabit eos in prœlium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam (Jerusalem) ; et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos. » Hinc patet non esse hysterologiam in hoc Babylonis excidio, sed S. Joannem hæc omnia rite, ordine quæque suo, collocasse.

Ex dictis colligitur Romam evertendam esse non initio, sed potius sub finem regni Antichristi. Hic enim prius reges et principes Romæ et Romano Imperio subjectos debellabit, sibique subjiciet, itaque extenuato jam Romano Imperio, Romam ipsam, quæ fuerat Imperii caput, adorietur, capiet et evertet : qua eversa ruet pariter, omninoque concidet Romanum Imperium. Mox sequetur prœlium Gog et Magog, eorumque et Antichristi strages. Deinde dies judicii, et resurrectio ac gloria electorum, quæ ordine hic recenset Joannes, ita ut in gloria et felicitate cœlestis Jerusalem Apocalypsin claudat. Hoc enim exigere videtur plana et ordinata narratio S. Joannis, sicque vitamus hysterologias multas implexas, molestas et ambiguas, ideoque plane incertas et commentitias.

Porro, an Pontifex Romanus, Roma ab Antichristo occupata et vastata, sedem in aliam urbem et provinciam translaturus sit, aut transferre possit, quæstio est. Multi enim, ex eo quod S. Petrus cathedram et pontificatum Antiochia transtulerit Romam, cum de eo faciendo nullum Christi decretum exstet, censent quod pontificatus a S. Petro collocatus sit Romæ, juris esse humani, non divini, ideoque Pontificem gravi de causa (ut si Turca, quod Deus avertat, occuparet Italiam et Romam), consentientibus Cardinalibus et Episcopis, posse pontificatum e Roma in aliam urbem et provinciam transferre ; ita censet D. Soto in IV, dist. XXIV, Quæst. II, art. 5, in fine ; Antonius Cordubensis, Gasparus Casalius, Waldensis et alii, quos citat et sequitur Alfonsus Mendoza, *Scholastic. controv.*, Quæst. IV, concl. 3. Licet contrarium, scilicet papatum Romanum esse juris divini, eo quod Christus jusserit Petro illum ibi collocare, ac proinde non posse a Pontifice, sine revelatione divina, in aliam urbem transferri, censeant Joannes Driedo, lib. IV, cap. III, part. III ; Turrecremata in glossa super cap. *Rogamus*, XXIV, Quæst. 1 ; Cardinalis Jacobatius, lib. VIII *De Conciliis*, art. 6, ubi et pro hac sententia citat Archidiaconum, Ockam, Albericum et alios ; S. Antoninus, III part. *Scholast.*, tit. 22, cap. IV, § 1 ; Alvarus Pelagius, lib. I *De Planctu Ecclesiæ*, art. 32. Verum quidquid sit de jure et possibili, existimo de facto nunquam id futurum, uti hactenus nunquam factum est, ut pontificatus Roma alio transferretur (nam et cum Pontifices sederunt Avenione per 70 annos, erant et vocabantur Pontifices Romani, non Avenionenses). *Primo*, quia tempore Antichristi in omnibus urbibus et provinciis, erit generalis persecutio Pontificis et



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fidelium, ac proinde inutile foret sedem Roma transferre alio, cum ibidem persecutionem non evaderet Pontifex, sed magis in eam incurreret. *Secundo*, quia S. Petrus Romæ sedit in ardentissima persecutione Neronis: idem constanter fecerunt ejus successores omnes per trecentos annos in decem gravissimis persecutionibus, usque ad tempora Constantini. *Tertio*, quia brevis erit persecutio Antichristi, scilicet trium annorum cum dimido; ac instabit dies judicii: pro tempore autem tam modico, non erit operæ pretium mutare sedem. *Quarto*, quia Romanum Pontificem tempore Antichristi fore Petrum Romanum, eique successurum extremum judicium, habet prophetia S. Malachiæ, quam citavi sub initium capitis. Poterit tamen Pontifex, urgente persecutione urbisque excidio, profugere extra Romam, seque in aliis locis et urbibus abdere, uti facit S. Sylvester in monte Soracte, et alii plures post eum.

Huic prophetiæ de decem regibus consona sunt ea, quæ de totidem pene regibus prædixit S. Franciscus de Paula, fundator Ordinis Minimorum. Ipse enim in variis epistolis, quas ad verbum hispanice recitat P. Lucas Montoya, in *Chronicis* ejusdem Ordinis, sub finem, idipsum vaticinatus est, ac nominatim in una, quam scripsit anno Christi 1460, die 13 augusti, ad Simonem de Limena, dominum Montalti, quæ etiamnum ibidem asservatur, sic ait: « Ex te (o Simon) descendet fundator novæ Religionis, quæ tres habebit partes: *prima* erit equitum armatorum; *secunda*, sacerdotum; *tertia*, hospitalariorum. Erit hæc Religio omnium ultima, magnum fructum afferet Ecclesiæ, exstinguet maledictam Mahometis sectam, quin et hæreses omnes, ut fiat unum ovile et unus Pastor. In toto mundo non erunt nisi duodecim reges, unus Imperator et unus Pontifex, et pauci Principes, qui omnes erunt sancti. » Idem in aliis epistolis hunc Ordinem vocat Cruciferorum, eo quod in vexillis suis præferant imaginem crucis, vel Christi crucifixi, pro quo pugnabunt cuique subjicient tam Mahometanos, quam hæreticos et pravos Christianos. Atque hæc omnia sibi a Deo revelata, et certo eventura asseverat; similia circumferuntur aliorum vaticinia, sed quæ examine indigent.

# CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Describitur excidium et incendium Babylonis, indeque luctus et planctus regum et mercatorum vers. 9, Sanctorum vero exultatio vers. 20. Tres ergo capitis sunt partes, juxta tres personas, et voces cælestes, quæ hic inducuntur. Primo enim, a vers. 1 ad 4, inducitur angelus gloriosus clamans :* Cecidit Babylon. *Secundo, vers. 4, audit Joannes vocem de cælo, quæ dicit :* Exite de illa, populus meus, quoniam venit dies punitionis et excidii ejus; *hæc vox protenditur usque ad vers. 21, multisque describit cladem Babylonis, ideoque planctum regum, mercatorum et nautarum. Tertio, vers. 21, angelus fortis mittit lapidem molarem in mare, dicens :* Hoc impetu mittetur Babylon, et ultra non invenietur, nec vox citharœdorum, nec vox sponsi et sponsæ, nec vox molæ, nec lux lucernæ.

**1.** Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam; et terra illuminata est a gloria ejus. **2.** Et exclamavit in fortitudine, dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna; et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis: **3.** quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ cum illa fornicati sunt, et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. **4.** Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem: Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. **5.** Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus. **6.** Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis; et duplicate duplicia secundum opera ejus: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. **7.** Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum; quia in corde suo dicit: Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo. **8.** Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igne comburetur; quia fortis est Deus, qui judicabit illam. **9.** Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt,



et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus: **10.** longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis! quoniam una hora venit judicium tuum. **11.** Et negotiatores terræ flebunt, et lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius: **12.** merces auri, et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritæ, et byssi, et purpuræ, et serici, et cocci (et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore, **13.** et cinnamomum) et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similæ, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et rhedarum, et mancipiorum, et animarum hominum. **14.** Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt a te: et omnia pinguia et præclara perierunt a te, et amplius illa jam non invenient. **15.** Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes ac lugentes, **16.** et dicentes: Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, et purpura, et cocco, et deaurata erat auro, et lapide pretioso, et margaritis! **17.** Quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ. Et omnis gubernator, et omnis qui in lacum navigat, et nautæ, et qui in mari operantur, longe steterunt. **18.** Et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes: Quæ similis civitati huic magnæ? **19.** Et miserunt pulverem super capita sua, et clamaverunt flentes et lugentes, dicentes: Væ, væ, civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus! quoniam una hora desolata est. **20.** Exulta super eam, cœlum, et sancti Apostoli, et Prophetæ: quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa. **21.** Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur. **22.** Et vox citharœdorum, et musicorum, et tibia canentium, et tuba non audietur in te amplius: et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius: et vox molæ non audietur in te amplius. **23.** Et lux lucernæ non lucebit in te amplius: et vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te, quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. **24.** Et in ea sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra.

1. VIDI ALIUM ANGELUM DESCENDENTEM DE COELO, HABENTEM POTESTATEM MAGNAM: ET TERRA ILLUMINATA EST A GLORIA EJUS, — id est, a claritate et splendore ejus, *q. d.* Tanto fulgore hic angelus radiabat, ut totam terram sua luce et radiis collustrare videretur.

Quæres: Quisnam fuit hic Angelus? *Primo*, Alcazar, sicut per angelum de quo cap. præced., vers. 1, accipit S. Paulum, ita per hunc angelum gloriosum habentem potestatem magnam, accipit S. Petrum, qui, æque ut Paulus, prædicit mysticum Babylonis, id est Romæ Ethnicæ, excidium, hoc est conversionem ejus ab Ethnicismo ad Christianismum. Inde vers. 4, oritur cœlestis vox, quæ prædicationem Ecclesiæ designat. Ecclesia enim est cœlum, quæ ex S. Petri sermone et doctrina egreditur per totum orbem, ut mysticum de Babylone, id est Romano Imperio, supplicium sumat, ac par pari reddat, evertendo scilicet paganismum, ac sublimando christianismum: Petrus enim est angelus gloriosus habens potestatem vicariam Christi per totam terram. Ipse enim audivit a Christo: « Tibi dabo claves regni cœlorum. » Quocirca, inquit Alcazar, nil aptius Romæ templo S. Petri pro foribus inscribi posset, quam hic hujus angeli titulus: « Angelo descendenti de cœlo, habenti potestatem magnam, et terra illuminata est a gloria ejus. » Ita ipse suam semper eamdemque canit cantilenam, atque jugiter repetit et inculcat hisce visionibus omnibus a cap. XII ad finem Apocalypsis, non aliud significari, quam Ecclesiæ victoriam de Gentilibus et gentilismo. Dicit enim hæc omnia non esse aliud, quam varia symbola et ænigmata, quæ unum idemque, scilicet gentilismi excidium, significent.

*Secundo*, multi per angelum hunc accipiunt Christum, qui in sua incarnatione descendit de cœlo, totamque terram luce sui Evangelii collustravit. Ipse enim est gloriosus Dei angelus, id est legatus, habens potestatem magnam; unde eo nato angeli magna claritate fulgentes cecinerunt: « Gloria in excelsis Deo: » ita Primasius, Rupertus, Richardus et alii.

Verum magis propriæ et genuine hic, uti et in præcedentibus, angelum verum accipiemus, sed

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fidelium, ac proinde inutile foret sedem Roma transferre alio, cum ibidem persecutionem non evaderet Pontifex, sed magis in eam incurreret. *Secundo*, quia S. Petrus Romæ sedit in ardentissima persecutione Neronis : idem constanter fecerunt ejus successores omnes per trecentos annos in decem gravissimis persecutionibus, usque ad tempora Constantini. *Tertio*, quia brevis erit persecutio Antichristi, scilicet trium annorum cum dimido; ac instabit dies judicii : pro tempore autem tam modico, non erit operæ pretium mutare sedem. *Quarto*, quia Romanum Pontificem tempore Antichristi fore Petrum Romanum, eique successurum extremum judicium, habet prophetia S. Malachiæ, quam citavi sub initium capitis. Poterit tamen Pontifex, urgente persecutione urbisque excidio, profugere extra Romam, seque in aliis locis et urbibus abdere, uti fecit S. Sylvester in monte Soracte, et alii plures post eum.

Huic prophetiæ de decem regibus consona sunt ea, quæ de totidem pene regibus prædixit S. Franciscus de Paula, fundator Ordinis Minimorum. Ipse enim in variis epistolis, quas ad verbum hispanice recitat P. Lucas Montoya, in *Chronicis* ejusdem Ordinis, sub finem, idipsum vaticinatus est, ac nominatim in una, quam scripsit anno Christi 1460, die 13 augusti, ad Simonem de Limena, dominum Montalti, quæ etiamnum ibidem asservatur, sic ait : « Ex te (o Simon) descendet fundator novæ Religionis, quæ tres habebit partes : *prima* erit equitum armatorum; *secunda*, sacerdotum; *tertia*, hospitalariorum. Erit hæc Religio omnium ultima, magnum fructum afferet Ecclesiæ, exstinguet maledictam Mahometis sectam, quin et hæreses omnes, ut fiat unum ovile et unus Pastor. In toto mundo non erunt nisi duodecim reges, unus Imperator et unus Pontifex, et pauci Principes, qui omnes erunt sancti. » Idem in aliis epistolis hunc Ordinem vocat Cruciferorum, eo quod in vexillis suis præferant imaginem crucis, vel Christi crucifixi, pro quo pugnabunt cuique subjicient tam Mahometanos, quam hæreticos et pravos Christianos. Atque hæc omnia sibi a Deo revelata, et certo eventura asseverat; similia circumferuntur aliorum vaticinia, sed quæ examine indigent.

# CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Describitur excidium et incendium Babylonis, indeque luctus et planctus regum et mercatorum vers. 9, Sanctorum vero exultatio vers. 20. Tres ergo capitis sunt partes, juxta tres personas, et voces cælestes, quæ hic inducuntur. Primo enim, a vers. 1 ad 4, inducitur angelus gloriosus clamans :* Cecidit Babylon. *Secundo, vers. 4, audit Joannes vocem de cælo, quæ dicit :* Exite de illa, populus meus, quoniam venit dies punitionis et excidii ejus; *hæc vox protenditur usque ad vers. 21, multisque describit cladem Babylonis, ideoque planctum regum, mercatorum et nautarum. Tertio, vers. 21, angelus fortis mittit lapidem molarem in mare, dicens :* Hoc impetu mittetur Babylon, et ultra non invenietur, nec vox citharœdorum, nec vox sponsi et sponsæ, nec vox molæ, nec lux lucernæ.

1. Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam; et terra illuminata est a gloria ejus. 2. Et exclamavit in fortitudine, dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna; et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis : 3. quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ cum illa fornicati sunt, et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. 4. Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem : Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. 5. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus. 6. Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis; et duplicate duplicia secundum opera ejus : in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. 7. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum; quia in corde suo dicit : Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo. 8. Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igne comburetur; quia fortis est Deus, qui judicabit illam. 9. Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt,



et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus : 10. longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes : Væ, væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis! quoniam una hora venit judicium tuum. 11. Et negotiatores terræ flebunt, et lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius : 12. merces auri, et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritæ, et byssi, et purpuræ, et serici, et cocci (et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore, 13. et cinnamomum) et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similæ, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et rhedarum, et mancipiorum, et animarum hominum. 14. Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt a te : et omnia pinguia et præclara perierunt a te, et amplius illa jam non invenient. 15. Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes ac lugentes, 16. et dicentes : Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, et purpura, et cocco, et deaurata erat auro, et lapide pretioso, et margaritis! 17. Quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ. Et omnis gubernator, et omnis qui in lacum navigat, et nautæ, et qui in mari operantur, longe steterunt. 18. Et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes : Quæ similis civitati huic magnæ? 19. Et miserunt pulverem super capita sua, et clamaverunt flentes et lugentes, dicentes : Væ, væ, civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus! quoniam una hora desolata est. 20. Exulta super eam, cœlum, et sancti Apostoli, et Prophetæ : quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa. 21. Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur. 22. Et vox citharœdorum, et musicorum, et tibia canentium, et tuba non audietur in te amplius : et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius : et vox molæ non audietur in te amplius. 23. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius : et vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te, quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. 24. Et in ea sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra.

1. VIDI ALIUM ANGELUM DESCENDENTEM DE COELO, HABENTEM POTESTATEM MAGNAM : ET TERRA ILLUMINATA EST A GLORIA EJUS, — id est, a claritate et splendore ejus, *q. d.* Tanto fulgore hic angelus radiabat, ut totam terram sua luce et radiis collustrare videretur.

Quæres : Quisnam fuit hic Angelus? *Primo*, Alcazar, sicut per angelum de quo cap. præced., vers. 1, accipit S. Paulum, ita per hunc angelum gloriosum habentem potestatem magnam, accipit S. Petrum, qui, æque ut Paulus, prædicit mysticum Babylonis, id est Romæ Ethnicæ, excidium, hoc est conversionem ejus ab Ethnicismo ad Christianismum. Inde vers. 4, oritur cœlestis vox, quæ prædicationem Ecclesiæ designat. Ecclesia enim est cœlum, quæ ex S. Petri sermone et doctrina egreditur per totum orbem, ut mysticum de Babylone, id est Romano Imperio, supplicium sumat, ac par pari reddat, evertendo scilicet paganismum, ac sublimando christianismum : Petrus enim est angelus gloriosus habens potestatem vicariam Christi per totam terram. Ipse enim audivit a Christo : « Tibi dabo claves regni cœlorum. » Quocirca, inquit Alcazar, nil aptius Romæ templo S. Petri pro foribus inscribi posset, quam hic hujus angeli titulus : « Angelo descendenti de cœlo, habenti potestatem magnam, et terra illuminata est a gloria ejus. » Ita ipse suam semper eamdemque canit cantilenam, atque jugiter repetit et inculcat hisce visionibus omnibus a cap. XII ad finem Apocalypsis, non aliud significari, quam Ecclesiæ victoriam de Gentilibus et gentilismo. Dicit enim hæc omnia non esse aliud, quam varia symbola et ænigmata, quæ unum idemque, scilicet gentilismi excidium, significent.

*Secundo*, multi per angelum hunc accipiunt Christum, qui in sua incarnatione descendit de cœlo, totamque terram luce sui Evangelii collustravit. Ipse enim est gloriosus Dei angelus, id est legatus, habens potestatem magnam; unde eo nato angeli magna claritate fulgentes cecinerunt : « Gloria in excelsis Deo : » ita Primasius, Rupertus, Richardus et alii.

Verum magis proprie et genuine hic, uti et in præcedentibus, angelum verum accipiemus, sed

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui sit e primis et illustrioribus in cœlesti curia; habet enim potestatem magnam, et totam terram suo fulgore collustrare videtur (1).

2. Et exclamavit in fortitudine, dicens : Cecidit, cecidit Babylon. — Citat allegorice *Isaiæ* cap. xxi, vers. 9 : excidium enim Babylonis per Cyrum, quod describit Isaias cap. xiii et cap. xxi, allegorica significabat excidium Romæ Ethnicæ (quæ hic vocatur Babylon) in fine mundi, *q. d.* Sicut olim cecidit « Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum; sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham, » ut ait Isaias cap. xiii, vers. 19 : Babylon, inquam, quæ fuit « malleus universæ terræ, » ut ait Jeremias, cap. l, vers. 23 ; ita cadet et Roma illa inclyta orbis domina.

Et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ. — Allegorice rursum alludit ad id quod de Babylone excisa ait Isaias cap. xiii, vers. 20 : « Non fundabitur usque ad generationem et generationem : nec ponet ibi tentoria Arabs, neque pastores ; sed requiescent ibi bestiæ, et replebuntor domus eorum draconibus : et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi, et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis ejus. » Similia habet de Idumæa excisa cap. xxxiv, vers. 14 : « Occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum : ibi cubavit lamia, » etc. Hisce phrasibus non aliud significatur, quam summa vastitas et desolatio Romæ futura, adeo ut redigatur in desertum, fiatque habitatio draconum et bestiarum. Unde Sibylla verbis mox citandis prædixit, quod Roma erit ῥύμη, id est vicus (2).

Mystice, hac phrasi innuitur idololatria, superstitiones aliaque flagitia quæ Romæ grassabuntur in fine mundi, ante ejus excidium : per hæc enim fiet habitatio dæmonum : ita Primasius, Aretas, Ansbertus et alii.

3. Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes. — « Vinum iræ » vocat calicem vindictæ, supplicii et excidii, quod ob fornicationem, id est idololatriam et scelera, Deus Romæ propinabit, cogetque ut illud hauriat et ebibat. Porro Roma hunc iræ calicem propinabit aliis gentibus, quia supplicia sua in eas derivabit, hoc ipso, quo eas ad idololatriam suaque scelera imitanda impellet, quibus Dei vindictam in se provocabunt, æque ac Roma.

Nota : Romæ Paganæ in fine mundi excidium prædicit hic Joannes; sed tacito nomine, imo mutato : vocat enim eam Babylonem. Id facit, ne Domitianum Imperatorem et Romanos jam tum adhuc Paganos offendat, eosque contra se ac Christianos magis concitet et inflammet. Porro prædicit hoc Romæ excidium Joannes, ad consolationem fidelium et Sanctorum, qui tunc sub Domitiano Romæ et alibi mire exagitabantur, et paulo post sub Trajano et sequentibus Imperatoribus gravius erant exagitandi, ut scilicet Christiani et Sancti scirent et cogitarent, in suis hisce tam atrocibus persecutionibus, se Deo esse curæ, ac Deum fore ultorem sanguinis sui, quia nimirum Deus in fine mundi puniet non tantum præsentia, sed et diu præterita scelera et persecutiones Christianorum factas Romæ, et in Romano Imperio tempore Domitiani et deinceps ; eo quod Romani in fine mundi futuri priscorum Romanorum infidelitatem, tyrannidem et mores impios laudabunt et imitabuntur : quocirca propter eadem gravius punientur, quam punirentur si illa non præcessissent, ut patebit vers. 20 et 24. Idem Romæ excidium prædixerunt Sibyllæ : sic enim canunt lib. VIII *Oracul. Sibyll.*

> Veniet tibi cœlitus æqualis, o recta cervice Roma,
> Cœlestis plaga, et flectes cervicem prima,
> Et terræ similis eris, et ignis te totam absumet,
> Et tunc eris deserta ac si nunquam fuisses.

Et rursum :

> Prope quidem mundi fines et extremus dies;
> Sed prius Romanorum inevitabilis ira erit,
> Et tu triumphus eris mundo, et opprobrium omnium.

Ex iisdem Lactantius, lib. VII, cap. xxv : « Cum caput, inquit, illud orbis occiderit, et ῥύμη esse cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt, quis dubitet venisse jam finem rebus humanis orbique terrarum? illa est enim civitas quæ adhuc sustentat omnia, precandusque nobis et adorandus est Deus cœli, si tamen statuta ejus et placita differri possunt, ne citius quam putemus, tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cujus interitu mundus ipse lapsurus est. » Idem docet Tertullianus in *Apologet.* cap. xxxii. Cum enim Gentes objicerent Christianis eos esse hostes Romæ et Romanorum Imperatorum, utpote Gentilium, respondet Tertullianus id falsum esse, imo vero Christianos quotidie orare pro statu et conservatione Romæ ac Romani Imperii, quia quamdiu illud stabit, stabit et Ecclesia totusque orbis, idque Christianos didicisse ex suorum Prophetarum oraculis : « Est, inquit, et alia major necessitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni statu Imperii rebusque Romanis, quod vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, et dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus. » Idem docet lib. *ad Scapulam*, cap. ii. Idem docent alii superius citati in fine cap. xvii. Perperam ergo aliqui putarunt hanc unius Lactantii leviculam esse sententiam.

Hac de causa veteres, æque ac moderni, Romam

(1) Forsan hic est Angelus Ecclesiæ Christianæ dux et custos.

(2) Roma vetus et Ethnica fere tota collapsa est. Nam urbs nova, videl. Christiana, in Campo Martio est condita.



vocant æternam. Ut alios silentio prætercam, Jacobus Gutherius suum opus *De Veteri Jure Pontificio* dedicat « Romæ æternæ, urbium principi, capiti orbis, virtutum dominæ, juris et æquitatis vindici, vetustatis miraculo venerandæ, Victrici, Potenti, Augustæ, Piæ, Felici, Æternum renascenti, Æternum resurgenti. » Sic Ammianus Marcellinus, lib. XV, cap. xiv, Romam « æternam » vocat, « victuram quamdiu erunt homines. » Et Virgilius apud S. Augustinum, *De Verbis Domini*, serm. 29, loquens de Romanis et Roma :

> His ego, *ait Jupiter*, nec metas rerum, nec tempora pono,
> Imperium sine fine dedi.

Et reges terræ cum illa fornicati sunt, et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. — Nota : Romam vocat hic *primo*, meretricem; *secundo*, mercatricem ; *tertio*, cauponam, quæ suo vino omnes inebriat et dementat. Ratio est, quia Hebr. זונה *zona* significat fœminam cauponam, quæ scilicet tam domum et esculenta, quam se aut suas prostituit; sive quæ mercimonia tractat, cauponatur, convivatur, lascivit, hoc est quæ meretur, vel paratis obsoniis ut caupona, vel mercibus expositis ut meretrix, vel corporis prostitutione, sive suum, sive lupanarum quas alit, corpus quasi lena hospitibus pretio prostituat, quæ antonomastice dicitur meretrix, licet nomen ipsum commune sit omnibus jam dictis. Meretrix enim idem est quod quæstuaria, venditrix, mercatrix. Sic et Græcum πόρνη, id est *meretrix*, significat venditricem : derivatur enim a πέρνημι, id est *vendo*. Hac ergo de causa Babylon hic, et cap. præcedenti inducitur ut caupona, meretrix et mercatrix. Itaque sicut *Isaiæ* xxiii, 15, mercatura Tyri vocatur lenocinium et meretricium quo hic alludit Joannes : ita ex adverso, imo a pari, meretricium Babylonis hic ab eo vocatur mercatura ob communem utriusque analogiam. Tam enim meretrix quam mercatrix meretur, suasque merces exponit et divendit : et quia non raro tunc, uti et nunc, eædem erant cauponæ, meretrices et mercatrices ; idque Romæ Paganæ maxime congruit, et congruet in fine mundi. Hinc Jura prisca Romana et civilia præsumunt eam, quæ in diversorio seu caupona servit, honestam non esse. Ut enim Cicero I *Offic.* ait : « Hostis olim vocabatur peregrinus vel hospes, sed peregrinorum et hospitum mores id effecerant, ut jam hostis pro inimico sumatur ; » ita et in nomine meretricis accidisse videtur : de qua vere dixit Plautus in *Truculento* : « Meretricem ego esse reor mare ut est, quod omnes devorat, nunquam abundat. »

Nota *secundo* : Caupona est viva imago et origo cultus idololatrici, ut patet *Num.* xxv, 1, *Exodi* xxxii, 6. Nam idolorum templa in cavernis erant, quasi popinæ et ganeæ sacerdotum et populorum convivantium, compotantium et lascivientium cum suis veneribus, uti fecerant ipsimet eorum dii quos colebant. Pari modo ex cauponis et conviviis spargitur hæresis, uti hoc sæculo vidimus et videmus, ac spargetur rursum idololatria in fine mundi. Hac de causa Babylon meretrix significat hic Romam idololatrantem : ita Hieronymus Prado in *Ezech.* tom. 1, pag. 195, et alii.

Alcazar addit in voce mercatricis et meretricis notari Romanos Imperatores, Præsides et Judices, qui ob sua peculiaria lucra Christianos in jus vocabant : ut enim occuparent eorum prædia et possessiones, accusabant eos quod essent Christiani ; itaque Christianis in tribunali Gentilium, utpote hostium Christi, causa cadentibus, imo damnatis ad mortem, ipsi in eorum bona involabant. Rursum Christianas virgines in judiciis ad suam libidinem pellicere satagebant, uti Quintianus sollicitavit S. Agatham : quod si nollent, eas ad lupanar damnabant, ut iis ibidem abuti possent. Unde illa, apud Tertullianum, Gentilium virginibus inhiantium vox : « Non ad leonem, sed ad lenonem » damnetur virgo Christiana; uti Symphorianus damnavit S. Agnetem ad lupanar, ut ibidem filius ejus amore insanus ea frui posset. Similiter in fine mundi Romani, Pagani et tyranni opibus fidelium sese ingurgitabunt, ut avari mercatores, et ut lenones suam insaturabilem libidinem cum eis explere satagent. Jure ergo mercatores vocantur, qui instar Judæ innocentum sanguinem, propter divitiarum aut libidinum compendia facienda, venum facillimo negotio dabunt, hoc solo titulo, quod sint Christiani, ut jam in Anglia, Scotia aliisque hæreticis aut paganis regnis venumdari videmus. De his enim recte dicitur : « Et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. » Licet et aliter, magisque proprie hæc accipi possint, scilicet « de virtute, » id est de copia, « deliciarum » quas Romam advehebant, et care vendebant « mercatores ; » harum enim venditione « divites facti sunt. » Hebr. enim חיל *chel*, cui respondet Græcum δύναμις, et Latinum *virtus*, vel potentia, significat robur, fortitudinem, exercitum, copiam, opes, et quidquid magnum est, copiosum, potens, validum aut strenuum.

Rursum, in deliciis hic notatur luxus in marmoribus et porphyreticis columnis : in superbis et magnificis templis idolis erigendis : in simulacris aureis et argenteis mira sculpturæ varietate et ornatu distinguendis : in gemmis et margaritis pretiosissimis, quibus Venerem, Cupidinem, aliaque deorum suorum monstra decorabant : in ludis gladiatorum, comœdiis et spectaculis, aliisque similibus, quibus quasi deliciis et illecebris Romani olim homines ad cultum suorum deorum pellexerunt, et in fine mundi pellicient. Hasce enim delicias mercatores Romam advehebant, careque vendebant, itaque divites fiebant, et rursum fient in novissimis temporibus.

4. Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem : Exite de illa, populus meus. — Monet Christianos, ut fugiant e Roma Ethnica in fine mundi, cum illa erit vertenda. Sic Isaias, cap. xlviii, vers. 20, mo-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

net Judæos, ut egrediantur Babylone evertenda a Cyro : « Egredimini, ait, de Babylone, fugite a Chaldæis. » Et Zacharias, II, 7 : « O Sion, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis. » Et Jeremias, cap. L, vers. 8, et cap. LI, vers. 6 : « Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam ; nolite tacere super iniquitatem ejus, quoniam tempus ultionis est a Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei ; » quo allegorice hic alludit S. Joannes. Sic Christus præmonuit fideles, ut e Jerusalem obsidenda et vastanda per Titum fugiant, *Matth.* cap. XXIV, vers. 15 : « Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes : » ita Ribera, Viegas et alii.

5. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad coelum. — Pro *pervenerunt* græce est ἠκολούθησαν, *q. d.* Peccata Babylonis alia ex aliis sequentia, in eum cumulum excreverunt, ut usque ad cœlum pertingant ; unde alii legunt ἐκολλήθησαν, id est *adhæserunt*, concreverunt, conglobata sunt usque ad cœlum, quasi alludat ad fabros turris Babel dicentes : « Faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, *Genes.* XI, 4. Sensus est, *q. d.* Babylonis peccata tot tantaque sunt, ut clament vindictam in cœlum, quam proinde ultra differre non possum.

6. Reddite illi, sicut et ipsa reddidit vobis. — Alludit ad *Jerem.* L, 29, ubi de Babylone dicitur Cyro, Medis et Persis : « Reddite ei secundum opus suum ; juxta omnia quæ fecit, facite illi. » Et LI, 49 : « Et quomodo fecit Babylon ut caderent occisi in Israel, sic de Babylone cadent occisi in universa terra. »

In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. — Est metaphora a calice, qui a præfecto convivii cuique convivæ, prout ei convenire et placere sciebat, temperabatur et propinabatur ; sic enim Deus cuique suum calicem, id est sortem, pro meritis cujusque attemperat et propinat. Calix ergo hic, uti et alibi sæpe, significat mensuram vindictæ et tribulationis, quam Deus cuique peccatori miscet, id est, pro mensura peccatorum admetitur et irrogat. Solebant enim veteres in calice, quem cuique dabant vel propinabant, miscere vino aquam, tum refrigerii, tum sanitatis, tum sobrietatis causa : inde miscere subinde idem est quod infundere et propinare, sive merum, sive dilutum, ut apud Juvenalem :

> Nescit tot millibus emptus
> Pauperibus miscere puer.

Et apud alium :

> Qui raptus ab alite sacra,
> Miscet amatori pocula grata suo.

Sic *Proverb.* IX, 2, dicitur : « Miscuit, » id est infudit, « vinum. » Miscete ergo hic idem est, quod infundite, propinate illi vinum iræ Dei, id est, affligite illam in « duplum, » non ejus quod ipsa commeruit : pœna enim Dei culpam hominis nunquam excedit, imo punit Deus citra condignum ; sed in « duplum » ejus, quo ipsa vos afflixit, *q. d.* Duplo magis affligite, o Sancti et fideles mei, Babylonem, id est Romam infidelem, quam ipsa vos afflixerit. Culpa enim qua vos afflixit, quia non tantum vos, sed et Deum ipsum offendit, et quasi læsit, ideoque fuit crimen læsæ majestatis divinæ ; hinc non simplicem, sed duplicem, id est gravem et multiplicem, imo non tantum pœnam terrestrem et temporalem, sed et infernalem ac æternam meretur. Affligite, inquam, illam, id est, afflictam a me gaudete et approbate : quod enim ego pro vobis, ut scilicet vestras injurias vindicem, facio, hoc vos censemini facere, præsertim quia hanc justam vindictam a me exposcitis, ut patet cap. VI, vers. 10, egoque eam exerceo vestris precibus adductus et permotus. Quia ergo ego vestro nomine et causa Babylonem affligo, hinc vos censemini eam affligere ; et quia gaudetis, et quasi insultatis afflictæ, etiam revera affligitis eam. Sic alibi sæpe per hebraismum verba activa transitiva et realia capiuntur pro activis mentalibus : ut facio pro facere cogito, volo, destino, desidero, gaudeo, uti dixi can. 29, Proœm. in *Prophetas.*

7. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. — Syrus : *Quantum est placuit sibi in deliciis esse, totum hoc date illi corruptionem et mærorem ;* Arabicus eleganter : *Gloriam in qua facta est* (fuit) *et luxum date illum ei* (convertite ei in) *dolorem cordis et luctum.* Nota, « date tantum, » scilicet in hac vita : loquitur enim de excidio Romæ et Romanorum in hac vita, ut patet ex sequent. ; potest tamen idipsum accipi de futura vita ; sed tunc « quantum » non arithmetice, sed geometrice, id est non æquali, sed proportionali mensura accipiendum et dimetiendum est, *q. d.* Tantum illi date pœnarum, quantum commeruit suis deliciis illicitis, quæ fuerunt maximæ. Pœna enim inferni longe major est deliciis hujus vitæ ; proportionaliter tamen illis respondet, minor scilicet minoribus, major majoribus, maxima maximis deliciis et peccatis. Idem et magis dicendum est de gloria cœlesti, respectu bonorum operum et meritorum. Deus enim est liberalior in præmiando bona, quam in puniendo mala : sicut ergo mala punit citra condignum, ita bona præmiat longe supra condignum. Hinc Gregorius de Valentia, III part., *De Beat. et Damnat. corporibus*, disp. 11, quæst. V, punct. 3, probat corpora damnatorum in singulis sensibus cruciandа esse, quia in singulis suas habuerunt lethiferas delicias. Itaque visus eorum patietur a terribilibus spectaculis et spectris dæmonum ; auditus ab ejulatibus ; odoratus a sulphure et pessimis fœtoribus, qui existent in ipsis etiam eorum putridis corporibus ; gustus ab aliquo fœtido oris humore ; tactus ab igne.



Moraliter, disce hic quam noxia et fallax sit voluptas, utpote quæ cum exiguo melle ingens fel afferat. Scribit Olaus Magnus, lib. XVIII *Histor. Septentr.* cap. XIV, ursos in Russia hac arte capi et necari : Apes, inquit, in Russia ad cavas arbores mellificant ; ursi, quia mellis avidissimi, in eas insiliunt : venatores clavam ligneam ferreis cuspidibus circumdatam super foramen egredientium apum, ex altiori ramo suspendunt : hæc a scandente urso agitata decidit, et caput ursi, quod debilissimum habet, obterit : ita melle mortem sibi accersit. Idem faciunt voluptuarii. Rursum, sicut scarabæi vivunt in stercore, moriuntur in rosis, teste Æliano, lib. IV, cap. XVIII : ita et voluptuarii vivunt in sordibus. Talis fuit Constantinus Copronymus, id est stercorarius, Imperator, qui tantopere sordibus delectabatur, ut animalium brutorum stercoribus se illineret, et suos idem facere juberet, inquit Theosterictus in *Niceta.* Potus aquæ pellucidæ elephantis inimicissimus est, turbulentam et sordidam avidissime bibunt, ait Ælianus, lib. XVII, cap. VII. Ita voluptatis aucupes « vivunt cœno, non cœlo. » *Tertio,* Strabo, lib. XII, scribit Septempaganos mel legere ex foliis arborum, quod homines facit insanos : cum enim hoc Pompeii militibus propinassent, mente emotas tres ejus cohortes conciderunt. Talis est voluptas. « Impia sub dulci melle venena latent. » Eadem similis est Gelopum fonticulo, qui habet aquas pellucidas, sed quisquis ex eis biberit, mox emoritur, de quo Aristoteles in *Admirandis.* Idem est voluptatis auctoramentum. *Quarto,* voluptatis symbolum est Siren, quæ superne formosæ mulieris speciem gerens, omnes ad se allicit ; sed inferne in horridum anguem et draconem desinit, qui sua cauda accedentes implicat et necat. Rursum ejusdem symbolum est pardalis, sive panthera, quæ sua pelle variegata, et odore suavi ad se allicit hinnulos, capras et dorcades ; accedentes capit et vorat. « Fera, inquit Plutarchus, libro *Contra Voluptatem*, est sibi mancipans homines voluptas ; sed mitis : nam si aperte pugnaret, cito caperetur. Nunc autem etiam ideo invisa magis, quod celat inimicitiam, induta habitum benevolentiæ. » *Quinto,* ejusdem symbolum est amasia, quæ Menippum spe conjugii demulcebat, omnibusque officiis sibi devincire satagebat, ut eum caperet et devoraret : quod facere dicuntur larvæ, quæ vocantur Empusæ. Rem narrat Philostratus, lib. VIII *Vitæ Apollonii*, cap. IV, et Delrio in *Magicis.* Quocirca Romani coluerunt deam Volupiam, quasi voluptatum hominumque dominam, teste S. Augustino, lib. IV *De Civit. Dei*, cap. VIII. *Sexto*, Cicero, lib. *De Senectute* : « Divine, ait, Plato escam malorum voluptatem appellat. In voluptatis regno virtus non potest consistere. » Idem in *Partit.* : « Voluptas maxime est inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat. » Idem, lib. III *Offic.* : « Omnis voluptas honestati est contraria. » Idem, lib. I *De Legib.* : « Voluptas malorum omnium mater. » *Septimo*, S. Ambrosius, epist. 25 *ad Eccles. Vercellensem*, ait voluptatem esse serpentem pessimum, fuisseque primum dæmonis spiculum, quo Christum tentans impetiit, et Adamum paradiso expulit ; ubi et citat hanc Epicuri sententiam : « Non immoderatæ epulæ, non potationes, voluptatis suavitatem generant, sed continens vita. » Idem, lib. VI *in Lucam*, voluptuarios ait esse porcis similes, quia in aquis suffocantur. Idem, lib. VII : « Est, ait, lenocinantis quidam laqueus voluptatis, qui nostrorum vestigiis animorum quædam vincula subnectat, ut si igneum vigorem, puritatemque naturæ, terrenæ materiæ sensus hebetaverit, luxuriæ pretio sæcularis addictum sub quadam vitiorum auctione constituat. » *Octavo*, S. Chrysostomus, homil. 1 *in Genes.* : « Voluptas, ait, brevis est et temporaria ; dolor autem perpetuus et fine carens. » Idem, concion. 1 *De Lazaro* : « Si quis, ait, in annis centum vidisset per unam noctem suave somnium, multisque deliciis per somnium fruitus, centum deinde annis puniretur : num is de hoc dicere posset, unicam noctem qua somniavit centum annis æquiparari ? Dictu absurdum. Hoc jam et de futura vita cogita. Nam quod est somnium unum ad centum annos, hoc est præsens vita ad vitam futuram, imo multo minus. Quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt mille anni ad futuram illam fruitionem : quantumque interest inter somnia et res veras, tantum interest inter hujus vitæ statum et illius. » Et paulo post : « Voluptas temporaria est, dolor vero perpetuus, timor undique ac tremor, suspicio et anxietas, angulos metuit, umbras ipsas formidat, » etc. Cum ergo voluptas te ad suas cupedias sollicitat, responde quod vulpes leoni ad suam speluncam invitanti : « Vestigia ingredientium multa video, regredientium nulla. » Et quod asinus apud Phædrum, lib. V, cap. LXXXV, hero jubenti sibi reliquias hordei dari, quas porcellus recenter mactatus consumere nequiverat :

> Tuum libenter appeterem cibum,
> Nisi qui nutritus illo est, jugulatus foret.

Sedeo regina. — Hinc patet Romam in fine mundi ad pristinum imperii splendorem, opes, vires et pompam redituram, ut sit, sicut olim fuit, regina orbis et domina mundi. Unde et decem reges orbis dominos, sibi habebit aut subditos, aut devinctos, ut patet ex vers. 3, ubi bestiæ decem cornibus (id est regibus) cornutæ ipsa insidere et præsidere dicitur, quos, aliosque vino suæ fornicationis inebriavit. Hi tamen eam postea impugnabunt, vastabunt, ejusque imperium dividentes, subdentque Antichristo, ut dixit cap. XVII, vers. 16. Dicit ergo Roma infidelis : « Sedeo regina, » *q. d.* Quamvis Pontificem, qui vir meus erat, ejecerim, non sum tamen vidua, sed plena populo. Ad hæc rege careo, sed eo magis ego ipsa

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

sum regina, cum tot reges mihi pareant, ego nulli. Alludit ad veterem Babylonem, de qua idem ad verbum dicit Isaias cap. XLVII, vers. 8.

ET LUCTUM NON VIDEBO, — non sentiam, non experiar. Est catachresis.

8. IDEO IN UNA DIE VENIENT PLAGÆ EJUS, MORS, ET LUCTUS, ET FAMES, — scilicet, ut alios Babylonis cives tangat mors, alios luctus, alios fames : neque enim fames tangere potest eum, quem mors jam tetigit et occidit, licet quem fames tangit, hunc et mors tangat. In hac ergo meretrice verum erit vetus adagium : « Ubi uber, ibi tuber ; ubi mel, ibi fel ; ubi montes, ibi valles ; ubi aurum, ibi ærugo et scoria, » q. d. Ubi libido, ibi lues ; ubi voluptas, ibi dolor ; ubi fastus, ibi contemptus ; ubi avaritia, ibi sordes ; ubi saturitas, ibi fames ; ubi crapula, ibi mors.

ET FAMES. — Nota : Apta et congrua pœna gulæ et deliciarum Babylonis est fames, tum quia Deus juste et congrue punit homines in eo in quo peccaverunt ; tum quia gula deterit et exhaurit opes, hominesque redigit ad egestatem et famem. Narrat Plinius gallinæ carnes consumere aurum. Sic enim ait lib. XXIX, cap. IV : « Non præteribo naturæ miraculum. Si auro liquescenti gallinarum membra misceantur, consumunt id in se ; ita hoc venenum auri est. » Mirum hoc est, si verum est ; et symbolice apte significat quod splendide et delicate epulantes suum aurum consumant, suaque patrimonia dissipent.

QUIA FORTIS EST DEUS. — Aliqui putant hic finiri vocem de cœlo, quæ cœpit vers. 4 : Joannem vero suis verbis hic eam prosequi, et fusius explicare cladem et lamenta excidii Romæ. Verum verius est et planius vocem cœlestem, vers. 4 cœptam, hic continuari usque ad vers. 21 : omnia enim hæc ita connexa sunt, itaque fluit tota oratio, ut unius ejusdemque esse videatur : ita Alcazar.

9. ET FLEBUNT, ET PLANGENT SE SUPER ILLAM REGES TERRÆ. — « Reges, » scilicet decem illi qui Romam vastabunt et incendent, ait Ribera. Solent enim ingentes calamitates et clades, etiam ipsis victoribus compassionem, luctum et mœrorem afferre. Aut potius, alii reges, et principes minores qui in fine mundi erunt. Licet enim tunc decem tantum reges primarii et potentiores in orbe sint futuri, plures tamen erunt reges, id est reguli et principes, qui videntes a decem regibus expugnatam et vastatam Romam, timebunt ne et ipsi ab eis, atque ab Antichristo eorum domino, monarchiam ambiente, expugnentur et vastentur.

Porro alludit ad *Ezech.* XXVII, 29, ubi ad finem capitis similia sunt principum, mercatorum et nautarum lamenta et threni ob excidium Tyri. Tyrus enim opibus, et mercibus, et luxu inclyta typus fuit Romæ. Tropologice Alcazar : In regibus, ait, notatur superbia ; in mercatoribus, avaritia ; in nautis, id est infima plebe, libido : hanc enim significat Græcum ἐστρηνίασαν, quo et Paulus utitur I *Timoth.* cap. V, vers. 11, ubi Interpres vertit, *cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt.* Hi flebunt in morte, cum cuique suæ deliciæ, suaque cupido, et quasi idolum auferetur.

11. ET NEGOTIATORES TERRÆ FLEBUNT, QUONIAM MERCES EORUM NEMO EMET AMPLIUS. — Non quod aliæ civitates non possint multa ab iis emere, aut non sint emptoræ ; sed quod tantum pretiosissimarum mercium nulla alia civitas consumere, aut coemere possit, quantum Roma, ita inclyta, ait Ribera.

12. ET OMNE LIGNUM THYINUM. — « Thyinum, » id est, *odoratum*, a θύω, id est, *odorem excito*, vel *suffio*, ut respondeat Hebr. *almuggim*, quod Noster III *Regum* X, 2, vertit *thyina* ; vel, quod idem esse videtur per metathesin, *algummim*. Videtur enim dici *almuggim* ab אלה *ela*, id est *quercus*, vel *arbor* ; et מוג *mog*, id est *liquescens*, vel *stillans resinam odoratam* ; *algummim* vero, quasi *ela*, id est arbor, *gummi*, vel resinæ. Hebræi enim vocem *gummi*, uti et *sac*, id est saccus ; *keren*, id est cornu ; *ab* et *abba*, id est pater, aliasque plures transfudisse videntur in omnes linguas : licet ipsa vox *gummi* non exstet hebr. in S. Scriptura. Porro *algummim* noster Interpres cum Josepho et Septuaginta, II *Paral.* II, 8, vertit *pinea*, ita ut *almuggim* vel *algummim*, et Græcum *thyinon*, generale sit nomen, et significet omnia odorata et resinosa ligna, sive pinea sint, sive cedrina, sive cypressina, sive alia. Unde additur hic vox *omnis* ; ait enim, « omne lignum thyinum. » Ita Antonius Nebrissensis in *Quinquagena*, cap. I. Hinc Syrus pro *lignum thyinum*, vertit, *lignum aromatis*, vel *suavitatis*, id est suavis odoris.

Potest tamen *secundo*, cum Ribera, per *thyinum* accipi certum genus ligni, ita dictum a thuia, vel thyia, arbore odorata, quæ forma, folio, caudice et fructu similis est cupresso : ex cujus ligno, utpote immortali, et contra omnia vitia incorrupto, solebant fieri veterum templorum contignationes (uti etiamnum apud Turcas fiunt) : ita Theophrastus, lib. V *Histor. Plant.*, cap. V, et Plinius, lib. XIII, cap. XVI. Auctor recens *Historiæ plantarum*, puta Rodivillius, ponit quatuor ejus species, lib. I, cap. XVI (1).

13. ET CINNAMOMUM. — Complutenses et alii codices addunt, *et amomum*, qui est frutex in Assyria et Armenia, habens florem instar candidæ violæ, colorem ad aurum inclinantem, lignum rufescens, odorem suavissimum. Unde Lactantius in *Phœnice* :

> Cinnama dehinc, auramque procul spirantis amomi
> Congerit.

ut iis nidum, semetipsumque comburat. Quin et Ovidius, lib. V *Metamorph.*, ait phœnicem amomi succo vivere. Verum amomum hic nec habent Biblia Romana, nec Græca.

ET MANCIPIORUM. — Græce σωμάτων, id est *corporum*. Ita vocabantur servi, quasi jumenta corpora : liberi vero vocabantur ψυχαί, id est *animæ*, de quibus subdit :

ET ANIMARUM HOMINUM, — id est, et vitarum hominum, quos scilicet Romani emebant, et rursum in fine mundi ement, ut vel cum gladiatoribus, vel cum bestiis in circo depugnent. Ex hisce omnibus patet Romam in fine mundi iterum florentissimam, potentissimam, opulentissimam et deliciosissimam fore.

14. ET POMA DESIDERII ANIMÆ TUÆ DISCESSERUNT A TE. — Alcazar per *poma* accipit *occasionem* : Græcum enim ὀπώρα significat proprie occasionem et opportunitatem, indeque tempus fructuum, puta autumnum, ac tandem ipsos fructus et poma. Sensum ergo dat, q. d. « Poma desiderii, » id est fructus, quem tuorum oculorum concupiscentia præoptabat, exaruit prorsus, et occasio e manibus elapsa est. « Et omnia pinguia et præclara perierunt a te, » id est, jam tua illa optima lucra et compendia fecere naufragium : nec reliquum erit quidquam deinceps, unde expetitum illum succum, quo impinguari et locupletari te posse putabas, posthac valeas exsugere. Verum, esto Græcum ὀπώρα verti possit *occasio*, Latinum tamen *poma* ita verti nequit. Quis enim unquam pomum accepit pro occasione ? Porro inter alias Romæ delicias numerat « poma desiderii, » id est desiderabilia, quia Italia et Roma pomis aureis, limonibus, malogranatis, persicis, citriis aliisque abundat, ita ut horti hisce consiti referant paradisum terrestrem. Nam et arborum folia jugiter, tam hieme, quam æstate virent, imo virore suo lucent et splendent instar laurorum ; et flores mire, instar aromatum, redolentes proferunt ; et fructus producunt, qui et oculos viridi, croceo aureoque colore, et nares odoratu suavissimo, et gustum sapore pergrato mulcent et pascunt. Ac, quod mirum est, in una eademque arbore uno eodemque tempore delectabit te et frondium viror fulgorque, et florum albo roseoque colore vernicantium color odorque, et simul fructuum horum gemmantium, illorum virescentium, istorum maturescentium, aliorum maturorum, species, variusque et multiplex decor. Taceo ficus biferas (nam et hæ, omnesque fructus molliori cortice, vocantur poma), olivas, cinaras, melones, cucumeres, cucurbitas, etc., quibus Roma et Italia præ aliis provinciis abundat : quæ ita Italis, etiam primoribus, grata sunt, ut iis plerique quam carnibus vesci malint. Ita Pompeius in triumpho ostentavit montem aureum quadratum, cum cervis et leonibus, et pomis omnis generis, circumdata vite aurea, ait Plinius, lib. XXXVII, cap. XI. Sed tandem glebam terræ in alieno littore interfectus desideravit, qui poma et montes, imo mundos aureos ostentavit in triumphis. Rursum Narses eunuchus, qui Totilam debellavit, ab æmulis accusatus, a Sophia, Justini Imperatoris uxore, a sceptris ad lanæ pensa in gynæceum revocatus, dixit se Justino et Sophiæ eam telam orsurum, quam minime possent detexere. Ergo Longobardos a sterili Pannonia in fertiles Italiæ campos invitans, misit ex eodem solo lectissima poma, quorum specie capti Longobardi in Italiam magnis copiis penetrarunt. Ita Paulus Diaconus, lib. I *De Gestis Longobardorum*, V. Licet hanc historiam enervare, et Narsetem ab omni proditionis crimine purgare contendat Baronius anno Christi 567.

Vox *desiderii* innuit ingentem cruciatum : quæ enim valde desiderantur, si pereant, valde cruciant ; quia quæ possidentur cum amore, perduntur cum dolore. Hinc ex adverso « non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas ; et ideo id solum recte diligitur, quod nunquam bene amittitur, » ait S. Augustinus in *Sententiis*, num. 264. Quocirca sapienter monet S. Bernardus, *epistola* 103 : « Beatus, inquit, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant (1). »

17. QUONIAM UNA HORA DESTITUTÆ SUNT TANTÆ DIVITIÆ. — Græce ἠρημώθη ὁ πλοῦτος, id est destructæ et in nihilum redactæ sunt tantæ opes. Ita Aretas et Primasius. *Secundo*, Vatablus vertit, *desolatæ sunt tantæ opes* ; et ita vertit Noster vers. 19. *Tertio*, Noster hic vertit, *destitutæ sunt tantæ divitiæ* : « destitutæ, » id est possessoribus orbatæ, inquiunt Ribera et Alcazar ; occiso enim vel abducto possessore, destituitur et derelinquitur ejus possessio, domus, agri et opes.

ET OMNIS QUI IN LACUM NAVIGAT. — Quales multi in Italia, et juxta Romam sunt, unde pisces advehuntur. Græcum enim πλοῖον magis parva navigia significat, qualia sunt in lacubus ; et quia paulo post de marinis sequitur : « Et qui in mari operantur. » Recte ergo Noster hæc de lacubus accipit, licet id in Græco diserte non exprimatur.

20. EXULTA SUPER EAM, COELUM, ET SANCTI APOSTOLI, ET PROPHETÆ : QUONIAM JUDICAVIT DEUS JUDICIUM VESTRUM DE ILLA. — Syrus vertit, *jucundamini super eam, cœli, et angeli, et Apostoli et Prophetæ, quia judicat Deus judicium vestrum de illa*, id est quia justam pro vobis, vestraque lite et causa (hanc enim metonymice significat « judicium ; » quia lis et causa in judicio agitur et tractatur) tulit sententiam contra illam, q. d. Deus justo judicio vobis causam adjudicavit, definivitque vestram causam esse justam, Babylonis vero, id est Romanorum infidelium, injustam, scilicet vos insontes et innoxios ab injustis Romanis tyrannis esse occisos. Romæ enim occisi sunt S. Petrus et Paulus, S. Joannes in dolium ferventis olei projectus est, ac deinceps multa Martyrum millia tum Romæ, tum per totum orbem edicto Roma-

(1) *Byssus* est tenuissimum ac præstantissimum lini genus.

(1) Vers. 16. « Civitas... quæ amicta erat, » etc. Pro urbe menti Joannis obversabatur *meretrix*. Est syllepsis.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

norum Imperatorum occisa sunt. Quia ergo Roma olim persecuta est Apostolos, Prophetas (non priscos et Judaicos, sed legis novæ, quales fuerunt Apostoli eorumque posteri) et fideles, rursusque eos cum Pontifice in fine mundi persequetur, hinc Deus exscindet illam : puniet enim prisca Romanorum peccata, impleta eorum mensura in fine mundi; unde gravius punientur Romani tunc futuri, quam puniti fuissent, si similia priscorum Romanorum peccata non præcessissent. Erunt enim ipsi priscorum posteri (utpote incolæ et cives ejusdem urbis Romæ, quidam etiam a priscis illis prognati, eorumque nepotes) et assecke; quia eorum scelera probabunt, laudabunt, reque ipsa sequentur et imitabuntur. Volent enim æmulari gesta et gloriam Cæsaris, Pompeii, Trajani, Decii, Diocletiani, atque veteris Romæ fumos, et nomina vana Catonum, uti etiamnum aliquos priscis hisce Romanorum fumis pasci et gloriari videmus. Quocirca Deus in iis majorum peccata puniet, quia illis, propter approbationem et imitationem, majorum peccata imputabuntur : gravius ergo punientur quam si soli peccassent, quia et gravius peccabunt, eo quod illis placebunt scelera majorum, eaque æmulari volent, ut Romæ pristinum sub gentilismo splendorem, pompam et imperium restituant : itaque audacius et impudentius peccabunt, dum facere non timebunt ea, quæ Deo in majoribus suis displicuisse animadvertent. Et quia cum novis, vetera etiam Babylonis peccata luenda erant, Joannes quasi de re jam diu gesta dixit cap. XVI, vers. 19 : « Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. » In memoriam venit, quia jam vetera ejus scelera oblivioni data erant, propter Christi fidem, quam amplexa erat; sed postea novis similibusque accedentibus, priora revocantur in Dei memoriam. Hoc est quod ait hic vers. 5 : « Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus. » Quare sicut Jerusalem implevit mensuram peccatorum patrum suorum, atque tam pro priscis patrum, quam pro novis suis peccatis punita est, cum eam excidit Titus, uti prædixit Christus *Lucæ* XIX, 42 : ita fiet et Romæ. Sic Judæi, qui non descendunt ex Cain, quia tamen ejus parricidium imitati sunt, occidendo Christum et Apostolos, audierunt a Christo : « Et vos, implete mensuram patrum vestrorum, etc., ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ. » Vide quæ in simili de Amorrhæis dixi *Genes.* XV, 16, et de Judæis *Deuter.* V, 9.

21. ET SUSTULIT UNUS ANGELUS FORTIS LAPIDEM QUASI MOLAREM (græce λίθον ὡς μύλον, id est *lapidem quasi molam*, id est *molarem*) MAGNUM, ET MISIT IN MARE, DICENS : HOC IMPETU MITTETUR BABYLON CIVITAS ILLA MAGNA, ET ULTRA JAM NON INVENIETUR. — *Primo*, Alcazar : Significatur, inquit, quod Roma nunquam sit reversura ad idololatriam et ethnicismum; hic enim vocatur Babylon. Sic ait Michæas cap. VII, vers. 19 : « Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. »

*Secundo*, Aureolus : Hic, inquit, angelus est Godefridus Bullonius, qui dux fuit Cruciatæ, id est exercitus recuperantis Terram sanctam. Hic copias Saracenorum quasi lapidem molarem in mare compulit, ut in eo mergerentur. Hic cepit Babylonem, id est Jerosalem, in qua regnabant Saraceni. Unde factus est primus e Christianis rex Hierosolymorum.

Verum dico hunc angelum fuisse verum et proprium, qui per visionem videbatur S. Joanni projicere lapidem molarem magna vi et impetu in mare, ac dicere : « Hoc impetu mittetur Babylon, » id est cives Babylonis, puta Romani, mittentur magno impetu, sonitu et fragore, qualis esse solet lapidis molaris cadentis in mare. At quo mittentur? in abyssum, id est in infernum. Unde Arabicus vertit, *sic casu cadet Babylon, et projicietur in lacum magnum, profundum; et civitas magna non invenietur postea* (ultra). Nota : Passim hoc cap. S. Joannes alludit, imo allegorice citat ea quæ de clade veteris Babylonis scripserunt Isaias cap. XIII, et Jeremias cap. LI, vers. 6, 7, 8, 37, 43, 48, 51, 58, 63, 64. Hic ergo alludit ad vers. 63, ubi sic ait : « Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, et projicies illum in medium Euphratem, et dices : Sic submergetur Babylon, et non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, et dissolvetur. » Simile est quod de Phocensibus scribit Herodotus, lib. I, eos se diris devovisse, si quando de patria repetenda cogitarent, nimirum saxum in mare demersisse, seque execratos esse si in patriam redirent, antequam saxum illud ad summas aquas enataret. Sic et Romani jurabant Jovem lapidem; tenentes enim projicientesque lapidem, dicebant : « Si sciens fallo, tunc me Diespiter, salva urbe arceque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem. »

22. VOX MOLÆ NON AUDIETUR IN TE AMPLIUS, — quia nemo erit qui molat, *q. d.* Romæ erit summa solitudo et vastitas; unde sequitur : « Lux lucernæ non lucebit in te; vox sponsi et sponsæ non audietur in te. » Hisce enim phrasibus et exemplis, Prophetæ solent significare extremam desolationem et vastitatem.

23. QUIA MERCATORES TUI ERANT PRINCIPES TERRÆ, — *q. d.* Principes et reges exteri terræ, pretiosa quæque Romam mittebant lucri gratia, ut scilicet ea ibidem divenderent. Ita Ribera.

*Secundo*, *q. d.* Principes tui, et consequenter principes orbis, vacabant mercaturæ, serviebant quæstui et lucro, uti Vespasianus qualibet ex re, etiam sordida, captabat lucrum, dictitans, « Qualibet ex re bonum esse odorem lucri, » teste Suetonio in ejus Vita, cap. IV. Similes fuerunt Domitianus, Nero, Caligula, Pertinax et alii. Ita Pineda, lib. IV *De Rebus Salomonis*, cap. XXIII. Notat ergo



inexplebilem Gentilium Imperatorum et procerum Romanorum avaritiam, opes et fastum, quæ fuit *prima* causa excidii Romæ. *Secundam* subdit, dicens : « Quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. » *Tertiam* deinde subjungit, dum ait : « Et in ea sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est. »

QUIA IN VENEFICIIS TUIS ERRAVERUNT OMNES GENTES. — Veneficia vocat peccati illecebras, opes, præmia et honores, quibus Roma Pagana omnes dementabat, et ad idololatriam aliaque scelera pelliciebat. Alludit ad Sirenes, quæ suo cantu; et ad sagas, quæ suis præstigiis et incantationibus fascinant, dementant, et in interitum agunt homines.

24. ET IN EA SANGUIS PROPHETARUM ET SANCTORUM INVENTUS EST, ET OMNIUM QUI INTERFECTI SUNT IN TERRA. — Ex voce « omnium, » Beda, Aretas et alii contendunt, per Babylonem intelligi debere non Romam, sed totum mundum, et cœtum impiorum; quia, inquiunt, non omnes Sancti cæsi sunt Romæ, sed multi alibi, idque sparsim per totum orbem. Verum respondeo Romanos hic dici occidisse omnes, id est fere omnes, plerosque omnes martyres; quia Romani toto orbe dominabantur, et per suos præsides suaque edicta has cædes toto orbe exercebant. Idem facient in fine mundi. Quod enim quis facit per alium, hoc per seipsum facere videtur, ut habet Regula Juris. Rursum, princeps qui non impedit malum et injuriam, cum potest, eamdem inferre censetur. Romani ergo rerum domini, non impedientes lanienam Christianorum, quæ toto orbe eis subjecto fiebat, imo eam foventes et præcipientes, eamdem effecisse censendi sunt (1).

(1) Imagines vers. 23-4, ex prophetis desumptæ, nimis presse aut ad litteram intelligi non debent.

Moraliter, vide hic quam brevis et infelix sit finis regni Babylonis, id est infidelitatis, impietatis et mundi. Ubi nunc Julius Cæsar? ubi Sylla? ubi Pompeius? ubi Augustus? ubi Nero? ubi Trajanus? ubi Decius? ubi Diocletianus? Periit memoria eorum cum sonitu, et descenderunt in infernum viventes. Ubi Ninive? ubi Babylon? ubi Ecbatana? ubi Susa? ubi Memphis? ubi Sparta? ubi Jerosalem? ubi Gentilis Roma orbis domina? Corruit, et Romæ Roma sepulta jacet, nimirum Roma Christiana sepelivit et calcat Romam Ethnicam. Ita eamdem calcabit in fine mundi.

Vide quam pompa omnis in fumum abeat, quam gloria in ignominiam, opes in nihilum plausus in planctum desinat : quam luxus in luctum, imo luctum, deliciæ in sordes, voluptates in tormenta vertantur : nimirum extrema gaudii luctus occupat. Sic transit gloria mundi. Babylon ex cœlo in cœnum, ex cœno in orcum ruit. Ubi nunc ejus calix aureus? ubi vinum prostitutionis quo inebriavit gentes? ubi fasces? ubi sceptra? ubi cornua? ubi diademata decem? evanuerunt, transierunt ut umbra, facta sunt esca vermium, pabulum dæmonum, folles et fomenta gehennæ. O quam inane, quam breve, quam fallax, quam spurcum, quam exitiale est omne mundi gaudium! Qui hæc legis, qui intelligis, qui sapis, cave illecebrosum voluptuarium Babylonis calicem, fuge ejus mella quæ in fella vertuntur, ride et despice honorum et dignitatum titulos quos offert, quia nil nisi puerorum crepundia et bullæ sunt, imo bullis et fumo vaniores et inaniores. Vive ergo, non Babyloni, sed Ecclesiæ; vive, non voluptati, sed virtuti; vive, non mundo, sed Deo; vive, non tempori, sed æternitati.

# CAPUT DECIMUM NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Post purpuratæ meretricis, puta Babylonis, excidium et damnationem, describitur hic cœlitum ingeminantium Alleluia, gaudium et gratulatio, tum de ejus damnatione, tum quod dies nuptiarum Agni, et retributio Sanctorum advenerit. Deinde, vers. 10, Joannes angelum hæc nuntiantem adorare vult, sed ab eo prohibetur. Tertio, vers. 11, Christus habens in femore scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium, gaudium ore vibrans, regali gloria et pompa cum exercitu cœlitum albatorum venit, ut Sanctos in fine mundi contra Antichristum pugnantes tueatur, atque Antichristum cum suis perdat et occidat : quocirca, vers. 17, angelus invitat aves ad cœnam magnam, ut cæsorum carnes devorent. Hinc quarto, vers. 19, Antichristus et ejus præcursor, sive pseudopropheta, vivi a terra absorbentur; reliqui ejus asseclæ, puta decem regum exercitus, cum Gog et Magog occiduntur.*

1. Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia : salus, et gloria, et virtus Deo nostro est : 2. quia vera et justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua et vindicavit sanguinem

norum Imperatorum occisa sunt. Quia ergo Roma olim persecuta est Apostolos, Prophetas (non priscos et Judaicos, sed legis novæ, quales fuerunt Apostoli eorumque posteri) et fideles, rursusque eos cum Pontifice in fine mundi persequetur, hinc Deus exscindet illam: puniet enim prisca Romanorum peccata, impleta eorum mensura in fine mundi; unde gravius punientur Romani tunc futuri, quam puniti fuissent, si similia priscorum Romanorum peccata non præcessissent. Erunt enim ipsi priscorum posteri (utpote incolæ et cives ejusdem urbis Romæ, quidam etiam a priscis illis prognati, eorumque nepotes) et asseclæ; quia eorum scelera probabunt, laudabunt, reque ipsa sequentur et imitabuntur. Volent enim æmulari gesta et gloriam Cæsaris, Pompeii, Trajani, Decii, Diocletiani, atque veteris Romæ fumos, et nomina vana Catonum, uti etiamnum aliquos priscis hisce Romanorum fumis pasci et gloriari videmus. Quocirca Deus in iis majorum peccata puniet, quia illis, propter approbationem et imitationem, majorum peccata imputabuntur: gravius ergo punientur quam si soli peccassent, quia et gravius peccabunt, eo quod illis placebunt scelera majorum, eaque æmulari volent, ut Romæ pristinum sub gentilismo splendorem, pompam et imperium restituant: itaque audacius et impudentius peccabunt, dum facere non timebunt ea, quæ Deo in majoribus suis displicuisse animadvertent. Et quia cum novis, vetera etiam Babylonis peccata luenda erant, Joannes quasi de re jam diu gesta dixit cap. XVI, vers. 19: « Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. » In memoriam venit, quia jam vetera ejus scelera oblivioni data erant, propter Christi fidem, quam amplexa erat; sed postea novis similibusque accedentibus, priora revocantur in Dei memoriam. Hoc est quod ait hic vers. 5: « Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus. » Quare sicut Jerusalem implevit mensuram peccatorum patrum suorum, atque tam pro priscis patrum, quam pro novis suis peccatis punita est, cum eam excidit Titus, uti prædixit Christus *Lucæ* XIX, 42; ita fiet et Romæ. Sic Judæi, qui non descendunt ex Cain, quia tamen ejus parricidium imitati sunt, occidendo Christum et Apostolos, audierunt a Christo: « Et vos, implete mensuram patrum vestrorum, etc., ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ. » Vide quæ in simili de Amorrhæis dixi *Genes.* XV, 16, et de Judæis *Deuter.* V, 9.

21. ET SUSTULIT UNUS ANGELUS FORTIS LAPIDEM QUASI MOLAREM (græce λίθον ὡς μύλον, id est *lapidem quasi molam*, id est *molarem*) MAGNUM, ET MISIT IN MARE, DICENS: HOC IMPETU MITTETUR BABYLON CIVITAS ILLA MAGNA, ET ULTRA JAM NON INVENIETUR. — *Primo*, Alcazar: Significatur, inquit, quod Roma nunquam sit reversura ad idololatriam et ethnicismum; hic enim vocatur Babylon. Sic ait Michæas cap. VII, vers. 19: « Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. »

*Secundo*, Aureolus: Hic, inquit, angelus est Godefridus Bullonius, qui dux fuit Cruciatæ, id est exercitus recuperantis Terram sanctam. Hic copias Saracenorum quasi lapidem molarem in mare compulit, ut in eo mergerentur. Hic cepit Babylonem, id est Jerusalem, in qua regnabant Saraceni. Unde factus est primus e Christianis rex Hierosolymorum.

Verum dico hunc angelum fuisse verum et proprium, qui per visionem videbatur S. Joanni projicere lapidem molarem magna vi et impetu in mare, ac dicere: « Hoc impetu mittetur Babylon, » id est cives Babylonis, puta Romani, mittentur magno impetu, sonitu et fragore, qualis esse solet lapidis molaris cadentis in mare. At quo mittentur? in abyssum, id est in infernum. Unde Arabicus vertit, *sic casu cadet Babylon, et projicietur in lacum magnum, profundum; et civitas magna non invenietur postea* (ultra). Nota: Passim hoc cap. S. Joannes alludit, imo allegorice citat ea quæ de clade veteris Babylonis scripserunt Isaias cap. XIII, et Jeremias cap. LI, vers. 6, 7, 8, 37, 43, 48, 51, 58, 63, 64. Hic ergo alludit ad vers. 63, ubi sic ait: « Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, et projicies illum in medium Euphratem, et dices: Sic submergetur Babylon, et non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, et dissolvetur. » Simile est quod de Phocensibus scribit Herodotus, lib. I, eos se diris devovisse, si quando de patria repetenda cogitarent, nimirum saxum in mare demersisse, seque execratos esse si in patriam redirent, antequam saxum illud ad summas aquas enataret. Sic et Romani jurabant Jovem lapidem; tenentes enim projicientesque lapidem, dicebant: « Si sciens fallo, tunc me Diespiter, salva urbe arceque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem. »

22. VOX MOLÆ NON AUDIETUR IN TE AMPLIUS, — quia nemo erit qui molat, *q. d.* Romæ erit summa solitudo et vastitas; unde sequitur: « Lux lucernæ non lucebit in te; vox sponsi et sponsæ non audietur in te. » Hisce enim phrasibus et exemplis, Prophetæ solent significare extremam desolationem et vastitatem.

23. QUIA MERCATORES TUI ERANT PRINCIPES TERRÆ, — *q. d.* Principes et reges exteri terræ, pretiosa quæque Romam mittebant lucri gratia, ut scilicet ea ibidem divenderent. Ita Ribera.

*Secundo*, *q. d.* Principes tui, et consequenter principes orbis, vacabant mercaturæ, serviebant quæstui et lucro, uti Vespasianus qualibet ex re, etiam sordida, captabat lucrum, dictitans, « Qualibet ex re bonum esse odorem lucri, » teste Suetonio in ejus Vita, cap. IV. Similes fuerunt Domitianus, Nero, Caligula, Pertinax et alii. Ita Pineda, lib. IV *De Rebus Salomonis*, cap. XXIII. Notat ergo inexplebilem Gentilium Imperatorum et procerum Romanorum avaritiam, opes et fastum, quæ fuit prima causa excidii Romæ. *Secundam* subdit, dicens: « Quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. » *Tertiam* deinde subjungit, dum ait: « Et in ea sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est. »

QUIA IN VENEFICIIS TUIS ERRAVERUNT OMNES GENTES. — Veneficia vocat peccati illecebras, opes, præmia et honores, quibus Roma Pagana omnes dementabat, et ad idololatriam aliaque scelera pelliciebat. Alludit ad Sirenes, quæ suo cantu; et ad sagas, quæ suis præstigiis et incantationibus fascinant, dementant, et in interitum agunt homines.

24. ET IN EA SANGUIS PROPHETARUM ET SANCTORUM INVENTUS EST, ET OMNIUM QUI INTERFECTI SUNT IN TERRA. — Ex voce « omnium, » Beda, Aretas et alii contendunt, per Babylonem intelligi debere non Romam, sed totum mundum, et cœtum impiorum; quia, inquiunt, non omnes Sancti cæsi sunt Romæ, sed multi alibi, idque sparsim per totum orbem. Verum respondeo Romanos hic dici occidisse omnes, id est fere omnes, plerosque omnes martyres; quia Romani toto orbe dominabantur, et per suos præsides suaque edicta has cædes toto orbe exercebant. Idem facient in fine mundi. Quod enim quis facit per alium, hoc per seipsum facere videtur, ut habet Regula Juris. Rursum, princeps qui non impedit malum et injuriam, cum potest, eamdem inferre censetur. Romani ergo rerum domini, non impedientes lanienam Christianorum, quæ toto orbe eis subjecto fiebat, imo eam foventes et præcipientes, eamdem effecisse censendi sunt (1).

(1) Imagines vers. 22-4, ex prophetis desumptæ, nimis premi aut ad litteram intelligi non debent.

Moraliter, vide hic quam brevis et infelix sit finis regni Babylonis, id est infidelitatis, impietatis et mundi. Ubi nunc Julius Cæsar? ubi Sylla? ubi Pompeius? ubi Augustus? ubi Nero? ubi Trajanus? ubi Decius? ubi Diocletianus? Periit memoria eorum cum sonitu, et descenderunt in infernum viventes. Ubi Ninive? ubi Babylon? ubi Ecbatana? ubi Susa? ubi Memphis? ubi Sparta? ubi Jerosalem? ubi Gentilis Roma orbis domina? Corruit, et Romæ Roma sepulta jacet, nimirum Roma Christiana sepelivit et calcat Romam Ethnicam. Ita eamdem calcabit in fine mundi.

Vide quam pompa omnis in fumum abeat, quam gloria in ignominiam, opes in nihilum plausus in planctum desinat: quam luxus in lutum, imo luctum, deliciæ in sordes, voluptates in tormenta vertantur: nimirum extrema gaudii luctus occupat. Sic transit gloria mundi. Babylon ex cœlo in cœnum, ex cœno in orcum ruit. Ubi nunc ejus calix aureus? ubi vinum prostitutionis quo inebriavit gentes? ubi fasces? ubi sceptra? ubi cornua? ubi diademata decem? evanuerunt, transierunt ut umbra, facta sunt esca vermium, pabulum dæmonum, folles et fomenta gehennæ. O quam inane, quam breve, quam fallax, quam sparcum, quam exitiale est omne mundi gaudium! Qui hæc legis, qui intelligis, qui sapis, cave illecebrosum voluptuarium Babylonis calicem, fuge ejus mella quæ in fella vertuntur, ride et despice honorum et dignitatum titulos quos offert, quia nil nisi puerorum crepundia et bullæ sunt, imo bullis et fumo vaniores et inaniores. Vive ergo, non Babyloni, sed Ecclesiæ; vive, non voluptati, sed virtuti; vive, non mundo, sed Deo; vive, non tempori, sed æternitati.



# CAPUT DECIMUM NONUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Post purpuratæ meretricis, puta Babylonis, excidium et damnationem, describitur hic cœlitum ingeminantium Alleluia, gaudium et gratulatio, tum de ejus damnatione, tum quod dies nuptiarum Agni, et retributio Sanctorum advenerit. Deinde, vers. 10, Joannes angelum hæc nuntiantem adorare vult, sed ab eo prohibetur. Tertio, vers. 11, Christus habens in femore scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium, gladium ore vibrans, regali gloria et pompa cum exercitu cœlitum albatorum venit, ut Sanctos in fine mundi contra Antichristum pugnantes tueatur, atque Antichristum cum suis perdat et occidat: quocirca, vers. 17, angelus invitat aves ad cœnam magnam, ut eorum carnes devorent. Hinc quarto, vers. 19, Antichristus et ejus præcursor, sive pseudopropheta, vivi a terra absorbentur; reliqui ejus asseclæ, puta decem regum exercitus, cum Gog et Magog occiduntur.*

1. Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia: salus, et gloria, et virtus Deo nostro est: 2. quia vera et justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua et vindicavit sanguinem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

servorum suorum de manibus ejus. 3. Et iterum dixerunt : Alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. 4. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes : Amen : Alleluia. 5. Et vox de throno exivit, dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis eum, pusilli et magni. 6. Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium : Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. 7. Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. 8. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum. 9. Et dixit mihi : Scribe : Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt; et dicit mihi : Hæc verba Dei vera sunt. 10. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi : Vide ne feceris; conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ. 11. Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax, et cum justitia judicat et pugnat. 12. Oculi tamen ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. 13. Et vestitus erat veste aspersa sanguine : et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. 14. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. 15. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea : et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. 16. Et habent in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium. 17. Et vidi unum angelum stantem in sole, et clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cœli : Venite, et congregamini ad cœnam magnam Dei : 18. ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum, et servorum, pusillorum et magnorum. 19. Et vidi bestiam et reges terræ, et exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus. 20 Et apprehensa est bestia, et cum ea pseudopropheta : qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. 21. Et cæteri occisi sunt in gladio sedendis super equum, qui procedit de ore ipsius; et omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.

1. POST HÆC AUDIVI QUASI VOCEM TURBARUM MULTARUM. — Male Ambrosius et Beda legunt, *tubarum multarum* : græce enim est ὄχλου πολλοῦ. Significatur hac voce cœlitum multitudo, communisque omnium gratulatio et exultatio.

ALLELUIA. — Hebraice הללו יה *hallelu ia*, id est *laudate Deum* (*ia* enim est abbreviatum *Jehova*) læta et alta voce jubilando. Alleluia enim continet aclamationem cum exhortatione, aiunt Ribera, Viegas et Alcazar.

SALUS. — Ita Romana et Græca, non *laus*, uti legendum vult Ribera. Sensus est, *q. d.* Salus nostra, qua a persecutione Babylonis, id est Romæ Paganæ, ea excisa liberati sumus indeque consequens « gloria, » tum Dei, tum nostra; ac « virtus, » græce δύναμις, id est robur et potentia, qua hanc victoriam et salutem nobis peperit : non nobis, nostrisque viribus, sed Deo nostro accepta ferenda et tribuenda est. Alcazar addit, καὶ ἡ τιμή, id est *et honor*, ut hæc quatuor elogia respondeant quadruplici *Alleluia*, de quo mox. Sed illud nec habent Romana, nec Complut. Symbolice, salus et victoria attribuitur Patri, gloria redemptionis Filio, virtus sanctificandi et beatificandi Spiritui Sancto.

2. QUÆ CORRUPIT TERRAM IN PROSTITUTIONE SUA, — in sua idololatria aliisque sceleribus. Vide dicta cap. XVII, vers. 2.

3. ET ITERUM DIXERUNT : ALLELUIA. — Nota : Cœlites ex ingenti devotionis et exultationis affectu quatuor ingeminant Alleluia, scilicet, *primum*, vers. 1; *secundum*, vers. 3; *tertium*, vers. 4; *quartum*, vers. 6.

ET FUMUS EJUS (scilicet Babylonis incensæ cap. XVIII) ASCENDIT IN SÆCULA SÆCULORUM, — quasi dicat : Laudant Deum canendo Alleluia, et, id est *quia*, Babylonis, id est, impiorum et persecutorum Romanorum, damnatio et supplicia in æternum durabunt. Hinc Isidorus, lib. VI *Etymol.*, cap. XIX, docet Ecclesiam in lætioribus festis usurpare et ingeminare Alleluia, idque accepisse ex hoc loco Apocalypseos, æque ac ex psalmis, et ex *Tobiæ* XIII, 22, ubi dicitur : « Per vicos ejus (Jerusalem) Alleluia cantabitur. »

Mystice Alcazar : Perfecta, inquit, Dei laus complectitur quatuor partes, quæ quadruplici Alleluia respondent : prima est ipsa Dei et sanctæ Trinitatis, ejusque victoriæ et salutationis fides et cognitio; *secunda* est vitæ integritas : magis enim pia vita quam vox laudat Deum. Est enim hæc vitæ et morum laus diuturna, imo æterna. Hinc dicitur *Psalm.* CX, 10 : « Initium sapientiæ timor Domini : intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio ejus manet in sæculum sæculi. » Ubi « laudatio ejus » vocatur ea laus, quam Dei timor illi attribuit, id est laus quam pietas illi defert. *Tertia* est laus publica totius Ecclesiæ in sacrificio Missæ, in concionibus, in divinis Officiis decantandis. Unde hoc Alleluia canitur a viginti quatuor senioribus, id est a Sacerdotibus. *Quarta* est eorum qui student perfectioni, ut ad majorem Dei gloriam semper intenti, religiose in suo quique statu Deo serviant, et zelo animarum ferveant, atque precibus, piis colloquiis et admirabili vitæ exemplo commune bonum, id est majorem Dei gloriam in animarum conversione et perfectione promoveant. Hac enim ratione Apostoli et primi Christiani converterunt barbaros, hominesque plane impios. Quod si idem jam facerent sacerdotes et fideles, in eoque conspirarent, facile et hæreticos, et Paganos, et Turcas converterent. Hinc vox de cœlo, id est, Spiritus Sancti instinctus et afflatus efficax, excitat homines ad hoc Alleluia, ideoque Christus in cœlum ascendit, ut hunc Spiritum e cœlo in nos dimitteret. Hæc vox est instar aquarum multarum, et instar tonitrui, quia sonora, penetrans et efficax ad permovendum et commovendum animas. Porro hæc quatuor Alleluia respondent, et fusius explicantur viginti Alleluia, quæ viginti psalmis quasi tituli præfiguntur, nimirum psalmo CIV, CV, CVI, CX, CXI, CXII, CXIII, CXIV, CXV, CXVI, CXVII, CVIII, CXXXIV, CXLV, CXLV, CXLVI, CXLVII, CXLVIII, CXLIX, CL, quos Alcazar, *notat.* 2, hisce quatuor Alleluia commensurat et adaptat. Rursum Richardus notat hic quater repeti Alleluia, ut significetur Deus trinus æque ac unus; nam tres et unum faciunt quatuor.

4. AMEN, ALLELUIA. — Seniores 24 dicunt « Amen, » quasi approbantes doxologiam, et Alleluia cœlitum quod præcessit : unde post « Amen, » suum et ipsi proprium addunt Alleluia, quasi dicant : Omnino ita fiat, omnes laudent Deum, omnes dicant Alleluia.

5. ET VOX DE THRONO (a Deo per aliquem Seraphinum, aut Cherubim) EXIVIT, DICENS : LAUDEM DICITE DEO, — id est, dicite Alleluia. Hæc vox hortatur cœlites, ut Alleluia quod cœperunt dicere, iterent et ingeminent, ob magnitudinem victoriæ de Babylone eversa, ac salutis et exultationis inde consecutæ. Aut certe vox hæc de cœlo exit, et tendit ad terrigenas, ut fideles hic in Ecclesia dicant Alleluia, sicut cœlites dixerunt vers. 1, 3 et 4. Unde huc alludens S. Hieronymus : « In Ecclesia, ait, ad similitudinem cœlestis tonitrui reboat Amen, » æque ac Alleluia. Ita ipse in præfat. in epist. *ad Galat.*, lib. II.

Ita in Africa, in loco qui Regia vocabatur, cum in paschali solemnitate lector in pulpito Alleluia cantaret, jactu sagittæ guttur transfixus ab Arianis, canendo mortuus est, martyrque in cœlum evolavit, perenne ibi Alleluia modulaturus, uti refert Victor Uticensis, lib. I *Wandal.*

Testatur S. Hieronymus in Vita S. Paulæ, in ejus monasterio voce « Alleluia » altius decantata, moniales ad S. Synaxim convocari solitas. S. Augustinus in *Psalm.* CVI, scribit, antiqua traditione ab Ecclesia Catholica toto orbe diffusa Alleluia cantari solitum, scilicet tempore paschali. Quare quod ait S. Gregorius, lib. VII, *epist.* 38 : « Ut Alleluia hic (Romæ) diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione, tempore B. memoriæ Damasi traditur tractum : » intellige cum Baronio, ut diceretur extra tempus paschale. Nam ipse S. Hieronymus adeo crebrum Alleluia usum et cantum fuisse docet, ut etiam in funere defunctorum caneretur. Sic enim ait in *Epitaph.* Fabiolæ : Sonabant psalmi, et aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat Alleluia. Idem Christianos ita crebro Alleluia in ore habuisse docet, ut ipsi etiam infantes dum fari inciperent, primum Alleluia sonare et balbutire docerentur. Sic enim de Paula *ad Lætam* matrem scribens, epist. 7 et 27, tradit eam infantulam ore balbutiente occinere consuevisse Alleluia. Idem fecerunt aliæ piæ matres, quæ primam vocem infantes sonare docebant Alleluia. Denique S. Hieronymus, epist. 17 *ad Marcellam*, docet Hierosolymis in omnium fidelium ore ita crebrum fuisse Alleluia, ut etiam agricolæ laboris molestias e cantico levarent : « Quocumque, ait, te verteris, arator stivam tenens Alleluia decantat. » Mirum est quod refert Constantius Episcopus, et ex eo Baronius, scilicet anno Domini 429, Britannos pressos ab hostibus, monita S. Germani inclamantes Alleluia, insignem de eis obtinuisse victoriam. Cum enim una omnes voce conclamarent Alleluia : « Hostile, ait, agmen terrore prosternitur, et ruisse super se non solum rupes circumdatas, verum etiam ipsam cœli machinam contremiscunt, » etc. Vide quæ de Alleluia notavi *ad Ephes.* V, 20.

6. QUONIAM REGNAVIT DOMINUS DEUS NOSTER. — Excisa Babylone hostili, jam regnum pacatum, lætum et firmum init Deus noster. Alludit ad *Psal.* XCII, XCVI et XCVIII, qui singuli ita incipiunt : « Dominus regnavit. »

7. GAUDEAMUS, ET EXULTEMUS, ET DEMUS GLORIAM EI : QUIA VENERUNT NUPTIÆ AGNI. — Alludit ad pa-

tabulam nuptiarum Christi, *Matth.* XXII, 2. Ita S. Hieronymus et Jansenius ibidem. Et ad *Psalm.* XLIV : «Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi, » qui est epithalamium sponsi et sponsæ, id est, Christi et Ecclesiæ. Sicut enim Assuerus, repudiata Vasthi, ducens Esther in uxorem, jussit « convivium præparari permagnificum cunctis principibus et servis suis, pro conjunctione et nuptiis Esther, *Esther* II, 18 : ita et Deus Pater nuptias, id est nuptiale epulum, idque perenne, præparavit Christo et Ecclesiæ, id est fidelibus in cœlo. Ad litteram ergo hoc loco omnes cœlitus lætabundi jubilant et acclamant, quod jam venerit dies judicii, perfectæque nuptiæ Christi cum Ecclesia in cœlesti beatitudine celebrandæ. Unde subdit :

Et uxor ejus præparavit se, *q. d.* Ecclesia omni virtute, omnique Electorum, puta Apostolorum, Martyrum, Virginum, Confessorum varietate et numero adornavit se, ut veluti sponsa deducatur in thalamum sponsi Christi in cœlis, fiatque ei uxor, eoque fruatur in perpetuum. Nota : In hac vita Ecclesia est sponsa Christi, cujus sponsalia celebrantur in baptismo per gratiam ; in futura vero eadem erit uxor per gloriam, cujus nuptiæ celebrabuntur in cœlo per omnem æternitatem. De sponsalibus Christi et Ecclesiæ dicitur *Cantic.* cap. III, vers. 11 : « Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius.» De nuptiis hic dicitur : « Quia venerunt nuptiæ Agni. » Ita S. Gregorius et alii quos citabo vers. 9.

Quare mysticum est et accommodatitium quod censet Alcazar, scilicet uxorem esse Romanam Ecclesiam ; nuptias ejus fuisse, cum Roma a S. Petro et aliis conversa est ad Christum, ideoque universam Ecclesiam dicere Alleluia (1).

8. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, — græce καθαρῷ, id est *mundo* : quæ enim valde munda sunt et nitida, hæc præ nitore fulgent et splendent.

Byssinum enim justificationes (id est, opera justa et sancta) sunt Sanctorum. — Byssus repræsentat purissimam et innocentissimam conversationem Sanctorum, quæ in tribulatione et persecutione magis enitescit et resplendet : perinde ac byssus et linum (byssus enim veterum erat linum præstantissimum, uti docui *Exodi* XXV, initio capitis) injuria, id est maceratione, tunsione, carminatione semper melius, puta purius, candidius et splendidius evadit, ut ait Plinius, lib. XVIII, cap. I. Quocirca Syrus vertit, *illud enim byssinum debita* (id est merita quibus magna merces debetur) *Sanctorum est* ; Arabicus, *quia byssus est justitia Sanctorum.*

Rursum symbolum felicitatis est byssus et tela candida. Hinc a Poetis aurea vel candida dicuntur Parcarum fila, ad significationem magnæ felicitatis. Unde Martialis, lib. VI *De filo Domitiani* :

> Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
> Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

Ex adverso infelicitatis symbolum est tela nigra ; unde nigra vitæ et fati stamina nuncupant Poetæ in re infausta : quia nigrum, ait Plutarchus, est mali dæmonis. Ita Thebis araneæ, quæ circa Cereris valvas telas olim candidas texuerant, fines invadentibus Macedonibus nigras texuerunt, inquit Pausanias in *Bœoticis.*

9. Et dixit mihi : Scribe, — ut omnes hæc lecturi animentur ad spem, fortitudinem et constantiam in persecutione et lucta cum impiis. Quæres : Quis hæc « dixit ? » Respondet Alcazar : Angelus magnæ potestatis de quo cap. XVIII, vers. 1, quem ipse esse censet S. Petrum. Unde sequitur Joannem ad B. Petri pedes deosculaturum procidisse, sicut cap. XXII, vers. 9, ad alterius angeli, qui erat unus e septem angelis habentibus phialas, puta ad S. Pauli, pedes supplex procidit, exultans præ gaudio ob felicissimum nuntium de Romæ conversione, et prosperrimo Ecclesiæ Romanæ successu. Quocirca prohibetur ab iisdem hac ratione, quod ipsi dicant se esse conservos Joannis, quasi dicant : Tu æque Propheta es in hac tua Apocalypsi, ac nos Prophetæ sumus revelantes tibi Romæ conversionem, ideoque nobis es par ; ac proinde non decet te ad pedes nostros procumbere, cum in eodem nobiscum dignitatis gradu consistas. Ita ipse pie et ingeniose hæc accommodat et applicat potius quam explicat.

Verum dico angelum hunc esse verum, illum scilicet qui Apocalypsin jussu Christi revelavit S. Joanni, uti ipse dixi cap. I, vers. 1. Ille enim angelus magnæ potestatis, de quo cap. XVIII, vers. 1, jam pridem, nimirum ibidem vers. 4, finivit suam legationem et sermonem.

Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. — Syrus : *Beati sunt illi, qui ad cœnam convivii Agni vocati sunt* ; Arabicus : *Beati, qui vocati sunt ad convivium Agni.* Alcazar hæc accipit de nuptiis, id est, conversione Romanæ Ecclesiæ, ejusque unione cum Christo : Christus enim tunc eam vocavit ad suum sapientiæ et sacræ Scripturæ convivium. Memini, inquit Alcazar, me audivisse a viro quodam eximiæ sapientiæ et sanctitatis, cœlestis felicitatis imaginem, quæ in terra reperitur, videri sibi non esse aliam, quam sacram Scripturam legere et intelligere. Et merito : eodem enim sensu usurpavit Christus nomen Beati, cum dixit Petro *Matth.* cap. XVI, vers. 17 : « Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis

(1) Rectius, Alloli in litterali etiam sensu per *nuptias* hic mundi conversionem intelligit. Nam postquam devictus esset paganismus, prædicatione evangelica undique personante, totius orbis ad Ecclesiam et suum Deum accurrit, ac sponsa ruit in sponsi amplexus. Harum autem nuptiarum celebratio nunc continuatur, imo ad finem usque mundi perdurabit ; nam quoties, ait ipse Christus, peccator unus convertetur, « gaudium erit in cœlo coram angelis Dei » *Luc.* XV, 10.



non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. » Et : «Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. » Et : « Vestri autem beati oculi, quia vident ; et aures vestræ, quia audiunt» Evangelium et verbum Dei. « Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt, » *Matth.* XIII, 15. Quod enim Apostoli viderunt et audierunt, hoc idem nos a Spiritu dictatum et scriptum legimus in sacra Scriptura.

Ad hoc convivium facit, illudque condit et illustrat concionum admirabilium frequentia, librorum cœlesti doctrina refertorum copia colloquia cum viris sapientissimis habita, egregia spiritualium hominum institutio, ac super omnia interior divini Spiritus illustratio per pias divinarum rerum commentationes, ac frequentem ad Deum orationem, adhærendo semper Romanæ Ecclesiæ institutioni et SS. Conciliorum. Rursum ad hoc convivium spectat sacrificii Missæ et sacræ communionis frequentia, quæ Romæ cœpit mox ut ipsa fidem Christi professa est, Religiosæ vitæ facilis consuetudo, propter erecta hominum Deo sacrorum monasteria, templorum multitudo, imaginum adoratio, SS. reliquiarum veneratio, ac divinorum officiorum celebritas. Hæc enim omnia ad cœnam Agni, id est ad conjunctionem cum Christo, animos fidelium disponebant.

Porro B. Petrus Romanos ad hanc cœnam vocavit : unde alludit hic Joannes ad illa Petri verba *epist.* II, cap. I, vers. 2 : «Gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione Dei, et Christi Jesu Domini nostri. » Hæc vera sunt et pia, sed mystica. Quocirca lector his apte et congrue, ut mysticis et moralibus, utatur.

Ad litteram ergo loquitur S. Joannes de nuptiis, quas Ecclesia beata celebrat cum Christo in cœlis : quicumque enim eo efficaciter vocati et perducti sunt, terque quaterque beati sunt. Beatitudo vocatur cœna, *primo,* quia ad vesperam et finem vitæ dabitur nobis hoc epulum cœleste. Dicitur et prandium, *Matth.* XXII, 4, cum Christus ait : « Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, » ut significetur continuatio et perpetuitas gaudii et felicitatis cœlestis : post prandium enim sequitur cœna. Sic in cœlo continuum et perenne erit convivium. Ita S. Gregorius, hom. 24 *in Evangelia,* Beda, Salmeron, Maldonatus, Barradius in *Matth.* XXII, 4, Viegas et Ribera hic. Dicebat Leonidas, dux strenuus Græcorum, cum trecentis fortissimis militibus irrupturus in castra innumera Xerxis : « Prandete hic, commilitones, in inferno cœnaturi. » Verum Christus dicit : « Prandete hic, commilitones, in cœlo cœnaturi. » Ita S. Dorothea cum post dira tormenta, mortis sententiam a Præside acciperet, jubilans dixit : « Benedico te, Domine, caste amator animæ meæ, quod me immeritam ad nuptias Agni immaculati vocare, et ad thalamum tuum cœlestem invitare dignatus sis. »

*Secundo,* quia alludit ad veterum ritum, qui nuptias peracto jam die et diei negotiis, celebrabant vespere et noctu, ut patet *Matth.* XXV, 1, in parabola decem virginum, quæ cum lampadibus exspectabant sponsum noctu venientem ad nuptias. Idem patet ex Plutarcho, Varrone, Tiraquello et aliis. Unde et tedas accensas sponsis in nuptiis præferebant. Quocirca teda capitur pro ipsis nuptiis, ut apud Ovidium *epist.* 4 :

> At nec nupta quidem, tedaque accepta jugali.

Et *epist.* 6 :

> Me tibi, teque mihi teda pudica dedit.

Et Catulus *De Coma Berenices* :

> Optato vos junxit lumine teda.

Et Seneca in *Œdipo* : « Concinit tedas (id est epithalamium, sive carmen nuptiale) Geminus Cupido.» Hinc «jugalis teda » apud Catonem, cap. X. Et « jungere tedas » est inire nuptias, apud Statium, lib. III *Silv.,* IV.

Hæc verba Dei vera (id est certa, firma, indubitata) sunt, — ut de hisce Dei promissis, licet magnis et mirabilibus, nemini dubitare liceat.

10. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum, — *q. d.* Ob lætissimum nuntium de excidio Babylonis et nuptiis Agni, deque vocibus cœlitum ingeminantium Alleluia, procidi in terram, ut angelo tam læta et divina nuntianti honorem duliæ, prosternendo me coram illo, deferrem. Adde forte S. Joannem suspicatum esse hic finiri alloquium angeli revelantis sibi Apocalypsin ; finis enim ejus est excidium impiorum et nuptiæ Agni. Ideo enim hactenus eum non adoravit, quia plura ab eo audire gestiebat, nec volebat ejus sermonem interrumpere. Jam vero putans se omnia audisse, quasi pro gratiarum actione de omnibus auditis, in terram procumbit, ut eum veneretur, eique gratias agat. Verum cum postmodum adhuc angelum plura revelantem videret, surrexit, ac tandem finitis omnibus in fine Apocalypseos, cap. XXII, vers. 9, rursum eumdem adorare conatur.

Vide ne feceris : conservus (Syrus, *sodalis*) tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu : Deum adora. — Arabicus vertit, *non, quia ego sum amicus* (socius) *tibi : adora Deum ; quia testimonium Jesu est spiritus veritatis.* Quæres : Qua de causa angelus hic noluit adorari a S. Joanne ? *Primo,* S. Athanasius, serm. 3 *Contra Arianos* ; S. Thomas, II II, *Quæst.* LXXXIV, art. 1, et S. Augustinus, lib. XX *Contra Faustum,* cap. XXI, censent S. Joannem putasse hunc angelum ob insolitum splendorem esse Christum, itaque eum ut Deum adorare voluisse ; quocirca eum repulisse angelum dicentem : « Conservus tuus sum ; Deum adora ; » vel, ut S. Cyprianus legit lib. *De Patientia* : « Dominum Jesum adora. » Verum hoc non est verisimile. Nam S. Joannes assuetus his

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

visionibus angelicis, sciebat hunc non esse Christum, sed angelum, unde eumdem jam hic cognitum, rursum voluit adorare cap. XXII, vers. 9.

*Secundo*, Alcazar censet angelum hunc esse S. Petrum, uti illum cap. XXII, vers. 9, esse S. Paulum; nec Petrum ergo, nec Paulum permisisse se adorari a S. Joanne, quia ipse eis erat officio et meritis par. Verum hoc accommodatitium est, non litterale.

*Tertio*, S. Gregorius, homil. 8 *in Evangelium*, et ex eo Haymo, Rupertus, Richardus et Ambertus opinantur angelum hunc proprie dictum non permisisse se adorari a Joanne, ob reverentiam incarnationis Christi. « Angeli enim, ait S. Gregorius, postquam naturam nostram supra se assumptam in Christo perspiciunt, prostratam eam sibi videre pertimescunt. » Et, ut ait S. Ambrosius, « pertimescit angelus adorari ab homine, qui supra se adorabat hominem Deum. »

Verum, non hanc, sed aliam affert causam hic angelus.

*Quarto*, noluit angelus adorari a S. Joanne ob [vi]rtutem et meritum virginitatis, quo S. Joannes excellebat omnes angelos, pariter et homines, iisque tanto, quanto virginitati Beatæ Mariæ per contubernii, sedulitatis, ac perpetuæ custodiæ meritum præ cæteris appropinquavit, inquit Petrus Damianus, serm. 1 *De Excellentia S. Joannis.*

*Quinto*, quia Joannes erat sacerdos ac pontifex, habens potestatem consecrandi corpus Christi in Eucharistia, et absolvendi reos a peccatis in Sacramento pœnitentiæ; ac proinde dignior erat angelis, qui utraque hac potestate carent, ait Viegas.

*Sexto* et genuine, noluit hic angelus adorari a Joanne, quia Joannes erat Propheta. Hanc enim causam dat angelus, cap. XXII, vers. 9, dicens: « Conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum Prophetarum, *q. d.* Ego non sum te superior, cur ergo adores me? nam tu mihi es æqualis dignitate, quia es Christi Apostolus, es Propheta, Evangelista, Prædicator (hæc enim omnia significat nomen Prophetæ), continuusque martyr (qui assidue maximos labores et dolores sustines pro Christo), ideoque par, imo superior angelis es merito, erisque pariter præmio et gloria superior in cœlis. Hoc est enim quod ait: « Conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu, » uti mox patebit.

Addit Cardinalis Baronius, tom. I anno Christi 60, angelum noluisse adorari a Joanne, ut confutaret hæresin Cerinthi jam tum subnascentem, qui angelos nimis extollebat, præferens eos Christo, docensque per angelos creatum esse mundum, Deumque Hebræorum unum ex illis esse angelum. Unde et Apostolus, *Coloss.* II, 18, invehitur in hanc religionem, id est, superstitionem et idololatriam angelorum. Et *Hebr.* I, multis docet angelos inferiores esse Christo (1).

HABENTIUM TESTIMONIUM JESU, — id est, habentium spiritum prophetiæ, inquit Ambrosius, Rupertus, Beda, Viegas. Sic enim se explicat Joannes, cap. XXII, et hic vers. sequenti, cum subdit: « Testimonium enim Jesu, est spiritus prophetiæ, » qui scilicet in te tuique similibus est, o Joannes. Ille autem spiritus nunc dari non solet, nisi iis qui sunt Jesu Christi servi: non quales quales, sed illustres per illustrem fidem et vitam Christianam, ut sua prophetia illi apud omnes testimonium perhibeant, eaque testentur se esse servos et Prophetas Jesu Christi, ac Jesum Christum esse Filium Dei, ait Ribera. Hi ergo Prophetæ simul erant Apostoli, Doctores, Prædicatores et Martyres. Habebant enim testimonium Jesu objective, in corde scilicet per fidem, in ore per prædicationem, in vita per imitationem patientiæ, aliarumque virtutum et miraculorum Jesu.

Quocirca per spiritum prophetiæ, *primo*, cum Alcazar accipi potest spiritus et studium prædicandi Evangelium. Hoc enim est excellens prophetia, ideoque prædicatores sunt excellentes Prophetæ. *Secundo*, accipi potest proprie dicta prophetia a Spiritu Sancto aspirata: ita Ambrosius, Rupertus, Beda, Viegas et Ribera. Hinc patet omnes Prophetas in Christum quasi in scopum collimare, ideoque illos solos esse veros Prophetas, et ut tales audiendos, qui ad Christum nos ducunt.

11 ET VIDI COELUM APERTUM, ET ECCE EQUUS ALBUS. — Nota: S. Joannes per visionem vidit hic quasi aperiri cœlum; indeque egredi Christum quasi equitem cum suis turmis angelicis et beatis, ex eoque portis quasi patentibus descendere ad pugnam cum Antichristo ineundam, et ad opem suis fidelibus contra eum decertantibus ferendam, antequam nuptias eorum victrices et triumphatrices celebret, de quibus dixit vers. 7 (2). Porro insidet equo albo, *primo*, quia hic color lætus est et festivus, ac symbolum felicitatis et triumphi; qua de causa Poetæ fingunt Jovis currum trahi ab equis candidis, teste Suetonio in *Vita Augusti*, cap. IX. Quocirca Camillus in curru triumphali vectus equis albis, invidiam sustinuit, quasi qui Jovi se æquare vellet.

(1) Προσκυνεῖν, *ad genua procidere*, honos erat civilis, qui regibus virisque summis exhibebatur in Orientis partibus. Scriptor vitæ Cononis: « Venerari regem, quod προσκυνεῖν ipsi vocant. » Hunc honorem abnuit angelus, *q. d.* Non mihi debes gratias ob tantarum rerum revelationem, sed Deo. Nos inter nos pares sumus, ejusdem Regis legati. — Quæ sequuntur: « Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ, » sunt verba angeli, rationem commemorantis, cur Joannem et cæteros Apostolos pro conservis agnoscat. Non minor est Evangelii prædicatio, seu Apostolatus, quam prædictio futurorum.

(2) Imagine hac, vers. 11 — 21, velut uno ictu, tum resumitur quod jam dictum est de pœnis ethnicismo, falsis prophetis, idolorum sacerdotibus et cultoribus, etc. infligendis; tum significatur, Christo licet in terris regnante, pugnam ac prælium adversus Ecclesiæ inimicos nunquam defuturum, sed Christianis victoriam ratam certamque fore.



*Secundo*, quia equi albi aliis erant celeriores, ideoque hic symbolum sunt celeris victoriæ Christi. Ita Virgilius, lib. XII *Æneid.*, Turnum victoriam de Ænea sibi spondentem describit:

Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes,
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

Et inferius:

Bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.

Et Plautus in *Asinaria*, celeres quadrigas denotans, eas albas nuncupat. Veteres enim credebant equos albos esse velociores, uti docet Turnebus, lib. XXIV, cap. XXXI. Vide dicta cap. VI, vers. 2.

*Tertio*, quia candidus color competit Deo, rebusque divinis. Significat enim Dei Christique puritatem, beatitudinem, gloriam et immortalitatem. Unde Virgilius, *ecloga* 5:

Candidus insuetum miratur limen Olympi.

Ubi Servius: « Candidus, inquit, id est Deus, ut contra mortuos nigros dicimus. » Et Cicero, lib. II *De Legibus*: « Color albus, inquit, præcipue decorus est Deo, cum in cæteris, tum maxime in textili. » Nempe, quia virtutes inter se aptæ et connexæ esse debent, ideo textilia gratiora sunt Deo; sive quia castitas, fides aliæque virtutes, nisi cum charitate jungantur, quæ in auro textili significatur, gratæ Deo non accidunt: ideo candidæ in sacris olim erant, et etiamnum sunt vestes; cujus causam tradit Plato quam diximus, et Plutarchus in libro *De Iside et de Osiride*. Ita Martinus de Roa, lib. VI *Singular.*, cap. XV.

Viegas per equum album accipit humanitatem Christi, per sessorem divinitatem, sive, ut S. Joannes ait, « Verbum Dei. » Ita et alii.

Aureolus per hunc equum accipit Balduinum, qui Godefrido Bullonio successit, fuitque e Christianis secundus rex Hierosolymorum. Hic enim cum Teutonicis, Templariis, Hospitalariis Saracenos debellavit. Habet « scriptum in femore: Rex regum et Dominus dominantium, » quia amore Christi Regis regum, inter alias virtutes continentiam et castitatem servavit. *Secundo*, sicut rosa dicitur flos florum, ita rex Hierosolymæ, utpote antiquissimæ et nobilissimæ, dicitur Rex regum. Hoc accommodatitium est, non litterale.

Nota: Lactantius, lib. VII, cap. XVII et XVIII, hunc Christi descensum, gladium, pugnam, etc., plane ad litteram ut sonant, eventura asserere videtur. Audi eum: « Cum hæc, ait, facta erunt, justi et sectatores veritatis segregabunt se a malis, et fugient in solitudines. Hoc impius rex inflammatus ira veniet cum exercitu magno, et admotis omnibus copiis circumdabit montem in quo justi morabuntur, ut eos comprehendat. Illi vero ubi se clausos undique atque obsessos viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, et auxilium cœleste implorabunt. » Et cap. XIX: « Commotus igitur Deus ancipiti periculo et miseranda comploratione justorum, mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur cœlum medium intempesta et tenebrosa nocte, ut in orbe toto lumen descendentis Dei tamquam fulgur appareat. » Et paulo post: « Qui, priusquam descendat, hoc signum dabit: cadet repente gladius de cœlo, ut sciant justi ducem sanctæ militiæ descensurum. Et descendet ille comitantibus angelis in medio terræ, et antecedet eum flamma inextinguibilis. Virtus autem angelorum tradet in manus justorum multitudinem illam quæ montem circumsederit, et concidetur ab hora tertia usque ad vesperum, et fluet sanguis more torrentis, deletisque omnibus copiis, impius solus effugiet, et peribit ab eo virtus sua. Hic est autem qui appellatur Antichristus: sed se ipse Christum mentietur, et contra verum dimicabit, et victus effugiet; et bellum sæpe renovabit, et sæpe vincetur, donec quarto prælio, confectis omnibus impiis, debellatus et captus, tandem scelerum suorum luet pœnas. » Hucusque Lactantius.

Verum verius videtur hæc symbolice ostensa Joanni tantum significare imperium, dominium, ac mandatum Christi, quo ipse manens in cœlo per Michaelem, quasi ducem suum, comitatum aliis angelis, ingenti luce quasi fulmine siderabit et afflabit Antichristum, itaque eum omni vi, robore et vita privabit, ac deturbabit in tartara. Id ita esse patet *primo*, quia certum est quod ea quæ hic dicuntur de cœlo aperto, de equis albis, de Christi diadematibus et veste aspersa sanguine, de titulo in femore inscripto: « Rex regum et Dominus dominantium, » non realiter evenient, sed tantum symbolice per visionem ostensa sunt Joanni, ad repræsentanda mysteria Christi quæ explicui hoc capite *Apocal.* Ergo et cætera, cum sint his similia, symbolice accipienda sunt, non ut realiter eventura. Simili schemate Psaltes, *Psalm.* XVII, symbolice et poetice describit Deum nubibus vectum, armatum grandine, tonitru, fulmine, etc., descendere ad proterendum impios hostes suos.

*Secundo*, quia Apostolus ait, II *Thessal.* II, 8, quod Christus occidet Antichristum, non gladio, sed *spiritu*, id est imperio, *oris sui*; et *illustratione*, id est fulgore prævio et prænuntio, *adventus sui*. Hoc enim fulgore quasi fulmine e cœlo emisso, sive per se, sive potius per Michaelem siderabit et consumet Antichristum.

*Tertio*, quia Daniel, cap. XII, vers. 1, ait quod tunc consurget Michael in prælium pro Christo et Christianis. Sicut ergo rex per ducem bella gerit et conficit hostem, ita Christus per Michaelem conficiet Antichristum. Hic enim est Præses Ecclesiæ, ideoque dux Christi. Unde et *Apoc.* XII, ponitur dux belli Christiani, quo scilicet in fine mundi cum Lucifero et Antichristo confliget pro Christo et Christianis, ac Antichristum profligabit.

*Quarto*, quia S. Petrus, *Act.* v, 21, docet Christum post ascensum in cœlum, ubi mansurum, nec visibiliter ex eo descensurum, nisi in die judicii, quo restituet omnia. Ergo non descendet ut occidat Antichristum. Hic enim occidetur multis diebus, et forte septimanis ac mensibus ante diem judicii, uti ostendam vers. 11 et 12.

*Quinto*, subordinatio recta divinæ providentiæ id exigit. Solet enim Deus sua judicia exercere per angelos; hi enim sunt administratorii ejus Spiritus, *Hebr.* 1, 14. Contrarium enim nec decet Christum, nec Antichristum. Ut quid enim Christus, Deus et Dominus omnium, cum tot legionibus angelorum et Sanctorum cœlo descenderet ad conficiendum Antichristum, qui miser et vilis erit homuncio, quem solo flatu, imo nutu potest occidere, quin et annihilare? utquid tot legiones Angelorum quasi militum ei astant, paratæ ad omnem ejus nutum, ex quibus unus sufficit ad delenda plurima hominum millia?

*Sexto*, quia Sibylla, lib. III, igne cœlesti, puta fulgore afflandum Antichristum prædicit, cum ait: « Cum potestas ardens (puta ignis et fulmen validum) inundans in terram veniet, et Beliar incendet, et superbos homines; omnes quicumque ei fidem præstiterint. » *Beliar* enim (id est Belial. Subinde enim littera *l* in *r* convertitur), hoc est, homo impiissimus, sine jugo, sine Deo et lege, est Antichristus.

Et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax. — Equiti huic, qui sequentis exercitus vers. 14, est dux, quatuor dantur nomina vel epitheta. *Primum*, « fidelis et verax; » *secundum*, vers. 12: « Nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse; » *tertium*, vers. 13: « Verbum Dei, » scilicet de quo dixit Joannes, cap. 1 *Evangelii*: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; » vide ibi dicta; *quartum*, vers. 16: « Rex regum, et Dominus dominantium. » *Primum*, est nomen virtutis; *secundum*, essentiæ; *tertium*, personæ; *quartum*, potestatis et dominii. Dicitur ergo hic « Fidelis et Verax, » quia fideliter, uti promisit, eos qui sibi fideles sunt et erunt, tuebitur ac præmiabit; infideles vero et impios puniet. Unde sequitur: « Cum justitia, » id est, justissime et æquissimo jure bellum init; » judicat, » id est vindicat, « et pugnat, » hostes impios scilicet occidendo.

Symbolice, *q. d.* Vocabatur Jehova. Jehova enim idem est quod, « qui est, qui facit esse, qui servat promissa (uti dixi *Exod.* vi, 3), » hoc est, fidelis et verax.

12. Oculi ejus sicut flamma ignis. — Oculi flammantes et fulgurantes significant Christi iram in impios, procurrentem ad eorum vindictam et punitionem, uti dixi cap. 1, vers. 14. Magna vis inest oculis; basiliscus enim sævis oculis quem aspexerit, enecat. Ex adverso struthiones et testudines benigne spectando ova, ea fovent, ait Plinius, lib. IX, cap. x. Ratio est: oculi, ut ait Damascenus in *Vita Isidori*, sunt ἀγάλματα τῆς ψυχῆς ἱερά, per quæ ipsa anima influit. Ita Christus flammantibus oculis suos hostes examinabit, serenis vero et blandis electos mire recreabit.

Et in capite ejus diademata multa. — Olim reges et Imperatores non coronis, sed diademate utebantur, uti Romanos Imperatores cum fasciis caput circumdantibus depictos videmus. Nam, ut ait Rhodiginus, lib. XXIV, cap. vi, diadema erat fascia candida, quæ regum capitibus obligabatur. Quod insigne regum primus invenit Liber pater, teste Plinio. Hinc cum quidam coronam lauream fasciæ præligatam Cæsaris statuæ imposuisset, Tribuni plebis detrahi coronæ fasciam, quasi regni insigne, et duci hominem in vincula jusserunt. Ita Alexandrum Magnum memorat Curtius sibi diadema detraxisse, ut eo obligaret vulnus quod in fronte Lysimachus acceperat. Tradit Ammianus Marcellinus invidiæ datum ab æmulis Pompeio, quod fascia obligatum crus circumferret ulceris causa, velut novarum rerum affectationis præsagium id foret. Porro « diademata multa » erant multæ hujusmodi fasciæ, vel spiræ circumdantes caput, quales videmus in turbantis Turcarum, in quibus peplum byssinum vel lineum multiplici gyro capiti obvolvitur, et quilibet ejusmodi gyrus, sive ambitus est quasi diadema, ait Alcazar. Christus ergo habet diademata multa, quia Rex est regum, omniumque regnorum terræ dominus; ille enim universa in se uno continet.

Habens nomen scriptum (in capite et diademate. Nam aliud nomen, « Rex regum, » scriptum erat in femore, vers. 16) quod nemo novit nisi ipse. — Putant Ribera, Viegas et alii, hoc nomen esse id quod sequitur vers. 13, scilicet « Verbum Dei » (1). Hoc enim nemo novit, id est, perspicit, penetrat, planeque cognoscit et comprehendit, nisi ipse Christus. Verum Joannes, ut dixi vers. 11, videtur hic quatuor dare nomina Christo, ac secundum hoc a tertio, quod est « Verbum Dei, » distinguere; hoc enim secundum ait esse ignotum, tertium vero esse notum, scilicet « Verbum Dei. » Non enim ait rem nomine significatam, sed ipsum nomen esse ignotum: quare hoc nomen non est Verbum Dei, nec aliquod aliud ab ipso, aut a S. Scriptura revelatum, sed aliud nobis incognitum. Erat enim ita exaratum, ut ne quidem a Joanne, sed a solo Christo legi posset: idque ad hoc, ut significaret immensitatem et incomprehensibilitatem naturæ et substantiæ Christi, quam nullus humanus vel Angelicus intellectus comprehendere valet. Ita Aretas et Alcazar. Alludit ad nomen *Jehova*; illud enim erat ἄῤῥητον et ἀνεκφώνητον, id est *ineffabile*, uti dixi *Exodi* cap. vi, 3. Rursum nomen *Jehova* gestabatur a pontifice, scriptum in lamina aurea pendente ex ejus tiara; pari modo, Christus Pontifex nomen hoc scriptum habet in capite et diademate, quia hoc est nomen significans et repræsentans divinitatem ejus.

(1) Ita Rosenmullerus et Allioli.



13. Et vestitus erat veste aspersa sanguine. — Vestem hanc tam Christi, quam sanctorum Martyrum intellige. Christi enim humanitas a Judæis fuit cruentata, et etiamnum vulnerum cicatricibus in corpore Christi remanentibus est rubicunda, *q. d.* Christus secum defert notas et memoriam sanguinis sui, et suorum, impie ab impiis effusi, cujus nunc ultionem deposcit, cujusque intuitu se ad ultionem excitat et accendit. Ita Viegas.

Idipsum graphice et tragice describit noster Martinus de Roa, lib. I *Singularium*, cap. ii, dicens: Ergo ut dæmonem Christus exanimet, in cruce sese illi cruentum ostentat: cujus ille facinoris et injuriæ cum auctor exstiterit, et fœdatum sanguine corpus aspexerit, injuriæ tam atrocis memor, neque audebit congredi, et manus dabit. Hinc tu mysterium capias, cur *Zachariæ* cap. iii, cum Satan staret a dextris Jesu sacerdotis magni, ut adversaretur ei, Jesus esset indutus vestibus sordidis. Stat hostis acerrimus, mucronem intentat, addicit morti ac devovet sacerdotis caput: ille nudum latus, nudum caput ac corpus, aut, quod in bello pro eodem est, lacera et sordidata veste indutum opponit. Viderat jam ante congressum istum regius propheta David, viderat Christum Jesum, cujus ille typum gerebat, viderat sese ad prælia comparantem; sed hortatus est ut gladio sese succingeret, et suo se robore armaret: « Accingere gladio tuo super femur tuum, Potentissime. » Viderat propheta Isaias, idemque præmonuit: « Consurge, induere fortitudinem tuam brachium Domini. » Quid laceris cruentisque cum prælio vestibus? At Imperator Christus pro æreo thorace sanguineam chlamydem, pro ferreis manicis ocreisque ferreos clavos, pro galea spinas, pro militum præsidio solitudinem, pro tubarum clangore silentium, atque patientiam cum hoste congressurus opponit. Neque enim « in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. » Verum nullus æque potens gladius atque cruenta caro; nulla præstantior fortitudo adversus hostem, quam ipsa lacerati corporis infirmitas: quam ut cernit, debilitatur ac frangitur, quoniam ejus atrocitatis est auctor. Consonat locus *Apocal.* xix: « Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocabatur nomen ejus Verbum Dei. » Itaque cum ad pugnam progreditur, in cruenta sive purpurea veste, et equo rufo procedit. S. Hieronymus in *Isaiæ* cap. lxvi: « Equo, ait, rufo sedebat Dominus atque Salvator, humanum corpus assumens, cui dicitur: Quare rubra sunt vestimenta tua? et: Quis est iste qui ascendit de Edom, fulva vestimenta ejus de Bosra? etc. Equo autem sedebat albo, quando post resurrectionem immortale et incorruptum corpus assumpsit: et quicumque eum sequebantur, candidis utebantur equis, incorruptis videlicet immortalibusque corporibus. »

*Secundo* et potius, vestis Christi aspersa erat sanguine hostili, quem fudit, et mox hic fusurus est; nam, ut sequitur: « Ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei. » Inducitur enim hic Christus quasi pugnans, conculcans et trucidans hostes, scilicet impios: unde eorum sanguine aspergitur et cruentatur, et ut cruentus symbolice per visionem Joanni spectandus objicitur, etiam ante pugnam, quia ad cruentam pugnam pergit, eaque se cruentabit. Nam alluditur ad *Isaiæ* lxiii, 1, ubi de Christo hostes trucidante dicitur: « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Torcular calcavi solus, calcavi eos in furore meo. Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea. »

14. Et exercitus qui sunt in coelo (angelorum et cœlitum) sequebantur eum, — non tam ut milites pro eo pugnaturi, quam ut comites et spectatores pugnæ ejus et victoriæ. Solus enim Christus hoc bellum confecit. Unde de eo dicitur vers. 21: « Occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius. » Hinc pariter solus Christus dicitur habere vestem aspersam sanguine; cæteri vero equites ejus comites erant « vestiti byssino albo et mundo: » quæ vestis est symbolum tum puritatis et innocentiæ, tum felicitatis, gloriæ et triumphi. Credibile tamen est vestem eorum, præsertim Martyrum, aspersam fuisse sanguine, ob causas jam dictas. Sic in veteri Testamento non tam Hebræi pugnantes, quam Deus pro eis decertans pariebat victorias. Hoc est enim quod dicitur *Deut.* 1, 30: « Dominus Deus qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit. » Similia sunt *Josue* xxiii, 3, *Judith* v, 16. Soli ergo Christo tribuitur hæc victoria, quia ejus viribus, imperio et jussu Michael et angeli eam conficient.

In equis albis. — S. Hieronymus in *Isaiæ* lxvi, et S. Gregorius, Ansbertus et Viegas, per equos albos, Sanctorum corpora incorrupta et immortalia intelligunt. Magis ad litteram Ribera: Cœlitibus et angelis, inquit, dantur hic equi albi symbolice, ut per eos significetur victoria et triumphus. Sic Zacharias, cap. 1, vers. 8, vidit angelos hominum custodes in equis albis sedentes. Moraliter audi S. Gregorium: « Equus, ait, est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod videlicet novit et ab illicitis continentiæ freno restringere, et rursum charitatis impulsu exercitationo boni operis relaxare. Equitis ergo nomine anima sancti viri exprimitur, quæ jumentum corporis bene subditum regit. Unde et Joannes in Apocalypsi Dominum contemplatus ait: Et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis; multitudinem quippe Sanctorum quæ in hoc martyrii bello sudaverat, recte exercitum vocat; qui idcirco in equis albis sedere describuntur, quia eorum corpora et luce justitiæ, et castimoniæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

candore claruerunt. » Ita ipse, lib. XXXI *Moral.*, cap. IX.

15. ET DE ORE EJUS PROCEDIT GLADIUS EX UTRAQUE PARTE ACUTUS (hic gladius est imperium, vis et potestas Christi, quam exeret in Antichristianos et impios. Unde sequitur) UT IN IPSO PERCUTIAT GENTES (morte præsenti et æterna, in qua) ET IPSE REGET EAS IN VIRGA FERREA, ET IPSE CALCAT TORCULAR VINI FURORIS IRÆ DEI OMNIPOTENTIS, — id est, acerrime premet, calcabit et puniet eos cum hic, tum in futuro. Hic enim corporaliter percutiet et occidet eos : in futuro vero torquebit eos in gehenna, ita ut semper videantur mori et occidi, nunquam tamen moriantur, sed semper in pœnis mortiferis vivant mortaliter immortales, et immortaliter mortales. Nota : S. Joannes more Hebræo crebro et varie usurpat καὶ, id est *et*, pro *nam, deinde, postea*, etc. Hebræi enim suum illud ו pro omnibus particulis usurpant.

16. ET HABET IN VESTIMENTO ET IN FEMORE SUO SCRIPTUM : REX REGUM. — « In vestimento, » id est in thorace; « et in femore, » id est in femoralibus, aut tunicæ parte inferiore. *Secundo* et potius, est hendiadys, « in vestimento et in femore, » id est, in vestimento femoreo, sive tegente femora, aut in femore vestito ; quia enim vestimentum tegebat totum corpus, idcirco hic ejus partem certam designat dicens : « In femore. » Unde Syrus vertit, *et habet super vestimentum, et super femur suum nomina scripta : Rex regum et Dominus dominantium* (1).

Quæres, cur Christus « in femore » gestet hoc nomen. Respondeo, quia femur symbolice significat Christi humanitatem. Hanc enim ipse ex femore Jacob, Davidis et aliorum accepit, atque per eam electos omnes Deo spiritualiter genuit; femur enim, quia partes sibi vicinas genitales complectitur, hinc est causa et symbolum generationis. Femore ergo *primo*, significatur Verbi incarnatio. Ita S. Gregorius, homil. 15 *in Ezech.* *Secundo*, passio Christi ; est enim hoc femur, vestisque Christi aspersa sanguine, ut dixi vers. 13 : hujus enim sanguinis et passionis merito factus est Christus Rex regum, et Dominus dominantium. Itaque sicut in capite habet nomen divinitatis (hujus enim symbolum est caput), « quod nemo novit nisi ipse : » ita in femore humanitatis habet nomen omnibus notum, scilicet quod qua homo sit « Rex regum et Dominus dominantium. » *Tertio*, femore significatur Christi soboles, puta filii et nepotes, inquit Alcazar, juxta illud *Genes.* XLIX, 10 : « Dux de femore ejus. » Unde τὸ *in femore suo scriptum est* : « Rex regum, » etc., indicat ipsius filios veros esse reges, ipsumque esse regem illorum. In femore enim propagatio generis intelligitur, uti docent S. Gregorius, Ansbertus et Beda, *q. d.* Christus suos filios facturus est reges, et ipsi etiam nationes judicabunt. Hoc facit iambicum illud B. Thomæ Mori :

> Princeps pius nunquam carebit liberis
> Totius est regni pater princeps :
> Abundat ergo felicissimus tot liberis quot populis.

*Quarto*, Maldonatus in *Matth.*, cap. XXVII, 11 : In femore, ait, significatur Christi regnum, Christumque qua Deus est suapte natura regnare : per femur enim significatur natura, *q. d.* Christus est rex non vi, non tyrannide, non electione, non adoptione, sed natura, et naturali propagine ac generatione.

*Secundo*, Ambrosius per vestimentum Sanctos, per femur humanitatem Christi accipit : « Quia, ait ipse, *primo*, in operibus Sanctorum agnoscitur hunc esse verum Deum, qui tales servos possidet; *secundo*, quia in operibus quæ ipse in carne positus gessit, cognitum est hunc esse verum Dei Filium. »

*Tertio*, Pannonius : « Vestimentum, inquit, a foris est, femur a natura; et Christus humanitatem a foris ex tempore habet, divinitatem autem a natura, a qua ab æterno est Deus : et neutrum horum sine dignitatis honore habet, quia ab utroque est rex, » *q. d.* Christus tam qua homo, quam qua Deus, est Rex regum. Verum primus sensus simplicissimus est et genuinus.

REX REGUM ET DOMINUS DOMINANTIUM. — Hic erat titulus et elogium regum Persarum, teste Alexandro ab Alexandro, lib. I *Genial.*, cap. XXVIII. Ita Saporem Regem regum appellat Julius Capitolinus, cap. XXIV, ubi ejus ad Constantium imperatorem litteras recenset; quarum hæc erat inscriptio : « Rex regum Sapor, particeps siderum, et frater solis ac lunæ, Constantio fratri meo, S. P. D. » Unde illud Agesilai in eum, qui de more regem Persarum magnum appellabat : « Ecquid ille, inquit, me est major, nisi sit et justior et modestior? » Ita Plutarchus in *Lacon.* Sic et Suetonius in *Caligula*, cap. VI, Parthorum regem, regum Regem appellat. Sic et Plutarchus in *Lucullo*, Tigranem regem Armeniorum, Regem regum nuncupat. Porro apud Parthos, primus rex magnus appellatus est Artabanus, duplicique diademate usus, teste Herodiano, lib. VI. Hæc et plura Pineda in *Job* I, 1, num. 17.

17. ET VIDI UNUM ANGELUM STANTEM IN SOLE, ET CLAMAVIT VOCE MAGNA, DICENS OMNIBUS AVIBUS, etc. : VENITE ET CONGREGAMINI AD COENAM MAGNAM DEI. — Angelus hic stat in sole, ut significet quod in oculis totius mundi fiet hæc Antichristianorum per Christum ultio. Advocatio et invitatio volucrum significat ingentem fore stragem, adeo ut ad cadavera Antichristianorum depascenda et devoranda undique vultures aliæque carnivoræ aves advolent. Hisce enim Deus cœnam hanc, id est, convivium et epulum hoc cadaverum præparavit. Alludit ad *Jeremiæ* XII, 9 : « Venite, congre-

(1) Alii : « In vestimento, » id est in paludamento suo imperatorio; « in femore, » id est in capulo ensis, qui pendebat ad femur.



gamini, omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum. » Rursum alludit, aut potius citat *Ezechiel.* XXXIX, 17, ubi de eadem exercitus Antichristi, puta Gog et Magog, clade loquens Deus, ait : « Dic omni volucri et universis avibus cunctisque bestiis agri : Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super omnes montes Israel, ut comedatis carnem, et bibatis sanguinem. »

*Mystice*, Angelus hic typus est præconis Evangelici. At cur a sole tanquam e suggesto, novus ille prædicator exclamat? An quia sicut sol semper festinat, nunquam conquiescit : ita Evangelicus prædicator totum orbem celerrimus circuit et pervagatur? An quia, sicut sol omnibus beneficus oritur super justos et injustos : ita Evangelicus prædicator, omnium tam bonorum quam malorum commodis, præsertim spiritualibus, incumbit? An tandem, quia, sicut sol totum orbem suo splendore collustrat, suo calore fecundat : ita Evangelicus prædicator cæcas hominum mentes suis verbis illuminat, præposteras voluntates suis exemplis inflammat? Ita noster Mendoza in I *Reg.* III, 21.

19. ET VIDI BESTIAM ET REGES TERRÆ, — decem, de quibus vide dicta cap. XVII, in fine. Bestia hæc est Antichristus, ut dixi cap. XIII, vers. 1. Hic enim cum suis omnibus, qui erunt innumeri, congregabitur in Armagedon ad pugnandum contra Christum et Christianos, sed profligabitur omnino a Christo. Inde sequitur :

20. ET APPREHENSA EST BESTIA (Antichristus), ET CUM EA PSEUDOPROPHETA, — scilicet insignis ille impostor, qui erit Antichristi præcursor, de quo cap. XIII. vers. 11.

VIVI MISSI SUNT HI DUO IN STAGNUM IGNIS ARDENTIS SULPHURE. — Quidam legunt, *ardens*; Primasius, *ardentis igne et sulphure*; Græca, *ardens in sulphure*; Arabicus, *plenum igne et sulphure*. Verum Romana legunt, *ardentis sulphure*.

Nota : Antichristus, ut probet se esse Christum, quasi simia Christi, finget se mori, et post mortem ad vitam resurgere, ut patet *Apocal.* XIII, 12. Audi S. Gregorium, lib. XI, *epist.* 3 : « Veniens in mundum Antichristus, diem sabbati, et diem Dominicum ab omni jubebit opere custodiri. Nam quia simulaturus est mori se ac resurgere, ideo diem Dominicum in veneratione haberi præcipiet; quia vero judaizare populum compellet (ut videatur esse Messias Judæis promissus) ut ritus Mosaicæ legis revocet, et Judæorum sibi subdat perfidiam, diem sabbati observari coget. Post fictam hanc et hypocriticam resurrectionem, coram toto populo ascendet in montem Oliveti (uti significat Daniel XI, 45), voletque instar Christi in cœlum ascendere, ex quo se primitus descendisse mentietur : attollent eum in aere dæmones sumentes speciem angelorum, cunctis admirantibus et divinitati ejus acclamantibus, inquit Pererius. Sed mox a Christo per Michaelem deturbabitur, ac mox Antichristum terra dehiscet, vivumque eum rapient dæmones in tartara, sive vivus eo perveniat (perire enim de terra, et tradi igni gehennæ, erit ei mors et interfectio, ait Andreas Cæsariensis), sive potius in via prius moriatur et suffocetur. Utrumque enim probabile est, uti et de Core, Dathan et Abiron docui *Numer.* XVI, 33. Posterius tamen probabilius est et conformius S. Scripturæ, quæ alibi dicit omnes omnino homines morituros, ut II *Thessal.* II, 8; *Hebr.* IX, 27. Occidetur autem Antichristus, « sicut doctores tradunt, in monte Oliveti, in papilione ac solio suo, illo in loco contra quem cœlos Dominus ascendit, » ait Haymo in cap. XI *Isaiæ.*

Porro Michael fulgure, ut videtur, eum deturbabit. Sic enim de eo canit Sibylla, lib. III : « Cum potestas ardens inundans in terram veniet, et Beliar (id est Antichristum) incendet. » Nisi quis cum Ribera dicat iram Christi impios interficientis more poetico et prophetico vocari a Sibylla potestatem ardentem.

ARDENTIS SULPHURE. — Ex hoc loco et cap. XX, vers. 9, et cap. XXI, vers. 8, liquet apud inferos verum esse sulphur, ut communiter docent Doctores. Est enim sulphur materia et fomentum aptissimum ignis, atque suo fœtore et acredine pœnam ignis adauget. Est, inquam, in gehenna sulphur, non aliud et aliud sibi succedens, sed idem semper numero permanens et constans, uti idem numero semperque sibi constans est ignis.

21. ET CÆTERI OCCISI SUNT IN GLADIO, — *q. d.* Cæteri milites Antichristi, puta exercitus decem regum, ac Gog et Magog, « gladio, » id est, jussu et virtute Christi, occidentur, quam exsequetur non per gladium, sed per ignem de cœlo missum, uti docet cap. XX, vers. 9. Gladius ergo hic erit ignis et grando, quæ ex ore Christi procedent, quia imperio Christi de cœlo descendent, et exercitum illum impiorum delebunt.

Moraliter vide hic quam acris et metuenda sit vindicta Dei in impios et Antichristianos, præsertim hæresiarchas, quorum dux et caput erit Antichristus. Notus est interitus Simonis Magi, primi hæresiarchæ, quem paucis ita describit Arnobius, lib. II *Contra Gentes* : « Viderant Romani cursum Simonis Magi et quadrigas igneas Petri ore difflatas, et nominato Christo evanuisse ; viderant, inquam, fidentem diis falsis, et ab iisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, et cervicibus jacuisse præfractis : post deinde perlatum Brundam, cruciatibus et pudore defessum, et altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio. »

Julianus Apostata, cœlesti telo ictus, manum implevit sanguine, illumque jactans in aerem, dixit : « Vicisti, Galilæe, » ait Theodoretus, lib. III *Hist.*, cap. XX.

Valens, Arianus Imperator, a Gothis in casa combustus est ; quod in spiritu videns S. Isacius monachus, licet absens : « Nunc, inquit, Valens igne torretur, et nares profluentem ab eo ingratum

odorem sentiunt. » Ita Nicephorus, lib. XI, cap. L.

Zeno, Imperator Eutychianus, vivus ab uxore sepultus est; de quo Cedrenus : « Satellites, inquit, qui ad sepulcrum in quo repositus fuit, custodiendum erant collocati, retulerunt se per duas noctes lamentabilem vocem e sepulcro audivisse : Miseremini, et aperite mihi. Cum illi dicerent alium jam regnare : Nihil, inquit, curo, in monasterium me abducite. Sed cum non aperiretur, ferunt aliquanto post monumentum fuisse reclusum, inventumque in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos manderat, et caligas quas gestabat. »

Anastasius Imperator, ait Zonaras, vidit virum terribilem dicentem : « Ecce ob perversitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vitæ tuæ deleo. » Nam, ut idem subdit, ac Cedrenus, cum oraculo didicisset sibi igne pereundum, cisternam quæ Frigida dicitur, multis meatibus aperuit, ut oraculum eluderet; sed frustra, nam fulmine est ictus.

Theodoricus, rex Arianus, visus est cuidam sancto viro inter Joannem Papam et Symmachum Patritium, quos occiderat, discinctus, discalceatus, et vinctis manibus projici in ollam Vulcaniam. Ita S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XXX.

Constantinus Copronymus, hostis Deiparæ, miserabiliter in Chalandio moritur, clamans et dicens : « Vivens adhuc sum igni inexstinguibili traditus, » sanctamque Virginem Deiparam nominari et laudari expetiit, ait Theophanes.

Arius in secessu medius crepuit instar Judæ, visceraque effudit, quia Deo Patri viscera sua, id est, Filium consubstantialem, auferre voluerat. Ita S. Nazianzenus in *Laudibus S. Athanasii.*

Nestorii lingua blasphema in Christum et Deiparam a vermibus exesa est, et totum corpus tabe computruit, uti Evagrius, lib. I, cap. VII, Cedrenus et alii tradunt.

Lutherum sibi gulam fregisse ex ejus familiarissimis acceptum esse tradunt Bozius de *Signis Ecclesiæ*, Genebrardus et alii, corvorumque turbam ejus funus comitatam; quin et dæmones ab energumenis ex Geel (oppidum hoc vidi in Brabantia, et energumenos, qui eo ad S. Dympnam confluunt) in Saxoniam ad ejus funus convolasse, narrat Tilmannus Bredenbachius, lib. VII *Sacr. collat.*, cap. XXXIX.

Calvinum scribit Beza phthisi, colica, asthmate, calculo, podagra, hæmorrhoidibus vexatum. Accessit morbus pedicularis, qui totum corpus pervasit; ac fœtidissimum et purulentissimum ulcus circa verenda : a vermibus ergo corrosus exspiravit instar Herodis, Hunerici, Maximiani et Antiochi Epiphanis, acerrimorum persecutorum Christi et Ecclesiæ : ita Hieronymus Bolsecus Doctor medicus in *Vita Calvini*, cap. XXII.

Quæres, quando occidendus sit Antichristus. Respondeo, postquam regnaverit tres annos cum dimidio, uti docet Daniel, XII, 7, et S. Joannes *Apoc.* cap. XI, vers. 2 et 3, et cap. XII, vers. 14.

Addit S. Hieronymus in *Daniel.* XII, 11, eum occidendum die 1290 ab initio regni sui, idque significare Danielem, cum ait : « Et a tempore cum ablatum fuerit (ab Antichristo initio suæ monarchiæ) juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. » Subdit Daniel : « Beatus qui exspectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. » Ex quibus verbis S. Hieronymus et alii passim colligunt, post Antichristi mortem superfuturos dies 45 usque ad diem judicii, quos Deus dabit hominibus lapsis in persecutione Antichristi, ut pœniteant. Aliqui cum [illegible] hos dies præcise accipiunt, ita ut postero die præcise, puta 46 a nece et persecutione Antichristi, futura sit omnium resurrectio, et judicium universale.

Porro probabile est, diem resurrectionis generalis fore eumdem quo resurrexit Christus, puta diem Paschæ. Unde Lactantius, lib. VII, cap. XIX, docet nos resurrecturos in die Dominica, imo eadem hora qua Christus resurrexit : Christus enim fuit exemplar nostræ resurrectionis. Idem docet S. Anselmus in *Elucidario*, et Macarius *homil.* 5 et 12, dicens nostram resurrectionem fore tempore aprilis, quando omnia florent, et speciem exhibent cœlestis gloriæ. Idem sentit noster Joannes Salas in 1 II, Quæst. V, art. 5, tract. 2, disp. 14, sect. X.

Suppositis hisce duobus principiis, scilicet *primo*, a nece Antichristi usque ad diem judicii et resurrectionis, præcise fore 45 dies; *secundo*, resurrectionem fore ipso die Paschalis : sequitur Antichristum occidendum finitis Bacchanalibus (quod notent et timeant bacchantes) primo die Quadragesimæ; ac deinde Quadragesimam totam dandam lapsis ad pœnitentiam, ut se præparent ad ultimum Pascha, quo resurgent subituri judicium generale. Quadragesima enim usque ad Pascha continet dies 46; deme ex iis diem primum, utpote quo occidetur Antichristus, supererunt 45 dies, quos numerat Daniel usque ad diem judicii : ita ut finito die 45, et inchoante 46, qui erit Pascha, omnes resurgant et judicentur. Ita opinatur vir quidam eruditus Romæ, qui mecum hac de re egit. Si dicas : Ergo præcise poterit sciri dies judicii, quod negat Christus, *Marci* XIII, 32, respondeo negando consequentiam. Nunc enim is non potest sciri, et deinceps non poterit sciri usque ad mortem Antichristi : ea vero peracta poterit probabiliter ex dictis cognosci, at non certo sciri : quia utrumque principium quo nititur hæc sententia, incertum est, et probabile duntaxat, scilicet quod resurrectio fiet die Paschatis, et quod præcise erunt 45 dies a nece Antichristi usque ad diem judicii. Multi enim longe plures fore opinantur, ut dixi *Daniel.* XII, 11. In hisce ergo conjecturis nihil certo definiri potest, præsertim cum a variis variæ aliæ afferantur, quarum quæ sit vera, eventus declarabit.



# CAPUT VIGESIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Continuatur materia capitis præcedentis per novam visionem, qua res altius a suo exordio repetitur; videt enim Joannes Angelum habentem clavem abyssi, qui Satanam ligat in abysso per mille annos, quibus Martyrum et Sanctorum animæ cum Christo regnant in cœlo. Inde, vers. 7, post mille annos dicitur solvendus Satanas ad modicum tempus, qui solutus congregabit Gentes, Gog et Magog, ad Antichristum, ut pro eo pugnent contra Christum et Christianos : sed afflabit et perdet eos Deus igne misso de cœlo; Satanam vero et Antichristum in tartara detrudibit. Deinde, vers. 11, Christus venit ad judicium, resurgunt mortui pusilli et magni; libri aperiuntur, ex iisque mortui jam resuscitati judicantur secundum opera cujusque; ac tandem mors et infernus cum impiis, qui non sunt scripti in libro vitæ, mittuntur in stagnum ignis.*

1. Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam mag-
nam in manu sua. 2. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et
Satanas, et ligavit eum per annos mille; 3. et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit
super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, et post hæc
oportet illum solvi modico tempore. 4. Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium
datum est illis : et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei,
et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in
frontibus aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. 5. Cæ-
teri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.
6. Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima : in his secunda mors non
habet potestatem; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.
7. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et
seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog, et congregabit
eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. 8. Et ascenderunt super latitudi-
nem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam. 9. Et descendit ignis a
Deo de cœlo, et devoravit eos : et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis
et sulphuris, ubi et bestia 10. et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæ-
culorum. 11. Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum, a cujus con-
spectu fugit terra et cœlum, et locus non est inventus eis. 12. Et vidi mortuos, magnos et
pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt : et alius liber apertus est, qui est
vitæ; et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.
13. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant; et mors et infernus dederunt mortuos suos,
qui in ipsis erant : et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum. 14. Et infernus
et mors missi sunt in stagnum ignis : Hæc est mors secunda. 15. Et qui non inventus est
in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

Alcazar, more suo, hæc omnia refert et determinat ad Romanam Ecclesiam, quasi post Babylonis, id est Romæ incendium, scilicet mysticum charitatis, cum sub Constantino cœpit publicum in ea fidei Christianæ exercitium, ligatus sit Satanas, ne illud ullo unquam tempore evertere aut tollere possit. Illud itaque duraturum usque ad tempus Antichristi, qui modico tempore illud tollet; sed eo mortuo rursum restituetur, durabitque usque ad diem judicii, quando commutabitur in regnum cœleste, beatum et gloriosum. Ligari ergo censet hic Satanam ad hoc, ne impediat nuptias Agni cum Romana Ecclesia; sicut Raphael ligavit Asmodæum, ne impediret nuptias Tobiæ cum Sara, *Tobiæ* VIII, 3. Porro hinc ipse probare contendit omnia præcedentia a cap. XIV

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

odorem sentiunt. » Ita Nicephorus, lib. XI, cap. L.

Zeno, Imperator Eutychianus, vivus ab uxore sepultus est; de quo Cedrenus : « Satellites, inquit, qui ad sepulcrum in quo repositus fuit, custodiendum erant collocati, retulerunt se per duas noctes lamentabilem vocem e sepulcro audivisse : Misereminí, et aperite mihi. Cum illi dicerent alium jam regnare : Nihil, inquit, curo, in monasterium me abducite. Sed cum non aperiretur, ferunt aliquanto post monumentum fuisse reclusum, inventumque in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos manduerat, et caligas quas gestabat. »

Anastasius Imperator, ait Zonaras, vidit virum terribilem dicentem : « Ecce ob perversitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vitæ tuæ deleo. » Nam, ut idem subdit, ac Cedrenus, cum oraculo didicisset sibi igne pereundum, cisternam quæ Frigida dicitur, multis meatibus aperuit, ut oraculum eluderet; sed frustra, nam fulmine est ictus.

Theodoricus, rex Arianus, visus est cuidam sancto viro inter Joannem Papam et Symmachum Patritium, quos occiderat, discinctus, discalceatus, et vinctis manibus projici in ollam Vulcaniam. Ita S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XXX.

Constantinus Copronymus, hostis Deiparæ, miserabiliter in Chelandio moritur, clamans et dicens : « Vivens adhuc sum igni inexstinguibili traditus, » sanctamque Virginem Deiparam nominari et laudari expetiit, ait Theophanes.

Arius in secessu medius crepuit instar Judæ, visceraque effudit, quia Deo Patri viscera sua, id est, Filium consubstantialem, auferre voluerat. Ita S. Nazianzenus in *Laudibus S. Athanasii*.

Nestorii lingua blasphema in Christum et Deiparam a vermibus excisa est, et totum corpus tabe computruit, uti Evagrius, lib. I, cap. VII, Cedrenus et alii tradunt.

Lutherum sibi gulam fregisse ex ejus familiarissimis acceptum esse tradunt Bozius de *Signis Ecclesiæ*, Genebrardus et alii, corvorumque turbam ejus funus comitatam; quin et dæmones ab energumenis ex Geel (oppidum hoc vidi in Brabantia, et energumenos, qui eo ad S. Dymphnam confluunt) in Saxoniam ad ejus funus convolasse, narrat Tilmannus Bredembachius, lib. VII *Sacr. collat.*, cap. XXXIX.

Calvinum scribit Beza phthisi, colica, asthmate, calculo, podagra, hæmorrhoidibus vexatum. Accessit morbus pedicularis, qui totum corpus pervasit; ac fœtidissimum et purulentissimum ulcus circa verenda : a vermibus ergo corrosus expiravit instar Herodis, Hunerici, Maximiani et Antiochi Epiphanis, acerrimorum persecutorum Christi et Ecclesiæ : ita Hieronymus Bolsecus Doctor medicus in *Vita Calvini*, cap. XXII.

Quæres, quando occidendus sit Antichristus. Respondeo, postquam regnaverit tres annos cum dimidio, uti docet Daniel, XII, 7, et S. Joannes *Apoc.* cap. XI, vers. 2 et 3, et cap. XII, vers. 14.

Addit S. Hieronymus in *Daniel.* XII, 11, eum occidendum die 1290 ab initio regni sui, idque significare Danielem, cum ait : « Et a tempore cum ablatum fuerit (ab Antichristo initio sue monarchiæ) juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. » Subdit Daniel : « Beatus qui exspectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. » Ex quibus verbis S. Hieronymus et alii passim colligunt, post Antichristi mortem superfuturos dies 45 usque ad diem judicii, quos Deus dabit hominibus lapsis in persecutione Antichristi, ut pœniteant. Aliqui cum [illegible] hos dies præcise accipiunt, ita ut postero die præcise, puta 46 a nece et persecutione Antichristi, futura sit omnium resurrectio, et judicium universale.

Porro probabile est, diem resurrectionis generalis fore eumdem quo resurrexit Christus, puta diem Paschæ. Unde Lactantius, lib. VII, cap. XIX, docet nos resurrecturos in die Dominica, imo eadem hora qua Christus resurrexit : Christus enim fuit exemplar nostræ resurrectionis. Idem docet S. Anselmus in *Elucidario*, et Macarius *homil.* 5 et 12, dicens nostram resurrectionem fore tempore aprilis, quando omnia florent, et speciem exhibent cœlestis gloriæ. Idem sentit noster Joannes Salas in 1 II, Quæst. V, art. 5, tract. 2, disp. 14, sect. X.

Suppositis hisce duobus principiis, scilicet *primo*, a nece Antichristi usque ad diem judicii et resurrectionis, præcise fore 45 dies; *secundo*, resurrectionem fore ipso die Paschalis : sequitur Antichristum occidendum finitis Bacchanalibus (quod notent et timeant bacchantes) primo die Quadragesimæ; ac deinde Quadragesimam totam dandam lapsis ad pœnitentiam, ut se præparent ad ultimum Pascha, quo resurgent subituri judicium generale. Quadragesima enim usque ad Pascha continet dies 46; deme ex iis diem primum, utpote quo occidetur Antichristus, supererunt 45 dies, quos numerat Daniel usque ad diem judicii: ita ut finito die 45, et inchoante 46, qui erit Pascha, omnes resurgant et judicentur. Ita opinatur vir quidam eruditus Romæ, qui mecum hac de re egit. Si dicas : Ergo præcise poterit sciri dies judicii, quod negat Christus, *Marci* XIII, 32, respondeo negando consequentiam. Nunc enim is non potest sciri, et deinceps non poterit sciri usque ad mortem Antichristi : ea vero peracta poterit probabiliter ex dictis cognosci, at non certo sciri : quia utrumque principium quo nititur hæc sententia, incertum est, et probabile duntaxat, scilicet quod resurrectio fiet die Paschalis, et quod præcise erunt 45 dies a nece Antichristi usque ad diem judicii. Multi enim longe plures fore opinantur, ut dixi *Daniel.* XII, 11. In hisce ergo conjecturis nihil certo definiri potest, præsertim cum a variis variæ aliæ afferantur, quarum quæ sit vera, eventus declarabit.



# CAPUT VIGESIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

***Continuatur** materia capitis præcedentis per novam visionem, qua res altius a suo exordio repetitur; videt enim Joannes Angelum habentem clavem abyssi, qui Satanam ligat in abysso per mille annos, quibus Martyrum et Sanctorum animæ cum Christo regnant in cœlo. Inde, vers. 7, post mille annos dicitur solvendus Satanas ad modicum tempus, qui solutus congregabit Gentes, Gog et Magog, ad Antichristum, ut pro eo pugnent contra Christum et Christianos : sed afflabit et perdet eos Deus igne misso de cœlo; Satanam vero et Antichristum in tartara deturbabit. Deinde, vers. 11, Christus venit ad judicium, resurgunt mortui pusilli et magni, libri aperiuntur, ex iisque mortui jam resuscitati judicantur secundum opera cujusque; ac tandem mors et infernus cum impiis, qui non sunt scripti in libro vitæ, mittuntur in stagnum ignis.*

1. Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam mag-
nam in manu sua. 2. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et
Satanas, et ligavit eum per annos mille; 3. et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit
super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, et post hæc
oportet illum solvi modico tempore. 4. Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium
datum est illis : et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei,
et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in
frontibus aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. 5. Cæ-
teri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.
6. Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima : in his secunda mors non
habet potestatem; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.
7. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et
seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog, et congregabit
eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. 8. Et ascenderunt super latitudi-
nem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam. 9. Et descendit ignis a
Deo de cœlo, et devoravit eos : et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis
et sulphuris, ubi et bestia 10. et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæ-
culorum. 11. Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum, a cujus con-
spectu fugit terra et cœlum, et locus non est inventus eis. 12. Et vidi mortuos, magnos et
pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt : et alius liber apertus est, qui est
vitæ; et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.
13. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant; et mors et infernus dederunt mortuos suos,
qui in ipsis erant : et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum. 14. Et infernus
et mors missi sunt in stagnum ignis : Hæc est mors secunda. 15. Et qui non inventus est
in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

Alcazar, more suo, hæc omnia refert et determinat ad Romanam Ecclesiam, quasi post Babylonis, id est Romæ incendium, scilicet mysticum charitatis, cum sub Constantino cœpit publicum in ea fidei Christianæ exercitium, ligatus sit Satanas, ne illud ullo unquam tempore evertere aut tollere possit. Illud itaque duraturum usque ad tempus Antichristi, qui modico tempore illud tollet; sed eo mortuo rursum restituetur, durabitque usque ad diem judicii, quando commutabitur in regnum cœleste, beatum et gloriosum. Ligari ergo censet hic Satanam ad hoc, ne impediat nuptias Agni cum Romana Ecclesia; sicut Raphael ligavit Asmodæum, ne impediret nuptias Tobiæ cum Sara, *Tobiæ* VIII, 3. Porro hinc ipse probare contendit omnia præcedentia a cap. XV

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hucusque intelligenda esse de primitivæ Ecclesiæ victoria contra gentilismum, quia cap. sequenti dicitur ligatus Satanas per mille annos. Ergo, inquit, ligatio Satanæ secuta est post Babylonis excidium, post pugnam Michaelis cum dracone, etc. Ergo hoc excidium, hæc pugna, etc., non fient sub Antichristo in fine mundi; sed facta sunt jam olim in conversione Gentium, cum Roma professa est publice Christianismum; tunc enim ligatus est Satanas per mille annos. Nec enim post Antichristum supererunt orbi mille anni, ut iis tunc demum ligetur Satanas (1).

Verum respondeo cum Ribera esse hic novam visionem, uti fieri solet in Prophetis, in qua quædam per hysterologiam præmittuntur et repetuntur, quæ jam olim contigerunt. Ligatio enim Satanæ jam olim a Christo facta hic narratur a Joanne, et arcessitur a suo initio: idque ad hoc, ut inde transeat et enarret ejusdem solutionem quæ fiet in fine mundi sub tempora Antichristi. Quomodo enim intelligeretur Satanas suis catenis esse solutus, nisi prius narraretur cum jam olim a mille annis a Christo iisdem esse alligatum?

1. ET VIDI ANGELUM DESCENDENTEM DE COELO, HABENTEM CLAVEM ABYSSI. — Angelus hic est Christus, ait S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, cap. VII, Viegas et Alcazar; Christus enim habet clavem abyssi, et apprehendit ligavitque dæmonem imperii sui catena.

Verum simplicius et planius hic, æque ac cap. IX, vers. 1, Angelum accipiemus proprie dictum, qui sit præses et quasi prætor inferni. Unde habet clavem abyssi, id est habet potestatem laxandi infernum, in eumque detrudendi diabolum, puta Luciferum, ibique eum alligandi per catenam, id est per imperium divinum, ejusque vim detentivam et coercitivam (de qua dixi cap. IX, vers. 14), idque per annos mille, id est per universum tempus regni Christi in hac vita, puta in Ecclesia militante, usque ad Antichristum; millenarius enim est numerus perfectus, quadratæ et solidæ figuræ: decies enim decem faciunt centum, et decies centum faciunt mille. Mille ergo est quadratura denarii, ideoque temporis plenitudinem et universitatem significat, ait S. Augustinus et alii passim. Vel mille, id est plurimos annos; ponitur enim numerus definitus pro indefinito.

HABENTEM CLAVEM ABYSSI, — puta inferni. Mystice, Ansbertus et Haymo per abyssum accipiunt multitudinem impiorum, cui quasi alligatus est dæmon. Rursum Alcazar: In abysso, inquit, id est in æquissimo Dei judicio (judicia enim Dei abyssus multa), ligatus et reclusus est dæmon.

SERPENTEM ANTIQUUM, — quia diabolus ab olim in Paradiso, per serpentem primos homines veneno suæ mortificavit invidiæ, ait S. Leo.

ET LIGAVIT EUM PER ANNOS MILLE. — Arabicus, *in annos mille*. Quibus catenis ligentur dæmones dixi cap. IX, vers. 14. Nota hanc ligationem dæmonis per mille annos, quintupliciter ab interpretibus supputari et explicari. *Primo* enim, aliqui hos mille annos inchoant a passione Christi, et finiunt in Antichristo; *secundo*, alii eos inchoant a Constantino Imperatore aut a morte Juliani: tunc enim quasi simul interiit idololatria; *tertio*, alii post Constantinum; *quarto*, alii a morte vel tempore Antichristi; *quinto*, alii eos inchoant a die judicii, et complendos dicunt in regno cœlorum. Omitto sententiam Prosperi in *Dimidio temporis*, cap. IV, qui ab exordio 70 hebdomadum Danielis, hos mille annos orditur, quia hæc ejus unius singularis est opinio.

*Primo*, a passione Christi inchoant S. Gregorius, Augustinus, Primasius, Beda, Andreas, Viegas et Pererius, lib. XV *in Daniel.* Christus enim in cruce ademit diabolo jus usurpatum et potestatem in homines, eumque alligavit. Unde ait Ipse: « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; » sed sub Antichristo solvetur, viresque suas recipiet, easque exeret per Antichristum. Itaque a Christo in cruce Satanas, id est dæmonum princeps (unde in Græco est articulus; et S. Prosper in *Dimidio temporis* legit, « draconem illum magnum, illum serpentem antiquum »), puta Lucifer, realiter et personaliter relegatus est ad infernum, ibique ligatus est, ut ex eo egredi non possit, nec ita nocere hominibus ac si iis præsens esset, usque ad tempus Antichristi: tunc enim solvetur et egredietur. Id diserte docet S. Gregorius, lib. IV *Moral.*, XII, Ambrosius, Andreas, Lactantius, lib. VII *Divin. institut.*, XXIV et XXVI, Ribera et Viegas, qui docent hic secretum quoddam detegi, scilicet in passione et morte Christi angelum quemdam e cœlo descendisse, qui Satanam in gehenna alligaret, ne ex ea egredi posset usque ad tempus Antichristi. Rursum ligatus est Lucifer, ne per suos dæmones, qui inter nos agunt, totam suam vim exerat contra Ecclesiam, ne seducat gentes ex quibus constat Ecclesia, ait S. Augustinus, quas antea seduxerat et subjectas tenebat, sed permittere cogatur, ut illæ libere ad Christum converti possint, utque Christi fides toto orbe per omnes gentes propagetur, ait S. Augustinus, serm. 197 *De Tempore*. Ita refert S. Athanasius in *Vita S. Antonii*, quod diabolus quadam vice prociderit ad pedes S. Antonii, dicens: « Cur mihi maledicunt homines? sibi imputent, si ca-

(1) Ita Allioli, cum hodiernis plerisque. Ethnicismo romano semel devicto, Christiana lux, super candelabrum posita, *lucebit omnibus qui in domo sunt*, ita ut a diaboli seductione omnes serventur, nec ullus, nisi qui claudit oculos, lumen videre nequeat. *Mille anni* bene longum temporis spatium indicant, nec proprie sunt intelligendi. Millenario autem numero usus est Joannes, quia is numerus est mysticus apud Judæos. *Tanchuma* f. 255, 1: « Messiæ tempora sunt mille anni. » Multa alia ex Rabbinorum scriptis invenies apud Wetstenium. Hoc magno annorum numero significatur cognitus omniscienti Deo soli numerus sæculorum, usque ad initium ultimæ maximæque persecutionis, ante finem hujus mundi, per Antichristum et ultimos ejus præcursores.



dant. Ego enim nihil possum, nisi ipsi sponte se mihi subdant. » Additque S. Antonius: « Hamo crucis ut draco aduncatus a Domino est, et capistro ligatus ut jumentum, et quasi mancipium fugitivum vinctus circulo, et armilla labia perforatus, nullum omnium fidelium devorare permittitur. Nunc miserabilis ut passer, ad ludendum irretitus a Christo, calcaneo Christianorum substratus gemit. Ille qui universa maria a se deleta plaudebat, ille qui orbem terrarum manu sua teneri pollicebatur, ecce a nobis vincitur, ecce me adversum se prohibere non potest disputantem. » Vide S. Augustinum ubi supra.

Ita in *Vita S. Marcellini*, et *S. Petri Martyrum*, 2 junii, legimus Petrum hunc Exorcistam, ut virtutem Christi Artemio præfecto carceris ostenderet, e carcere vi divina, solutis vinculis, egressum stetisse se ad mensam Artemii, ejusque conjugis Candidæ, et filiæ Paulinæ, quæ possidebatur a dæmone, qui subito ad Petri præsentiam fugiens, exclamavit: « Virtus Christi, quæ est in te, o Petre, me ligavit, meque expellit; » ita ut Paulina plane libera et sana evaserit. Quocirca Artemius cum conjuge accedens ad pedes Petri, Christianus effectus est, ac tandem cum iisdem martyr evasit. Nam, ut ait S. Augustinus, XX *De Civit.*, VIII: « Alligatio diaboli non solum facta est ex quo cœpit Ecclesia in nationes dilatari, sed etiam nunc fit, et fiet usque ad terminum sæculi; quia unicuique fidelium iste fortis tunc alligatur, quando ab illo tanquam vas eripitur. » Vide dicta cap. IX, vers. 14. Quocirca apposite S. Cyprianus, tractat. *De Opere et Eleemos.*, diabolum ita Christianis qui ejus tentationi consenserunt, coram Christo judice insultantem inducit: « Ego pro istis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis et cruoris redemi; sed nec regnum illis cœleste promitto, nec ad Paradisum restituta immortalitate denuo revoco; et munera mihi quam pretiosa, quam grandia, quam nimio et longo labore quæsita, sumptuosissimis apparatibus comparant? Tuos tales munerarios, Christe, demonstra præceptis tuis monitos, et pro terrenis cœlestia recepturos illos divites, illos copiosius affluentes; an in Ecclesia præsidente et spectante te ejusmodi munus edant? In istis muneribus meis caducis atque terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi alicujus solatio sustinetur; cuncta inter furorem edentis, et spectantis errorem, prodiga et stulta voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris et pasceris, tu æternam vitam operantibus polliceris, et vix tui meis pereuntibus adæquantur, qui a te divinis mercedibus et præmiis cœlestibus honorantur. Quid ad hæc respondebimus, fratres charissimi? »

Porro mille hosce annos finiri in Antichristo, tuncque solvendum esse Satanam diserte docet S. Augustinus, lib. citato, cap. VII, Gregorius, lib. IX *Moral.*, cap. I, et lib. XXXV, cap. XX, Primasius, Beda et alii passim.

*Secundo*, a tempore Constantini, qui publicum 8 induxit Christianismi exercitium, abolito gentilismo, inchoat hosce mille annos Ferdinandus Castiglius in *Historia S. Dominici*, part. II, cap. I, et alii, eosque finit in exordio Imperii Ottomannici; tunc enim videtur solutus Satanas, quando Ottomannus factus est primus Turcarum Imperator, quem secuti sunt ejus posteri usque in hanc diem. Nam ab anno Domini 300, quo regnavit Constantinus, usque ad annum Domini 1300, quo cœpit Ottomannus, præcise sunt mille anni.

Rursum, Ubertinus de Casalis ligatum ait Satanam sub Constantino, sed solutum sub Joanne XXII Pontifice, qui cœpit sedere anno Domini 1316. Huic enim minus Mendicantibus Ordinibus faventi offensus Ubertinus, contra eum stomachatur, eumque vocat mysticum Antichristum. Sed injuria: bilis enim fecit eum hasce voces in Pontificem legitimum evomere. Merito enim Joannes Imperatorem Ecclesiæ hostem judicavit, et sacris interdixit, eo quod creasset Petrum Corbarium Antipapam. Insuper Alcazar hosce mille annos inchoat a Constantino, qui Christianismum evexit, eosque finit in Antichristo. Verum hæc accommodatitia sunt, non genuina, nec litteralia, præsertim cum S. Joannes Evangelista, cap. XII, vers. 31, aliique Evangelistæ, ut *Matth.* XII, 29, *Marc.* III, 27, *Luc.* XI, 22, doceant a Christo vivente et patiente ligatum esse Satanam: ergo a tempore Christi, non Constantini, hi mille anni arcessendi sunt.

*Tertio*, post Constantinum orditur hosce mille annos Aureolus, scilicet a Calixto II Pontifice, anno Domini 1122. Censet enim hunc angelum esse Calixtum Pontificem, qui habet clavem abyssi, id est, potestatem claudendi portas inferni, et aperiendi januas cœli. Hic ligavit Satanam, quia sustulit Imperatori jus investiendi Episcopos et Abbates, dando eis annulum et baculum, quod a Carolo Magno per 300 annos usurpaverant. Quocirca sub Calixto II, Henricus V Imperator Romam veniens, huic juri renuntiavit anno Domini 1122, cum idipsum antea tentassent Gregorius VII, Victor, Urbanus et Paschalis Pontifices, sed perficere nequivissent. Calixtus ergo ligavit Satanam ad mille annos, id est, in perpetuum quamdiu Ecclesia durabit. Verum hoc quoque est accommodatio prophetiæ gravissimæ ad rem præ ea minutam et exilem.

*Quarto*, ab Antichristi morte ordiuntur hosce mille annos, *primo*, Chiliastæ sive Millenarii; quorum dux fuit Papias, discipulus S. Joannis Apostoli, quem secutus est Cerinthus hæreticus, et e Catholicis Irenæus, Tertullianus, Lactantius, Victorinus, Apollinaris, Severus, Justinus et alii. Putarunt enim hi, ea quæ a Christo prædicta et promissa sunt de pace et felicitate Ecclesiæ, necdum impleta esse, sed implenda fore post Anti-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

christum, quando eo devicto justi resurgent et cum Christo in terris regnabunt mille annis : quocirca illis ligandum esse Satanam. Itaque docebant post sex millia annorum, quibus stabit hic mundus, secuturum sabbatum, sive septimum millenarium annorum, in quo Sancti cum Christo in terris regnabunt in summis deliciis, vel corporalibus gulæ et luxuriæ, uti volebat impurus Cerinthus, vel potius spiritualibus, ut voluit Irenæus et alii : idque placuit aliquando S. Augustino, ut ipse refert lib. XX *De Civitate*, vii. Hanc ergo aiebant esse resurrectionem primam, de qua hic agit Joannes : post quam ait secuturam secundam, in qua scilicet e terra in cœlum transferentur, qui erat octavus millenarius felicitatis et æternitatis. Unde et caput sequens accipiunt de hac prima resurrectione : hanc enim aiebant esse novam Jerusalem e cœlis descendentem in terras. In hunc errorem induxit eos hic locus Apocalypsis, qui id videtur asserere. Quocirca alii ex diametro his adversi, ut hunc errorem convellerent, respuebant Apocalypsin, eamque tribuebant Cerintho hæretico, qui fuit e primis Chiliastis.

Hic itaque est error Millenariorum : hæresin dicere non audeo, quia apertas Scripturas aut Conciliorum Decreta, quibus hæc sententia quasi hæretica damnetur, non habeo. Unde et S. Augustinus, loco citato, eam damnare non est ausus. Satis tamen illa erroris convincitur, et ab Ecclesia damnari posset ut hæretica (uti noster P. Salas et alii eam damnant). *Primo*, ex illis Scripturis et Decretis Pontificum, quæ docent animas puras et sanctas hac vita functas, mox in cœlum evolare : inde enim sequitur eas non degere in terra per mille annos.

*Secundo*, ex iis quæ docent unam tantum esse proprie dictam resurrectionem, scilicet corporum reviviscentium, eamque futuram in fine mundi, puta in die judicii : inde enim sequitur animas deinceps in mundo hoc ac terra non moraturas per mille annos. Tales Scripturæ sunt, *Job* cap. xix, vers. 25 : « In novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum. » Et Paulus, I *Cor.* xv, 52, ait nos resurrecturos « in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. » Idem satis insinuat Joannes hoc cap., vers. 12 et 13.

*Tertio*, ex iis quæ docent post resurrectionem Beatos non habituros delicias carnales, sed spiritales, ut *Matth.* xxii, 30 : « In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. »

*Quarto*, ex iis quæ docent in resurrectione nos obviam rapiendos Christo in aera, ut dicitur I *Thessal.* iv, 16.

*Quinto*, quia hic vers. 7, dicitur : « Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas, et seducet Gentes, etc., Gog et Magog. » Hi autem erunt duces et exercitus Antichristi, qui veniet ante finem mundi, et ante resurrectionem. Ergo hi mille anni non sequuntur, sed præcedunt Antichristum, finemque mundi. Ergo sunt anni hujus vitæ et sæculi, non resurrectionis.

Denique posteriores Patres, et Ecclesiæ sensus hanc sententiam reprobavit : unde illa jam evanuisse videtur.

Ad Chiliastas ex parte accedit sententia Abbatis Joachimi, Pannonii, Seraphini et Bullingeri, qui censent tam magnifica Christi de pace et felicitate Ecclesiæ promissa necdum esse impleta, sed implenda fore post Antichristum. Tunc ergo in Ecclesia nullam fore hæresin, aut hostem, qui eam affligat, aut perturbet, ipsosque fideles fore sanctos, ita ut non indigeant morum correctione aut reformatione : fore enim omnes doctos a Domino, tuncque fore in terris specimen cœlestis monarchiæ. Quocirca docent ipsi ex Sibylla, post mortem Eliæ et Henoch superfore 350 annos usque ad diem judicii; de quo vide Langium in Justinum, tomo secundo, fol. 72. Ubertinus vero hos annos duplicat, aitque fore 700. Verum hæc gratis et sine fundamento dicuntur, nec consentiunt cum Scriptura, quæ docet Antichristum in fine mundi venturum, ac non multo post Antichristum fore extremum judicium et resurrectionem, uti et satis insinuat hic S. Joannes, cum post stragem Gog, Magog et exercitus Antichristi, mox vers. 11, transit ad diem judicii. Quocirca Hortulanus *in Cantica*, fol. 386, ubi eamdem cum Joachimo docet sententiam, ut has difficultates evadat, asserit hos mille felicitatis Ecclesiæ annos, non post, sed ante Antichristum futuros. Verum hoc quoque commentitium est, præsertim cum ad hæc usque tempora, quæ sensim accedunt ad Antichristum, nullum unquam fuerit sæculum sine hæresi, hoste et perturbatione Ecclesiæ, quale ipse per mille annos fore ante Antichristum opinatur, æque ac opinatus est Q. Julius Hilarion, lib. *De Duratione mundi*, tomo VII *Biblioth. SS. Patrum*.

Ad horum opinionem accessit Petrus Galatinus hic, quem manuscriptum legi in Bibliotheca Vaticana, qui hos mille annos ligationis Satanæ numerat a tempore Christi, sed præcipuam eorum partem fore asserit ætate Pastoris (Pontificis) angelici, qui admirandæ humilitatis, sapientiæ et sanctitatis erit, habebitque duodecim Apostolos instar Christi, cum quibus reformabit, et primo sub Apostolis splendori restituet Ecclesiam : post quem sequetur Antichristus, qui omnia subvertet, ac tum solvetur Satanas antea ligatus. Hunc Pastorem angelicum promittunt S. Catharina Senensis apud Ambrosium, Catharinum, lib. III *Vitæ ejus*, cap. iii, et Revelationes B. Amadæi, ex iisque eum mutuatus videtur Galatinus, et alii multi qui eum exspectant. An recte et vere, posterorum ætas docebit. Mihi certum est eum hic a S. Joanne non describi, nec promitti. In oraculo S. Malachiæ, quod recitat Arnoldus Wion, lib. II *Ligni vitæ*, cap. xl, in fine, Pastor Angelicus in serie Pontificum futurorum, ponitur sextus a fine, sive sextus a Petro Romano, qui ultimus Pontifex ponitur.



*Quinto*, hosce mille annos a die judicii extremi orditur Alphonsus a Castro, lib. III *Contra hæres.*, verbo *Beatitudo*, hæres. 2, ubi per hosce mille annos docet denotari æternitatem Beatorum in gaudio et gloria cœlesti. Sic et S. Justinus, lib. *De Veritate Christianæ religionis*, asserit Joannem in Apocalypsi agere de mille annis, et lignum vitæ esse illosmet mille annos. Ait enim : « In his verbis, Secundum dies ligni vitæ dies populi mei erunt, etc., mille annos in mysterio arcane designari intelligimus. Ut enim Adæ dictum est, quo die de ligno vitæ edisset, esse moriturum; scimus illum mille annos non implevisse. Novimus etiam illud : Dies Domini ut mille anni, huc pertinere. » Huc ex parte accedit Viegas scribens ad vers. 4, ut ibi dicam.

Porro quod dicitur post mille annos solvendum Satanam, sic explicant, q. d. : Totis mille annis, id est, in æternum, ligatum esse Satanam; et tamen iis qui in mundo sunt, adhuc solutum manere; sive cum pie morientium inchoatur beatitudo, tunc aliorum nascentium et viventium bellum inchoari. Verum hæc violenta et contorta est explicatio. Nam, ut alia taceam, post mille hosce annos asserit Joannes solvendum esse Satanam, qui Gog et Magog congregabit in prælium, illisque cæsis fore judicium et resurrectionem, ut patet vers. 7, 11 et 12, indeque Sanctorum gloriam in cœlo describit cap. xxi et xxii, eaque claudit Apocalypsin. Ergo mille hi anni non sequentur, sed præcedent judicium, resurrectionem et gloriam Beatorum.

Prima ergo expositio, uti plurimos et gravissimos habet auctores, ita maxime genuina ac vera videtur.

Denique censet noster Turrianus, lib. *De Eucharist.*, xxxi, et Alcazar, S. Joannem hic alludere ad *Isaiæ* xxiv, 21 et 22, ubi dicitur : « In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, et super reges terræ qui sunt super terram; et congregabuntur in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur. » Reges enim aiunt esse dæmones, quos Paulus vocat « mundi rectores. » Verum licet in verbis nonnulla videatur esse allusio et similitudo, tamen alia prorsus Isaiæ est mens et sententia, uti ibidem docui, alia Joannis.

Anglo-Calvinista hosce mille annos numerat ab anno Domini 300, quo regnavit Constantinus Christianus, itaque ligatus est Satanas, eosque terminat anno Domini 1300 : tunc enim solutum esse Satanam, quia tunc cœpit imperium Turcicum, puta Ottomannicum, quod Ecclesiam Dei vastavit et vastat. Additque interim hisce mille annis fideles secreto regnare, id est, veram fidem sequi, esto dominetur bestia, id est, Antichristus, puta Pontifex Romanus. At quomodo hisce mille annis ligatus est Satanas, cum, ut ipse asserit, regnet iisdem in Ecclesia bestia, id est Antichristus? Quæ major libertas erit Satanæ, quod majus regnum ejus, quam tempore Antichristi, in quo operabitur et dominabitur Satanas totis viribus in omni virtute et seductione, uti ait S. Paulus II *Thessal.* ii, 10? Porro ridicula sunt æque ac stolida, quæ addit et divinat, imo delirat hæreticus, scilicet *primo*, Turcæ imperium duraturum « modico tempore, » ut ait hic Joannes, scilicet tantum « ad horam, diem, mensem et annum, id est, trecentos nonaginta annos. Si Julianorum annorum rationem sequamur, inquit, non prorogabitur impium regnum ultra septem annos amplius : tunc prorsus exstinguendum, ne vel ullo nominis vestigio superstite. »

*Secundo*, asserit resurrectionem primam factam esse a Joanne Wiclef, et similibus, qui pariter Anglus anno Domini 1300 (sed errat : Wiclef enim cœpit anno 1352) papatui se opposuit, et veram fidem Ecclesiæ restituit. Itane Calvinistæ transformant se in Hussitas et Wiclefitas? Prorsus : nescientes enim et inviti hic verum dicunt. Nam si conferas articulos Wiclef, quos recitat Prateolus, lib. X *Waldens.*, et alii, cum articulis Lutheri et Calvini, clare videbis hos ab illo hæreses suas emendicasse, adeoque Lutheranismum et Calvinismum non esse aliud, quam antecedentium hæresum, in Conciliis Romano et Constantiensi damnatarum, recrudescentiam et restitutionem.

*Tertio*, addit, post hosce mille annos, qui finiuntur anno Domini 1300, secuturos alios mille annos, quibus fideles, everso Papatu et Turcismo (quod, inquit, propediem exspectamus), regnabunt cum Christo in Ecclesia; quibus expletis solvetur secundo Satanas, et seducet Gog et Magog.

Ita ipse; sed hæc ex diametro pugnant cum verbis et mente S. Joannis, æque ac cum rerum eventu, et cum fide orthodoxa. Nam *primo*, S. Joannes asserit hosce mille annos resurrectionis primæ, in qua Martyrum animæ regnant cum Christo in cœlo, æque ac Christiani cum Christi Vicario Pontifice Romano in Ecclesia; ac proinde iisdem ligatum esse Satanam, sed illis expletis solvendum ut seducat Gog et Magog. Hi ergo mille anni simplices sunt et iidem, non duplices et diversi : puta sunt anni regni Christi in cœlo, æque ac in Ecclesia, iisque expletis semel tantum solvetur Satanas, non bis, uti docet hic Joannes. *Secundo*, quomodo potest annus 1300 vocari resurrectio prima ob paucos Wiclefitas, cum potius vocandus sit mors secunda ob Ottomannorum, qui tunc grassari cœperunt, persecutiones et strages? Adde, ante Ottomannos a tempore Mahometi, qui vixit anno Christi 600, ipsum et posteros ejus semper afflixisse Ecclesiam, idque graviter.

*Tertio*, divinat ipse Turcæ Imperium, æque ac Papatum, non duraturum nisi septem annos. At divinavit et scripsit hoc anno Domini 1609 (c-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

enim liber impressum se testatur). Jam autem agitur annus Domini 1620, hoc est duodecimus post hanc ejus divinationem, quo Papatus, æque ac Turcismus, consistit. Ergo errat et fallitur, ac fallit pseudopropheta, cum post septimum ejus annum, quo desituros eos prædixit, per quinque annos perdurent, nec ullum interitus eorum signum vel initium appareat.

*Quarto*, mille anni regni Christi non sequuntur mille annos quibus ligatus est Satanas, sed cum illis iidem sunt : regnum enim Christi est ligatio Satanæ. Christus enim regnans ligavit Satanam : sicut ex adverso solutio Satanæ sub Antichristo erit depressio, et pene eversio regni Christi, puta Ecclesiæ.

Denique stabit Ecclesia Orthodoxa et Romana, stabit Pontificatus usque ad finem mundi, uti promisit primo Pontifici Petro Christus *Matth.* XVI, 18 : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. » Et passim alibi dicitur quod regnum Christi, id est Ecclesia, erit æternum. Desinant ergo hæretici sperare vicinam ejus eversionem, quasi post illam ipsi mille annos regnaturi sint usque ad tempora Gog et Magog. Novantes enim ut amantes sibi somnia fingunt, dum Pontificatus ruinam, quam adeo optant, imminere augurantur. Didicerunt id a parente suo Luthero, cujus hoc oraculum fuit, æque ac votum :

Pestis eram vivens; moriens ero mors tua, Papa.

Verum falsus est, et fefellit impostor. Jam pridem enim mortuus est Lutherus, et tamen vivit, vivetque Papa : sed nimirum eum dementaverat, et cerebro orbaverat amor hæresis et libertatis, indeque consequens odium Papæ et Papatus.

3. ET SIGNAVIT SUPER ILLUM, — diabolum scilicet, ut patet ex genere Græco, quod est masculinum : signavit, inquam, abyssum, id est infernum firmissime clausit Lucifero, ne ipse inde egredi possit ; idque fecit potestate et auctoritate regia, scilicet divina, sicut Daniel, cap. XIV, vers. 13, ait fanum Belis signatum fuisse annulo regis. Est catachresis ; nec enim Angelus proprie signavit, id est, sigillum aliquod impressit inferno ; et licet impressisset, diabolus, qui spiritus est, facile illud illæsum, uti et ipsa quævis corpora, carceres et clausuras penetraret : frustra ergo hoc sigillum diabolo poneretur. Ergo per signaculum hoc symbolice tantum significatur firma alligatio ac conclusio Luciferi in inferno per auctoritatem et vim divinam, usque ad mille annos jam dictos, ut iis exactis solvatur modico tempore, scilicet per tres annos cum dimidio quibus regnabit Antichristus, idque ad hoc, ait S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. VIII (ubi fuse hunc locum tractat, sed multa ex eo mystice), ut ejus maligna potentia et sanctæ civitatis fidelissima patientia probetur, ac vicissim ostendatur Dei benigna, utilisque et cauta permissio in tanta tentatione Sanctorum.

4. ET VIDI SEDES (magnificas et augustas : has enim significat Græca vox θρόνοι), ET SEDERUNT SUPER EAS, ET JUDICIUM DATUM EST ILLIS. — Alcazar per *sedes* has accipit publicam Episcoporum, et præcipue Romanorum Pontificum, auctoritatem et majestatem, et potestatem judiciariam, quam adepti sunt mox ut sub Constantino inductum est publicum fidei Christianæ exercitium, itaque ligatus est Satanas, ejusque cultus in idolis. Quocirca sedentes in hisce thronis censet esse eosdem cum viginti quatuor senioribus, sedentibus in thronis cap. IV. Verum quia sequitur : « Et animas decollatorum, etc. Et qui non adoraverunt bestiam, » liquet has sedes ad aliud sæculum et ad tempora Antichristi pertinere.

*Secundo*, Aureolus more suo accommodat has sedes Ordinibus Præmonstratensi et Cisterciensi, qui sub S. Bernardo reflorescere cœperunt anno Domini 1135. In hisce enim duabus Religionibus, quasi sedibus, multi viri religiosi sederunt, quiescentes per contemplationem, compositionem affectuum, ac multiplicem perfectionem.

*Tertio*, Viegas refert hasce sedes in diem judicii, de quibus Christus ait Apostolis, *Matthæi* XIX, 28 : « Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. » Verum hæ sedes dicuntur fore in mille annis pacis, qua fruetur Ecclesia ante resurrectionem secundam, quæ erit corporum in die judicii ; unde subdit : « Hæc est resurrectio prima. »

*Quarto* ergo et genuine, sedes hæ sunt throni, in quibus jam per mille pacis Ecclesiæ annos, resident animæ decollatorum propter Jesum, et qui non adoraverunt bestiam. Sunt enim ipsæ in cœlo reges et principes, Deo quasi assidentes, ejusque visione fruentes. Hinc et « judicium datum est illis, » quia a Deo creati et destinati sunt judices, ut cum Christo in die judicii judicent orbem. Habent ergo nunc potestatem judiciariam quasi in actu primo, sed ejus usum et actum secundum exercebunt in die judicii. Est hyperbaton. Sic enim verba ordinanda sunt : « Et vidi sedes et animas decollatorum, et sederunt, » scilicet hæ animæ, « super eas » sedes : postponit enim Joannes τὸ et *animas decollatorum*, quia de iis plura erat dicturus, scilicet quod decollatæ essent propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, uti decollatus fuit S. Paulus, S. Jacobus, aliique Apostoli et Martyres. Rursum, hisce animabus decollatis adjungit eos, qui in fine mundi non adorabunt bestiam, id est Antichristum, nec recipient characterem ejus. Utrique enim sunt testes Jesu, et utrique partim jam sedent, partim in fine mundi morientes sedebunt, in hisce sedibus. Est hebraismus : ponitur enim relativum ante suum antecedens.

Similis est *Numer.* XXIV, 17, ubi ait Balaam : « Videbo eum, sed non modo ; » ac quem sit visurus explicat, dum subdit : « Orietur stella ex



Jacob, et consurget virga de Israel ; » quasi dicat : Christus erit ille quem visurum me dixi. Similia sunt alibi. Paulo aliter Ribera hæc ordinat et explicat, *q. d.* Vidi animas Beatorum in sedibus, et peculiariter animas Martyrum ; quomodo dicitur *Marci* cap. ult. vers. 7 : « Dicite discipulis ejus, et Petro, » *q. d.* Dicite discipulis, et maxime Petro.

Mystice, S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, IX, et ex eo Beda, Rupertus et Ansbertus, hæc accipiunt de judicio non extremo, sed præsenti, quo Prælati in Ecclesia a Christo habent et exercent potestatem ligandi et solvendi : hinc bestiam aiunt esse non Antichristum, sed populum infidelium ; imaginem vero bestiæ esse simulationem eorum, qui cum fidem profiteantur, infideliter tamen vivant.

Hoc mysticum est. Nam ad litteram ostensa est Joanni obiter hic, uti et cap. VII, vers. 9, beatitudo Sanctorum, præsertim eorum qui resistent Antichristo ; hi enim sedebunt judices cum Christo, et Antichristianos cum eo damnabunt, ut nimirum hac ratione et suos fideles sub Domitiano, Trajano, etc., et posteros, præsertim futuros sub Antichristo, hac spe gloriæ cœlestis animet ad patientiam et fortitudinem, ut generose stent usque ad mortem pro Christo, ac resistant tyrannis et Antichristo.

ET VIDI ANIMAS DECOLLATORUM PROPTER TESTIMONIUM JESU, ET PROPTER VERBUM DEI, ET QUI NON ADORAVERUNT BESTIAM, etc., ET VIXERUNT, ET REGNAVERUNT CUM CHRISTO MILLE ANNIS. — Syrus : *Et regnaverunt cum Christo suo his mille annis.* « Vixerunt, » id est quasi resurrexerunt, transeuntes ad vitam beatam et immortalem. Unde de reprobis subdit : « Cæteri mortuorum non vixerunt, » id est non resurrexerunt ad vitam beatam.

Jam *primo*, Alcazar vitam et resurrectionem hanc mysticam accipit, quasi dicat : Animæ Martyrum decollatorum resurrexerunt, non in se, sed in infidelibus, qui eorum exemplo et martyrio ad Christi fidem sunt conversi, aut in ea confirmati. Nam spiritus, religio et sanctitas Martyrum resurgit in eorum fide qui ad Christum convertuntur, ac consequenter in Romanæ Ecclesiæ gloria et splendore. Rursum, ipsæ animæ Martyrum in se quasi resurgunt : quia coluntur in terris, celebrantur et suspiciuntur publice a tempore Constantini, quo facta est publica religionis Christianæ professio. Pari modo explicat id quod sequitur quasi per antithesin : « Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. » Sensus enim est, inquit Alcazar, *q. d.* Tyranni aliique reprobi jam mortui non resurrexerunt, id est non fuerunt in orbe celebres et illustres, sed post mille annos, cum scilicet solvetur Satanas tempore Antichristi, tunc resurgent, id est erunt famosi et celebres. Nero enim, Diocletianus aliique reprobi resurgent quasi in Antichristo, ejusque asseclis, qui laudabunt, imitabuntur, imo superabunt Neronis, etc., impietatem et persecutionem in Christianos.

*Secundo*, Aureolus putat per animas decollatorum significari maximam persecutionem Saladini, qui astu occupans regnum Ægypti anno Christi 1187, plurimos Christianorum occidit, eisque Hierosolymam et Terram sanctam (quam Christiani, duce Godefrido Bullonio, recuperaverant et jam tenuerant per 80 annos) ademit. Per eos qui non adoraverunt imaginem bestiæ, intelligit reges Franciæ, Angliæ et Siciliæ, qui anno Christi 1191 receperunt Acconem, et anno Christi 1217 Damiatam. Hi enim non adoraverunt bestiam, id est Saladinum ; nec imaginem ejus, scilicet Mahometem ; nec acceperunt characterem ejus, scilicet circumcisionem. Tunc ergo Palæstini, qui sub Saladino videbantur in Palæstina esse mortui, quasi revixerunt et regnarunt cum Christo mille annis, regnum scilicet Christianitatis manutenendo usque ad tempus Antichristi, sed non in Palæstina. Nam inde jam diu expulsi sunt Christiani.

Rursum, Aureolus hosce mille annos inchoat a S. Sylvestro Pontifice, qui sedit anno Christi 316 : inde, ait ipse, usque ad præsentem annum quo hæc scribo, qui est 1319, sunt mille et tres anni. Jam ergo tribus annis deberet natus esse Antichristus. Sed quia hic necdum comparet, propterea certitudo istius numeri debet Spiritui Sancto reservari. Ita ipse jam a trecentis annis fatetur se falsum in numero. Adde trecentos post ipsum jam elapsos, et plures qui elabentur usque ad Antichristum, ac ipsa experientia cognosces ipsum valde in hoc suo computu et conjectione a vero aberrasse.

*Tertio*, Viegas per hosce mille annos vers. 4, accipit æternitatem, per quam Sancti post judicium cum Christo regnabunt in cœlo. Hoc enim videtur hic dicere Joannes, dum ait : « Et sederunt, et judicium datum est illis ; » et paulo post : « Et vixerunt, et regnaverunt mille annis, » scilicet post diem judicii, de quo egi in fine capitis præcedentis. Verum obstat quod, post hos mille annos, dicitur solvendus Satanas, qui congregabit Gog et Magog, ut pro Antichristo pugnent contra Christum et Christianos. Respondet Viegas alios hoc versu esse mille annos ab illis vers. 2 et 7, ac S. Joannem ludere in mille annis, sicut Daniel ludit in voce *tempus, Daniel.* VII, 12. Verum hoc implicatius est et obscurius, atque hunc locum valde intricat : nec S. Scriptura solet in certis et definitis numeris ita ludere et æquivocare, præsertim cum iis præfigitur articulus, uti utroque in loco hisce mille annis idem articulus præfigitur. Adde, contextus ipse totius capitis plane innuit, de iisdem mille annis hic agi. Denique S. Joannes vocat hanc resurrectionem primam : ergo erit ante resurrectionem secundam, quæ fiet in extremo judicio. Ad argumentum Viegas respondeo, dici de animabus hisce, « Sederunt, » scilicet quasi principes et triumphatores ; adde :

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et quasi judices, non præsentes, sed futuri. Unde « datum est illis judicium, » id est potestas judiciaria, ut scilicet judicent cum Christo, quando ipse veniet judicaturus orbem, quasi dicat : illæ animæ hic despectæ, capite minutæ, et quasi sepultæ ac oblivioni traditæ, coram Deo vivunt et regnant mille annis, ideoque sedent in thronis regalibus, in iisque judicaturæ sunt suos hostes. Solet enim Joannes Martyres et fideles in persecutione consolari, refricando eis memoriam et spem judicii, in quo ipsi qui injuste hic judicati sunt, suos judices et præsides a quibus damnati sunt, judicabunt. Rursum, occurrit Joannes tacitæ objectioni; dicet enim quis : Si Sancti hic occisi demum apparebunt et judicabunt in fine mundi, ergone usque ad finem mundi mortui sunt, aut dormiunt, et in sepulcris antrisve suis delitescunt? Respondet Joannes, minime gentium. Nam vivunt hæ animæ et regnant in cœlis, etiamsi a nobis non videantur. Adde Joannem hic prophetam agere, ideoque spiritu prophetico miscere tempora distincta et remota, nimirum miscere mille annos cum die judicii. Hic enim est mos Prophetarum, qui proinde sæpe ab uno tempore volant ad aliud, et mox revolant : hinc et habent sua hyperbata et hysterologias, uti hic vers. 5 et 7, manifesta est hysterologia, et anacephalæosis, sive recapitulatio, uti fatetur ipse Viegas.

Pro responsione ergo, nota solere Hebræos dicta sua sæpe non ad proxime præcedentia, sed ad remotiora, quæ anterius præcesserunt, referre. Itaque quod hic dicitur de his animabus : « Vixerunt, et regnaverunt mille annis, » non tam ad Confessores et Martyres, qui bestiam, id est Antichristum, adorare noluerunt, quod proxime præcessit, quam ad animas decollatorum, scilicet tempore S. Joannis sub Domitiano aliisque tyrannis Romanis, referendum est. Sensus ergo est, *q. d.* Animæ horum Martyrum decollatorum, licet mortuæ et annihilatæ videantur impiis, in cœlo tamen vivunt et regnant cum Christo mille annis jam dictis, id est, tota serie temporis hujus sæculi, quod fluet a Christo usque ad Antichristum et diem judicii; in qua quæ prius decollatæ sunt pluribus, quæ posterius paucioribus annis vixerunt et regnarunt, ac vivent et regnabunt usque ad finem mundi, quando in corpore gloriosi resurgent, ut plane pleneque beatæ regnent in æternum : ita Primasius, Richardus, Aretas, Ambrosius, Beda et alii passim (1). Idem ergo hic sunt mille anni cum illis vers. 2, 3 et 7; millenarius enim, ut dixi, significat temporis multitudinem et universitatem.

Porro hi mille anni, cum agitur de ligatione Satanæ, isque dicitur post mille annos solvendus, præcise finiuntur in initio regni Antichristi : tum enim solvetur Satanas. Cum vero iidem mille anni tribuuntur Sanctis, diciturque quod eorum animæ per mille annos in resurrectione prima regnabunt cum Christo, tunc hi mille anni, quibus durat regnum hoc animarum, et earum resurrectio prima, porrigitur usque ad resurrectionem secundam, puta corporum, quæ fiet in die judicii. Alloqui enim esset implicatio manifesta, asserere regnum hoc animarum per mille annos futurum esse ante solutum Satanam, et simul dicere regnum hoc fore præmium eorum, qui post solutionem Satanæ aut oppugnati, aut capite mulctati sunt, eo quod noluerint adorare Satanæ bestiam, id est Antichristum. Utrumque vero hoc modo recte conciliabis, si dicas mille annos hosce, quatenus respiciunt ligationem Satanæ, præcise terminari in Antichristo; quatenus vero respiciunt regnum et gloriam animarum, ulterius porrigi usque ad diem vicinum judicii, in quo æternum et plenum undequaque regnum nanciscentur. Regnum enim quod semel inchoarunt non amittent, sed semiplenum quod adeptæ sunt obtinebunt, donec plenum in die judicii adipiscantur.

Denique nonnulli suspicantur per annos mille, quos hic præcise assignat S. Joannes et sexies iterat, symbolice notari mille annos quibus duratura est secta, regnum et persecutio Mahometis, puta Saracenorum et Turcarum. Hæc enim secta diutissime duravit, et gravissime afflixit Ecclesiam, fuitque typus et præambula Antichristi : unde et post eam exstirpatam, et aliquantam Ecclesiæ pacem et florem sequentur prodromi Antichristi, ipseque Antichristus. Itaque hunc locum sic explicant : Angelus, inquiunt, Satanam, qui antea grassabatur per Simonianos, Arianos, Nestorianos, Eutychianos, Pelagianos, aliosque plurimos et potentissimos hæreticos, ligavit sub annum Domini 630 in abysso, id est in secta Mahometis, quæ est abyssus et vorago errorum, libidinum et scelerum. Post Mahometem enim non tot fuerunt hæreses et hæretici, quot ante, quia Satanas ad eam sectam quasi religatus videtur, in eaque occupatus omnes suas vires exerit. Post hos mille annos, puta exstirpata secta Mahometis, solvetur Satanas, novaque et plurima hæresum, hæreticorum et persecutorum monstra producet, uti fecit ante Mahometem. Unde vers. 4, vidit Joannes animas decollatorum (plurimi enim fideles a Saracenis et Turcis occisi et decollati sunt, eo quod noluerint adorare bestiam, id est colere Mahometem, qui carnalem et bestialem legem instituit), qui hisce mille annis quibus durabit secta Mahometis, regnabunt cum Christo in cœlis. Porro « cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni, *q. d.* Saraceni, Turcæ cæterique infideles, qui per Mahometismum, infidelitatem aliaque scelera quoad animam spiritaliter coram Deo sunt mortui, destinatique ad mortem æternam, hi hisce mille annis sectæ Mahometis non vixerunt; sed iis expletis vivent, quia convertentur ad Christum, viventque vita gratiæ et gloriæ. Hæc est resurrectio prima, qua major pars mundi a morte infidelitatis et peccati resurget ad vitam fidei et justitiæ : his obtinget resurrectio secunda, qua resurgentes ibunt in vitam beatam, et regnabunt cum Christo mille annis, id est, per totam æternitatem. Et cum consummati fuerint mille priores anni, qui antecedunt resurrectionem primam jam dictam, solvetur Satanas, quia post exstinctam sectam Mahometis, Satanas excitabit Gog et Magog, prodromos Antichristi, ipsumque tandem Antichristum.

Confirmant hanc suam sententiam et explicationem, *primo*, quod S. Joannes cum in Apocalypsi conscribat magis notabiles et illustres Ecclesiæ persecutiones, non videatur omisisse maximam et longissimam, qualis est Mahometis et Saracenorum; quin potius eam præ reliquis indicari, sed prophetice, id est, ænigmatice et obscure.

*Secundo*, quod hic agat de temporibus novissimis, ejusque præludiis et typis, qualis est secta Mahometis. Unde et cap. VI, vers. 8, sectam Mahometis designavit per equum pallidum cui insidebat mors, ac mox post eam transit ad tempora novissima Antichristi, quasi post eam hæc brevi secutura sint.

*Tertio*, quod mille annos toties præcise hoc capite assignat et iteret. Mille autem nusquam invenire possumus, nisi in secta Mahometis. Ipse enim Mahomet sive a Deo, sive a diabolo inspiratus, prædixit suam sectam et regnum duraturum per mille annos. Idem prædixerunt alii, adeoque hæc communis Saracenorum et Christianorum est vox et sententia, quam Mahometani pro indubitata et certissima habent.

*Quarto*, ex rei eventu. Videmus enim, jam mille annis Mahometismi pene expletis, hanc sectam ejusque imperium valde nutare et inclinare. Turcæ enim deficiunt animis, viribus, unione (dum inter se rebelliones et schismata internecina concitant), militia, ducibus, pecunia, rebusque cæteris, quibus Christiani Imperatores, Reges et Principes accrescunt et assurgunt. Sane Deus Serenissimum Imperatorem Ferdinandum, utpote fidelem, piam, clementem, justum præ multis, tot prosperis successibus, victoriis et beneficiis cumulat, ut eum Deo curæ et cordi esse non tam oculis cernamus, quam manibus palpemus. Idem dico de cæteris Principibus orthodoxis. Atque ut alios taceam, serenissimus Poloniæ Rex Sigismundus III ejusque proceres, anno Domini 1621, illustrem illam de Turcis insigni Dei dono retulere victoriam, qua eos pene protriverant; protrituri plane, si eam persecuti fuissent. Ille enim annus Domini 1621 præcise fuit millesimus ab anno Domini 621, a quo Turcæ Mahometis suæque sectæ annos numerant. Illo enim anno aiunt Mahometem jura et leges dare cœpisse : a quo proinde suam æram, quam ipsi *Hegiram* vocant, ordiuntur, sicut Christiani suam æram ordiuntur a nativitate Christi : ita Genebrardus in *Chronolog.* anno Christi 621. Verum Christiani ordiuntur annos sectæ et regni Mahometis ab anno Christi 630. Illo enim fundata est hæc secta et regnum, illoque pariter mortuus est Mahomet. Ita Theophanes, Cedrenus, Baronius, Bellarminus, Gordonus, Bzovius, Spondanus, et alii in *Chronolog.* Quare cum, instante jam anno Christi 1630, explendus sit millesimus a Mahomete annus, circa illum magnum Imperii Turcici et sectæ Mahometanæ inclinationem, vel ruinam, aut ruinæ exordium exspectant. Quod ipsum ita revera fore, nonnulli viri sanctitatis et prophetiæ fama celebres in Italia, Germania, Hispania, etc., prædixerunt. Idem viri sapientes et sagaces ex variis tum præteritis, tum præsentibus eventibus solerter conjectant, dictitantque finem et terminum belli contra hæreticos, quem propediem sperant, fore principium belli contra Turcas et Saracenos, nisi Christianorum vel æmulationes et dissidia, vel socordia et torpor, vel graviora scelera impediant. Ad hoc enim multis magnisque voluntatis suæ indiciis eos invitare et vocare videtur Deus.

Accedit congruentia typi cum antitypo. Liberatio enim Hebræorum a Pharaone et Ægypto typus fuit liberationis Christianorum e potestate infidelium, præsertim Turcarum. Atqui 1630 circiter anni fluxerunt a servitute Hebræorum in Ægypto usque ad plenam eorum liberationem factam per Christum. Ergo totidem anni fluent a Christo usque ad plenam Christianorum liberationem ab infidelibus, præsertim Turcis : illa ergo fiet sub annum Christi 1630. Idque aliquatenus adumbravit Christus ætate sua : nam anno trigesimo cœpit prædicare et fundare Christianismum. Omitto Astrologos, qui ex astrorum concursu sub annum jam dictum futuro idem divinant, atque hac de re libros ediderunt. Hæc enim divinatio parum tuta, incerta et infida est.

Ita auctores nonnulli, mystice potius quam litteraliter. Verum quam vera sit eorum hæc vel sententia, vel suspicio, brevi eventus ætasque docebunt.

5. CÆTERI MORTUORUM (puta improbi et reprobi omnes) NON VIXERUNT (scilicet vita beata; sed iverunt in mortem primam, id est, in damnationem animæ in gehenna), DONEC CONSUMMENTUR MILLE ANNI, — hujus sæculi in hac vita temporali, ut ea finita per resurrectionem eant in mortem secun-

(1) Ita et Alliol. Sancti omnes cum Christo regnare debent; sed frequentior specie, decollatorum semper, ponitur hic vice generis. Frequentissimum enim apud Romanos securis supplicium : ideo magistratus incedebat cum securibus. Ipsæ itaque beatæ animæ, et quodammodo etiam sacra eorum corpora, seu Reliquiæ, ex tunc regnaverunt cum Christo, quia hæc mystica eorum in terris renovata vita confert tum ad majorem manifestationem gloriæ Christi, tum ad ædificationem, consolationem, protectionem et decorem Ecclesiæ in terra pro Christo militantis. Regnant autem multis modis, utpote ab ipso Christo in societatem imperii ad gubernandam Ecclesiam adsciti, puta intercessione, protectione, bonis anteactæ vitæ exemplis, piis suis institutionibus, impetratis per illos miraculis, aliisque modis innumeris, ad bonum maxime spirituale, sed etiam interdum temporale fidelium devote illos invocantium.

dam. Opponit enim pios impiis, electos reprobis per hosce mille annos, quod nimirum pii et electi vivant in resurrectione prima, id est, quoad animam sint beati, regnentque cum Christo, donec hi mille anni consummentur, ut tunc transeant ad resurrectionem secundam, sintque beati et gloriosi in anima et corpore : impii vero et reprobi, dum moriuntur, transeant in mortem primam, id est, in punitionem animæ in inferno, ut consummatis mille annis hujus vitæ, in die judicii resurgentes transeant in mortem secundam, id est, punitionem æternam animæ et corporis.

Alludit toto hoc loco Joannes ad *Isaiæ* XXVI, 14, ubi *primo*, de improbis morientibus ait Isaias : « Morientes non vivant, gigantes non resurgant ; propterea visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum. » Deinde vers. 19, de piis morientibus per antithesin subdit : « Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; » et vers. 20 : « Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te : abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio, » id est, persecutio Antichristi, inquit Alcazar. Vide ibi dicta.

Aureolus per hosce mortuos accipit Fridericum II Imperatorem cum suis, qui a Gregorio IX Pontifice excommunicatus est in Concilio Lateranensi : unde videtur hoc schisma Friderici duraturum mille annis, scilicet usque ad Antichristum. Sed et hic fallit prophetia, aut potius conjectatio Aureoli ; nam hoc schisma jam diu evanuit. Male computavit Aureolus, ex eo quod opinatus sit statim post sua tempora venturum Antichristum. Nam Historiam Ecclesiasticam ab initio prosequitur, et perducit usque ad sua tempora, eamque per partes ita adaptat Apocalypsi, ut in sua ætate finiat, ab eaque mox saliat ad Antichristum : nimirum fuit ipse Historicus, non Propheta ; scivit quid ante se factum esset, nescivit quid post se futurum esset. Unde liquet Apocalypseos explicationem quam ipse tradit, tantum applicationem esse et adaptationem ad Historiam Ecclesiasticam a Christo ad sua usque tempora. Verum aliud, et alia post Aureolum tempora spectavit cœlestis hæc aquila, puta S. Joannes, ac novissima mundi vidit et prædixit, uti mox patebit.

Simili ratione permotus S. Norbertus, Ordinis Præmonstratensis fundator, vir Apostolicus et prophetico pollens spiritu, sub annum Domini 1100, Antichristi adventum imminere existimavit; de quo ita scribit oculatus et auritus testis S. Bernardus, *epist.* 56 : « Quod a me de D. Norberto sciscitamini, si videlicet iturus sit Hierosolymam, ego nescio. Nam cum ante hos paucos dies ejus faciem vid[illegible], et de cœlesti fistula, ore videlicet ipsius plurima haurire meruerim, hoc tamen ab ipso non audivi. Verum de Antichristo cum inquirerem quid sentiret, durante adhuc ea quæ nunc est generatione revelandum illum esse, certissime se scire protestatus est. At cum eamdem certitudinem unde haberet, sciscitanti mihi exponere vellet, audito quod respondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem, nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem. » Notavit forte schisma, quod paulo post fecit Petrus Leonis contra Innocentium II Pontificem.

Symbolice notant aliqui repeti hic et nominari bis mille annos, quibus regnabunt Martyres et Sancti cum Christo, ut denotetur bis mille annos duraturam Ecclesiam, et regnum Christi in hoc sæculo, ac post illos fore finem mundi, et regnum gloriosum æternumque Christi ac Sanctorum in cœlo. Censent enim, aut potius conjiciunt multi, mundum duraturum per sex millia annorum, scilicet quatuor millibus ante Christum, et bis millibus post Christum, non præcise, sed circiter, sive plus minus. Nominantur ergo bis mille anni a Christo usque ad finem mundi : quia vero mille erunt, non simplices, sed repetiti sive duplices, hoc est bis mille. Imo Viegas et aliqui alii putant S. Joannem bis mille annos numerare, quia priores erant diversi a posterioribus, itaque Joannem præcise numerare bis mille annos post Christum.

Ad id astruendum congruas rationes plures afferunt. *Prima* est, quia sex diebus conditus est mundus : ergo totidem, puta sex millibus annorum, consistet. Mille enim anni sunt apud Deum sicut dies unus, ut ait S. Petrus, *epist.* II, cap. III, vers. 8, et *Psalm.* LXXXIX, vers. 4. Unde *Genes.* cap. I, quo describitur creatio et fabrica mundi, reperiuntur sex *aleph*; *aleph* autem Hebræis arithmetice denotat mille, *q. d.* Creavit Deus cœlum et terram ad sex *Aleph*, id est, ut duret sex millia annorum. Confirmatur id *primo*, quia dies septima, puta sabbatum, quo quievit Deus ab opere creationis, significat diem beatæ quietis Sanctorum post resurrectionem communem in cœlo, uti docent Patres, puta septimum millenarium æternitatis : ergo proportionaliter et consequenter, sex præcedentes dies creationis mundi repræsentant sex millenarios temporis et sæculi hujus, post quod immediate sequetur sabbatum, id est, septimus millenarius æternitatis. Unde S. Cyprianus, tract. *De Exhort. martyrii*, cap. XI : « Primi, inquit, in dispositione divina septem dies annorum septem millia continentes. » *Secundo*, sex primi parentes orbis, scilicet Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, mortui sunt; septimus Henoch vivus in cœlum translatus est : quia post millenarios sex quibus labor et mors viguerit, initium erit quietæ et immortalis vitæ, ait Isidorus citatus a Glossa in cap. V *Genes. Tertio*, *Genes.* VI, 3, hominum vitæ et ævo statuitur mensura 120 annorum, quos symbolici symbolice accipiunt, nimirum ut hi sint anni magni et Mosaici, puta jubilæi, ita ut quilibet complectatur



quinquaginta annos : quo fit ut hi 120 anni Mosaici conficiant sex millia annorum vulgarium, quibus durabit mundus, et hominum generatio. Multiplica enim 120 per quinquaginta, invenies sex millia. *Quarto*, quia Joannes consignans hic ætatem et finem mundi, sexies nominat mille annos, quasi innuens sex millibus annorum duraturum mundum ; *primo* enim ait vers. 2 : « Ligavit eum per annos mille; » *secundo*, vers. 3 : « Donec consummentur mille anni; » *tertio*, vers. 4 : « Regnaverunt cum Christo mille annis; » *quarto*, vers. 5 : « Donec consummentur mille anni; » *quinto*, vers. 6 : « Regnabunt cum illo mille annis; » *sexto*, vers. 7 : « Cum consummati fuerint mille anni. » Ut quid enim præcise repetit sexies « *mille anni* sine necessitate, illudque sexies iterat et inculcat, nisi ut innuat post sex mille annos fore consummationem mundi, Apocalypseos rerumque omnium.

Confirmatur, quia hac de causa S. Joannes, cap. VI, a quarto sigillo equi pallidi, qui repræsentat Mahometem et Saracenos, per quintum sigillum quo prodeunt animæ Martyrum ab iis occisorum petentes vindictam, statim in sexto sigillo vers. 12, transit ad tempora orbis novissima, videtque solem obscurare, lunam rubescere, stellas de cœlo cadere, etc., ut significet quod post Saracenismum proxime sequetur finis mundi. Ipse ergo est ultima publica et generalis Ecclesiæ persecutio : ac proinde ipsius et mundi finis in hoc sexto ejus annorum millenario appropinquat. Jam enim Saracenismus duravit mille annos, et ad finem vergit. Quin et Mahometani jactant oraculum, suam sectam et regnum duratura mille annis : estque hoc in ore eorum frequens et celebre, nimirum post mille annos illa declinatura, ut sensim secta deficiat et eat in ruinam.

*Secunda* ratio est a pari vel simili. Tres in mundo successive fuerunt leges et status, nimirum lex naturæ, lex Mosis, lex Christi. Atqui tempus legis naturæ, quod fuit ab Adam usque ad Abraham (qui circumcisionem, quæ initium fuit et tessera legis Mosaicæ, a Deo accepit et instituit), duravit pene per bis mille annos. Rursum, tempus legis Mosaicæ, sive circumcisionis, pariter duravit bis mille annos : tot enim sunt præcise ab Abraham usque ad nativitatem Christi, ut patet ex Tabula chronologica, quam Genesi præfixi. Ergo pariter tertia lex et status mundi, puta lex gratiæ et Christi, durabit totidem, id est, bis mille annis circiter, ita ut triplex hoc triplicis legis tempus, quæ totius mundi est ætas, simul junctum conficiat, duretque per sex millia annorum. Unde in hujus rei symbolum et typum jussit Deus Josue, ut in transitu Jordanis arca Dei distaret bis mille cubitis a populo, *Josue* III, 4, ut significaretur, duobus millibus annorum tempus illud describendum, quo sacer Jordanis hujus baptismus, cæteraque Sacramenta vigeant; quo non nisi procul arcam, et quæ in ea condita sunt mysteria, in ænigmate, inquam, et quasi per speculum, arcam, id est humanitatem Christi, et latentem in ea divinitatem, quæ jam per mille sexcentos annos antecessit, videamus; eam prope, id est facie ad faciem, contemplaturi in terra promissa, id est in cœlo, expletis bis mille annis, inquit ibidem noster Serarius, Quæst. VIII, in fine. Unde sequitur, ab hoc tempore usque ad Antichristum, diem judicii, resurrectionis et gloriæ Beatorum, superesse quadringentos annos, non præcise, sed indefinite, uti mox dicam, quibus adhuc prædicandum est Evangelium in Sina, Tartaria aliisque incognitis Indorum regionibus, ibique fundandæ sunt Ecclesiæ, et stabilienda Christi religio : ac deinde iis exactis veniet finis mundi, rerumque omnium, ibique terminabitur Apocalypsis, omniaque ejus mysteria, uti hic innuit S. Joannes. Porro tempus legis Christi non fore majus, aut non multo, tempore legis naturæ et Mosaicæ, colligitur ex eo quod tempus legis Christi a Prophetis vocetur « novissimum; » et a S. Joanne, *epist.* I, cap. II, vers. 18, « novissima hora; » et a Paulo, I *Corinth.* X, 11, « finis sæculorum. » Unde et S. Petrus, *epistola* I, cap. IV, vers. 7 : « Omnium, ait, finis appropinquavit; » et S. Jacobus, V, 8 : « Adventus Domini appropinquavit. »

*Tertia* ratio est, quia mundus jam videtur senescere, ac tendere ad occasum et interitum. Nunc enim longe verius est id, quod de suo ævo dixit S. Cyprianus *ad Demetrianum* : « Scire debes senuisse jam mundum, non illis viribus stare quibus prius steterat, nec vigore et robore eo valere quo antea prævalebat. Hoc mundus ipse jam loquitur, et occasum sui rerum labentium probatione testatur : non hieme nutriendis seminibus tanta imbrium copia, non frugibus æstate torrendis solita flagrantia est, nec sic verna de temperie sua læta sunt, nec adeo arboreis fœtibus autumna fecunda sunt. Minus de effossis et fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ, minus argenti et auri opes suggerunt exhausta jam metalla. Deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Minuatur necesse est, quidquid fine jam proximo in occidua et extrema devergit. » Et mox : « Hæc sententia mundo data est, hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, et aucta senescant, et infirmentur fortia, et magna minuantur, et cum infirmata et diminuta fuerint, finiantur. Cum olim ultra 800 et 900 annos vita hominum longæva procederet, vix nunc potest ad centenarium numerum pervenire. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectute desinit, sed incipit a senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat, sic quodcumque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat; ut nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectione sit et in fine. »




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Unde sub finem concludit : « Quia jam mundi finis in proximo est, ad Deum mentes vestras Dei timore convertite. » Putavit enim, licet falso, ex falsa chronologia S. Cyprianus jam elapsa esse sex annorum millia, mundi durationi a Deo præstituta. Hoc enim est, quod ait ipse *ad Fortunatum de Exhort. Martyr.* : « Sex millia annorum jam pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. » Idem de senescente mundo, æque ac de adventante ejus fine, censuit S. Ambrosius, lib. X *in Lucam*, Hilarius *in Constantium*, S. Gregorius, homil. 1 *in Evang.*, et S. Chrysostomus, homil. 33 *in Joan.* : « Non, ait, longe a fine absumus, sed jam mundus properat : hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræ motus, hoc extincta charitas significat. »

*Confirmatur primo*, quia videmus Romanum Imperium valde declinare, et ad interitum vergere. Hoc autem durabit usque ad Antichristum et finem mundi, ut patet *Daniel.* cap. II, vers. 43 et 44; ergo mundi finis appropinquat. Rursum videmus Evangelium prædicari in China, Japone, Indiis, et incognitis hactenus provinciis, adeoque totum orbem pervasisse. Ergo finis mundi adventat. Nam Christi vox est : « Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio, » *Matth.* XXIV, 14.

*Quarta* ratio est ab auctoritate et traditione. Ita enim in hanc sententiam conspirant Christiani, Hebræi, Gentiles, Græci et Latini, ut videatur esse vetus communisque traditio. Ita S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, cap. VII, explicans hosce mille Apocalypseos annos : « Mille, inquit, anni duobus modis possunt intelligi : aut quia in ultimis mille annis ista res agitur, id est sexto annorum millenario, tanquam sexto die, cujus nunc spatio posteriora volvuntur; secuturo deinde sabbato, quod non habet vesperam, requie scilicet Sanctorum quæ non habet finem : ut hujus millenarii tanquam novissimam partem, quæ remanebit usque ad terminum sæculi, mille annos appellaverit, eo loquendi modo quo pars significatur a toto, aut certe mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. »

S. Hieronymus in epistolari explicatione *Psalmi* LXXXIX *ad Cyprianum*, ex illo ejus versiculo : « Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit, » deducit, omnem præsentis sæculi durationem fore sex millium annorum. « Ego, inquit, arbitror ex hoc loco mille annos pro una die solitos appellari, ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus, sex millibus tantum annorum credatur subsistere, et postea venire septenarium et octonarium numerum, in quo verus exerceatur sabbatismus : unde et octo beatitudinibus bonorum operum præmia promittuntur. » Idem innuit scribens in caput IV Michææ. Idem expresse docet Victorinus hic, S. Justinus, Quæst. LXXI *ad Gentes*, Irenæus, lib. V, cap. ult., Lactantius, lib. VII, cap. XIV fuse, Hilarius, canon. 17 *in Matthæum*, quorum verba citat Sixtus Senensis, lib. V *Biblioth.*, annot. 190; licet enim aliqui ex his fuerint Chiliastæ, hæc tamen eorum opinio de sex millibus annorum mundi, ad errorem Chiliastarum impertinens est. Idem censent Rabanus in *Deuter.*, lib. I, cap. XI, Q. Julius Hilarion, lib. *De Mundi duratione*, qui exstat tomo VII SS. *Patrum*. Ex Ethnicis idem tradiderunt Hydaspes, Mercurius Trismegistus et Sibyllæ, teste Lactantio et Sixto Senensi.

Rursum, idem diserte asserit S. Gaudentius Brixianus, tract. 10 : « Exspectamus, inquit, illum vere sanctum septimi millesimi anni diem, qui adveniet post istos sex dies, sex millium videlicet annorum sæculi, quibus completis requies erit veræ sanctitati, et fideliter credentibus in resurrectione Christi. Nam nulla erit ibi pugna contra diabolum, qui tunc utique detinebitur suppliciis relegatus. » Idem docet S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha ex auctoritate illustrium Græciæ Patrum, S. Cyrilli, Hippolyti, etc., lib. *De Theoria rerum Ecclesiast.*, ubi causam inquirit, cur Pontifex populo benedicens, digitos attollat ad supputationem numeri 6500 accommodatos? ac respondet : quod Pontifex obsignet populum, id subindicat, adventum Christi ad judicium fore anno mundi 6500.

Idem docent Isidorus et noster Serarius, quos paulo ante citavi, Abbas Joachim hic, Bellarminus, lib. III *De Rom. Pontif.*, cap. III; Fevardentius, lib. V *in Iren.*, cap. ult.; Genebrardus, lib. I *Chronol.*, pag. 2; Joannes Picus Mirandula, lib. V, cap. X *in Astrolog.*, ubi ab anno Domini 1486, quo ipse hæc scribebat, numerat annos quingentos et quatuordecim, et dies viginti quinque (sed hoc nimis est minutum et præcisum) usque ad consummationem sæculi. Adde annis Domini 1485 futuros adhuc quingentos quatuordecim, habebis bis mille annos post Christum.

Idem docet Petrus Bongus, tract. *De Numer. mysteriis*, in sexies millesimo, ubi pro eadem sententia citat Anastasium Sinaitam, Joannem Lucidum, Nicolaum Cusanum, S. Cyrillum et Chrysostomum. Ex Hebræis ita censent Moses Gerundensis, magnæ auctoritatis apud Hebræos, R. Isaac *in Genes.* cap. I, R. Elias, cujus hoc quasi oraculum celebratur a Judæis in *Talmud* tom. IV, tract. 4, qui inscribitur *Sanedrim*, id est judicium : « Sex millia annorum erit mundus, et iterum destruetur; duo millia fuerunt inanitatis (legis naturæ), duo millia legis Mosaicæ, duo millia erunt dierum Messiæ. »

Porro S. Ambrosius cæteris Patribus, et huic eorum sententiæ adversatur lib. VII *in Lucam*, sed falsa nititur ratione et supputatione : Quia, inquit, ad hæc usque mea tempora plusquam sex annorum millia a condito mundo elapsa



sunt. Hoc enim ex vera Chronologia liquet esse falsum. Eadem ratio, idemque computus in eumdem errorem duxit Philippum Solitarium (quem edidit noster Jacobus Pontanus), lib. III *Dioptræ*, cap. VIII; putavit enim ipse suo ævo jam exacta esse sex annorum millia ab orbe condito. Vixit enim et scripsit anno 16 Alexii Comneni imperatoris (ut ipse ait ibidem), qui fuit annus post Christum 1105, atque numerat ab exordio mundi usque ad Christum annos 5500; unde sequitur, anno Comneni 16 qui fuit Christi 1105, elapsos fuisse annos 6605 ab orbe condito. Quod manifeste est falsum : Christus enim natus est anno mundi 3950, uti ostendi in Tabula chronologica Genesi præfixa, ac consequenter hoc anno Christi 1620 agitur annus mundi 5570. Restant ergo adhuc 430 anni ad explendum numerum sex millium annorum, quibus durabit mundus.

Hæc sententia (non definiendo certum diem, nec annum) uti communis, ita probabilis est conjectura; nihil enim certi hac in re definire possumus, utpote quæ pendet a secreto Dei decreto, ne audiamus illud Christi : « Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, » *Actor.* I. Et hoc tantum videntur velle S. Augustinus *in Psal.* LXXXIX, vers. 4, Beda, lib. *De Ratione Temp.*, cap. LXV, Pererius *in Genes.* cap. II, vers. 4, Franciscus Suarez, III part., disp. LIII, sect. 4, Josephus Acosta, lib. I *De Temp. novissim.*, cap. II, et aliqui alii, qui hunc computum sex millium annorum mundi respuunt, nimirum si definite et præcise intelligatur. Inde enim sequeretur, uti recte ipsi argumentantur, nos posse scire et indicare præcise annum et diem consummationis mundi, et extremi judicii, scilicet diem judicii fore anno mundi primo post sexies millesimum, ejusque primo die. Illo enim præcise finiuntur sex millia annorum, quibus dicitur duraturus mundus. Hoc autem repugnat Christo dicenti : « De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, » *Marc.* XIII, 32. Idipsum autem non sequitur, si hunc numerum sex millium annorum non arithmetice et præcise, sed geometrice et moraliter accipias, nimirum hoc sensu, quod mundus duraturus sit tantum sex millenarios annorum, non plures, ac proinde non perventurus sit ad septies millesimum, sed ante eum desinet; an autem, et quot anni, vel simplices, vel deni, vel etiam centeni, post sexies millesimum futuri sint, et excursuri versus septies millesimum, usque ad finem mundi, hoc ignoramus : sufficit nosse nos versari in ultimo millenario annorum mundi : an quid ei defuturum sit, an superfuturum, nos latet.

Ex dictis liquet nos valde accedere ad finem mundi, eumque non longe abesse; cujus rei multa sunt signa : *primum*, quod videamus Evangelium jam pene toto orbe prædicatum, adeoque ad extremos Sinas penetrasse; *secundum*, quod S. Vincentius Fererius, qui nuper vixit, mortuus est enim anno 1418, asseveranter idipsum prædixerit et prædicarit, idque jussu Christi, ut habet Vita ejus, lib. II, cap. IV et V; *tertium*, quod apud Turcas constans sit oraculum, Mahometis sectam duraturam mille annos; hi autem anni jam quasi expleti sunt : hujus enim sectæ videtur ultima fore contra Ecclesiam persecutio · *quartum*, est prophetia S. Malachiæ, Archiepiscopi Hiberniæ, cujus vitam scripsit S. Bernardus, quæ exstat apud Arnoldum Wion in *Chronicis Ordinis S. Benedicti*, sive in *Ligno vitæ*, lib. II, cap. XL, in fine; in qua S. Malachias omnes Romanos Pontifices a suo ævo usque ad finem mundi futuros, ordine per symbola et emblemata depingit : quæ symbola explicavit, et singulis Pontificibus usque ad Clementem VIII, apposite adaptavit Alphonsus Ciaconius. In hac enim prophetia post Gregorium XV, qui modo præsidet Ecclesiæ, numerantur tantum triginta duo Pontifices Romani, ultimusque dicitur fore Petrus Romanus. Si enim hæc prophetia vera est, tantumque supersunt 32 Pontifices Romani, ergo supersunt ducenti circiter anni usque ad finem mundi; quolibet enim annorum centenario facile numerantur sedecim, imo plures Pontifices : unde a S. Petro hucusque, id est, ad annum Domini 1623, numerantur Pontifices 238; quos si per annos Domini jam dictos distribuas, obvenient cuique Pontifici anni fere septem. Tot assigna cuilibet triginta duorum adhuc futurorum, et invenies totam eorum successionem et durationem explendam annis 224. Si cuique decem des annos, explendi restabunt anni 320; sin septenariis des fere duplum, explendi erunt anni pene totidem præcise, quot restant ad explendum sextum mundi millenarium, nimirum 430. Addit Christianus Druthmarus in cap. XVI S. *Matth.* : « Majores, ait, nostri scriptum reliquere, quod octavo Calend. aprilis (25 martii) mundus factus est, Dominus conceptus, et passus; et similiter mundus destruendus erit. » Sed hoc incertum est. Hæc cogitemus, et ad diem Domini quasi instantem nos comparemus; cor terræ non affigamus, non studeamus hic familiis et palatiis, utpote vix ducentos annos duraturis, erigendis; sed domos in cœlis perpetuas per eleemosynarum aliarumque virtutum opera, fabricemus. Totam mentem ad futurum ævum transferamus; studeamus, pingamus, vivamus æternitati. Ergo

Moraliter disce hic mundum, utpote senescentem et occidentem, contemnere : cum illo enim et tu, et omnia quæ in eo sunt, brevi senescant et occidant oportet. Hoc est quod inculcat S. Joannes, *epist.* I, cap. II, vers. 15 : « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei,

manet in æternum. Filioli, novissima hora est. » Et S. Petrus, *epist.* II, cap. III, vers. 8 : « Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini? Novos vero cœlos, et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat. » Præclare S. Gregorius, lib. VIII *Moral.*, cap. XXVIII, in nova vero editione, cap. XXIV : « Nemo valet mobilia diligere et ipse immobilis stare. » Et homil. 36 *in Evang.* : « Sit res temporalis in usu, æterna in desiderio ; illa in itinere, hæc in perventione. » Et lib. VI, *epist.* 26, exhortans Andream ad contemptum mundi : « Cur, inquit, magnifice fili, non consideras quia mundus in fine est? omnia urgentur quotidie, ad reddendas rationes æterno et tremendo judici ducimur. Quid ergo aliud nisi de adventu illius cogitare debemus? vita enim nostra naviganti est similis. Is namque qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit : quia impulsu navis ducitur. Ita ergo et nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, sive ambulantes, sive volentes, sive nolentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Cum igitur finis nostri dies advenerit, ubi nobis erit omne quod modo cum tanta cura quæritur, et cum sollicitudine congregatur? » Unde infert : « Non ergo honor, non divitiæ quærendæ sunt, quæ dimittuntur. Sed si bona quærimus, illa diligamus quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus quæ a reprobis sine fine tolerantur. »

HÆC EST RESURRECTIO PRIMA. — *Prima* resurrectio, ait S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, cap. VI et VII, est ea qua anima a peccato resurgit per gratiam ; *secunda*, qua a morte resurgit per gloriam. Verum hic sensus est tropologicus. Nam addit Joannes : « In his secunda mors non habet potestatem. » Mors autem secunda est æterna damnatio animæ et corporis. *Prima* ergo resurrectio est beatitudo solius animæ, qua anima sola per mortem transit in vitam et regnum cœleste. Hæc dicitur resurrectio, quia Sancti cum positis hic corporibus moriuntur, eo quod in vitam novam, eamque feliciorem evadunt et transmigrant, quodammodo resurgere videntur. Anima enim, moriente corpore, videtur pariter mori corpori, sicut corpus moritur animæ, atque per hanc mortem transire in vitam cœlestem. *Secunda* resurrectio est plena beatitudo, qua anima cum corpore in fine mundi plene in eamdem vitam beatam resurget. Pari ergo modo ex adverso mors prima reproborum, est damnatio solius animæ ; mors secunda, est damnatio animæ et corporis resurgentium, et rursum unitorum : quod fiet in judicio universali. Ita Ribera, Viegas et Pererius, lib. VIII *in Daniel.*

Alcazar per primam resurrectionem accipit aureum Constantini sæculum, quo Christiana Ecclesia ante oppressa et quasi emortua reviviscere, imo dominari cœpit toto orbe. Hoc mysticum est.

Aureolus primam resurrectionem adaptat institutioni Ordinis S. Francisci et S. Dominici, sub Frederico Imperatore et Innocentio III Pontifice. Horum enim doctrina et sanctæ vitæ exemplo, videtur quasi tota Christianitas resurrexisse, ut in novitate vitæ ambularet. Pari modo id aliis fundatoribus Ordinum, aliisque Ecclesiæ reformatoribus adaptes.

Symbolice S. Augustinus : « Mors, ait, prima est mors corporis ; secunda est damnatio. Audi eum in *Sentent.*, num. 147 : « De prima corporis morte dici potest, quod bonis bona sit, malis mala : secunda vero sine dubio, sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona. »

6. BEATUS, ET SANCTUS, QUI HABET PARTEM IN RESURRECTIONE PRIMA : IN HIS SECUNDA MORS NON HABET POTESTATEM ; SED ERUNT SACERDOTES DEI ET CHRISTI (Sancti quilibet, hic uti et cap. I, vers. 6, vocantur sacerdotes mystici, quia scilicet offerunt Deo sacrificia laudis, gratiarum actionis et omnis obsequii), ET REGNABUNT CUM ILLO MILLE ANNIS, — de quibus dixi vers. 2, scilicet usque ad resurrectionem secundam, id est corporum, quæ fiet in die judicii. Nota proportionem et relationem quæ est inter *beatus* et *sanctus*, atque inter *sacerdotes* et *regnabunt*. Nam vox *sanctus* respondet voci *sacerdotes*, et vox *beatus* respondet verbo *regnabunt*. Sanctitas enim propria est dos et decus sacerdotum; beatitudo vero propria est justorum cum Christo regnantium. Ita Alcazar.

Denique notat S. Augustinus hisce verbis : « Erunt sacerdotes Dei et Christi, » contra Arianos denotari Christum quoque esse Deum. Nam illi ipsi qui Dei Patris, etiam Christi sacerdotes appellantur : soli enim Deo, uti altaria et templa, ita et sacerdotes consecrantur; sacerdotis enim est offerre sacrificium, quod nulli nisi Deo offerri potest. Quocirca hæc quatuor inter se connexa correlativa sunt. Sacerdos enim est sacrificii sacerdos, et vicissim sacrificium est sacerdotis sacrificium. Rursum sacerdos et sacrificium est altaris et templi sacerdos et sacrificium, ac vicissim altare et templum est sacerdotis et sacrificii altare et templum. Cui ergo unum ex his debetur, illi debentur et reliqua, puta soli Deo.

7. ET CUM CONSUMMATI FUERINT MILLE ANNI (tempore Antichristi) SOLVETUR SATANAS (græce ὁ Σατανᾶς, puta Lucifer), ET EXIBIT, ET SEDUCET GENTES QUÆ SUNT SUPER QUATUOR ANGULOS (id est plagas) TERRÆ, GOG ET MAGOG, — q. d. Seducet omnes Gentes, quin etiam Gog et Magog. Nec enim Gog et Magog sparsi sunt per quatuor angulos terræ,



sed erunt certe gentes suum habentes regem sive principem, ut ait Ezechiel cap. XXXVIII, vers. 2. Idem indicant hic Græca, τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγώγ. Quocirca videtur quod hic earum rex, sive princeps, erit unus ex decem regibus qui tempore Antichristi dominabuntur in orbe, uti dixi cap. XVII, vers. 3 et 12. Unus, inquam, præ cæteris ferus, trux, barbarus et bellicosus. Ideo enim hic præ cæteris nominantur Gog et Magog, quia videntur fore gentes feræ et crudeles, quæ pro Antichristo contra Christum et Christianos pugnabunt; unde multi putant eas fore Arabes, aut Scythas, vel Tartaros. Hinc et Sibylla, lib. III *Oracul.*, sic ait : « Væ tibi, regio Gog et Mogog, quæ medium es Æthiopum fluviorum, » id est, quæ cingeris fluviis Æthiopiæ. Ubi forte, inquit Alcazar, maris brachia nomine fluviorum appellantur. Arabia enim inter Sinum Persicum et Arabicum sita est. Sicut ergo Mahomet per Arabes, Tamberlanes per Scythas et Tartaros ad imperium evectus est : ita per eosdem, aut similes, evehetur Antichristus. Vide dicta *Ezech.* XXXVIII, initio capitis. Quin et M. Paulus Venetus, lib. I *De Rebus Orient.*, cap. LXIV, scribit, in Tartaria, in provincia Teuduch, regiones esse Gog et Magog, quas Tartari, inquit, nominant Lug et Mungug.

Perperam ergo censent Novantes, Tremellius et Junius, Gog dici a Gyge, qui Candaule, rege Lydorum, per dolum occiso, regnum ejus occupavit, quasi inde Asia minor dicta sit Gog; sicuti postea Crœso propagante regni fines in Syriam, urbs quædam vocata fuit Gygarta, pro eo quod est *Gog karta*, id est urbs Gogi. Unde eo tempore, quo hæc de Gog prophetavit Ezechiel, vel Halyattes, vel Crœsus, utrique nepotes Gygis, in Asia minori regnabant. Verum nihil Gygi cum Gog, præsertim quia Gog latissime dominabitur, uti docet hic Ezechiel : Gyges autem soli Lydiæ imperavit; ejus vero nepos Crœsus tantum usque ad Halym fluvium dominatus est, teste Herodoto in *Clio*. Adde : Gyges a bis mille annis transiit et evanuit; Gog vero futurus est in fine mundi, cum nulla Gygis erit memoria (1).

8. ET ASCENDERUNT SUPER LATITUDINEM TERRÆ, — q. d. Latos terrarum et regionum campos suis copiis, equis, curribus, etc., complebunt, sicut Xerxes suo exercitu stravit mare et terram.

ET CIRCUIERUNT CASTRA SANCTORUM. — « Castra » vocat loca et latibula in quæ turmatim confluent Christiani, fugientes persecutionem Antichristi, uti fecerunt Judæi tempore Machabæorum fugientes crudelitatem Antiochi Epiphanis, 1 *Machab.* II, 1 et 28. Nec enim verisimile est Christianos tempore Antichristi, utpote potentissimi, a tyranno oppressos castra habituros, ut collatis signis cum Antichristo, et ejus regibus et gentibus confligant.

ET CIVITATEM DILECTAM. — id est Romam, inquit Alcazar. Verum Roma paulo ante vocata est Babylon, eaque a decem regibus jam erit eversa, ut patet ex cap. XVII, 18. Ergo civitas hæc dilecta, est Jerusalem, quam Ezechiel, cap. XXXVIII, vers. 12, vocat umbilicum terræ (erat enim sita in medio terræ olim habitatæ). Licet enim Jerusalem futura sit regia Antichristi, tamen in ea multi habitabunt Christiani utpote terra sancta, in qua habitavit Christus. Quocirca sicut olim Romani nobiles et matronæ, uti S. Paula, Melania, Marcella, etc., cum S. Hieronymo Roma migrarunt in Palæstinam, ita et in fine mundi, cum Jerusalem, æque ac Roma, reflorescet. Rursum multi Christiani, item Gentiles et Judæi, partim conversi ad Christum, partim convertendi, confluent Jerusalem, ut ibi audiant prædicantes Eliam et Henoch. Hi enim in Jerusalem concionabuntur contra Antichristum, ibique ab eo occidentur, uti dixit cap. XI, vers. 8. Denique S. Augustinus per civitatem dilectam accipit Ecclesiam toto orbe diffusam : hanc enim ubique persequetur Antichristus (2).

9. ET DESCENDIT IGNIS DE COELO, ET DEVORAVIT EOS. — Alcazar hunc ignem mystice accipit. Ignis, inquit, de cœlo, est ardor cœlestis et divinus, quo Elias et Henoch, tum in vita, tum potius post mortem, tam suam, quam Antichristi, per suos præcones, æque ac per preces, accendent omnes gentes, convertendo eas ad Christum, uti fecerunt Apostoli recepto igne Spiritus Sancti in Pentecoste. Hæc enim est vindicta inaudita digna Deo. Et tunc omnis Israel salvus fiet, ut prædixit Apostolus *Rom.* cap. XI, vers. 26.

Huc accedit S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, cap. XII : « Bene, ait, intelligitur iste ignis de cœlo, de firmitate Sanctorum. Firmamentum enim est cœlum : cujus firmitate cruciabuntur peccatores ardentissimo zelo, quoniam non potuerunt attrahere sanctos Christi in partes Antichristi. Aut si appellavit ignem ipsam plagam, qua percutiendi sunt in Ecclesia peccatores veniente jam Christo, ii nempe quos viventes inveniet super terram, quando interficiet Antichristum spiritu oris sui : non est hoc ultimum eorum supplicium. »

Verum verba S. Scripturæ hic vindictam et punitionem proprie dictam sonant, scilicet quod Gog et Magog, totusque Antichristi exercitus igne de cœlo misso afflabitur et concremabitur. Subdit enim de ipso ejus duce : « Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris ; ubi et bestia (Antichristus) et (ejus) pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. » Quæ verba proprie esse accipienda liquet, et omnes, ipseque Alcazar, asseverant :

(1) Frustra quæritur, quænam gentes in hoc Apocalypseos loco intelligantur ; Joannes enim utitur nominibus ex Ezechiele aliisque locis veteris Testamenti notis ; hæc autem nomina, utpote barbararum gentium, symbolice designant omnes qui, duce Antichristo, in fine mundi adversus Dei Ecclesiam pugnabunt.

(2) Qui sensus geminus videtur.

esto Ribera, qui et citat Ambrosium et Augustinum, censeat in hisce verbis esse anticipationem, eo quod diabolus non sit deturbandus in infernum, quamdiu Ecclesiæ militia durat; durabit autem usque ad finem mundi. Ergo et post Antichristi necem, diabolus sinetur tentare fideles usque ad diem judicii. Verum respondeo, S. Joannem hunc finem mundi hic simul complecti et convolvere cum strage Antichristi ejusque exercitus, ac cum deturbatione diaboli : post eam enim mox sequetur. Unde vers. sequenti transit Joannes ad extremum judicium. Adde, probabile est diabolum cum Antichristo deturbandum in tartara, ut paulo ante finem mundi plena detur orbi et Ecclesiæ pax post tam immanem, eamque extremam Antichristi persecutionem, ut in ea lapsi pœniteant ac resurgant, Judæi et Gentes convertantur, omnisque Israel salvus fiat. Porro per pseudoprophetam, nonnulli accipiunt Mahometem, auctorem mahometismi ; Genebrardus in *Chron.*, lib. IV, ad annum Domini 1302, accipit Ottomannum, ejusque stirpem et imperium Ottomannicum ; hoc enim esse prodromum Antichristo, et forte usque ad illum duraturum. Verum quis sit hic pseudopropheta dixi cap. XIII, vers. 11.

10. DIE AC NOCTE, — id est semper. Damnatis enim in gehenna nunquam est dies, sed nox perpetua. Aliter Alcazar : ipse enim diem refert ad Beatorum claritatem, noctem ad inferorum tenebras : ex utroque enim gravissimum tormentum ad damnatos redundat. Neque enim eos solum torquet propriæ sortis miseræ et infelicis obscuritas, sed etiam rabies ac furor ex suorum adversariorum claritate et felicitate conceptus.

11. ET VIDI THRONUM MAGNUM CANDIDUM (id est solemnem, lætum et gloriosum : candor enim est vestis Beatorum et symbolum gloriæ), ET SEDENTEM SUPER EUM (Christum judicem. Transit enim hic Joannes ad diem judicii) A CUJUS CONSPECTU FUGIT TERRA ET COELUM, — id est pristina species, status et forma terræ et cœli : quia videlicet in aliam pulchriorem commutabuntur, ait Primasius, Ambrosius, Beda, Aretas et Viegas (1).

Mystice Alcazar (licet ipse putet esse litterale) : Per cœlos, ait, symbolice significatur tum Sanctorum intercessio, tum sacerdotum potestas dimittendi peccata per Sacramenta; per terram significatur misericordia, qua secundum humanæ naturæ conditionem tangi deberet pater in filii ærumna, uxor in viri, frater in fratris, *q. d.* Tanta erit Christi judicis integritas, tanta juris et æquitatis ratio, ut nullus ibi sit mysticorum cœlorum, puta Sanctorum et sacerdotum, favor aut auxilium, nulla terræ mysticæ jam dictæ commiseratio (nec enim pater filii, nec uxor mariti, nec frater fratris miserebitur); sed solum jus atque æquitas, ut unusquisque secundum propria ipsius opera judicetur.

12. ET VIDI MORTUOS (qui ante mortui erant, jam autem resurrexerant, stabantque judicandi coram Christo judice) MAGNOS ET PUSILLOS. — Hinc aliqui probant infantes affore in judicio, ibique judicandos esse. Verum pro *pusillos* græce est μικρούς, id est *parvos*, tum ætate et statura, uti sunt pueri decem vel quatuordecim annorum; tum potius dignitate et gradu, id est viles et abjecti, uti sunt servi, rustici, ancillæ, etc. Sic enim cap. XIX, vers. 18, invitans aves ad vorandum carnes liberorum et servorum, addit : Pusillorum et magnorum, quasi dicat : Plebeiorum et nobilium, sive principum. Nam mox hoc eodem versu subdit pusillos hos, æque ac magnos, judicandos esse secundum opera cujusque : ergo non loquitur de infantibus.

ET LIBRI APERTI SUNT : ET ALIUS LIBER APERTUS EST, QUI EST VITÆ. — S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, XIV, legit, *vitæ uniuscujusque*; unde liber, inquit, vitæ est, qui cujusque vitam et actiones continet. « Futurum enim est ut, per Dei potentiam, cujusque opera mira celeritate a quolibet conspiciantur. » Porro « libri aperti » sunt Sancti, quia in illis clarum evadet, quæ præcepta Deus, et quam severe sanxerit. Verum hæc lectio mendosa est : omnes enim codices legunt « liber vitæ, » itaque legendum esse patebit vers. 27. Porro quod Sancti vocentur libri, aut mysticum est, aut violentum.

*Secundo*, S. Hieronymus in *Daniel.* VII, docet in judicio duos aperiendos esse libros : unum Dei, qui continet bona cujusque opera; alterum dæmonis, qui continet mala. Deus ergo habet librum vitæ, diabolus librum mortis. Verum S. Joannes libros hos manifeste distinguit a libro vitæ. Ait enim : « Et alius liber apertus est, qui est vitæ. »

*Tertio*, Viegas : Liber, inquit, vitæ unus est, quia paucos continet electos et salvandos; « libri » vero qui dicuntur « aperti, » reproborum sunt, ideoque multi, quia multi sunt damnandi. Verum hi libri sunt universales et communes, tam bonis, quam malis.

*Quarto*, Beda et Alcazar libros hos censent esse S. Scripturam, quæ continet leges et præcepta Dei, ex quorum observatione homines judicandi sunt. Idcirco *Deuter.* XXXIII, 2, Deus ferens legem ita describitur : « Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis; in dextera ejus ignea lex. » Ubi pro *Dominus*, hebraice est *Elohim*, id est judex, ut significetur Deum sub forma judicis venisse, et quasi solem splendidissimum per Seir et Sina montes Hebræis ortum fuisse. Porro igneam legem gestabat dextera, quod Cajetanus ita explicat, ut non Deus ipse legem portet, sed ad majorem pompam, portaretur a ministris prope dexteram ejus liber legis, et ignis, quo significabatur eum per legem judicaturum, et per ignem puniturum. Addunt aliqui eadem de causa initio Genesis dictum esse : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » ubi rursum pro *Deus* hebraice est *Elohim*, id est judex, vel judices; ut significetur a Deo judice cœptam Scripturam, puta Genesim, ut leges et jura hominibus tradat, quibus eos in fine mundi judicaturus est.

(1) A commate 11 hujus cap. usque ad cap. XXII, 5, judicio ultimo et universali breviter adumbrato, describitur vitæ futuræ felicitas æternum duratura. Ita omnes. Unus de Bovet, *L'Esprit de l'Apocalypse*, asserit duobus ultimis Apocalypseos capitibus, variis imagine et symbolo, describi illam Judæorum ad Christum conversionem, quam sub finem mundi venturam S. Scripturæ haud uno loco prænuntiant. Quem vide op. cit., p. 468-531.



Verum dico hos libros esse illos, in quibus cujusque opera, tam bona, quam mala conscripta sunt, ut ex iis quisque judicetur. De iis enim subdit : « Judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. » Nec enim in S. Scriptura, aut in Decalogo, legeque Dei legi possunt cujusque opera, quomodo scilicet quisque eam adimpleverit. Libri ergo hi sunt conscientiæ et memoriæ singulorum, in quibus quasi in libris descripta sunt cujusque facta, tam bona, quam mala (1).

Rursum, licet hi libri in se interirent, puta memoriæ hominum obliviscerentur suorum facinorum, iidem tamen servantur in divina scientia et memoria, in qua similiter tam opera, quam conscientiæ singulorum consignatæ et descriptæ sunt. Hi ergo libri in hominibus sunt conscientiæ, in Deo est scientia et cognitio factorum cujusque. Hoc est quod ait Apostolus *Rom.* II, 15 : Gentes quæ carent lege Dei scripta, « ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum. » Ita passim Interpretes, et Franciscus Suarez III *part.*, Quæst. LIX, art. VI, disp. 57, sect. 9.

Porro aperiet Deus in die judicii hosce libros, tum singulis suos proprios, scilicet conscientiæ et memoriæ cujusque objiciendo sua facta; tum omnibus aperiet aliorum omnium libros et conscientias, sive per locutionem mentalem, nimirum per divinam revelationem, ex sua omniscientia cuique indendo et suggerendo quidquid alius quisque fecerit, quomodo Prophetæ per Dei revelationem et inspirationem futura præviderunt : sive Deo simul et semel elevante omnium hominum phantasiam et intellectum, illisque vires et lumen supernaturale præbente ac concurrente supernaturaliter cum quocumque, ut videat facta cujusque in alterius conscientia et memoria quasi descripta. Simile enim est in angelis et animabus separatis. Dum enim hi sibi invicem loquuntur, faciunt naturaliter, ut is cui loquuntur, videat cogitata et volita sua, hoc ipso quo volunt illum ea scire. Hoc enim ipso fit ipsorum conceptus et cogitatio, alias secreta, objectum proportionatum intellectui audientis, ut naturaliter ab eo sentiri et cognosci possit. Sic ergo Deus per hanc mentis cujusque elevationem faciet, ut potentia intellectus cujusque proportionata sit, et sufficiens ad omnia illi objecta, puta ad facta singulorum hominum, saltem successivo tempore, sed brevissimo cognoscenda, quomodo Eliseus, alique Sancti elevati a Deo viderunt absentia; et S. Benedictus, spiritu elevatus, vidit totum mundum quasi in globo in radiis solaribus collectum, teste S. Gregorio, lib. II *Dialog.*, cap. XXXV. Quod enim hæc particularis cujusque in die judicii examinatio non sit futura per vocalem locutionem, patet, quia hac ratione cujusque facta successive edicenda et pronuntianda forent, itaque judicium ad multos menses vel annos protrahendum esset, cum tot millionum hominum facta sigillatim, ordine quæque suo oretenus enuntianda forent. Quæ sane multos menses, imo annos sibi deposcerent.

Denique more suo S. Joannes hic alludit ad *Daniel.* cap. VII, vers. 10 : « Judicium sedit, et libri aperti sunt. » Ibi enim Daniel describit excidium quatuor monarchiarum, ac regni Antichristi, iisque succesurum ait regnum Christi et Sanctorum, quod durabit in æternum. Idem hisce capitibus dicit et docet S. Joannes.

ET ALIUS LIBER APERTUS EST QUI EST VITÆ. — S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, XIV, per libros qui aperti sunt, intelligit Sanctorum corda et mentes, in quibus Dei lex et voluntas scripta sunt : per librum autem vitæ, intelligit memoriam Sanctorum omnium, quæ per vim divinam cognoscet quidquid in vita bene aut male gessit. S. Anselmus, in *Elucidario*, ait librum vitæ esse vitam Jesu, quæ omnibus debet esse norma vivendi, per quam, et juxta quam omnes sunt judicandi. Verum dico : liber vitæ est liber prædestinationis Dei, in quo omnes et soli conscripti sunt ii, qui destinati et electi sunt ad vitam æternam, idque efficaciter, utpote jam vita peracta, et operibus cujusque per mortem consummatis. Porro libri vitæ inducitur hic mentio, tum quia hic est liber Dei, qui componendus est et coæquandus cum libris apertis singulorum, id est cum conscientiis hominum; tum quia propter electos, qui in libro vitæ scripti sunt, maxime fiet judicium, ut nimirum illi a Deo glorificentur, eorumque labores et dolores pro meritis justum accipiant præmium. Vult enim Joannes hic animare fideles et Martyres, dura patientes sub Domitiano, et duriora passuros deinceps, præsertim sub Antichristo, ut fortiter martyria et mortem subeant, cogitantes se per illam transituros ad vitam beatam, ad quam a Deo conscripti sunt in libro vitæ.

Alcazar opinatur librum vitæ hic, non tantum completum accipi, sed et inchoatum, hoc est in eo scriptos esse non tantum eos, qui in gratia mortui, salvandi sunt; sed etiam eos, qui bap-

(1) *Liber* autem *vitæ* est quasi catalogus eorum qui felicitati æternæ sunt destinati, sive matricula civium regni cœlestis.

tizati et gratia Dei donati, ad salutem destinati sunt, etiamsi ex eo ob sua flagitia deleantur, ac morientes in finali impœnitentia rejiciantur et damnentur. Quod non est improbabile; sed tunc liber hic magna ex parte idem est cum libris apertis, quatenus hi libri sunt Dei, non conscientiæ hominum, uti paulo ante dixi.

SECUNDUM OPERA IPSORUM. — Agitur ergo hic tantum de adultis, quorum opera examinantur et judicantur, non de parvulis, qui operari et mereri vel demereri nequeunt. Parvuli enim mortui cum baptismo, hoc ipso adjudicantur cœlo; sine baptismo, inferno, id est limbo. Alcazar tamen ex S. Augustino censet etiam parvulos hic comprehendi, quia parvuli non baptizati judicantur secundum opus et peccatum originale Adæ: hoc enim eis imputatur, imo inhæret; baptizati vero judicantur secundum opera et merita Christi, quæ eis in baptismo applicantur. Verum hoc subtilius est quam solidius.

13. ET DEDIT MARE MORTUOS, QUI IN EO ERANT: ET MORS ET INFERNUS DEDERUNT MORTUOS SUOS, QUI IN IPSIS ERANT. — S. Augustinus, Ticonius, Haymo et Anselmus, per mortuos mortis et inferni accipiunt vere mortuos; per mortuos vero maris, eos qui vivi invenientur, cum Christus veniet ad judicium. Sic enim ait Augustinus: «Hos ergo mortuos exhibuit mare, id est, hoc sæculum exhibuit homines qui nondum obierant, et sicut inventi sunt, ita affuerunt. Mors vero et infernus dederunt corpora, quoniam vitæ revocarunt. Et fortasse non satis fuit dicere: mors aut infernus; sed mors, propter bonos; infernus, propter malos.»

*Secundo*, Ambrosius: Mortui, ait, maris, id est baptismi, erunt baptizati et electi. Deinde mors dabit corpora impiorum, infernus animas.

*Tertio*, Aretas: Quodque, ait, elementum reddet quidquid corporum humanorum ad se pervenit: mare ergo dabit humorem, qui ad se pervenerat; mors (id est terra), pulverem; infernus (id est aer et ignis), id quod in auras evanuit et resolutum est.

*Quarto*, Viegas et Delrio, *Adagio* 197, loco 64: Mare, inquiunt, dabit corpora in eo submersa, aut devorata a piscibus; mors dabit corpora in terris humata; infernus vero dabit animas. Itaque mors hic ab inferno et mari dividitur, ad danda videlicet corpora quæ in terra perierunt. Hæc enim censentur esse in ventre mortis, morsque ea revomet in die judicii ut resurgant. Huc accedit Ribera; sed in eo differt, quod inferni mortuos vocari censeat eos, qui vivi a terra absorpti, cum corpore et anima descenderunt in infernum, quales fuerunt Core, Dathan et Abiron. Sed hi erunt perpauci. Adde, mox de morte et inferno dici, quod missi sint in stagnum ignis: ubi Ribera et Viegas aliter coguntur accipere infernum et mortem, scilicet ut significent diabolum. Quod tamen durum est et violentum.

Dico ergo: melius et magis consequenter Alcazar censet mortem et infernum hic et alibi induci, simulque jungi quasi duas personas tragicas, truces et immanes, quæ semper associantur. Nam quos mors occidit, eosdem infernus sepelire & devorare dicitur. Non ergo mortui quos mors occidit, ab inferni mortuis diversi, sed iidem plane sunt. Mors enim est quasi lictor et carnifex, qui reos mortis occidit, et transmittit in infernum, qui quasi mortuorum locus, sinu suo eos excipit, absorbet et devorat. Id mox clarius patebit. Porro addit tertiam personam, æque horribilem, scilicet mare, quod quasi leo rugit et sævit, navesque integras, æque ac homines absorbet, et in se ipso sepelit. Quocirca fictio mortuorum mortis et inferni non extenditur ad eos quos devorat mare. Hinc et Joannes mortuos quos possidebat mare, manifeste distinguit a mortuis quos possidebant mors et infernus, dum ait: «Dedit mare mortuos, qui in eo erant; et mors et infernus dederunt mortuos suos.» Mors enim suorum mortuorum simul est quasi mors et infernus.

14. ET INFERNUS ET MORS MISSI SUNT IN STAGNUM IGNIS. HÆC EST MORS SECUNDA. — *Primo*, S. Augustinus, Primasius, Ticonius, Viegas et Ribera, per infernum et mortem metonymice accipiunt diabolum, qui est princeps mortis et inferni: hic enim cum suis asseclis adjudicabitur et mittetur in stagnum ignis, ut sint perpetui incolæ mortis et inferni. Verum sic dicendum fuisset: Missus est, scilicet diabolus, non «Missi sunt.» Rursum plane videtur eodem modo hic accipi mors et infernus quo paulo ante, cum de iisdem dixit: «Mors et infernus dederunt mortuos suos.» Ibi autem mors et infernus non significat diabolum, uti patet, et ipsi auctores hujus explicationis fatentur. Eadem de causa minus recte alii per infernum dæmones, per mortem pœnas quaslibet accipiunt: æque ac alii, qui per infernum damnatos qui in inferno antea cruciabantur, intelligunt, quasi dicat, illos post judicium ad infernum, ex quo prodierunt, redituros; et alii, ut Maldonatus in *Notis manuscriptis*, quas Romæ vidi, quasi dicat: Mors et infernus non erunt ultra, id est, nemo ultra morietur, aut in infernum mittetur.

Aptius ergo, conformius et elegantius Alcazar, tam hic, quam paulo ante, mortem et infernum induci censet quasi duas tragicas personas, quarum munus est, ut altera vitam mortalibus auferat, altera deglutiat, et subterraneis sepulcris et specubus vinctos detineat. Pereleganter ergo finguntur hæ duæ personæ horribiles, quæ exultabunt in mundo, ac triumphabunt, post universale judicium, una cum damnatis ad ignitum inferorum stagnum descensuræ. Non autem fit mentio helluonis alterius, nempe maris, quia illud dicitur amplius non fore, ad mysterium, de quo cap. sequenti, vers. 1. Duæ igitur personæ reli-



quæ, id est mors et infernus, congruenter eo mittuntur, ubi per omnem sæculorum æternitatem sese in ipsis damnatis pascant, ita ut non solum vere dici possit: «Mors depascet eos;» sed etiam: «Infernus depascet eos.» Nec vero contenti erunt mors et infernus miserorum cæde ac devoratione, sicut antea solebant; sed mors semper eos occidet, infernus semper abscondet ac devorabit. Nec mors unquam illos interficere desinet, quia infernus eos semper vivos asservabit, quo patiantur semper ac moriantur. Atque hæc est mors secunda, quam damnatis mors et infernus pariter inferent. Itaque infernus et mors in stagnum ignis mittuntur, non ut patiantur ab igne, sed ut in æternum Dei inimicos excrucient. Hucusque Alcazar. Arabicus pro *mors*, vertit *abyssus*, quia mors vastissimum habet os et ventrem, quo omnes morientes complectitur, instar abyssi horribilis: «Et abyssus, inquit, et infernus projecti sunt in stagnum ignis plenum sulphure.»

15. ET QUI NON INVENTUS EST IN LIBRO VITÆ SCRIPTUS, MISSUS EST IN STAGNUM IGNIS, — *q. d.* Sancti et electi qui scripti sunt in libro vitæ, ibunt in cœlum ad gloriam æternam, uti exponam cap. sequenti: improbi vero qui non sunt scripti in libro Dei et vitæ, sed diaboli et mortis, hi ibunt in ignem gehennæ æternum.

Objicies: Parvuli morientes sine baptismo in peccato originali, non sunt scripti in libro vitæ, et tamen non ibunt in stagnum ignis, quia habent pœnam damni, id est carentiam gloriæ, non sensus, uti habet communis Theologorum sententia. Respondeo: S. Joannes hic loquitur tantum de adultis, non de parvulis, ut patet ex vers. 12: «Judicati, inquit, sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.» Soli autem adulti judicantur secundum opera sua, non parvuli. Idem patet ex cap. seq., vers. 8. Aliter respondet S. Augustinus, lib. VI *Contra Julianum*, cap. IV, et ex eo Bellarminus, lib. VI *De Amiss. gratiæ et statu peccati*, cap. V, scilicet parvulos judicari secundum opera, quæ scilicet per Adamum et in Adamo gesserunt et peccaverunt: ac ideo mittendos esse in stagnum ignis, id est, in lacum ubi est ignis; nec tamen inflammandos illo igne aut cruciandos, vel quod sint in parte altiore ejus loci, vel quod ignis habeat vim eos detinendi, non tamen urendi.

Porro stagnum hoc plenum est igne et sulphure, ut habet Arabicus, ac diserte asserit S. Joannes, cap. XXI, vers. 8, et Isaias, cap. XXX, vers. 33. Ignis ergo gehennæ est sulphureus: unde ejus typus et præambulum fuit ignis sulphureus quo conflagravit Sodoma et Gomorrha, *Genes.* XIX, de quibus proinde ait S. Judas, quod «ignis æterni pœnam sustinentes facti sint exemplum orbi.» Hic enim ignis aptissimus est punitioni impiorum, *primo*, quia ardentissimus est: sulphur enim cum sit igneæ naturæ, si ignem concipiat, vehementer exardescit; *secundo*, quia hic ignis odorem habet teterrimum et acerrimum, qui fœtori peccatorum puniendo congruit; *tertio*, quia suffitui in expiationibus domorum sulphur adhiberi solet, teste Plinio, lib. XXXV, cap. XV. Contaminarunt impii domos suas, puta animam et carnem, peccatis gulæ, luxuriæ, iræ, etc., par ergo est ut Deus hasce domos igne sulphureo lustret et quasi expiet. Supplicium enim peccatorum est genus quoddam expiationis et purgationis. Hac de causa immensa vis sulphuris partim ardentis, partim non ardentis sub terra latet, ut liquet ex thermis et montibus ardentibus, qui per orbem plurimi sunt: nam et thermæ sulphur olent, et ignes montium sulphurei sunt. Ipsa quoque fulmina, quæ iræ divinæ sunt symbola, igne sulphureo constant, et sulphur olent. Itaque totum gehennæ stagnum cum omnibus corporibus damnatorum in eum injectis, horrende ardebit, eritque tota illa iniquorum congeries ardens quasi victima Deo, et holocaustum pro peccato: quod sacrificium nunquam complebitur, sed semper peragetur coram Domino et omnibus Sanctis, sicut ipsum peccatum semper expiabitur, et nunquam erit expiatum. Hinc non solum ignis foris applicabitur corporibus ut suo contactu cruciet, sed ipsa etiam corpora ardebunt jugiter, sicut in holocausto fieri solet. Adhæc impii, præsertim qui graviter peccaverunt, uti Antichristus, in profundum hujus stagni projicientur et quasi sepelientur: sic dives epulo dicitur sepultus in inferno, *Lucæ* XVI: ita ut nullum eis possit extrinsecus accedere refrigerium, nec respirare aut clamare possint: clamor enim in magnis tormentis hujus vitæ, solet aliquod doloris afferre levamen. Verum nec hic concedetur Antichristo et sociis ejus in gehenna, quo fiet ut dolor compressus, intus acerrime desæviat. Alii enim qui capite saltem exstabunt, clamare poterunt, quales erunt qui minus peccarunt; sed et horum clamores vocesque erunt lamentabiles, quibus se sociosque affligent. Nam ex tantis et inevitabilibus æternisque pœnis sequetur desperatio, furor et maledictio, qua et seipsos, quod sibi tantorum suppliciorum causa fuerint, et Deum qui ipsos condidit, et parentes qui genuerunt, et dæmones qui seduxerunt, et socios qui allexerunt, et omnem creaturam quæ illis vel ad culpam, vel ad pœnam servivit, aut servit, maledicent. Ita P. Lessius, lib. XIII *De Perfect. divinis*, cap. XXIV, qui et cap. XXIX et XXX, multiplices damnatorum pœnas, ac quomodo ignis corporeus in animas et dæmones agere, easque cruciare possit, erudite explicat. Vere Psaltes, *Psal.* LXXXIX: «Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore iram tuam (o Domine) dinumerare?»

Moraliter. Hæc lege, relege, rumina et pondera quotidie, o Christiane. Vide quid in libris hisce tuis conscribas, qui in die judicii coram toto mundo pandentur et legentur, quando, ut ait Anselmus, lib. *De Similitudinibus*, «a dextris erunt

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens. Ibi vix justus salvabitur. Heu miser peccator sic deprehensus, quo fugies? latere enim erit impossibile, apparere intolerabile. » In hisce libris, in hac luce Christi revelabuntur omnes vulpinæ conscientiæ, omnia consilia cordium, omnes fuci mentium, omnia occulta tenebrarum. Hoc cogitans, hoc metuens Hugo Victorinus, lib. I *De Anima*, cap. xv, hanc humilem de se confessionem instituit, ut veniam impetret : « Sub ovina, inquit, pelle vulpinam conscientiam abscondebam ; vulpina plane conscientia, tepida conversatio, animalis cogitatio, ficta confessio, brevis et rara compunctio ; obedientia sine devotione, oratio sine intentione, lectio sine ædificatione, sermo sine circumspectione. O quam dura sunt ista quæ loquor, quoniam meipsum loquendo ferio ! »

Vis consilium? vis remedium? Accipe a S. Paulo : cogita, libra, discute, compone ad normam divinæ legis et voluntatis singulas tuas, non tantum actiones, sed et cogitationes ac intentiones mentis. « Si enim nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, » I *Corinth.* xi, 31 ; et : « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. » Viderunt hoc eminus Gentiles. Seneca, lib. III *De Ira* : « Animus, inquit, quotidie ad rationem reddendam est vocandus. Hoc faciebat Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum : Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira, vel moderatior erit, quæ sciet sibi quotidie ad judicem veniendum. »

Scribit Plutarchus de Livio Druso, tribuno plebis, quod, cum ædes ejus multis locis paterent vicinorum oculis, et opifex quidam eas se mercede quinque talentorum ostenderet aversurum et mutaturum : « Decem, inquit, dabo si totam domum meam conspicuam effeceris, quo cives omnes qualem vitam instituam, contemplentur. » Fuit enim vir temperans et moderatus. Ita vive, ut memineris semper, imo optes et gaudeas, te tuaque intima videri a Deo, te notari ab angelis, a dæmonibus, ab hominibus : « Spectaculum enim facti sumus mundo, angelis et hominibus. » O quam sapit, qui jugiter animo versat ultimum et censorium hujus mundi diem, qui erit horizon æternitatis beatæ et miseræ, ac Beatos a damnatis, superos ab inferis, angelos a dæmonibus, cœlum a gehenna in omnes æternitates disterminabit ! O quam sapit, cui jugiter hic lituus insonat : « Surgite, mortui, venite ad judicium ! » O quam sapit, qui ita actus singulos agit ac disponit, prout optabit eos egisse et disposuisse in die judicii !

# CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*S. Joannes videt et scribit cœlestem Jerusalem, nimirum ejus opes, splendorem et gloriam; secundo, vers. 12, ejus murum et portas duodecim; tertio, vers. 16, ejus altitudinem, longitudinem et latitudinem; quarto, vers. 19, ejus duodecim fundamenta facta e totidem gemmis; quinto, vers. 22, ejus claritatem et felicitatem.*

1. Et vidi cœlum novum et terram novam. Primum enim cœlum, et prima terra abiit,
et mare jam non est. 2. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descen-
dentem de cœlo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. 3. Et audivi vocem ma-
gnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, habitabit cum eis. Et
ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. 4. Et absterget Deus omnem
lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque
dolor erit ultra, quia prima abierunt. 5. Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio
omnia. Et dixit mihi : Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt et vera. 6. Et dixit mihi :
Factum est, ego sum Α et Ω : initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.
7. Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. 8. Timidis autem,
et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et
omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors



secunda. 9. Et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis no-
vissimis, et locutus est mecum, dicens : Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni.
10. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem
sanctam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo, 11. habentem claritatem Dei : et lumen
ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum. 12. Et habebat murum
magnum et altum, habentem portas duodecim : et in portis angelos duodecim, et nomina
inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. 13. Ab Oriente portæ tres,
et ab Aquilone portæ tres, et ab Austro portæ tres, et ab Occasu portæ tres. 14. Et murus
civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolo-
rum Agni. 15. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut me-
tiretur civitatem, et portas ejus, et murum. 16. Et civitas in quadro posita est, et longitudo
ejus tanta est, quanta et latitudo : et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia
duodecim millia; et longitudo, et altitudo, et latitudo ejus æqualia sunt. 17. Et mensus
est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est an-
geli. 18. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide : ipsa vero civitas, aurum mundum
simile vitro mundo. 19. Et fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioso ornata. Fun-
damentum primum, jaspis; secundum, sapphirus; tertium, chalcedonius; quartum, sma-
ragdus; 20. quintum, sardonyx; sextum, sardius; septimum, chrysolithus; octavum,
beryllus; nonum, topasius; decimum, chrysoprasus; undecimum, hyacinthus; duodeci-
mum, amethystus. 21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas; et
singulæ portæ erant ex singulis margaritis : et platea civitatis aurum mundum, tanquam
vitrum perlucidum. 22. Et templum non vidi in ea : Dominus enim Deus omnipotens
templum illius est, et Agnus. 23. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea;
nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. 24. Et ambulabunt gentes in
lumine ejus : et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam. 25. Et portæ ejus
non claudentur per diem : nox enim non erit illic. 26. Et afferent gloriam et honorem
gentium in illam. 27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem fa-
ciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

Putarunt aliqui, hoc capite et sequenti, ad litteram describi felicitatem Ecclesiæ, tam militantis in hac vita, quam triumphantis in cœlo, præsertim quæ erit post Antichristum, quando erit summa Ecclesiæ militantis pax, æque ac sanctitas, eruntque Christiani perfecti, ac heroes virtutibus illustres. Ita Seraphinus, Ubertinus, Hortulanus et Joachim, quos citavi cap. præcedenti, vers. 2 et 4. Censent enim ipsi hos fore mille annos felicitatis Ecclesiæ militantis ibi a Joanne prædictos. His accedit noster Turrianus lib. *De Eucharistia*, qui censet hic agi de cœlesti Ecclesia cum militante copulata; hanc enim denotari hisce verbis : « Vide Jerusalem novam, etc., descendentem de cœlo. » Et hisce : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. »

Alii censuerunt hic describi gloriam Ecclesiæ Romanæ sub Constantino, et deinceps. De hac enim recte dicitur : « Ambulabunt Gentes in lumine ejus; » et de hac Isaias, Ezechiel et alii Prophetæ, similia, imo majora prædixerunt, quam hic de sua Jerusalem dicat Joannes.

Verum certum est ad litteram directe hic tantum depingi Ecclesiam cœlestem et triumphantem. Ita diserte docet S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. xxvii : « Hæc, inquit, de isto tempore accipere impudentia nimia est, quia illa, Absterget Deus omnem lacrymam, tanta luce dicta sunt de sæculo futuro, et immortalitate, atque de æternitate Sanctorum, ut nulla debeamus in Litteris sacris quærere vel legere manifesta, si hæc putamus obscura. » Augustinum sequuntur passim Interpretes, quin et Alcazar, qui tamen hæc omnia Romanæ Ecclesiæ adaptat, quasi ejus triumphus in cœlis hic describatur : Quia, inquit, illa quasi caput et matrix, electos omnes complectitur. Quod verum est.

Id probatur *primo*, quia hoc exigit Apocalypseos acoluthia. Cum enim cap. præcedenti egerit de strage Antichristi, Gog et Magog, deque resurrectione et de judicio, ordo postulat ut hic agat de gloria Beatorum, eaque claudat Apocalypsin.

*Secundo*, idipsum clare evincunt verba vers. 7 et 8, ubi coronas Beatorum opponit pœnis damnatorum : « Qui, inquit, vicerit, possidebit hæc,

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens. Ibi vix justus salvabitur. Heu miser peccator sic deprehensus, quo fugies? latere enim erit impossibile, apparere intolerabile. » In hisce libris, in hac luce Christi revelabuntur omnes vulpinæ conscientiæ, omnia consilia cordium, omnes fuci mentium, omnia occulta tenebrarum. Hoc cogitans, hoc metuens Hugo Victorinus, lib. I *De Anima*, cap. xv, hanc humilem de se confessionem instituit, ut veniam impetret : « Sub ovina, inquit, pelle vulpinam conscientiam abscondebam; vulpina plane conscientia, tepida conversatio, animalis cogitatio, ficta confessio, brevis et rara compunctio; obedientia sine devotione, oratio sine intentione, lectio sine ædificatione, sermo sine circumspectione. O quam dura sunt ista quæ loquor, quoniam meipsum loquendo ferio! »

Vis consilium? vis remedium? Accipe a S. Paulo : cogita, libra, discute, compone ad normam divinæ legis et voluntatis singulas tuas, non tantum actiones, sed et cogitationes ac intentiones mentis. « Si enim nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, » I *Corinth.* xi, 31; et : « Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. » Viderunt hoc eminus Gentiles. Seneca, lib. III *De Ira* : « Animus, inquit, quotidie ad rationem reddendam est vocandus. Hoc faciebat Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum : Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira, vel moderatior erit, quæ sciet sibi quotidie ad judicem veniendum. »

Scribit Plutarchus de Livio Druso, tribuno plebis, quod, cum ædes ejus multis locis paterent vicinorum oculis, et opifex quidam eas se mercede quinque talentorum ostenderet aversurum et mutaturum : « Decem, inquit, dabo si totam domum meam conspicuam effeceris, quo cives omnes qualem vitam instituam, contemplentur. » Fuit enim vir temperans et moderatus. Ita vive, ut memineris semper, imo optes et gaudeas, te tuaque intima videri a Deo, te notari ab angelis, a dæmonibus, ab hominibus : « Spectaculum enim facti sumus mundo, angelis et hominibus. » O quam sapit, qui jugiter animo versat ultimum et censorium hujus mundi diem, qui erit horizon æternitatis beatæ et miseræ, ac Beatos a damnatis, superos ab inferis, angelos a dæmonibus, cœlum a gehenna in omnes æternitates disterminabit! O quam sapit, cui jugiter hic lituus insonat : « Surgite, mortui, venite ad judicium! » O quam sapit, qui ita actus singulos agit ac disponit, prout optabit eos egisse et disposuisse in die judicii!

# CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*S. Joannes videt et scribit cœlestem Jerusalem, nimirum ejus opes, splendorem et gloriam; secundo, vers. 12, ejus murum et portas duodecim; tertio, vers. 16, ejus altitudinem, longitudinem et latitudinem; quarto, vers. 19, ejus duodecim fundamenta facta e totidem gemmis; quinto, vers. 22, ejus claritatem et felicitatem.*

1. Et vidi cœlum novum et terram novam. Primum enim cœlum, et prima terra abiit, et mare jam non est. 2. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. 3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. 4. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. 5. Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi : Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt et vera. 6. Et dixit mihi : Factum est, ego sum A et Ω : initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. 7. Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. 8. Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors



secunda. 9. Et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, et locutus est mecum, dicens : Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. 10. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo, 11. habentem claritatem Dei : et lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum. 12. Et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim : et in portis angelos duodecim, et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. 13. Ab Oriente portæ tres, et ab Aquilone portæ tres, et ab Austro portæ tres, et ab Occasu portæ tres. 14. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. 15. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum. 16. Et civitas in quadro posita est, et longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo : et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia; et longitudo, et altitudo, et latitudo ejus æqualia sunt. 17. Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est angeli. 18. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide : ipsa vero civitas, aurum mundum simile vitro mundo. 19. Et fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, jaspis; secundum, sapphirus; tertium, chalcedonius; quartum, smaragdus; 20. quintum, sardonyx; sextum, sardius; septimum, chrysolithus; octavum, beryllus; nonum, topasius; decimum, chrysoprasus; undecimum, hyacinthus; duodecimum, amethystus. 21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas; et singulæ portæ erant ex singulis margaritis : et platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. 22. Et templum non vidi in ea : Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. 23. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. 24. Et ambulabunt gentes in lumine ejus : et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam. 25. Et portæ ejus non claudentur per diem : nox enim non erit illic. 26. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. 27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

Putarunt aliqui, hoc capite et sequenti, ad litteram describi felicitatem Ecclesiæ, tam militantis in hac vita, quam triumphantis in cœlo, præsertim quæ erit post Antichristum, quando erit summa Ecclesiæ militantis pax, æque ac sanctitas, eruntque Christiani perfecti, ac heroes virtutibus illustres. Ita Seraphinus, Ubertinus, Hortulanus et Joachim, quos citavi cap. præcedenti, vers. 2 et 4. Censent enim ipsi hos fore mille annos felicitatis Ecclesiæ militantis ibi a Joanne prædictos. His accedit noster Turrianus lib. *De Eucharistia*, qui censet hic agi de cœlesti Ecclesia cum militante copulata; hanc enim denotari hisce verbis : « Vide Jerusalem novam, etc., descendentem de cœlo. » Et hisce : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. »

Alii censuerunt hic describi gloriam Ecclesiæ Romanæ sub Constantino, et deinceps. De hac enim recte dicitur : « Ambulabunt Gentes in lumine ejus; » et de hac Isaias, Ezechiel et alii Prophetæ, similia, imo majora prædixerunt, quam hic de sua Jerusalem dicat Joannes.

Verum certum est ad litteram directe hic tantum depingi Ecclesiam cœlestem et triumphantem. Ita diserte docet S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. xxvii : « Hæc, inquit, de isto tempore accipere impudentia nimia est, quia illa, Absterget Deus omnem lacrymam, tanta luce dicta sunt de sæculo futuro, et immortalite, atque de æternitate Sanctorum, ut nulla debeamus in Litteris sacris quærere vel legere manifesta, si hæc putamus obscura. » Augustinum sequuntur passim Interpretes, quin et Alcazar, qui tamen hæc omnia Romanæ Ecclesiæ adaptat, quasi ejus triumphus in cœlis hic describatur : Quia, inquit, illa quasi caput et matrix, electos omnes complectitur. Quod verum est.

Id probatur *primo*, quia hoc exigit Apocalypseos acoluthia. Cum enim cap. præcedenti egerit de strage Antichristi, Gog et Magog, deque resurrectione et de judicio, ordo postulat ut hic agat de gloria Beatorum, eaque claudat Apocalypsin.

*Secundo*, idipsum clare evincunt verba vers. 7 et 8, ubi coronas Beatorum opponit pœnis damnatorum : « Qui, inquit, vicerit, possidebit hæc,

timidis autem et incredulis, etc., pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda. »

*Tertio*, quia civitas quam depingit Ezechiel, cap. XLVIII (ad quam hic alludit Joannes), quæ symbolum est Ecclesiæ militantis, ut multi volunt, in quadrum patet tantum calamis 4500, id est stadiis 45. Hæc vero Joannis in quadrum protenditur ad duodecim millia stadiorum. Ergo longe eam superat, ac proinde est cœlestis. Ubi nota : S. Joannes hic plane imitatur Ezechielem; nam æque ut Ezechiel, post enarratam stragem Gog et Magog, Antichristi, etc., Apocalypsin suam claudit descriptione novæ Jerusalem, id est Ecclesiæ, quæ ad litteram apud Ezechielem est terrestris et militans, apud Joannem hic est cœlestis et triumphans. Hinc et fluvium hujus urbis consitum arboribus vitæ de quo cap. sequenti, vers. 1, ab Ezechiele cap. XLVII, vers. 5, mutuatus est S. Joannes.

*Quarto*, illa verba : «Templum non vidi in ea ; ipsa civitas aurum mundum,» muri ex jaspide, fundamentum ex lapidibus pretiosis. Et : «Mors ultra non erit, neque dolor. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus, » etc., non nisi Ecclesiæ cœlesti conveniunt.

Fateor tamen quædam hic dici quæ Ecclesiæ militanti conveniunt, ut quod dicitur de duodecim fundamentis, id est Apostolis, eorumque prædicatione : quia nimirum illi Ecclesiam deduxerunt et provexerunt in cœlum. Unde Ecclesia cœlestis et triumphans sua stemmata et insignia sumit ab Ecclesia militante. Hinc S. Laurentius, jam beatus licet, pro stemmate habet craticulam, cum eaque pingitur, S. Stephanus lapides, S. Sebastianus sagittas, S. Paulus gladium, etc. Quia scilicet hisce instrumentis obierunt mortem et martyrium, quo gloriam illam beatam meriti et assecuti sunt. Ita Alcazar.

Accipe summatim et ordine dotes admirabiles, quas cœlesti Jerusalem hic S. Joannes attribuit.

*Prima*, est vers. 1 et 2, quod sit Jerusalem nova in cœlo novo et terra nova.

*Secunda*, vers. 2, quod sit descendens de cœlo a Deo, parata sicut sponsa ornata viro suo.

*Tertia*, vers. 3, quod ipsa sit tabernaculum Dei cum hominibus, et quod in ea Deus habitabit cum eis : et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

*Quarta*, vers. 4, quod Deus absterget omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.

*Quinta*, vers. 5, ibi dicet electis Deus sedens in throno : « Ecce nova facio omnia ; » dicet et faciet : Dei enim dicere est efficax, ac proinde ejus dicere est facere.

*Sexta*, vers. 11, Jerusalem hæc cœlestis habet claritatem Dei; et lumen ejus simile lapidi jaspidis sicut crystallum, id est, simile lapidi crystallizanti ; unde ibi nunquam est nox, sed dies una et perpetua ; nec eget sole aut luna, quia claritas Dei illuminat eam, et lucerna ejus est Agnus, vers. 23. Hæc lux et claritas, *primo*, symbolum est miræ gloriæ, nimirum divinæ, utpote a Deo derivatæ et participatæ. *Secundo*, crystallus innuit hanc gloriam non esse umbraticam et transitoriam, sed stabilem et solidam, eamque variam, prout in crystallo ex reflexione varia variæ apparent species. *Tertio*, eam nulla adversitatis, timoris aut tristitiæ nocte, aut nube et nebula fuscari, vel obscurari. *Quarto*, Beatos perpetuo frui præsentia, aspectu et consortio gloriæ Dei et Christi.

*Septima*, vers. 12 et 17, habet murum ex jaspide magnum, et altum 144 cubitos. Hic murus significat cœlitum et cœlestis Jerusalem robur, munimen et securitatem, ut nullam dæmonum aliorumve hostium vim timeat.

*Octava*, vers. 12 et 21, habet portas, duodecim scilicet tres ad singulas orbis plagas, quæ nunquam clauduntur, eæque singulæ ex singulis factæ sunt margaritis. Hæ portæ significant, undique et ex omni plaga et gente, justis et sanctis in eamdem aditum quolibet tempore, hora et momento patere ; atque per eas non intrare nisi puros, præstantes et gemmeos.

*Nona*, vers. 19, habet fundamenta duodecim ex totidem gemmis pretiosissimis. Hæc duodecim fundamenta significant urbem hanc fundatam esse in sanctitate, doctrina et symbolo duodecim Apostolorum.

*Decima*, vers. 16, civitas hæc in quadro posita : et longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo et altitudo. Hæc omnia significant exactam et perfectam hujus urbis architecturam et fabricam, atque civium miram inter se unionem et consociationem.

*Undecima*, vers. 16, civitas ampla est et vasta : nam cum sit in quadro, quodlibet quadri, sive quadrati latus in longitudinem procurrit ad duodecim stadiorum millia, id est, ad mille quingenta milliaria Italica. Hæc urbis amplitudo notat ejus magnificentiam, capacitatem et ingentem civium, id est Beatorum, numerum. Nulla enim est urbs, quæ vel umbram tantæ capacitatis habeat. Babylon enim, quæ a capacitate celebratur, in toto suo ambitu et quadratura tantum continebat 120 stadia : hæc vero in uno quadri latere habet duodecim millia stadiorum. Quocirca unum quadri latus excedit longitudinem Babylonis centies, ac consequenter tota capacitas hujus urbis capacitatem Babylonis superat decies millies. Ita Alcazar. Verum verius est, non unum latus, sed omnia simul, puta totum civitatis hujus ambitum mensurari, cum dicitur : « Et mensus est civitatem per stadia duodecim millia, » uti dicam vers. 16.

*Duodecima*, vers. 18, ipsa civitas (id est plateæ civitatis) aurum est mundum, simile vitro mundo. Id designat omnia in cœlo esse pretiosa et præstantissima, ac rursum omnia Beatis esse conspicua et pervia, perinde ac si auro vitreo, id est, instar vitri pellucente, in cœlis omnia constarent; ac [illegible] singulos Beatos per mutuam charitatem, [illegible] aliorum gloria, bonisque omnibus perfru[illegible] hæc enim omnia eis sunt conspicua.

*Decima tertia*, vers. 22 : « Templum non vidi in ea : Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. » Semper enim tuentur et intuentur, colunt, adorant et laudant Deum et Agnum.

*Decima quarta*, vers. 24 : « Ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam. » In cœlo ergo adunabitur omnium Regum, Principum, Imperatorum, Pontificum, Reginarum et Ducissarum pompa et gloria.

*Decima quinta*, cap. XXII, vers. 1, fluvius vitæ et vitalis mediam urbem interluit. Hic fluvius significat sapientiæ et voluptatum omnium copiam et affluentiam.

*Decima sexta*, cap. XXII, vers. 2, ad utramque ripam fluminis arbores sunt pulcherrimæ et salutiferæ : ibi est et lignum vitæ, præstantius eo quod erat in terrestri paradiso. Hoc lignum symbolum est immortalitatis et æternitatis.

*Decima septima*, cap. XXII, vers. 3 : « Omne maledictum non erit amplius, » *q. d.* In cœlo nulla erit culpa aut pœna.

*Decima octava*, cap. XXII, vers. 4 : « Videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum ; et regnabunt in sæcula sæculorum ; quia nimirum jugiter visione Dei fruuntur, quasi ejus intimi et familiarissimi, non tantum famuli, sed et principes et reges.

Denique huic urbi nihil pulchri, nihil pretiosi, nihil jucundi, nihil honorifici deest ; nihil turpe, vile, aut triste adest; sed omnes ejus cives sunt beati et gloriosi, ac regnabunt in sæcula sæculorum.

1. ET VIDI COELUM NOVUM, ET TERRAM NOVAM, etc. ET MARE JAM NON EST. — Joachim et alii, qui hæc accipiunt de felicitate Ecclesiæ militantis, uti dixi initio capitis, per cœlum novum accipiunt illustres Sanctos, quorum cum Paulo conversatio in cœlis est; per terram novam, cæteros fideles, in baptismo per gratiam et vitam Christianam innovatos ; per mare, Gentiles, qui fluctus persecutionum contra Ecclesiam concitabant, *q. d.* « Mare non est, » id est, Gentiles amplius non persequuntur Ecclesiam ; imo nec sunt, quia conversi sunt ad Christum factique Christiani.

Verum jam docui hæc ad Ecclesiam in cœlis triumphantem, quæ erit post diem judicii et post communem resurrectionem, pertinere.

*Secundo*, Alcazar cœlum, terram et mare mystica accipit, sed alio sensu. Homo, inquit, ex anima et corpore constat, cumque corpus sit terrena inhabitatio animæ, anima vero cœlestis sit spiritus, ideo congrue per terram significatur hominis corpus, per cœlum anima. Priorum ergo cœlorum qualitates erant hæ : in salutem animarum incumbere, Sacramenta fidelibus administrare, preces ad Deum pro peccatoribus fundere, a peccatis absolvere, docere, concionari, et quasi cœlestis doctrinæ pluviam in terram emittere. Hæc in resurrectione tollentur, et fient cœli novi, quia pro laboribus jam dictis succedet merces et præmium, scilicet æterna quies, [illegible] et fruitio Dei, ac gloria æterna. Pari modo prioris terræ conditiones erant hæ : proximorum vi[illegible] dolere et commiserari, molestias et angores pati, voluntariam macerationem et castigationem suscipere. Pro his in resurrectione succedet nova terra, quia in corpore pro tot passionibus succedet impassibilitas, pro tot doloribus et mortibus immortalitas, cæteræque corporis gloriosi dotes. « Et mare jam non est, » id est, impiis in infernum detrusis, nullus erit persecutor, nullus metus, nusquam formidines, nusquam pericula, nulli fluctus, nulli amplius pisces majores devorabunt minores, nullus erit naufragii timor. Verum hæc mystica sunt, ut ipse Alcazar fatetur, non litteralia.

Quocirca *tertio*, alii passim hæc accipiunt de materiali cœlo et terra. Hæc enim secundum qualitates, et ut, aliqui volunt, secundum substantiam, id est formam substantialem, immutanda sunt in resurrectione ac innovanda. De his enim ait S. Petrus *Epist.* II, cap. III, vers. 13 : « Novos cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus. » Vide dicta *Isaiæ* XXIV, 19, et XXXIV, 4.

PRIMUM ENIM COELUM, ET PRIMA TERRA ABIIT. — Ergo cœlum jam est novum et terra nova, uti dixi.

ET MARE JAM NON EST. — Arabicus, *et non mare ultra* (est). Beda hic, et clarius scribens in *Epist.* II *Petri*, cap. III, censet mare, post diem judicii, omnino siccandum esse et abolendum ; pari modo et ignem periturum, quia S. Joannes tantum nominat hic cœlum, id est, aerem et terram, quasi hæc duo ex elementis sola sint mansura et renovanda. Idem dicunt, sed dubitanter, Andreas Cæsariensis, Aretas, Haymo, Anselmus, Rupertus, quin et S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, XVI. Ubi explicans hæc verba : « Mare jam non est, » sic ait : « Utrum maximo illo ardore (conflagrationis mundi) siccetur, an et ipsum vertatur in melius, non facile dixerim : fortasse tamen maris nomine intelligitur hoc sæculum turbulentum et procellosum.

Verum cum mare sit quartum elementum, ad perfectionem universi necessarium, quod piscium, avium, animantium, omniumque generabilium, quin et aeris et cœlorum, uti multi volunt, est matrix et origo, quodque terram unit et conservat : terra enim, nisi aqua et mari rigaretur, finderetur et fatisceret; hinc longe verius videtur mare, æque ac terram et aerem, quoad substantiam post resurrectionem mansurum. Dicitur tamen hic : « Non est, » id est, non erit, scilicet tale quale fuit vetus illud et pristinum, nimirum

crassum, mixtum et turbidum, procellosum, perpetuis agitatum fluctibus, æstuans jugi suo fluxu et refluxu : hæc enim est maris natura et conditio, quam significat ipsum maris nomen; sed erit aliud et novum, æque ac cœlum et terra : cum illis enim innovabitur, fietque subtile, purum, pellucidum, quietum, serenum, fulgidum, ut jam non videatur esse mare, sed crystallus; pellucebit enim, et splendebit instar crystalli. De mari ergo Hebraica phrasi dicitur ואיננו *veenennu*, id est, *non est*, quia in aliam formam et decorem commutabitur. Sicut ergo ex eo quod hic dicitur : « Cœlum abiit, non licet (ut plerique docent) colligere : Ergo cœlum quoad substantiam, materiam et formam abibit et interibit; sed tantum licet colligere : Ergo cœlum quoad qualitates et conditiones præsentes peribit, novasque et meliores acquiret : ita pariter et de mari hic colligas et concludas. Porro maris meminit præ aliis elementis, quia mare symbolum est fluctuum, procellarum, turbinum et tempestatum, quibus hic jactantur Sancti et electi, *q. d.* Cum mari cessabit omnis Sanctorum persecutio, tentatio et turbo.

2. Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam. — Sicut civitas nunc ipsos cives, nunc ipsam civitatem, puta locum, plateas, domos, turres et muros significat, ita et Jerusalem hæc cœlestis est duplex, scilicet *primo*, est ipsa Ecclesia, sive cœtus et congregatio Beatorum, puta ipsi Beati collecti et adunati : hæc enim proprie hic vocatur sponsa, et vers. 9, uxor Christi.

*Secundo*, est ipsa civitas et locus Beatorum, puta ipsum cœlum empyreum. Huic enim primo et proprie competit, quod sit civitas et tabernaculum Dei; quod sit longa, lata, alta; quod extendatur ad duodecim millia stadiorum, etc. Secundario tamen hæc ipsa etiam ipsi Ecclesiæ, sive cœtui Beatorum conveniunt. Hæc enim est civitas et tabernaculum Dei apte dimensum, quia in ea singulari modo, ordine et proportione inhabitat Deus; ideoque est et dicitur sancta, æque ac beata et gloriosa. Joannes hasce duas civitates commiscet, nuncque de una, nunc de altera mixtim loquitur; quædam enim dicit quæ magis uni, quædam quæ magis alteri conveniant, omnia tamen utrique suo modo conveniunt, vel primo et per se, vel analogice : Jerusalem ergo cœlestis est cœlum empyreum cum suis incolis, puta cum cœtu Beatorum. Describit enim Joannes directe Jerusalem quasi civitatem Beatorum, quoad muros, portas, fundamenta, etc. Itaque proprie locum ipsum describit; sed quia hic locus est beatitudinis et Beatorum, hinc consequenter ipsam beatitudinem et Beatorum gloriam describit. Quocirca esto in hac civitate determinate, et in singulari non viderit ipsos Beatos : nec enim ullos nominat aut describit; tamen indirecte et in genere satis eos depingit, cum dicit quod « ipsi populus ejus erunt, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; » quod « reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam; » quod « servient illi et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum; » quod « Dominus Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. » Ubi enim est Agnus, ibi sunt et Agni asseclæ, fideles et Beati : ubi Deus est, ibi sunt et Angeli, itidem et Beati; sicut ubi est rex, ibi est et aula et aulici.

Novam, — quia vetus et Judaica Jerusalem anagogice significabat hanc novam, scilicet Ecclesiam, non militantem, ut vult Primasius et Beda; sed triumphantem, ut patet ex sequentibus. Triumphans ergo dicitur nova, ob novum gloriæ statum. *Secundo*, Alcazar hæc accipit de novitate, æque ac sanctitate et cœlesti spiritu, quæ Christianæ Ecclesiæ inerant, priusquam ad gloriosissimum cœlestis patriæ triumphum conscenderet; qui triumphus innuitur verbis illis : « Paratam sicut sponsam ornatam viro suo. » Additque hanc Agni sponsam, novamque Jerusalem esse Ecclesiam Romanam, quæ matri Sioni, id est, veteri Synagogæ, successit, sicut primogenitus filius hæreditario jure succedit patri. Quod eatenus verum est, quatenus Romana Ecclesia cæteras omnes quasi mater et caput, continet et complectitur, uti superius dixi. Verum Joannes agit hic de Ecclesia triumphante, non militante, uti dixi.

Pulchre Pannonius Jerusalem hanc per antitheses opponit Babyloni, cujus sordes et clades audivimus cap. XVIII. Jerusalem enim est urbs Christi sancta, nova, descendens de cœlo, gloriosa, parata et ornata sponso suo : Babylon est urbs diaboli, impura, vetustate marcida, ascendens e tartaro, infamis, parata et conspurcata a cacodæmone, libidinibus totius mundi polluta, blasphemiis notata, cum qua fornicati sunt reges terræ. Sed audi Pannonium : « Illa, inquit, Babylon, hæc Jerusalem. Scimus Babylonem interpretari confusionem, Jerusalem pacis visionem : quatenus certo certius teneremus omnes in confusionem abituros, quicumque carni serviunt; ad pacis autem supernæ visionem perventuros omnes, quicumque legi spiritus se subdunt. Illa meretrix super bestiam colitur, in ista Deus adoratur. Meretrix non dat, nisi abominationes spurcitiæ suæ, quas visa est porrigere in aureo calice, quo potat universam terram, et inebriat eam; Ecclesia charismatum dona distribuit, et ornamenta virtutum. Nova hæc, vetus illa et strigosa, quæ florem juventutis suæ profligavit cum amatoribus terræ. Speciosa virgo est Ecclesia, sponsa pudica a Deo e cœlis descendens, in omni ornatu virtutum spiritualium decora, ideoque parata : cujus odor inæstimabilis nimis in vestitu ejus, quam circumdant flores rosarum, et lilia convallium, de qua summæ admirationis illa vox Cantici est : Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? *Cant.* III. De cujus pulchritudine in eadem Scriptura loquitur sponsus Christus : Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet, cap. IV. Et iterum : Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Ubi eadem hortus conclusus, ob varietatem fructuum bonorum, et fons signatus, ob ubertatem gratiarum describitur; cujus emissiones paradisus sunt, et summæ voluptates malorum punicorum. »



Descendentem de coelo, — scilicet ad judicium, ut cum Christo in valle Josaphat judicet orbem, ait Maldonatus in cap. XXV S. *Matthæi*. Verum judicium jam peractum audivimus in fine capitis præcedentis.

*Secundo*, Alcazar hoc refert ad statum quem habuit Ecclesia beata, dum adhuc militaret in hac vita; hujus enim doctrina et vita desursum est, id est, de cœlo descendit. Verum in Græco est καταβαίνουσαν, id est, quæ jam in præsenti descendit, non autem quæ jam ante tempore præterito descenderat.

Dico ergo figurate hic dici Jerusalem cœlestem descendere de cœlo, ut electos ad se assumat (1). Fingitur enim hic cœlum empyreum, et Ecclesia, sive cœtus Beatorum, in terram descendere, ut homines terrestres, ac præsertim eos qui cum tyrannis et Antichristo tanto agone et sudore certabunt, sibi cives cooptet : quod in re nil aliud est dicere, quam quod cœlestis gloria et beatitudo hominibus terrestribus obtingat cœlitus, per Dei liberalitatem et gratiam; est enim cœlestis et divina. Unde S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, XVII : « De cœlo, inquit, dicitur descendere, quia cœlestis gratia est, quia Deus eam fecit; et de cœlo quidem ab initio sui descendit, Spiritu Sancto misso de cœlo. » Idem in *Sentent.*, numer. 31 : « Ad cœlestis, ait, Jerusalem non ascendunt consortium, nisi qui toto corde profitentur, non proprii operis, sed divini esse muneris quod ascendunt. » Olim Moses, lege accepta e cœlo, dicebat Hebræis *Deuter.* XXX, 11 : « Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos? « Simili modo hic, ne Christianus causetur, dicatque : Quomodo ego homo terrenus et carneus conscendam ad Jerusalem cœlestem? hac de causa videt hic Joannes Jerusalem ipsam de cœlo ad homines descendere, ut eos ad se accipiat et sustollat; ut significetur, per Dei gratiam nos infirmos et carnales ad vitam cœlestem, ipsosque cœlos sustolli. Jerusalem ergo hæc est manetque in cœlo, et tamen per sui communicationem descendit in terram. Simile est in sole, qui est in cœlo, et simul in terra : in cœlo per substantiam, in terra per radios quos eo diffundit. Et in fonte, qui est in summo, et simul in imo : in summo per originem : scaturit enim in monte; in imo per rivulos : ex monte enim manat, indeque emanat et defluit in valles. Talis est hæc Jerusalem. Ita Abbas Joachim. Sic vicissim nostra conversatio cum S. Paulo in cœlis est, quia corpore in terra, mente et vita conversamur in cœlo. Præclare S. Augustinus in *Sententiis*, sent. 221 : « Duas, ait, in toto mundo civitates faciunt duo amores : Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi. Interroget ergo se quisque, et inveniet unde sit civis. Cicero *De Petit. consul.* narrat sibi consulatum petenti suggestum fuisse a Q. Cicerone, ut quotidie fere in forum descendens, hoc ruminaret : « Novus sum, consulatum peto : Roma est. » Quanto magis quisque jugiter sibi dicat : « Novus es, in solo, non in sole, natus : gloriam æternam ambis; cœlum est, quod vim patitur, nec nisi a violentis rapitur. » Exere ergo vires omnes, ut tantam gloriam promerearе, ut cœlum expugnes et occupes. Rursum, hoc civitatis descensu symbolice significatur Deum in cœlestis hujus palatii descriptione, non uti conceptibus cœlestibus, angelicis et divinis; nec eam plane describere uti in se est (sic enim nobis incomprehensibilis et inexplicabilis est), sed ad nostram infantiam, nostrosque tenues conceptus descendere, ut illam aliquo rudi modo nobis ostendat et repræsentet. Hac de causa ejus pulchritudinem per aurum, crystallum, gemmas, etc., describit, quia nos in terra his pretiosiora non novimus, nec vidimus.

Tropologice, anima sancta est Jerusalem cœlestis, ipsumque Dei cœlum. Audi S. Bernardum, serm. 27 *in Cant.* : « Ego puto omnem animam talem (sanctam), non modo cœlestem esse propter originem, sed et cœlum ipsum propter imitationem. Et tunc liquido ostendit, quia vere origo ipsius de cœlis est, cum conversatio ejus in cœlis est. Est ergo cœlum sancta aliqua anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes, quæ maxime in nocte, id est, in adversis, emicant. Ergo virtus est sidus, et homo virtutum est cœlum. » Vide cætera.

Hanc benedictionem Christus ascendens in cœlum immisit in terram, ut scilicet ipsa terra conversatione cœlesti possit fieri cœlum, uti docet Clemens Alexandrinus in sua hortatoria; respiciens enim ad illud *Lucæ* XXIV, 50 : « Benedixit eis, et ferebatur in cœlum. Terram, inquit, mutat in cœlum Dei agricola, dextra significans, populos ad bona opera excitans, ac cœlesti doctrina hominem Deum faciens. » Hæc scilicet est causa hujus divinæ metamorphoseos, quod Christus in terris docuerit hominem vivere juxta cœli normas, uti in terris vivens homo instar cœli esset. Itaque per hanc ejus doctrinam, et magis per Eucharistiam, terra nunquam est sine homine Deo; sic ut Christianus vivens juxta doctrinam Christi, et in Eucharistia corpus Christi manducans, fiat quasi homo Deus, et secundam quasi unionem hypostaticam cum Christo suscipiat et induat. Hoc est quod ait S. Augustinus serm. 61 *De Verbis Domini*

(1) Rosenmullerus : « Descendentem eam vidit Joannes, nempe ἐν ἐκστάσει, animo monstratam. »

secundum Joannem : « Nos omnes cum capite nostro Christo Christus sumus. » Et S. Chrysostomus, serm. *De Expulsione sua* : « Ecclesiam, ait, vincere nulla vis potest. Deus est Ecclesia, qui fortior omnibus est. » Nam, ut ait S. Bernardus serm. 27 in *Cant.* : « Unus idemque Dominus et sponsus in capite est, et sponsa in corpore. » Quocirca qui contra Ecclesiam, vel virum sanctum pugnat, pugnat contra Deum; ac proinde frustra contra stimulum calcitrat. Id promisit Christus *Matth.* cap. XXVIII : « Ecce ego vobiscum sum, » tum per providentiam, tum per realem inviscerationem in Eucharistia, cujus proprium est deificare homines, « usque ad consummationem sæculi.

Symbolice, vidit S. Joannes Jerusalem descendentem, quam stantem simul videre non potuit, cum tamen simul revera staret. Descendebat enim in angelis ministrantibus, stabat autem in eisdem intuentibus divinam essentiam; mobiles nempe nobis sunt, immobiles Deo. Nam hoc eodem capite Joannes et descendentem vidit, et in quadro positam; forma vero quadrata immobilitatis et constantiæ est symbolum. Ita S. Bernardus serm. 5 *De Dedicatione Ecclesiæ*, et ex eo Antonius Fernandus, *Visione* 13, sect. 7.

A Deo. — Hæc verba non referuntur ad τὸ *paratam*, quod sequitur; sed ad *descendentem*, quod præcedit. Id patet ex textu Græco, qui habet, καταβαίνουσαν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἐξ οὐρανοῦ, id est, *descendentem a Deo de cœlo*.

Paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. — « Paratam, » id est comptam, adornatam, tantaque gloria, pulchritudine, felicitate et majestate instructam, quanta decet sponsam cœlesti Agno jam nuptam, perinde ut sponsa regis pulcherrimis et pretiosissimis vestibus, gemmis ac monilibus se vestit, parat et adornat, cum in thalamum regis sponsi sui deducenda est. Nota : Τὸ *viro suo* quadrupliciter accipi potest, *primo, q. d.* Digne viro suo. *Secundo*, « sicut sponsam ornatam viro suo, » *q. d.* Sicut illam sponsam, quam Deus Pater Christo Filio suo unigenito tanto decore adornavit, ad Christi sui decus et gloriam : omnis enim Ecclesiæ decor Christo, Christique meritis tribuendus est. *Tertio*, « viro suo, » id est a viro suo, puta a Christo, ornatam. *Quarto*, « ornatam viro suo, » id est, cujus ornamentum est vir suus, puta Christus cui nupsit : « Quia claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. » Ita Alcazar. Duæ tamen primæ explicationes, uti simpliciores, ita magis genuinæ sunt (1).

Nota hæc utrique Jerusalem de qua jam dixi, magis tamen priori, id est Ecclesiæ et Beatis, quam posteriori, id est ipsi loco, puta cœlo empyreo, convenire.

(1) Comparatur hic Beatorum Ecclesia sponsæ ad sponsum suum deductæ, ob puritatem et innocentiam qua splendebit. Ad hanc cum sponsa comparationem ducebatur Joannes eo, quod urbes translate dici solerent *virgines*.

3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem. — « De throno, » non Christi judicis in valle Josaphat, de quo actum est in fine capitis præced., sed de throno Dei et Agni in ipsa cœlesti Jerusalem. Hanc enim, ejusque thronum, portas, murum et fundamenta hic describit. Unde de hoc throno, puta « de sede Dei et Agni, » vidit Joannes XXII, 1, « fluvium aquæ vitæ procedere; » et vers. 3, ait : « Sedes Dei et Agni in illa (cœlesti Jerusalem) erunt. » Videtur hic thronus esse idem cum throno Dei, coram quo astare visi sunt cum Agno quatuor animalia, et 24 seniores cap. IV, vers. 2. Porro hæc vox *magna* significat *primo*, magnitudinem gloriæ cœlestis, ac consequenter bonitatis et misericordiæ divinæ erga suos electos et beatos. *Secundo*, Deum velle ut hæc vox ab omnibus audiatur, utque omnes hac voce excitentur ad gloriæ hujus ardens desiderium et prosecutionem, per opera sancta et divina, eaque ardua. Vox enim *magna* innuit rei vocatæ et proclamatæ magnum pondus et momentum. Exit de throno, id est, a Deo, quia Deus solus hæc bona suis sanctis præparavit, omnibusque ea offert et proponit.

Cœlestis ergo hæc vox, quæ per quinque sequentes versus enarratur, proclamat hanc cœlestem Jerusalem esse civitatem illam fortium, victorum et triumphantium, quam Deus electis suis fortiter contra mundum, carnem, dæmonem, ac præsertim contra Antichristum certantibus et vincentibus præparavit : sicut ex adverso timidis, carnalibus et impiis æternos paravit gehennæ ignes; ut horum metu, illius spe et desiderio acuatur omnium animus, mens et industria ad heroicos agones obeundos, quibus et gehennæ ignes evadant, et cœlesti Jerusalem quasi cives perpetui adscribantur. Hinc apud Joannem Moschum in *Prato spirit.* legimus monachum quemdam, cum in visione paradisum videret, velletque in eum ingredi, audiisse ab angelo : « Nemo piger huc ingreditur; ite, certate, contemnite vanitates sæculi. » Ita B. Nilus vir miræ sanctitatis, et multorum Religiosorum pater, cujus sepulcrum vidi in monasterio Cryptæ Ferratæ, juxta Tusculum, cum anno Domini 976 ad eum venisset Leo Comes Constantini Imperatoris aliique primores, dixit ad eos : « Intelligite quia nisi virtute præditi fueritis, et magna etiam virtute præditi, nullus vos liberabit a pœnis inferni. » Addiditque, « ex decem millibus hominum vix unum salvari, » idque asserere S. Basilium, Chrysostomum, Ephrem et alios. Ita habet ejus Vita a discipulo ejus conscripta, et ex illa Baronius, tomo X, anno Domini 976. Ubi et addit eum, cum rogaretur an Salomon salvus esset, nec ne, respondisse : « Nihil in sacra Scriptura legimus, quod post peccatum pœnitentiam egerit, sicut Manasses. Quis ergo de illo dicere poterit, quod salvus sit? »

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. — Cinxi *Ezech.* XXXVII, 27, ut ibidem dixi.

Nota : Cœlum vocatur hic tabernaculum Dei



*primo*, quia passim Joannes hic in Apocalypsi alludit ad vetus tabernaculum et templum; hoc enim erat typus et figura cœli. *Secundo*, potius vocatur tabernaculum quam templum, ut cogitemus cœlum empyreum, licet splendidum et augustum, minus tamen esse majestate Dei, ejusque non tam esse palatium, quam tabernaculum et tentorium, utpote qui in se ipso, suaque immensa essentia gloriosissime et immense habitat. Pari modo in Beatis non tam habet domum, quam tabernaculum, quia ejus majestas a Beatis non capitur, sed ipse Deus per miram dignationem eis aliquatenus se communicat, et præsentem exhibet. *Tertio*, Viegas in voce *tabernaculi* censet alludi ad Ecclesiam militantem, quæ nunc in tabernaculis militaribus, quasi in campo et acie degit, *q. d.* Ne vobis grave sit, o Christiani, modo ad modicum tempus in castris et tabernaculis morari, pati famem, frigora et æstus, cum dæmone, carne et Antichristo confligere; quia mox hæc tabernacula et castra mutabuntur in tabernaculum cœleste, gloriosum et magnificum in quo positis armis et laboribus, victisque hostibus in perpetua pace, gaudio et gloria triumphabitis. Agite ergo, tolerate, durate, certate, vincite, triumphate. *Quarto*, Alcazar putat per tabernaculum significari summam Beatorum unionem et communionem, quod non in domo laxa et capaci, sed in tabernaculo degant, in quo unus ab alio abstrahi aut celari nequit, sed omnes sese invicem pervident, et perfruuntur, atque cœlestem Regem inter ipsos placidissime degentem, ipsosque beantem, et omnibus bonis donisque cumulantem præsentem habent. Unde sequitur : « Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. »

Pie S. Bernardus, serm. 5 *ad Milites templi*, salutans hanc Jerusalem : « Salve, inquit, civitas sancta, quam ipse sanctificavit sibi tabernaculum suum Altissimus, quo tanta in te et per te generatio salvaretur. Salve, civitas Regis magni, ex qua nova et jucunda mundo miracula nullis temporibus defuere ab initio. Salve, domina gentium, princeps provinciarum, Patriarcharum possessio, Prophetarum mater et Apostolorum, initiatrix fidei, gloria populi Christiani, quam Deus semper a principio passus est oppugnari, ut viris fortibus sicut virtutis, ita foret et occasio salutis. Salve, terra promissionis, quæ olim fluens lac et mel tuis duntaxat habitantibus, nunc universo orbi remedia salutis, vitæ porrigis alimenta. Terra, inquam, bona et optima, quæ in fœcundissimo illo sinu tuo ex arca paterni cordis cœleste granum suscipiens, tantas ex superno semine Martyrum segetes protulisti, et nihilominus ex omni reliquo fidelium genere fructum, fertilis gleba trigesimum et sexagesimum, et centesimum super omnem terram multipliciter procreasti. Unde et de magna multitudine dulcedinis tuæ jucundissime satiati, et opulentissime saginati, memoriam abundantiæ suavitatis tuæ ubique eructant qui te viderunt, et usque ad extremum terræ magnificentiam gloriæ tuæ loquuntur eis qui te non viderunt, et enarrant mirabilia quæ in te fiunt. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. »

Et ipsi populus ejus erunt, — *q. d.* Beati nullius erunt, nisi Dei; neminem dominum agnoscent, non Regem, non Cæsarem, nisi Deum; neminem colent vel adorabunt, nisi Deum, quem unum, ut suum Regem, Deum et Dominum summe venerabuntur, amabunt, laudabunt; eique per omnia obedient, servient, seque et omnia sua subjicient dedentque.

Et ipse Deus cum eis, — *q. d.* Sicut rex jugiter est cum populo, pater cum filiis, magister cum discipulis, ita Deus jugiter erit cum Beatis in cœlo, eos recreans, pascens, oblectans et beans : erit, inquam, cum eis per jugem præsentiam, qui in hac vita videbatur ab eis absens vel absconditus. In cœlo enim videbunt Deum præsentem, facie ad faciem, cum eoque ore ad os colloquentur, qui eos ineffabili consolatione mulcebit, et ineffabilibus gaudiis perfundet. « Erit enim eorum Deus, » *q. d.* Deus beatis erit Deus, id est pater, curator, protector, provisor, glorificator, omnium suorum bonorum communicator et effusor, isque omnipotens, omniscius, optimus et liberalissimus, idque in æternum. Hæc enim significat « Elohim, » id est, Deus.

*Secundo*, « erit eis Deus, » id est, erit eis omnis voluptas, omnis lætitia, omnis honor, omnes opes, omnis sapientia, omnis virtus et omne bonum, ut ei Beati dicant cum Psalte : « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum. » Et cum S. Francisco : « Deus meus, amor meus, et omnia. » Hoc est quod optabat Moses, *Exodi* XXXIII, 18, dicens : « Ostende mihi gloriam tuam. » Cui respondit Dominus : « Ego ostendam omne bonum tibi. »

*Tertio*, « erit eorum Deus, » quia Deus singulis Beatis erit proprius, ac quasi peculium et possessio jucundissima cuique propria; ita enim erit singulorum, satians eorum desideria, sicut est omnium; adeo ut singuli ita Deo fruituri sint, eumque possessuri, ac si soli in solidum eo fruerentur, eumque possiderent, ut jure dicant : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restituisti hæreditatem meam mihi; » et : Tu, Domine, es « portio mea in terra viventium. » Sicut enim rex in throno regali conspicuus, æque est in oculis singulorum, ac omnium astantium; singuli enim tam perfecte regem vident, eoque se pascunt, ac omnes, perinde ac si singuli soli regem, id est, regis speciem et effigiem, haberent in oculis suis : sic et Deus quasi sol immensus visus a Beatis, eosque sua visione beans, hoc est, possidens et possessus, ita implet mentes singulorum, atque omnium, ut singuli dicant et cum Psalte : « Deus meus es tu; » et cum S. Thoma : « Dominus meus, et Deus meus. » Rursum, sicut



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

musica eadem singulorum audientium aures implet, pascit et oblectat, æque ac omnium : ita et Deus singulos Beatos seipso, omnibusque suis deliciis et bonis implebit, pascet et inebriabit, æque ac omnes. O terque quaterque beati, quorum sors, pars, honor, voluptas, gloria non erit alia, quam Deus optimus maximus.

4. ET ABSTERGET DEUS OMNEM LACRYMAM AB OCULIS EORUM, — sicut matres dulcissimæ a parvulis suis lacrymulas abstergunt, eisque blandiuntur, osculantur et mulcent. Syrus vertit, *et deficiet omnis lacryma ab oculis eorum*. Alludit ad *Isaiæ* XXV, 8 : « Præcipitavit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie. » Pie S. Bernardus in *Declamationibus* : « Felices, inquit, lacrymæ, quas benigna manus conditoris absterget; et beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt, quam elevari in superbia, quam omne sublime videre, quam avaritiæ et petulantiæ famulari. » Et Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. LVIII : « Delebit, inquit, Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : utique ex iisdem oculis qui retro fleverant, quique adhuc flere potuissent, si non omnem lacrymæ imbrem indulgentia divina siccaret. »

ET MORS ULTRA NON ERIT, NEQUE LUCTUS, NEQUE CLAMOR — Martyrum excruciatorum a Domitiano et aliis tyrannis, ipsoque Antichristo. *Secundo*, « non erit clamor » pauperum oppressorum a potentioribus, præ injuriæ, ac laborum et dolorum magnitudine suspirantium et clamantium. De eo enim dicitur *Exodi* III, 9 : « Clamor filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum qua ab Ægyptiis opprimuntur. » *Tertio*, « non erit clamor, » quo Sancti hic in colica, calculo aliisque morbis; item in paupertate, infortuniis, injuriis, calumniis, et quibusvis ærumnis gemunt et clamant ad Deum. Unde sequitur :

QUIA (ita legendum cum Romanis et Græcis, non *quæ*) PRIMA ABIERUNT, — *q. d.* Prior vita non vitalis, sed mortalis, quæ potius mors fuit quam vita, cum suis miseriis innumeris jam transiit. Deinceps non erit laborum et ærumnarum tempus : prima illa militiæ ac laborum tempestas abiit; quod deinceps sequetur in omne ævum, tempus erit pacis, lætitiæ et triumphi. Cujus causam subdit dicens :

5. ECCE NOVA FACIO OMNIA. — Arabicus : *Ecce ego faciam illa nova omnia*. Citat *Isaiæ* XLIII, 19, et II *Cor.* V, 17, *q. d.* Prima illa, vetera et misera, cum misero et veteri homine, vita et mundo abierunt. Jam facio et creo cœlum novum, terram novam, vitam novam, hominem novum. Quare mirum non est jam nullas esse lacrymas, nullum luctum, nullum laborem et dolorem in servis meis videri. Hæc veteris vitæ fuerunt, nunc autem omnia innovantur. Ecce enim nova facio omnia.

6. FACTUM EST. — Legit Interpres γέγονα ; jam legunt γέγονα τὸ α καὶ ω, id est, *ego fui*, vel [illegible] α et ω. « Factum ergo est, » quasi dicat : Jam finita sunt, jam perducta sunt ad complementum, quæcumque Deus de mundo, de electis, de reprobis ab æterno sapientissime disposuerat; jam factum est, quidquid in vita hominum mortali faciendum erat; jam factum est, quidquid ad gloriam et felicitatem Sanctorum pertinens, eis dandum et faciendum erat; jam factum est, quidquid fiet per omnem æternitatem. Tum enim Sancti suam gloriam, quam damnati suam pœnam recipient in die judicii, quæ in utrisque durabit in æternum, ita ut nil unquam novi eis accedat (1).

EGO SUM A ET Ω, INITIUM ET FINIS, — ego sum qui rebus omnibus et hominibus, maxime electis, suum do principium et finem; qui rem quamque et quemlibet electum ad suum finem perduco : ego sum qui Ecclesiæ et Jerusalem cœlesti principium dedi; ego sum qui pariter dabo et finem, scilicet gloriam æternam. Vide dicta cap. I, vers. 8.

EGO SITIENTI (Deum et cœlestia, id est justo) DABO DE FONTE AQUÆ VITÆ GRATIS. — Sitientes, inquit Ribera, vocat justos qui nil nisi Deum cupiunt, idque vehementer et ardenter instar sitientium, atque eo frui in hac vita non possunt, ideoque semper eum sitiunt; qualis erat David, *Psalm.* XLI, dicens : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. » Peccatores enim fruuntur concupitis, qui nil nisi terrenum concupiscunt, idque mox assequi possunt. Justi vero semper sitiunt, quia etsi haustus quosdam illius fontis vivi degustant, sicut Christus ait *Joann.* VII : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat; » illi tamen sitim non sedant, sed augent, ut ait *Eccli.* cap. XXIV : « Qui bibunt me, adhuc sitient. »

GRATIS, — quia, licet justi suis bonis operibus mereantur vitam æternam, hæc tamen dicitur et revera est gratia, *primo*, respectu laboris eorum, qui in se exiguus est, nec dignus tanto præmio : « Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. » *Secundo*, respectu primæ gratiæ ex qua profluunt bona opera : hæc enim omnino gratis datur.

7. QUI VICERIT, POSSIDEBIT HÆC. — Ne, ex eo quod dixit se gratis daturum sitienti aquam vitæ, quis segnis et socors fiat, omnemque salutis et felicitatis suæ curam deponat, eamque in Deum resignet, addit non nisi certantibus et vincentibus hanc aquam esse dandam. Ita loquitur, ut ad pugnam excitet fideles, maxime eos qui erunt tempore Antichristi, *q. d.* Generosos et strenuos decet, æque ac manet hæc gloria et felicitas, qui contra Domitianum et Antichristum dimicare, quique in confertissimos hostium globos intrepide sese inferre, et ardua quæque capescere audeant.

(1) Rectius Allioli τὸ *factum est* interpretatur : tam vera hæc sunt, ac si jam evenissent.



Nam invidos alia et adversa manet sors in stagno ignis, ut sequitur. Dum ergo, o miles Christi, tentaris a carne, dum luctaris cum mundo et dæmone, dum persequitur te cognatorum turba, dum morbus, infamia, paupertas te impetunt, dum cum adversis acrem agonem et quasi duellum subis, animos cape, suscipe cœlum, sic itur ad astra. Dicito tibi :

> Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires,
> Non venit e facili lecta corona jugo.

« Virtutum gaudia vulnus habent, » ait S. Prosper, *Epigram.* LXXXVII. Per labores et pugnas via est ad triumphos. « Ardua virtutem profert via. » Et, ut ait Silius, lib. III :

> Explorant adversa viros, perque aspera duro
> Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Dionysius ille qui magnis multisque præliis accisam subjugavit Indiam, pro trophæo templum habuit magnificum, ut ex eo conjici potest, quod 365 gradus ex sapphiro purpureo contineret, uti refert Epiphanius, lib. *De duodecim Gemmis*, cap. V. Quod sive verum est, sive fictum et symbolicum, apte significat eum, et quemvis heroem, per totidem virtutum et heroicorum facinorum gradus ad gloriæ culmen et ad cœleste regnum conscendisse. « Hac proceres abiere pii. »

8. TIMIDIS AUTEM. — Græce δειλοῖς, id est *ignavis*. Timidos ergo vocat, *primo*, eos qui timore deficiunt in persecutionibus, et non valentes sustinere cruciatus, tyrannis cedunt et consentiunt. *Secundo*, qui vim sibi, suisque concupiscentiis et carni inferre reformidant. *Tertio*, qui Satanæ tentationes et impetus perhorrescunt. Hunc enim horrorem in eis gignit, non tam rei asperitas et horror, quam mentis pusillanimitas et timor. Vere Seneca : « Non quia difficilia sunt non audemus, sed quia non audemus difficilia sunt. » Affert simile de umbris et phantasmatibus, quæ sua specie et larva aspicientibus terrorem incutiunt, sed si eas tangas, vides esse spectra; si insequaris, aufugiunt; unde de iis vere dixit Poeta : « Terribiles visu formæ, » visu, non reipsa. Iis ergo audacter obviam eundum et obluctandum, juxta illud Poetæ :

> Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Et : « Audentes fortuna (Deus qui est fortuna fortunans, sortesque hominum gubernans) juvat. » Nil enim tam arduum, quod mens generosa cum Dei gratia non superet, uti patuit in Apostolis, Martyribus, Anachoretis, virginibus omnibusque Sanctis, in diesque patet.

Perperam Tertullianus, lib. *De Fuga in persecut.*, cap. IX, per timidos accipit fideles qui in persecutione fugiunt et se abscondunt, ideoque ex hoc loco probare contendit, non licere Christiano fugere persecutionem. Unde ait : « Porro quis fugiet persecutionem, nisi qui timebit? quis timebit, nisi qui non amavit? » Verum hic est ejus error : Christus enim discipulis suis hanc fugam suasit, imo jussit, *Matth.* X, 23 : « Cum, inquit, persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. » Neque hoc est timidi, sed prudentis et fortis. Sane S. Athanasius contra totum pene orbem Arianum per 46 annos assidue decertans, fortissimus fuit, et tamen vita ejus non fuit aliud, quam continua fuga et latebra.

ET INCREDULIS, — qui videlicet fidem firmam et fortem non habent divinis promissionibus, sed in persecutione et tentatione despondent animum non credentes, nec confidentes Dei opem affuturam, et vires suggesturam, ideoque animo concidunt, et ab hoste obteruntur et opprimuntur. Hinc in Vitis Martyrum passim legimus eos ingentem habuisse in Deum fiduciam, eaque ac jugi oratione et Dei invocatione omnia tormenta superasse.

Idem viderunt Gentiles, sed per umbram : « Quisque, ait Livius, sibi credi vult, et qui fidem dicenti adhibet, fidem ejus sibi obligat. » Hoc si verum apud homines, quanto verius apud Deum, qui est prima fides, æque ac prima veritas? Ex adverso, turpe et infame est apud omnes audire illud Nasonis : « Ambigua dasque negasque fide. » Porro « Principum verbum simplex tantum valere debet ad fidem, quantum privatorum hominum jusjurandum, » uti dicere solet Alfonsus, Aragoniæ rex, teste Panormita, lib. I *De Gestis ejus* : Deus autem est Rex regum, et principum princeps. Amissa classe, Carthaginenses postularunt pacem a Romanis. Hamilcar cum se Romam iturum negaret, timens ne Romani sibi facerent, quod Pœni perfide fecerant Cornelio Asinæ, Consuli Romano, quem contra jus gentium catenis vinxerant; Hanno fidem Romanam considerans, profectus est, cumque in senatu liberius legationis suæ rationes exposuisset, a Tribuno audivit, illi posse accidere, quod accidérit Cornelio Consuli. Verum uterque Consul Tribunum compescuit, dixitque : « Hanno, isto metu te fides nostræ civitatis liberat. » Dux quidam cum teneret rupem inexpugnabilem, semet Alexandro Magno dedit. At Alexander non solum ejus ditionis principem esse jussit, verum etiam addidit, dicens : « Hic homo mihi videtur sapere, qui se maluit bono viro, quam loco munito concredere; » et sic fidem hosti sanctissime servavit : ita Plutarchus in *Apophtheg. regum*. Hanc fidem, imo longe majorem a nobis exposcit Deus, quia longe magis fideliusque eam præstat, quam Alexander et Romani. Impossibile enim est ut eos qui sibi credunt fallat, aut qui in suam confugiunt fidem deserat; quin potius eos quasi fidei suæ obsides tuetur et propugnat acerrime. Quocirca incredulos qui sibi diffidunt, quasi fidei suæ infidos et injurios odit et execratur, ac mille vitæ et salutis præsentis et æternæ periculis exponi obruique permittit.

EXECRATIS. — Execratos vocat execrabiles, qui execranda et a moribus vitaque Christianorum abhorrentia scelera committunt, ac more idololatrarum vivunt : idololatria enim in S. Scriptura vocatur abominatio.

ET HOMICIDIS, ET FORNICATORIBUS, ET VENEFICIS. — Respicit maxime tempora Antichristi : tunc enim multi impii justos interficient, et libidinibus vacabunt, ac veneficiis, id est magiæ incantationibus et maleficiis, uti tempore S. Joannis iisdem vacavit Nero, Simon Magus, Apollonius Tyanæus eorumque asseclæ.

ET OMNIBUS MENDACIBUS. — Beda accipit mendacium quo in religionem peccatur, v. g. quo fingent et dicent se esse asseclas Antichristi, cum in corde sint Christiani, quales hodie multi sunt in Anglia. *Secundo*, alia quoque tunc vigebunt mendacia et fraudes, ut in contractibus, in promissis, in amicitia et fide; qui enim fidem Deo non servat, quomodo eam servabit homini? omne ergo perniciosum mendacium hic intelligit S. Joannes. *Tertio*, Alcazar : Mendaces, ait, in Scriptura vocantur omnes qui mandata Dei violant et frangunt; ac præsertim qui injuriam alteri irrogant : hi enim non verbo, sed opere sunt mendaces : faciunt enim mendacium practicum, id est peccatum, quod est fraus vel injuria Dei vel proximi, vel utriusque. Hos omnes adversa et misera manet pars, id est, sors et quasi hæreditas (hanc enim significat Hebr. חלק *chelec*) in stagno ignis.

9. ET VENIT UNUS DE SEPTEM ANGELIS. — « Unus, » id est, primus, ait Alcazar. Quocirca putat ipse hunc Angelum fuisse S. Paulum, qui quasi fundator Romanæ Ecclesiæ, ejus quasi sponsæ Christi, gloriam et nuptias in cœlo hic Joanni ostendat, uti easdem descripsit I *Corinth.* XV, ubi toto capite agit de gloria resurrectionis et Beatorum resurgentium, sive Ecclesiæ triumphantis, quæ est sponsa gloriosa Christi.

Verum ostendi cap. XVI, vers. 1, hosce septem Angelos septem phialarum, veros et proprios esse Angelos. Hic ergo unus ex iis fuit, qui uti cum aliis phialam suam et plagam in impios effudit, cap. XVI : ita apte mox post plagas illas novissimas, S. Joanni hic præmia Sanctorum ostendit.

ET OSTENDAM TIBI SPONSAM, UXOREM AGNI. — Dices : Jam vers. 1 et deinceps viderat Joannes hanc sponsam, quomodo ergo hic illa ipsi ostenditur? Respondet *primo*, Alcazar sensum esse, *q. d.* Ostendam tibi per partes, distincte et clare felicitatem Ecclesiæ triumphantis et Beatorum, quam jam, vers. 1, confuse tantum et summatim vidisti.

*Secundo*, sponsa hæc est Jerusalem cœlestis, quæ nunc ipsum locum et civitatem, nunc ejus incolas, scilicet Beatos, significat. Vidit ergo Joannes in confuso ejus incolas vers. 1, 3, 4; hic vero videt et describit ipsam eorum civitatem. Sensus ergo est, *q. d.* Ostendam tibi urbem novam de cœlo descendentem, ex cujus divitiis et decore utcumque intelligas, qualis sit futura Christi sponsa, ejusque beatitudo in hoc ejus palatio. Sicut enim is qui alicui peregrino ostendit regis vestes, stipatores, currus, equites et pompam, hoc ipso ei regem ostendere dicitur : ita Angelus hic cœlum cœlique opes ostendens Joanni, sponsam, id est, Ecclesiam et cœtum ipsum Beatorum eidem ostendit. Proprie ergo et per se Angelus in sequentibus tantum Joanni ostendit ipsam civitatem cœlestem, ejusque partes et dimensiones, non autem ipsos incolas, scilicet Beatos. Unde proprie et per se non ostendit ei sponsam Agni, sed civitatem et palatium sponsæ; sed ex eo, ejusque pulchritudine, felicitate et gloria colligendum relinquit, quanta sit sponsæ, id est Beatorum, beatitudo, felicitas et gloria.

10. ET SUSTULIT ME IN SPIRITU IN MONTEM MAGNUM ET ALTUM, ET OSTENDIT MIHI CIVITATEM SANCTAM. — Alludit ad *Isaiæ* II, 2 : « Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. » Mons hic non erat extra civitatem, quasi eo ductus sit Joannes, ut eminus ex eo conspiceret civitatem; sed fuit mons ipse civitatis, sive in quo ædificata erat hæc civitas. Nam ad ipsam civitatem in spiritu ductus fuit Joannes ab Angelo, ut cominus eam, ejusque muros, plateas et fabricam intueretur. Id ita esse patet ex eo quod Angelus coram Joanne calamo dimensus est totam urbem ejusque murum. Porro mons hic in cacumine ubi erat civitas, planus erat et æqualis. Nam de civitate ipsa dicitur vers. 16 : « Longitudo, et altitudo, et latitudo ejus æqualia sunt. »

Tropologice, mons hic significat, conanti et tendenti ad beatitudinem cœlestem, in alta et ardua enitendum esse, ut mentem et animum ab ima terra rebusque terrenis in sublime ad Deum attollat, ad eumque mentis et affectus passibus conscendat, eatque « de virtute in virtutem, » donec videat Deum deorum in Sion. Hujus enim rei symbolo, arx Sion et templum vetus in monte collocata sunt. Quocirca canit Psaltes *Psal.* XXIII, 3 : « Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus et mundo corde, » etc.

Rursum, via in hunc montem est mentis descensus, demissio et humilitas. Vis ascendere in cœlum? descende, deprime te in abyssum : quo magis depresseris, eo altius ascendes, eo sublimius eveheris in cœlo, ut contigit S. Francisco. Hujus rei symbolo, sicut civitas, ita et consequenter mons ipse in quo sita erat civitas, visus est Joanni de cœlo descendere, ut scilicet humiles susciperet et elevaret in montem. Insuper assumitur S. Joannes in montem altum, ut inde consideret sanctam civitatem Jerusalem descendentem de cœlo : mons enim significat sublimitatem prophetiæ, ait S. Hieronymus *ad Algasiam*, Quæst. IV, ut sicut spiritu erigitur vates ad videndas res magnas et cœlestes, ita etiam loco elevetur, ut exteriora interioribus congruant. Hinc Balaam vaticinaturus in montem conscendit, *Num.* XXIII, 9 : « De summis, ait, silicibus videbo eum, » scilicet populum Israel cui benedico. Hinc et Christus docturus Apostolos culmen perfectionis Evangelicæ, conscendit in montem, *Matth.* V, 1, ut ibidem annotarunt Patres et Interpretes.



11. HABENTEM CLARITATEM DEI, — græce τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, id est *gloriam Dei*; sed gloria hic significat lucem et claritatem, ut patet ex sequentibus, præsertim vers. 23, ubi dicitur : « Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas (græce δόξα) Dei illuminavit eam. » Porro τὸ *Dei* significat hanc claritatem esse eximiam et admirabilem, utpote divinam, qualis nimirum decet Deum, Deique palatium gloriosum et beatificum, quod insatiabilem colorum varietatem et pulchritudinem spectantium, puta Beatorum, oculis objicit, qualis fuit in corpore Christi in transfiguratione, cujus umbra est in vitro crystallino triangulari, quod lucem excipiens, æque ac species camporum, domorum, etc., miram colorum varietatem ac pulchritudinem oculo cui opponitur exhibet; unde sequitur :

ET LUMEN EJUS SIMILE LAPIDI PRETIOSO. — græce τιμιωτάτῳ, id est *pretiosissimo*. Pro *lumen* græce est φωστὴρ, id est *luminare*, quod illuminabat illam civitatem cœlestem, quod est ipse Deus, ut dicit vers. 23.

Nota : Hoc luminare non est instar facis, sed instar solis, quia illuminat civitatem ingentem, quæ extenditur ad mille quingenta milliaria. Rursum, hoc luminare, æque ac fluvius aquæ vivæ, de quo cap. XXII, vers. 1, procedunt a Deo, ac consequenter a throno Dei : ergo cum hic thronus visus sit Joanni, non supra in æthere, aut in cœlo, sed in ipsa civitate descendente de cœlo, puta in medio civitatis, loco tamen eminentiori, sequitur ibidem quoque visum fuisse hoc luminare. Erat enim proprium et adæquatum ipsum civitati, nec foras extra eam lucem suam spargebat.

TANQUAM LAPIDI JASPIDIS, SICUT CRYSTALLUM. — Dixerat luminare hoc simile esse lapidi pretioso; jam ne quæreretur cui lapidi, addit : « Tanquam lapidi jaspidis. » Verum quia jaspides sunt varii et variorum colorum (alii enim virent ut smaragdus, alii pellucent ut crystallus, teste Plinio, lib. XXXVII, cap. 8), hinc, ut hanc ambiguitatem tollat, addit : « Sicut crystallum, » græce ὡς λίθῳ ἰάσπιδι κρυσταλλίζοντι) *tanquam lapidi jaspidi crystallizanti*, id est, plane perspicuo et splendenti instar crystalli. Arabicus vertit, *simile lapidi onychino*, vel *chrysolito*, *crystallo*, *beryllo* : hæc enim omnia significat vox Arabica. Narrat Plinius, lib. XXXVI, cap. XXII, mirum quid de Fortunæ templo, ex lapide phengite, sive sphengite, pellucido constructo. « Nerone, ait, principe repertus est lapis in Cappadocia duritie marmoris, atque translucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento sphengites appellatus : hoc construxit ædem Fortunæ a Servio rege sacratam, aurea domo complexus. Quare etiam foribus clausis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quam specularium modo, tanquam inclusa luce, non transmissa. » De eodem lapide et Suetonius in *Domitiano*, cap. XIV : Domitianus, ait, anxius et sollicitus, ne illorum quos sua crudelitate offenderat, conjuratione opprimeretur, « porticuum, in quibus spatiari consueverat, parietes sphengite distinxit, ut ejus splendore per imagines, quidquid a tergo fieret, provideret. » Tales sphengites, imo longe clariores habent Beati in cœlo, ubi omnia omnibus sunt translucida et clara, imo fulgida (1).

Notat Alcazar hunc Dei thronum esse illum ipsum quem vidit Joannes cap. IV, ubi de eo dicitur vers. 3 : « Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis : » quocirca luminare hoc visum fuisse spargi ex jaspide et sardio, qui vestiebant, et quasi corpus faciebant Deo. Jaspis est gemma viridis et firma : hinc significat Deum sua luce et clara visione recreare, et confirmare oculos et mentes Beatorum, idque constanter et jugiter in æternum. Jaspis hic pellucet instar crystalli, ut significet intimam Dei essentiam a Beatis pervideri et penetrari. Vide dicta cap. IV, vers. 3.

12. ET HABEBAT MURUM MAGNUM ET ALTUM. — Hic V
murus significat firmitatem insuperabilem cœlestis Jerusalem.

HABENTEM PORTAS DUODECIM, ET NOMINA INSCRIPTA, QUÆ SUNT NOMINA DUODECIM TRIBUUM FILIORUM ISRAEL, — ut scilicet per eas intrent omnes tribus, prognatæ ex duodecim filiis Israel, id est, Jacobi. Hæ enim tribus significant universitatem Sanctorum et Ecclesiæ triumphantis, idque quia ipsa olim adumbrata est et significata in Ecclesia veteri duodecim tribuum Israel. Sensum hujus rei mysticum dedi *Num.* 2.

Porro Salmeron in prolegomenis tract. 20, et Vilalpando tom. III *in Ezechiel.*, et Adrichomius in *Chorographia Hierosolymæ*, censent hic alludi ad portas Jerusalem terrestris : hasce enim fuisse tempore Davidis et Salomonis duodecim. Verum Arias Montanus, Alcazar et alii, quin et ipse Salmeron, *tract.* 42, tantum novem portas Hierosolymæ numerant. Adde Hierosolymam ad Austrum nullam habuisse portam, uti docet Vilalpando.

Potius ergo alludit hic Joannes ad castra duodecim tribuum *Num.* 2 : hæc enim in quadrum erant disposita, ita ut singula quadrilatera tres continerent tribus, quarum singulæ singulas vi-

(1) Pulcherrimum gratissimumque est lumen illud cœleste, splendore atque pulchritudine longissime superans lumen hoc solis, quod terræ nostræ lucet. Cumulantur in describenda regia illa cœlesti omnia, quæ ex opinione hominum sunt magnifica et sublimia, ut ostendatur, nihil in terris comparari vel æquiparari posse sedi beatorum angelorum et hominum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dentur habuisse portas. Ad orientem enim erant tribus Juda, Issachar et Zabulon. Ad meridiem Ruben, Simeon et Gad. Ad occidentem Ephraim, Manasse et Benjamin. Ad septentrionem Dan, Aser et Nephthali. Rursum, alludit ad Jerusalem descriptam ab Ezechiele cap. XLVIII, vers. 31, ubi dicitur : « Portæ civitatis ex nominibus tribuum Israel ; » ac deinde ad singulas orbis plagas tres tribus, et cuique suam portam assignat. Porro censet Alcazar, loco tribus et portæ Dan, quam recenset Ezechiel, Joannem hic substituere tribum et portam Manasse, eo quod tribus Dan ab eo cap. VII, vers. 5, exclusa sit ex numero tribuum signatarum et electarum ad cœlestem Jerusalem. Verum hæc ratio non concludit. Nam cap. VII, egit de solis Judæis convertendis ad Christum in fine mundi, ideoque excludit tribum Dan, ex qua putatur nasciturus Antichristus. Hic vero omnes tribus filiorum Jacob complectitur, ut significet omnes omnium gentium fideles et Sanctos, qui sunt spiritales filii Jacob et Abrahæ, ex quatuor mundi plagis undequaque ad cœlestem Jerusalem confluxuros, tam pauperes, quam divites; tam plebeios, quam nobiles; tam barbaros, quam Græcos et Romanos. Nulli enim fideli et Sancto aditus præcluditur, juxta illud Christi *Matth.* VIII, 11 : « Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum. » Quocirca alludit ad *Numer.* II, 25, ac *Ezech.* XLVIII, 32, ubi Dan, æque ac aliæ tribus, in numero duodecim tribuum Israel recensetur : omnes enim omnino tribus et gentes a Deo ad cœlestem beatitudinem vocantur.

Denique cum quodlibet quadri, sive murorum hujus civitatis, latus contineret duodecim millia stadiorum, id est, mille quingenta milliaria Italica, hinc sequitur ingentem fuisse portæ unius ab alia distantiam, scilicet quingentorum milliarium, inquit Alcazar. Verum vers. 16, ostendam quodlibet latus, ac consequenter distantiam portæ unius ab alia, fuisse quadruplo minorem, scilicet fuisse tantum 125 milliarium.

Mystice, S. Hieronymus in cap. XLVIII *Ezechiel.*, Augustinus et Rupertus per duodecim portas accipiunt duodecim Apostolos. Hi enim sunt Patriarchæ, duces et capita duodecim tribuum Israel, id est omnium fidelium et Sanctorum, qui eos sua prædicatione et labore ad Ecclesiam primo militantem, deinde triumphantem vocarunt et adduxerunt : qua de causa duodecim tantum sunt portæ, quia duodecim tantum fuerunt Apostoli Christi, æque ac Patriarchæ filii Jacob, a quibus duodecim tribus prognatæ sunt. Porro custodes portarum cœlestis Jerusalem sunt Angeli, quos nemo indignus fallere aut corrumpere potest, ut sese iis inscii per fraudem, aut consciis et corruptis per munera in urbem insinuet et intrudat.

Aliter Joachim Abbas, qui per duodecim portas accipit duodecim Apostolos, quos ipse in fine mundi censet a Deo mittendos, instar duodecim qui olim missi sunt a Christo. Rursum, duodecim portas fore duodecim Religiones instituendas a Deo hac ratione, ut quæque peculiari ratione nomen et tribum Israel quam respicit, referat et repræsentet. Verum hæc sunt conjectamenta, aut commenta, ne dicam cerebri figmenta.

ET IN PORTIS ANGELOS. — Ita lego cum Romanis ac Græcis, non *angulos* : singulæ ergo portæ suum habent Angelum custodem. Angeli enim sunt custodes, socii, ductores et receptores Sanctorum. Ita Angeli animam Lazari, S. Martini, S. Servuli, S. Pauli primi Eremitæ, S. Benedicti et aliorum, in cœlum deferre sunt visi.

13. AB ORIENTE PORTÆ TRES. — Hæc civitas ad quamlibet mundi plagam habet portas tres, ut significetur quod ab omnibus mundi plagis turmatim et frequentes, magna copia venient electi vocati ad cœlum (1).

14. ET MURUS CIVITATIS HABENS FUNDAMENTA DUODECIM, ET IN IPSIS DUODECIM NOMINA DUODECIM APOSTOLORUM AGNI. — Probabile est quod censet Alcazar, hæc duodecim fundamenta non divisisse muri partes, ita ut muro in duodecim partes diviso, in prima ima fundamenti parte esset fundamentum ex jaspide, in secunda ima parte esset fundamentum ex sapphiro, et ita consequenter; sed quod unum fundamentum fuerit alteri impositum in singulis muri partibus, ita ut in qualibet muri parte in imo fundamenti lapide esset jaspis, deinde ei impositus sapphirus, huic chalcedonius, et ita deinceps. Hoc enim videntur exigere verba vers. 19, cum ait : « Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, » etc. Nota τὸ *omni, q. d.* Fundamenta civitatis undequaque non habent unum lapidem pretiosum, sed singula omnes, puta duodecim.

Rursum censet Alcazar hæc fundamenta non tantum fuisse muri, sed et totius civitatis. Tota enim civitas in vivo lapide erat ædificata : quocirca vivi hi lapides et gemmæ muri pervadebant totam civitatem, uti fit in vivo lapide, qui totum montis cacumen occupat. Verum hoc incertum est, præsertim quia Joannes civitatem a muro distinguit, dicens : « Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide ; ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo. »

Jam certum est apud omnes hæc duodecim fundamenta significare duodecim Apostolos : ipsorum enim humeris, quasi innixus Ecclesiæ murus recumbit. Ideo enim eorum nomina fundamentis inscripta sunt, ut significetur ipsos esse fundamenta et fundatores (hæc enim duo eodem recidunt) Ecclesiæ.

Præclare S. Augustinus in illud *Psalm.* LXXXVI : « Fundamenta ejus (Sionis, id est, Ecclesiæ) in montibus sanctis. Quare, ait, sunt fundamenta Apostoli et Prophetæ ? quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ ? quia per ipsos intramus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis. Et cum per ipsos intramus, per Christum intramus : ipse enim est janua. Et cum dicuntur duodecim portæ Jerusalem, et una porta Christus, et duodecim portæ Christus, quia in duodecim portis Christus. »

Porro quis sit ordo Apostolorum, et quæ gemma cuique Apostolo assignanda sit, obscurum et dubium est : probabile est quod censet Ribera, servandum esse ordinem Apostolorum illum, quo eos ponit et recenset S. Matthæus cap. X, vers. 2. Hic enim inter Evangelistas exactissimus est historicus, et ordinis ac temporis custos. Unde sic eos ordine inchoat et recenset : « Duodecim, inquit, Apostolorum nomina sunt hæc : *Primus*, Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus; Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus; Philippus, et Bartholomæus; Thomas, et Matthæus publicanus; Jacobus Alphæi, et Thaddæus; Simon Chananæus, et Judas Iscariotes, » qui fuit proditor; unde in ejus locum suffectus est Matthias. Eodem ergo ordine videtur S. Joannes his eis fundamenta et gemmas assignare : nisi quod in combinatione S. Matthæi, commutandus sit ordo Thomæ et Matthæi ; præponendus est enim Matthæus Thomæ, uti alii Evangelistæ præponunt : quia ipse humilitatis causa se Thomæ postposuit, ait S. Hieronymus. Jam gemmæ hæ singulæ notant singulas virtutes et dotes quibus singuli Apostoli præ cæteris eluxerunt.

Non placet hoc Alcazaro, tum quia iisdem virtutibus eluxerunt plures, imo omnes Apostoli; tum quia ordo Apostolorum incertus est, in eo enim variant Evangelistæ, isque quater ab eis, et semper aliter et aliter recensetur. Quocirca censet ipse in his duodecim fundamentis et gemmis plane respici ad duodecim articulos fidei, quibus constat Symbolum quod Apostoli condiderunt, et tradiderunt Ecclesiæ. Notus enim est et certus duodenarius hic articulorum Symboli numerus ; notum pariter et certum est esse duodenarium, ex eo quod duodenarius fuerit Apostolorum, qui illud composuerunt, numerus. Hi enim duodecim articuli sunt summa fidei Christianæ, ideoque sunt duodecim fundamenta Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis. Quapropter, inquit ipse, asserendum censeo Apostolos ideo Ecclesiæ fundatores dici, quia admirabilem illam fidei summam ediderunt, et effusi cruoris testimonio, nec non prædicatione atque miraculis in hominum animis inseverunt ; atque idcirco tribuitur Apostolis duodecim gemmarum symbolum, quia gemmæ ejusmodi symbolice figurant veritates duodecim Symboli ab ipsis compositi. Hæc videtur esse sententia S. Augustini, qui lib. III *De Symbolo ad Catechum.*, tom. IX : « Noveritis, ait, Symbolum hoc esse fundamentum super quod ædificium surrexit Ecclesiæ ; » atque idem est dicere « harum veritatum fidem esse fundamenta, » uti loquitur S. Clemens, epist. 1 *ad Jacobum*, fratrem Domini. Huc spectat illud Ruffini libro *de Symbolo*, ea quæ continentur Symbolo esse monumenta fidei, ex lapidibus vivis et margaritis dominicis ab Apostolis ædificata. Adhæc Concilium Tridentinum, *sess.* III, in decreto de Symbolo, Apostolicum Symbolum vocat firmum atque unicum fundamentum, contra quod portæ inferi non prævalebunt. Idem dicunt alia Concilia et Patres. Denique S. Hieronymus in *Psalm.* LXXXVI : « Fundamenta ejus in montibus sanctis, » affirmat fundamenta esse SS. Trinitatis mysteria, quæ toto Symbolo explicantur. Atque tale fundamentum a Paulo fuisse jactum, de quo ait I *Corinth.* cap. III, vers. 10 : « Ut sapiens architectus fundamentum posui : » Apostolos item vocari fundamenta, quia hanc ipsam fidem disseminarunt : ita S. Hieronymus.

Porro parum referre videtur, nosse quænam sententiæ et articuli a quo Apostolo sint compositi : licet enim omnes pariter Apostoli ad cujuslibet articuli compositionem et ordinationem confluxissent, nihilominus quia ipsi erant duodecim, hinc congrue totidem sententiæ et articuli eorum Symbolo, puta singulis singuli, attribuuntur. Porro omnes Apostoli omnes Symboli sententias probarunt, et in Symbolum redegerunt. Quocirca cujusvis articuli auctoritas eadem est, quæ totius collegii Apostolici. Hoc enim totum probavit, ordinavit, composuit et conflavit Symbolum illud, sive quisque suum articulum edixerit, sive omnes articuli ab omnibus simul, vel a variis promiscue fuerint dicti et compositi. Hoc enim parum ad propositum facit.

Hæc sententia gravis est et solida, certoque nititur fundamento; Riberæ tamen explicatio non est rejicienda, quia diserte Apostolis singulis, non autem articulis fidei hos lapides assignat Joannes, æque ac Moses in Rationali singulis Patriarchis singulas gemmas assignavit, *Exodi* XXVIII, 17, quo hic alludit Joannes.

Quare utraque sententia ut probabilis et vera admitti potest : una enim alteri conjuncta et subordinata est, una alteram explet et perficit : duodecim enim gemmæ et fundamenta significant duodecim Apostolos, quia ipsi duodecim fidei articulos Ecclesiæ, quasi fundamenta tradiderunt.

15. ET HABEBAT MENSURAM ARUNDINEAM, — id est, mensuram quæ arundo, sive calamus dicitur : græce enim est κάλαμος, continetque sex cubitos et palmum, ut patet *Ezechiel.* XL, 5. Calamo ergo hoc mensus est Angelus cœlestem Jerusalem : unde aureus est, et gloriæ mensuram significat. Putat Alcazar cubitum non esse quartam humanæ staturæ partem, sed sextam, ac proinde calamum tantum esse quanta est hominis longitudo, quæ tempore Ezechielis et prisco major erat quam jam sit, et habet se ad modernam sicut quinque ad quatuor. Verum hoc est præter com-

(1) Indicatur etiam urbem cœlestem ad perfectam συμμετρίαν exstructam esse. Pertinet hoc ad ornatum; nec videtur in hac descriptione quærendus sensus mysticus.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

munem opinionem, quæ cubitum accipit a flexu brachii ad extremum digiti longissimi, ut sit quarta hominis staturæ pars, non autem a flexu brachii ad manum tantum, qua ratione cubitus est sexta hominis staturæ pars; qua de re dixi cap. XI, vers. 1.

ET PORTAS EJUS. — Ergo et has calamo mensus est Angelus, etsi id non exprimat Joannes. Sed cur id tacet? Respondet Alcazar, quia portæ cœlestis Jerusalem sunt angustæ, juxta illud *Matth.* cap. VII, vers. 13 : « Intrate per angustam portam. » Et : « Quam angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam. » Tacet ergo has angustias, quia hæ non faciunt ad magnitudinem urbis, quam hic depingere intendit Joannes. Porro licet portæ angustæ sint, sunt tamen pretiosæ et miri decoris, nec ita angustæ, quin homo cum suis gemmis et opibus per illas ingredi possit : curribus enim, equis et brutis per illas in cœlum non est aditus.

16. ET CIVITAS IN QUADRO POSITA EST. — Græce τετράγωνος ἐστι, id est *quadrangula est* (unde Arabicus vertit, *et civitas habebit quatuor angulos*), sive sit omnibus partibus æqualis, ideoque quadratum geometricum; sive altera parte major, puta longior quam latior, quale proprie quadrangulum vocant Geometræ. Verum hoc quadrum fuisse quadratum, ut vertit Syrus, non quadrangulum, liquet ex eo quod subdit : « Longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo. » Vitruvius, lib. I, cap. V, non probat quadratam figuram in urbibus, eo quod procurrentibus angulis hostes sese occultare possint. Sed urbs hæc cœlestis nullos timet hostes.

Alludit ad civitatem Jerusalem ab Ezechiele descriptam cap. XLVIII, vers. 16, quæ ad omnes mundi plagas æquilatera erat, et quadrata, sed illa habebat suburbia continentia utrimque calamos 250, cum suburbiis careat hæc civitas Joannis. Rursum longitudo (æque ac latitudo, utpote longitudini par) civitatis Ezechielis continet calamos 4500; adde calamos suburbiorum, habebis calamos universim 5000, id est, novem milliaria Italica. Calamus enim continet novem pedes; quinque autem pedes faciunt passum : milliare vero continet passus mille. Verum Joannis urbs longa est stadia duodecim millia, id est, milliaria mille quingenta; ergo 1491 milliaribus superat civitatem Ezechielis. Ait ergo de cœlesti Jerusalem τετράγωνος ἐστι, id est, *quadrangula est*, non rotunda, non pentagona, non alterius figuræ.

Aliqui ex hoc loco opinati sunt cœlum empyreum non esse rotundum, sed quadrangulum, saltem quoad superficiem ejus convexam, sive extimam. Ita S. Chrysostomus et Theophylactus in *Hebr.* cap. VIII, vers. 2; Ludovicus Molina, tractat. *De Opere sex dierum*, disp. III, ubi et citat Athanasium ac Basilium; Conimbricenses, lib. II *De Cœlo*, cap. V, Quæst. I, art. 2. Quin et S. Clemens, lib. VII *Constit. Apostolic.*, cap. XXXVI, ait : « Cœlum factum est in modum cameræ, instar quadrati lapidis stabile. » Idem docet anonymus Græcus Auctor libri qui inscribitur *Christianorum liber, expositio octateuchi*, scriptusque est sub Justino Imperatore, et exstat in Bibliotheca Vaticana, eumque citat Photius. Porro auctor hic idipsum probat iterum ex *Psalm.* CIII, vers. 3; pro eo enim quod nos ibidem legimus : « Extendens cœlum sicut pellem, » Septuaginta vertunt, *sicut cameram*. Sed hoc argumentum non urget. Camera enim non significat hic cubiculum, quod quadratum esse solet; sed fornicem, quæ rotunda esse solet, vulgoque dicitur concameratio. Latini enim, æque ac Græci, fornicem vocant cameram. Addunt et rationem, sive congruentiam, quod figura quadrata quieti et habitationi sit magis accommodata.

Verum melius magisque genuine hoc quadrum, uti et alia hic, symbolice accipias. Quia enim hæc civitas a singulis quatuor partibus, sive plagis, dicitur habere tres portas, hinc ad majorem firmitatem et ornatum quadrata describitur. Urbes enim quadratæ, *primo*, commodiores; *secundo*, pulchriores et perfectiores sunt : hinc omnem perfectam architecturam videmus in quadrum conformatam; *tertio*, fortiores sunt : bini enim singuli anguli e quatuor, sibi utrimque oppositi respondent, seque mutuo tueri, et hostem validius ex utroque simul propulsare possunt. Hi ergo anguli non dant latebras hosti, uti censuit Vitruvius, sed eum civibus tum in eodem, tum in adverso angulo consistentibus feriendum exponunt (1).

Mystice, hoc quadratum significat civitatem hanc, utpote cuilibet plagæ obversam, et patentem per tres portas, tam patere Occidentalibus quam Orientalibus, tam Australibus quam Aquilonaribus. Rursum, eam regi et beari quaternis Dei attributis, scilicet sapientia, bonitate, justitia et potentia. Caret suburbiis, id est, imperfectis : omnia enim in ea perfecta et conspicua, imo gloriosa sunt.

Tropologice, Haymo, Ansbertus et Pannonius : « Ecclesia, inquiunt, in quadro posita esse memoratur, quia est robusta per fidem, longanimis per spem, ampla per charitatem, efficax per operationem. Habent etiam singuli fidelium fidem, qua credunt, quæ videre non possunt, Deum scilicet trinum in personis, et unum in majestate. Habent et spem, qua sperant se posse pertingere ad illud, quod necdum vident. Habent quoque charitatem, id est, Dei et proximi dilectionem. Quibus virtutibus, ut perfecta sit vita illorum, adjungitur operatio, sine qua fides mortua est. Unde Jacobus Apostolus, *epist.* cap. II, ait : « Fides sine operibus mortua est. » Rursum per quatuor latera civitatis possumus intelligere quatuor virtutes principales, prudentiam, temperantiam, fortitudinem atque justitiam. Quæ ita debent esse in electis, ut una alteri quadret : prudentia quippe scientia est in appetendis bonis, et vitandis malis; cui connectitur temperantia, quia non est perfecta prudentia, nisi adsit et temperantia, quatenus temperet sibi a noxiis hujus sæculi voluptatibus. Quod dum fecerit, magna animi fortitudine utatur oportet, qua venerem depellat, temperantiæ virtute fortiter resistens. Ad hæc justitia accedat oportet, ne plusquam oportet sapiat, sapiat autem ad sobrietatem. Sic ergo civitas in quadro posita esse memoratur, quæ placet Deo in quatuor mundi partibus congregata, consentiens fide, spe, charitate et operationibus, quæ mutuo sese in quolibet fideli complectuntur; » estque quasi monotessaron, e pretiosis quatuor virtutibus æquabili mensura, pulchra harmonia, et velut musico concentu compositis.

LONGITUDO EJUS TANTA EST QUANTA ET LATITUDO, — *q. d.* Non tantum est quadrangula, sed et quadrata, sive æquilatera. Longitudo symbolice significat visionem, contemplationem, et ascensionem intellectus in Deum; latitudo denotat charitatem, quia, quantum Beati vident Deum, tantum et diligunt : ita Gagneius. *Secundo* et aptius, longitudo est æternitas, latitudo est extensio gaudiorum, id est, objectorum de quibus gaudent, uti mox patebit : ita Ribera.

ET MENSUS EST CIVITATEM DE ARUNDINE (id est, cum arundine, per arundinem : est hebraismus, מן *min* ponitur pro ב *bet*) AUREA PER STADIA DUODECIM MILLIA — « Civitatem » intellige totam, puta totum ejus ambitum et quadratum : eo enim dimenso, censetur tota civitas dimensa. Alludit S. Joannes ad urbis Hierosolymæ ambitum : hic enim complectebatur quinquaginta stadia quæ, si in quatuor partes et latera dividas, habebis pro quolibet latere duodecim stadia cum dimidio. Hunc numerum Joannes per mille multiplicavit; ait enim quodlibet civitatis hujus cœlestis latus continere duodecim millia stadia, ut ostenderet Ecclesiam Christi, præsertim triumphantem, longe superare veterem Jerusalem. Ita ex Iosepho et Hecatæo Vilalpando in *Apparatu urbis et templi*, part. I, lib. II, cap. XX. Cum ergo civitas hæc duodecim in sui ambitu haberet portas, sequitur ab una porta usque ad aliam fuisse spatium mille stadiorum : ita enim ex spatio duodecim portarum conflabis duodecim millia stadiorum ambitus urbis. Est hic ambitus ingens, ut designet ingentem cœlestis Jerusalem capacitatem, quæ capiet tot milliones hominum, quot conflabuntur ex omnibus electis, qui quovis sæculo ab Adam usque ad finem mundi fuerunt, sunt vel erunt in qualibet orbis plaga. Octo stadia faciunt milliare Italicum : ambitus ergo civitatis continens duodecim millia stadiorum, continet 1500 milliaria Italica. Jam cum quadrata et æquilatera sit hæc civitas, sequitur quodlibet ejus latus tam longitudinis, quam latitudinis, habuisse quartam hujus numeri et horum milliarium 1500 partem, nimirum 375. Ergo hæc civitas longa erat 375 milliaria Italica, et totidem lata. Est itaque tam longa, quam longum est iter et distantia Neapoli Mediolanum circiter : par est ejus latitudo. Immanis est hæc civitas, quæ tot provinciarum spatium ambitu suo complectitur. Quocirca qui hæc ad litteram, uti sonant, accipiunt, dicunt tantum prorsus esse spatium civitatis, sive loci Beatorum, quem ipsi inter se per varias stationes distributi occupant in cœlo empyreo (nec enim totum empyreum occupare possunt; essent enim inter se nimis disjuncti. Illud enim vastissimum est, et terræ totius globum, non millies, nec centies millies, sed plus quam decies centies millies continet, ut colligere est ex iis quæ docui de cœlorum magnitudine et terræ parvitate, *Genes.* I, 7). Sicut ergo ex cap. XIV, vers. 20, censent inferni capacitatem quaquaversum extendi ad 1600 stadia, id est, ad milliaria Italica ducenta : ita pariter docent locum Beatorum in cœlo empyreo extendi quaquaversum ad 375 milliaria Italica. Longe ergo major est locus Beatorum loco damnatorum, præsertim cum Beati sint pauci, damnati plurimi.

Auget hoc spatium in quadruplum Alcazar. Censet enim ipse Angelum hic metiri civitatem, id est, civitatis longitudinem tantum. Civitas enim, inquit ipse, mensurari dicitur, cum ejus longitudo ab una porta ad aliam oppositam mensuratur. Ergo longitudo hujus civivitatis est duodecim mille stadiorum integrorum, id est, 1500 milliarium Italicorum. Eadem est ejus latitudo. Tam ergo longa est hæc civitas, quam longa est via et distantia ab urbe Hispali usque Neapolim. Beati enim in cœlo vim visivam habent acutissimam, ut ea quæ hoc spatio fiunt, tam commode et clare videant, quam nos videmus ea quæ in uno cubiculo fiunt. Hoc est quod ait Baruch, cap. III, vers. 24 : « O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! »

Verum passim Interpretes hæc duodecim stadiorum millia, uti et alia hic, mystice accipiunt, ut designent ingentem capacitatem hujus civitatis, adæquatam mensuræ et numero duodecim Apostolorum, qui ejus sunt quasi fundatores et parentes. Nam et cætera de pavimento aureo, de fundamentis gemmeis, etc., mystice accipienda videntur. Hæc civitatis capacitas significat ingentem, et quasi

(1) « Figura quadrangularis perfectionem significat. Sic Roma a Romulo condita quadrata, et in Ezechiele structura multa quadrata. Improprie hæc esse sumenda, dubio caret. Nonnisi symbola sunt et imagines. *Per stadia*, etc. Sensus est 12000 stadia singulorum esse laterum urbis, non totius circuitus. Nam ἐπί, *per*, h. l. habet vim distributivam, ut in tacticis ἐφ' ἑνός, ἐπὶ τεττάρων, ἐπ' ὀκτώ, *singuli, quaterni, octoni*. Stupenda itaque urbis magnitudo describitur. Alexandria 30 stadiorum longitudinem, non minus 10 stadiorum latitudinem habuisse dicitur apud Josephum. Hierosolymarum circuitus apud eumdem 32 stadiis; Thebarum apud Dicæarchum 43 stadiis; Ninives apud Diodorum Siculum 480 stadiis definitur. Τὸ *altitudo* intellige, non altitudinem ædificiorum, quæ non erant altiora muro urbis, vers. 17; sed distantiam urbis a terræ planitie. » Ita Rosenmullerus ad h. l.

innumeram fore Beatorum multitudinem, uti ait Joannes, *Apocal.* VII, 9. Quocirca Alcazar : Ad urbem, inquit, tantæ magnitudinis, quanta hic describitur cœlestis Jerusalem, incolendam, requiri videtur major civium multitudo, quam quæ occupare possit vicies centena millia urbium, Hispalin magnitudine adæquantium. Innumeri enim parvuli, etiam inter hæreticos et schismaticos, salvantur; atque ex adultis plures quam multi opinantur. Curat enim Christus, qui suum sanguinem pro animabus fudit, ut illæ, quas tantopere amat, salventur, ne sanguis pro eis incassum sit effusus. Quocirca, si mundus staret per sex millia annorum, ut multi opinati sunt (licet plura fore opinetur Alcazar), quibuslibet mille annis tot salvarentur, quot incolere possent trecenta triginta tria millia urbium Hispalin adæquantium : quolibet vero anno salvarentur tot, quot possent incolere trecentas triginta tres urbes Hispalin adæquantes; quolibet vero die pene tot (annus enim pene totidem, scilicet paulo plures, continet dies, nimirum 365) salvarentur, quot incolere possent Hispalin : incolere dico, non tantum quoad ædes, sed etiam quoad prædia, hortos et viridaria, quæ utilitati æque ac oblectationi incolarum serviunt : ob utramque enim causam cives, præsertim divites, præter ædes solent habere suos hortos et prædia. Ingens enim Catholicorum toto orbe numerus, per mille sexcentos annos semper fuit, et erit usque ad finem mundi. Catholicorum autem longe major pars salvatur, tum quia plerique peneque omnes morituri suscipiunt Sacramenta, quæ ex attrito faciunt contritum : atque isto articulo peccatores deserunt concubinas, aliasque peccati illecebras ex timore gehennæ, et ad beatam vitam toto animo se comparant. Tum quia tertia, vel quarta pars hominum moritur in infantia, vel innocentia baptismali. Plurimi enim moriuntur pueri, imo plusquam media pars hominum moritur ante annum ætatis vigesimum : plures enim videmus ante deficere quam superare annos viginti. Tum quia plerique educantur bene in fide et timore Dei a parentibus, vel præceptoribus : illa autem prima semina pueris impressa, hærent in eis per omnem vitam. Nam *quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.* Ab educatione ergo, et a consortio, pendet vita et salus, vel damnatio cujusque, sicut ostium pendet a cardine. Adolescentes enim in bivio versantur, eoque lubrico. Si in socios, famulos, amicos incidant perversos, pervertuntur et ipsi : si in probos, probi fiunt et ipsi. Quocirca parentes, et principes, ac Prælati maxime advigilare debent circa juventutis instructionem et educationem. Vidit hoc S. P. N. Ignatius, qui in Societate gymnasia omnium classium et facultatum, ac extra eam scholas puerorum ac puellarum passim institui curavit magno Reipublicæ et animarum bono, ut jam longe plures salventur quam ante. Ita unus vir cœlitum numerum valde adauxit, cœloque cives dedit permultos, qui alioqui cives gehennæ evasissent. Taceo ingentem Religiosorum et Virginum multitudinem, quæ in monasteriis et collegiis vitam agit sanctam, imo cœlestem, idque quovis sæculo, et ubivis terrarum. Taceo Sacerdotum, Prælatorum et Clericorum pie viventium cœtus plurimos. Taceo Martyrum et Anachoretarum examina. Taceo Confessorum, viduarum, conjugum proborum turbam innumeram (quam vidit S. Joannes, *Apoc.* cap. VII, vers. 9). Qui e Christianis damnantur, vel caruerunt instructione, et ob ignorantiam rerum credendarum vel agendarum pereunt; vel usuris, simonia, injustis contractibus, fraudibus, etc., se suosque ditarunt, nec in morte ea volunt restituere, ne proles depauperent; vel odio et vindicta pertinaci laborant; vel in bello, rixa, aliove casu occiduntur, etc. Sed hi cæterorum comparatione pauci sunt. Scio S. Chrysostomum, homil. 40 *ad Popul. Antiochenum*, contrarium sentire. Ait enim : « Quot enim esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? infestum quidem est quod dicam : dicam tamen : Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur; quin et de his dubito. Quanta enim in juvenibus, quæso, malitia? quantus in senibus torpor? »

Rursum, nomen stadii, inquit Haymo, indicat cursum et certamen, quibus opus est currere et certare quotidie, ut in illam civitatem penetremus. Unde Paulus I *Corinth.* IX, 24 : « Nescitis, inquit, quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? »

LONGITUDO ET ALTITUDO, ET LATITUDO EJUS ÆQUALIA SUNT. — « *Æqualia,* » id est æquabilia sunt, inquit Alcazar; nam alioqui, si altitudo esset duodecim millium stadiorum, æque ac longitudo et latitudo, vix tota civitatis area fundamentis et basi, quæ ad turres tantæ altitudinis sustinendas requiritur, sufficeret. Adde altitudinem muri mox dici tantum esse 144 cubitorum, quæ sane exilis esset et improportionata, si altitudo domorum esset duodecim millium stadiorum. Itaque non comparatur hic altitudo cum longitudine et latitudine, sed quælibet ex his mensuris in se considerata, dicitur esse recta et æqualis : secus est in plerisque urbibus, quæ quia in solo inæquali ædificantur, inæquales, id est inæquabiles, sunt, ut hic assurgant, ibi deprimantur et descendant. Porro hæc murorum et domorum æquabilitas significat concordiam et societatem Beatorum, eorumque maximam familiaritatem et admirabilem proportionem. Hæc sententia est plana et probabilis : licet Græcum ἴσα magis significet æqualia, quam æquabilia.

*Secundo*, Rupertus censet hæc de muro urbis, non de urbe, ejusque domibus dici. Verum Græcum αὐτῆς, id est *ejus*, urbem refert, non murum. Adde, de muro mox subdit, quod habeat 144 cubitos altitudinis : in longitudine enim et latitudine habet tria millia stadia; totidem enim sunt in singulis quatuor lateribus, quæ faciunt longitudinem et latitudinem. Nam universim in omnibus lateribus simul sunt duodecim millia stadia.

*Tertio* ergo, Ribera et Viegas censent longitudinem, altitudinem et latitudinem urbis proprie esse æqualia, scilicet singula habere tria millia stadiorum, id est 375 milliaria Italica; hæc enim est quarta pars quadrati sive ambitus totius civitatis, qui continebat duodecim millia stadiorum. Mirum hoc videtur : sed cœlestis est hæc civitas, et symbolica. Adde, forte in altitudine hac urbis comprehendit Joannes altitudinem montis, in quo sita erat urbs.

Symbolice, Petrus Bongus libro *De Numer. mysteriis*, docet tribus millibus in S. Scriptura significari perfectionem virtutis et fortitudinis. Tres enim sunt castitatis, et Sanctorum gradus, scilicet conjuges, continentes, virgines, qui ad sacræ et immensæ Trinitatis consortium et fruitionem ascendunt. Aut certe hæc non de urbe, sed de singulis domibus intelligit (altitudo enim civitatis consistit in altitudine domorum et turrium. Nam de muris et mœnibus mox aget), *q. d.* Singulæ hujus urbis domus erant æque altæ, longæ et latæ. Hoc enim miram proportionem et pulchritudinem urbi afferre solet, uti videre est Antuerpiæ.

Hoc quoad fundamentum et veritatem parabolæ. Jam quoad significationem et sensum, longitudo significat æternitatem gaudiorum cœlestium, latitudo eorumdem extensionem ad omnia delectabilia, altitudo tum sublimitatem, tum intentionem eorumdem. Hæc æqualia sunt, quia æquo tenore semper, puta in æternum, durant.

Nota : Sub altitudine complectitur etiam profunditatem, quam addit S. Paulus *Ephes.* III, 18. Altitudo ergo qua altitudo significat sublimitatem felicitatis et visionis beatificæ; qua vero altitudo profunditatem complectitur, significat intentionem et immersionem Sanctorum in abyssum divinorum bonorum, puta sapientiæ, beatitudinis et gaudiorum cœlestium. Sic fere et Viegas : Longitudo, inquit, est æternitas, de qua *Psalm.* XCII, 5 : « Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum. » Huic æqualis est altitudo, id est visio beatifica, qua quasi profunditas et altitudo divinæ sapientiæ penetratur. Æqualis etiam est latitudo, id est fruitio, quæ cum summa delectatione conjuncta est, per quam capacitas animæ propter magnitudinem gaudii quasi dilatatur. Æqualis ergo est longitudo, latitudo et altitudo, quia omnia hæc longitudinem æternitatis adæquabunt. Alludit S. Joannes ad *Ephes.* III, 18 : « Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum. » Addit Alcazar Angelum hunc, qui hæc Joanni ostendit et dimetitur, esse S. Paulum. Verum hoc refutavi cap. XVII, vers. 1.



Tropologice Haymo, Ansbertus et Pannonius : « Tanta longitudo quanta et latitudo, quia quanta est fides, tanta est spes, tanta charitas, tanta operatio. Quantum enim credimus, tantum amamus; et quantum amamus, tantum speramus; et quantum speramus, tantum per dilectionem erga Deum et proximum extendimur. Similiter unusquisque, tantum prudens, quantum temperans, fortis et justus; tantum temperans, quantum prudens, fortis et justus; tantum fortis, quantum prudens, temperans et justus; tantum justus, quantum prudens, temperans et fortis erit. Et quia æquali mensura civitas hæc, donec in terris agit, meritorum quaquaversum stat firma et stabilis; æquali mensura et præmia gloriæ, quacumque orbis in parte ea prædictis virtutibus meruerit, recipiet. Eodem modo in Ezechiele quoque templum situatum describitur : quatenus insinuetur, quia, sicut quadrata firmitas stabilis est, ut nequaquam ventorum impulsibus, aut incursibus fluminum evertatur, sic gloria civitatis hujus e supernis descendentis perennis sit. »

17. ET MENSUS EST MURUM EJUS CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR CUBITORUM MENSURA HOMINIS, QUÆ EST ANGELI. — « Mensus est, » scilicet murum quoad altitudinem. Nam in longitudine, æque ac in latitudine, habuisse illum tria millia stadiorum patet ex dictis vers. 16. Ibi enim dixit totum muri et urbis ambitum continere duodecim millia stadiorum, ac insuper civitatem esse quadratam, habentem quatuor latera æqualia. Ex his enim duobus sequitur quodque civitatis latus, tam longitudinis, quam latitudinis, habere tria millia stadiorum. Ita Babylonis muri in altitudine habebant ducentos cubitos, uti scribunt Historici.

Nota : Per murum ambientem urbem symbolice significatur divina protectio, quæ gloriam Beatorum in omnem æternitatem tuebitur, de qua ait Isaias cap. LX, vers. 18 : « Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. » Murus ergo altus est 144 cubitos, id est undequaque altissimus et firmissimus est. Duodenarius enim significat universitatem et perfectionem, maxime si sit quadratus, id est si in seipsum ducatur et multiplicetur, ut hic fit : duodecies enim duodecim faciunt 144. Ita Aretas.

Alii per murum accipiunt Angelorum custodiam, alii Apostolos, Doctores, Prælatos; alii Martyres; S. Gregorius accipit Christum ipsum; Rupertus asserit Eucharistiam esse murum Ecclesiæ : ad quem accedit Alcazar, qui per eum accipit sacerdotes Ecclesiæ. Hi enim sacrificium Eucharistiæ offerunt, suntque 24 seniores de quibus cap. IV. Unde adæquantur hic numero 144, quia singuli 24 seniores senos habent cubitos staturæ humanæ (de ea enim mox subditur : « Mensura hominis, quæ est Angeli) : jam multiplica sex per 24, habebis 144. Significatur ergo sacerdotum munus esse, ut se murum pro Ecclesia opponant, ideoque congrue tribuuntur muro 24 humanæ

staturæ dimensiones, quasi sacerdotes omnes conjuncti inter se sint ad offerendum Ecclesiæ sacrificium, et ad Ecclesiam ea ratione communiendam. Hucusque Alcazar. Verum hæc partim mystica et tropologica, partim minus probabilia et vera sunt : cubitus enim ex communi sententia, est quarta pars staturæ humanæ, non sexta.

Mensura hominis, quæ est Angeli, — *q. d.* Angelus usus est mensura tali, quali communiter uti solent homines; sive hi 144 cubiti dimensi sunt humana mensura, quam Angelus in manu habebat, idque ne putemus aliam spiritalem, vel Angelicam hic intelligi mensuram : ita Ribera; et Gabriel Vasquez, I part., Quæst. CXXIX, cap. 1 : « Mensura, ait, hominis quæ est Angeli, » *q. d.* Licet hæc mensura videretur esse hominis, revera tamen erat Angeli, qui sub specie hominis metientis civitatem, illam non mensura spirituali et intellectuali, sed humana, quæ est calamorum et cubitorum, dimensus est.

Addit Vilalpando in *Apparatu urbis et templi*, tomo III, part. 2 *De Hebr. mensuris*, lib. III, cap. XV, hanc mensuram cubiti vocari hominis, eo quod ex hominis cubito desumpta primum fuerit. Cum vero addit : « Quæ est Angeli, » eumdem cubitum humanæ illi figuræ, quam gerebat Angelus, convenire indicat, *q. d.* Cubito metiebatur Angelus sub humana specie mensurans, qui proprio ejus cubito æqualis erat : in quo homines priores imitabatur, qui ad mensurandas rerum longitudines, cubiti proprii longitudinem pro mensura delegerunt. Unde Arabicus vertit, *statura hominis, qui est longitudinis Angeli*, qui est tam longus quam erat hic Angelus. Hac mensura hominis quæ est Angeli, significatur *primo*, homines sanctos in cœlo ad mensuram gloriæ Angelorum pervenire. Succedunt enim in locum eorum qui inde prolapsi sunt, factique dæmones. *Secundo*, eadem mensura metiendam esse tam hominis, quam Angeli beatitudinem et coronam, puta pro magnitudine gratiæ et bonorum actuum, tam homini, quam Angelo dandam esse majorem vel minorem gloriam.

Addit *tertio*, Haymo, tot homines gloriam consecuturos, quot Angeli ceciderint : itaque quoad numerum eamdem esse Angeli et hominis, id est Angelorum et hominum, mensuram. Una enim civitas, una felicitas, una Ecclesia, ac consequenter una ejus mensura utrosque capit.

Aliter Alcazar; sic enim explicat, *q. d.* Usus est Angelus calamo, qui est sex cubitorum, quæ est mensura staturæ hominis. Quisque enim homo longus est sex cubitos suos, sumendo cubitum a flexu brachii usque ad initium manus. Addit hanc esse mensuram primi hominis Adæ, et priscorum; quæ major fuit moderna, et ad eam se habet ut quinque ad quatuor. Verum communis sententia est, cubitum esse quartam partem staturæ hominis, non sextam, uti jam dixi. Vide dicta cap. XI, vers. 1.

18. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide. — Alludit ad *Isaiæ* LIV, 12 : « Ponam jaspidem propugnacula tua. » Jaspis firmissimus est, virens et pellucidus, ut docet Plinius lib. XXXVII, cap. VIII. Hinc significat, *primo*, Dei fortitudinem, quæ cœlestem Jerusalem tuetur, protegit et firmat; *secundo*, ejusdem delicias, amœnitatem et recreationem; *tertio*, ejusdem claritatem. Adde *quarto*, creditum esse ab antiquis jaspidem fugare dæmones : hos enim Deus arcet a cœlo. Scriptura enim in symbolis sese accommodat subinde communi hominum sensui et opinioni, esto ea in re non subsistat, nec sit vera.

Ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo. — Aliqui putant in cœlesti Jerusalem nullas esse domos, quia in ea omnia sunt communia et clara; unde nec Joannes ullas hic domos recenset. Verum contrarium docet hic locus : *civitas* enim non vocantur horti, aut Paradisi, sed domus civium; hinc et Christus ait *Joannis* XIV, 2 : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt. » Domus ergo hæ non sunt ut nostræ, lapideæ ad civium defensionem, secretas actiones, etc., sed vitreæ et pellucidæ, ad pulchritudinem, voluptatem, proportionem, et ad significandam etiam meritorum distinctionem.

Jam civitas hæc est ex auro, sed quod vitro sit simile : quia auro nostro nihil deest nisi vitri perspicuitas, uti vitro nihil deest nisi auri firmitas. Utrumque ergo habet cœlestis Jerusalem, scilicet aurum et vitrum : ejus enim aurum perspicuum est ut vitrum; rursum, vitrum hoc solidum est et præstans ut aurum. Est ergo instar chrysolithi, qui symbolum est perfectissimæ gloriæ Christi, a qua Beatorum gloria promanat, de quo in septimo fundamento : ita Alcazar.

Quocirca S. Cæcilia apparitoribus flentibus, quod tam locuples et nobilis sapiensque puella alacris properaret ad mortem, respondit : « Hoc non est juventutem perdere, sed mutare; hoc est dare lutum, et accipere aurum; dare habitaculum vile et parvum, et accipere palatium amplissimum ex lapidibus pretiosis et auro constructum; dare angulum brevem et obscurum, et accipere forum lucidum margaritis cœlestibus coruscans; dare rem perituram, et accipere rem quæ finem nescit et mortem ignorat; dare lapidem vilem qui pedibus conculcatur, et accipere lapidem pretiosum qui in diademate regio vibranti resplendet aspectu : » ita habent ejus Acta.

Jam « civitas aurum est, » id est aurea est. Hebræi enim זהב *zahab*, id est *aurum*, vocant aureum : nec enim habent concretum auri. Civitas ergo aurum est, quia radiat pretiosissimis opibus : aurum, inquam, non opacum, sed simile vitro, quia tota pellucet cognitione et contemplatione tum Dei, tum aliorum Sanctorum et Angelorum, tum rerum omnium. Græca quædam habent ὑάλῳ, id est *similis vitro*, scilicet erat civitas : ita Vatablus; sed eodem redit sensus.



Rursum, per vitrum significatur tum claritas, tum puritas cordis Beatorum, quæ cuique alteri beate patebit. Quidquid enim cogitabit aut volet unus, id protinus videbit alter, ita ut Beati sibi invicem futuri sint quasi quædam specula vitrea lucidissima. Nam, ut ait S. Gregorius, XVIII *Moral.*, XXVII : « Ibi uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus : patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi. » Sic Philosophus ille optabat ut in hoc mundo corda hominum essent vitrea, ut fundus eorum perspici posset, ne qui in illo doli vel fraudes residerent, et celarentur. Eadem de causa Momus apud Lucianum in *Hermotimo*, reprehendit Vulcanum, quod homini non dederit pectus fenestratum, id est perspicuum.

Simile quiddam in natura videmus, quæ producit genus quoddam marmoris flavi (quod alias communiter durum est et opacum), quod transparet et pellucet, ut docet Plinius, et ex eo Anselmus Boetius, lib. II *De Lapidibus*, cap. CCLXXX. Marmor hoc vocatur phengites, id est splendens, quod interdum venis flavescit, de quo dixi superius vers. 11. Spectatur Romæ in templo S. Mariæ in portica, ex hoc marmoris genere columna dimidiata ad summum altare, colore flavo, parietis rimam obstruens, ac externam lucem solisque radios, instar vitri splendentis intromittens. Equidem ut primum vidi, miratus sum, crystallumque putavi, donec penitus introspiciens marmor esse perspexi, nimirum phengitem.

Denique vitrum notat virginitatem Beatorum, et nitorem omnis labis expertem. Vitrum enim ab hydrargyro intactum, est virgo a peccati noxa immunis. Nam, ut docet S. Isidorus, lib. XVI, cap. XVIII, hydrargyros, id est argentum vivum, aurum, argentum, æs aliaque metalla perforat, vitrum autem non lædit.

Est vitrum virgo, labes hydrargyros ævi.

Exstat hac de re doctum carmen Nicolai Causini, lib. XI *Parab. Hist.*, cap. LXIII.

Talem, tam augustam, tam splendidam, tam pretiosam ex auro et argento, hanc civitatem cœlestem conspexit, eo post mortem raptus S. Salvius Episcopus. Unde jussu Dei rediens ad vitam, exclamavit : « Audite, o dilectissimi, et intelligite, quia nihil est quod cernitis in hoc mundo, sed sunt juxta id quod Salomon propheta cecinit, omnia vanitas. Felix est enim, qui ea agere potest in sæculo, ut gloriam Dei mereatur cernere in cœlo. » Cumque adstantes rogarent ubinam fuisset, quidnam vidisset, ait : « Cum me ante hos quatuor dies contremiscente cellula exanimem videtis, apprehensus a duobus Angelis in cœlorum excelsa sublatus sum, ita ut non solum hoc squalidum sæculum, verum etiam solem ac lunam, nubes et sidera sub pedibus habere putarem; deinde per portam luce ista clariorem introductus sum in illud habitaculum, in quo omne pavimentum erat quasi aurum argentumque renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis : quam ita multitudo promiscui sexus obtexerat, ut longitudo ac latitudo catervæ prorsus perviderі non posset. Cumque nobis via inter comprimentes, ab his qui præcedebant Angelis pararetur, pervenimus ad locum quem jam de longinquo contemplabamur, in quo superpendebat nubes omni luce lucidior, in quo non sol, non luna, non astrum cerni poterat, sed super his omnibus naturali luce splendidius effulgebat. » Subdit deinde de loci sono, fragrantia, turba et voce : « Et vox procedebat de nube, tanquam vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem humiliter salutabant viri in veste sacerdotali ac sæculari, quos mihi qui præcedebant, enarraverunt esse Martyres ac Confessores, quos hic summo excolimus famulatu. Stans igitur in loco, in quo jussus sum, operuit me odor nimiæ suavitatis, ita ut ab hac suavitate refectus, nullum adhuc cibum potumque desiderem. Et audivi vocem dicentem : Revertatur hic in sæculum, quoniam necessarius est Ecclesiis nostris. Vox enim audiebatur : nam qui loqueretur, penitus cerni non poterat. Et ego prostratus super pavimentum cum fletu dicebam : Heu, heu, Domine, cur mihi hæc ostendisti, si ab his frustrandus eram? Ecce hodie ejicis me a facie tua, ut revertar ad sæculum fragile, et huc ultra redire non valeam. Ne quæso, Domine, auferas misericordiam tuam a me; sed deprecor ut permittas me hic habitare, ne illuc decidens peream. Et ait vox quæ loquebatur mihi : Vade in pace, ego enim sum custos tuus, donec reducam te in hunc locum. Tunc relictus a comitibus meis, descendens cum fletu per portam qua ingressus fueram, huc sum regressus. » Quocirca factus Episcopus Albigensis, vitam egit cœlestem et Angelicam, atque suos omnes hortabatur orationi incumbere, ac vigiliis instanter insistere, et bona semper tam in operibus, quam in cognitione versare, dicens : « Hoc agite, ut si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in judicium, sed in requiem intrare possitis. » Hæc omnia B. Gregorius Turonensis, qui illa se ab ejusdem S. Salvii ore accepisse juratus asseverat, lib. VII *Histor.*, cap. 1, ubi et felicem ejus ad Dominum transitum enarrat, qui contigit anno Domini 586 ejusque memoriam quotannis recolit Ecclesia in *Martyrologio*, die 10 Septembris.

19. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata, — quia licet singula fundamenta essent ex singulis gemmis, erant tamen vestita aliis undecim, ut significaretur Apostolos, licet una virtute excelleret, alias tamen aliorum eis non defuisse, inquit Ribera.

Verum simplicius videtur et concinnius, si dicamus singula fundamenta singulis duntaxat gem-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

mis constitisse, ita ut omnia simul juncta essent « omni pretioso lapide (id est, hisce duodecim pretiosissimis gemmis) ornata ; » nam non ait fundamentum, sed « fundamenta, » scilicet omnia collective sive copulatim sumpta. Unde id membratim explicans subdit : « Fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, » etc. q. d. Hæc fundamenta erant omni pretioso lapide ornata, quia primum fundamentum erat jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, etc. Addit Alcazar, « ornata » idem esse quod pulchro ordine disposita. Græcum enim κοσμῶ non tantum significat ornare, sed et ordinare, distribuere, componere, præsertim ubi ex ipsa dispositione decor et pulchritudo consurgit, uti fit in fabricis. Itaque fundamenta dicuntur omni lapide pretioso ornata, quia visa sunt Joanni gemmarum sequentium ordine disposita admirabilem pulchritudinis speciem oculis subjicere. « Ornata » ergo, id est, iis omnibus gemmis quæ sequuntur, collucentia.

Nota : Cœlestis Jerusalem fundamenta, speciem et decorem S. Joannes describit per gemmas. *Primo*, quia in terra nihil gemmis est pulchrius aut præstantius. Sicut enim in cœlo micant stellæ, sic in terra gemmæ, ut videantur esse stellæ terrestres, ac stellarum cœlestem lucem, levitatem et vim participare. Docent enim Physici gemmas ex peculiari cœli et stellarum influxu, in terræ visceribus gigni et formari.

*Secundo*, quia gemmæ apud antiquos erant hieroglyphica rerum cœlestium, ac divinarum.

*Tertio*, quia gemmæ in terris pretio, splendore, firmitate et energia cæteris rebus antestant. Unde Andreas Bacci, tractat. *De hisce duodecim Gemmis*, docet gemmas dici quasi gummeas, quod instar gummi arborum sunt lucidæ et transparentes, æque ac parvæ, ideoque vocari lapillos pretiosos. Sunt enim quasi guttæ et stillæ cœli, instar crystalli.

*Quarto*, quia in cœlis videntur veræ fore gemmæ, non terrestres, sed cœlestes, et longe hisce nostris præstantiores. Id colligitur *primo*, ex Joanne hic, qui eas se vidisse in cœlo asseverat, atque ex Tobiæ cap. XIII, vers. 21 : « Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur : et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus alleluia cantabitur : » ad quæ verba hic alludit S. Joannes ; verba enim Scripturæ proprie ut sonant accipienda sunt, ait S. Augustinus, nisi quid absurdi ingerant.

*Secundo*, quia corpora et oculi Sanctorum suas habebunt opes, et objecta pulcherrima et præstantissima, quibus se pascant et oblectent. Oculi autem non sola luce pascuntur, sed et varietate colorum, ut virore vario camporum, arborum, florum, fructuum ; item fluviis et fontibus pellucidis instar vitri, ac præsertim gemmis fulgentibus. Ergo in cœlis hæc eis non deerunt : alioqui feliciores fuissent in terra, quam erunt in cœlo.

*Tertio*, quia S. Agnes, teste S. Ambrosio, aliæque virgines beatæ apparuerunt vestitæ cycladibus aureis et gemmeis : vide eumdem, serm. 90.

Denique in cœlis varias Beatorum fore mansiones, et palatia pulcherrima ex margaritis et gemmis constructa, item prata, nemora, hortos aliaque amœnissima, docet S. Anselmus, lib. *De Similit.*, cap. XLIV, D. Soto, Ferdinandus Peres, quos citat et sequitur Barradius tom. III, lib. X, cap. III. De qua re plura dicam cap. XXII, vers. 2, in fine.

Huc spectat illa Socratis apud Platonem in *Phædone*, sub finem, narratio de duodecim pulcherrimis coloribus superioribus terræ, et quod nostræ gemmæ, ut jaspis, sapphirus, carbunculus, sint particulæ et ramenta quædam montium ac gemmarum terræ superioris. Videtur id Plato hausisse ex Mose, uti et alia : unde ipse vocatur Moses Atticus. Moses enim *Exodi* XXVIII, 17, in Rationali posuit duodecim gemmas, quasi duodecim signa Zodiaci : Rationale enim cœli erat typus, ejusque speciem et figuram repræsentabat.

FUNDAMENTUM PRIMUM, JASPIS. — Nota *primo*, ex S. Hieronymo in XXVIII *Ezech.*, alludit S. Joannes ad *Exodi* XXVIII, 17. Ubi eædem sunt gemmæ et totidem, scilicet duodecim, infixæ Rationali Pontificis, quarum cuique inscriptum erat nomen unius Patriarchæ, qui caput et parens erat unius tribus e duodecim. Rationale enim formam gerebat cœli ; duodecim Patriarchæ allegorice repræsentabant duodecim Apostolos : Apostoli enim sunt Patriarchæ duodecim tribuum, id est, omnium fidelium Sanctorum et Beatorum novi Testamenti. Duodecim ergo gemmæ, vel fundamenta gemmata sunt duodecim Apostoli, idque eo ordine quem assignat S. Matthæus, cap. X, vers. 2, uti ostendi vers. 14.

Porro novem gemmæ hic plane eædem sunt cum novem gemmis Rationalis, licet alio ordine ponantur hic, alio in Rationali : sardonix enim qui hic ponitur, est species onychis, qui ponitur in Rationali. Tres vero reliquæ videntur diversæ. Nam pro chalcedonio hic, in Rationali ponitur carbunculus ; pro hyacintho ligurius, pro chrysopraso achates. De quibus in singulis dicendum erit, ostendendumque qua ratione conveniant.

Nota *secundo* : In gemmis nonnullis valde discrepant novi scriptores, Nilus, Anastasius et alii ab antiquis, puta a Theophrasto, et a Plinio, quem sequitur Solinus, Isidorus et alii : sive quia nomina gemmarum quandoque variata et mutata sunt ; sive quod gemmæ veteres nonnullæ interierint, et novæ earum species subnatæ, aut a gemmariis substitutæ sint, uti præstantes gemmarii, quibuscum Romæ egi, mihi fassi sunt, ipseque ego singulas eorum gemmas perlustrans, et manu oculisque pertractans, easque conferens cum illis quæ de iisdem scribit Plinius, reipsa deprehendi. Vidi enim sardium olim opacum, nunc



esse pellucidum ; topazium olim aureum et porraceum, nunc tantum esse aureum et fulvum ; sapphirum olim cæruleum, aureis punctis collucentem et opacum, nunc esse violaceum, sine punctis et pellucidum ; beryllum olim viridem dilutum, nunc albicare ut vitrum, imo a gemmariis vocari vitrum ; hyacinthum olim cæruleum et violaceum, nunc melleum, etc. Quocirca Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, XXX : « Plinii, ait, hyacinthus, hodie inter amethysti genera ponitur ; quemadmodum amethystus veterum, nunc granati nomen obtinet. Ætas, ac gemmariorum imperitia gemmarum nomina ita confundit, ut vix aliquid certi hac in re statui possit. » Quare præstat hic antiquos sequi, ut Theophrastum, qui paulo ante Septuaginta Interpretes vixit, et Plinium ac Solinum : tum quia hi S. Joanni fuerunt coævi, præsertim cum Plinius diligenter ac fuse toto lib. XLVII, de singulis gemmis pertractet : unde plane ad eum respicere et se remittere videtur hic S. Joannes ; tum quia S. Hieronymus, auctor nostræ versionis Latinæ, fatetur se sequi Plinium, ejusque fidem et studium in hisce gemmis commendat. Id fuse et docte docet Alcazar hic notatione sexta, qui et deinceps exacte et ample per 50 paginas de hisce 12 gemmis disserit.

Nota *tertio* : Duodecim hæc fundamenta significant tum duodecim Apostolos, tum duodecim articulos Symboli ab eis compositi. Hi enim continent veritates fundamentales fidei, et Ecclesiæ tam triumphantis, quam militantis ; unde et sunt duodecim, ut ipse numerus nos commonefaceret de Apostolorum duodecim auctoritate eis communicata, deque ipsius doctrinæ articulis hisce contentæ concordia et unitate. De duodecim Apostolis explicant Ribera, Viegas et alii ; de duodecim articulis Symboli explicant Glossa et Alcazar : utramque expositionem afferam ; utraque enim eodem tendit.

JASPIS. — Pro *jaspis*, *Exodi* XXVIII, 18, hebr. est יהלום *iahalom*, quod Arias et Rabbinizantes vertunt *adamantem*, tum quia radix הלם *halam* significat ferire et frangere : adamas autem sit infractus, et malleos quibus tunditur, frangat ; tum quia ישפה *jaspe* hebraice videtur idem esse qui latine dicitur jaspis, esto Noster *Exodi* XXVIII, 20, verterit *beryllus*. Verum Septuaginta, Noster, Josephus, Aquila et Theodotion, qui fuerunt doctissimi Hebræi, ipsumque Rationale ejusque gemmas viderunt, *iahalom* vertunt *jaspidem*, eo quod maculas quasi plagas habeat, quibus quasi contusus, fractus et dissectus videtur. Porro *jaspe* Hebraicus alius est a jaspide Latino, uti gemma quæ nunc a gemmariis vocatur topazius, alia est a topazio Latino Plinii et veterum. Sic *sus* hebraice significat equum, latine porcum.

Porro jaspis a Plinio, Epiphanio, S. Hieronymo, Isidoro, Dioscoride et aliis passim, traditur esse viridis ; esto inveniantur et jaspides alii cærulei, alii candidi, alii rubri : optimus est viridis, qui alba linea transversa est, qui *grammatias* vocatur : unde de eo hic est sermo.

*Secundo*, jaspis firmissimus est.

*Tertio*, creditum est jaspidem fugare phantasmata, et esse amuletum contra venena et veneficia ; unde Dioscorides, lib. V, cap. CLX : « Omnes jaspides amuleta esse traduntur ; » et S. Hieronymus in *Isaiæ* LIV : Jaspis, inquit, est « smaragdi habens similitudinem, quo omnia phantasmata fugari autumant, vocatur grammatias. » Id sumpsit S. Hieronymus ex Plinio. Ridet hoc Isidorus, atque esse superstitionem, talisque esse videtur, sed orta ex vero principio, scilicet quod jaspis confortet stomachum (ut docet Galenus, lib. IX *Simplicium*) languentes enim stomacho sæpe putant se philtris aut veneficiis in eum languorem esse conjectos.

*Quarto*, præstantissimus est jaspis viridis habens maculas rubeas sive sanguineas, ait Albertus Magnus. Unde et Plinius : « Optima, inquit, est, quae purpurae quidquam habet, secunda quae rosae, tertia quae smaragdi. »

*Quinto*, jaspis non simpliciter et uniformiter viridis est, sed maculosus, sive venulosus : ut enim sit jaspis, requiritur in virore varietas. Nam, ut ait Theophrastus, jaspis similis smaragdo, verus fieret smaragdus, si maturesceret ; idque probat ex ipsa smaragdi matrice, in qua variæ sunt viridis coloris species et gradus.

Hinc *sexto*, jaspis videtur dici ex ἴασις, id est *salus*, et σπίλος, id est *macula*, quod ipsius maculæ salutares sint et medicæ. Porro Anselmus Boetius, insignis gemmarius, lib. II *De Gemmis*, cap. C : « Jaspis, ait, ab achate non differt, nisi quod mollior sit, et propterea non ita exacte poliri possit ut achates, neque tam perspicua quam achates, ut plurimum viridis. Quo smaragdo vicinior, eo nobilior. »

*Septimo*, jaspis est gemma antiquissima. Unde Plinius : « Etiamsi victus a multis, antiquitatis tamen gloriam retinet. » Jaspis enim in ipsa terræ superficie invenitur, cum reliquas gemmas in terræ visceribus natura abdiderit ; rursum, in multis regionibus invenitur.

*Octavo*, jaspis sistit fluxum sanguinis, et feminarum menstrua : ita Albertus Magnus, cujus rei miras et magnas experientias recenset oculatus testis Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. CII, additque : « Viridis collo appensa, ita ut circa ventriculi orificium pendeat, stomachum firmare, nauseam vomitumque prohibere, ac calculos urinamque pellere traditur. Jaspis omnis conceptum firmat, partumque femori alligata promovet. Gestata febres et hydropes, quæ vel a debili concoctione, vel a sanguinis nimio fluxu oriuntur, corroborando ventriculum, et sanguinem sistendo, prohibet. Nonus medicus etiam epilepsiam viridem jaspidem arcere affirmat ; idque et nunc a multis asseritur, quæ si circa ensiformem cartilaginem per diem et noctem ab epileptico gesta-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tur, aiunt, si sudore corripiatur, liberari a paroxismo; sin minus, emori : idque multoties fuisse probatum. '.ıres has omnes augeri putant, si argento includatur. Cogitationum etiam tumultum et inconstantiam, quæ ex sanguinis impetu oritur, prohibet. Calculi etiam generationem, si portetur, omnino arcere vulgo creditur. Jaspis grammatias, aut polygrammas appellata, quæque virens smaragdo persimilis est, ad venena pro amuleto gestatur. » Denique cap. CIII, et in epist. dedicatoria, narrat [illegible] II Imperatorem mensam e gemmis, [illegible] jaspidibus, extrui jussisse, quam ipse octavum mundi miraculum appellat, et cum Dianæ Ephesiæ templo comparat, utpote in qua fabricanda plurimis annis maximisque expensis desudatum est, quæque tanto artificio elaborata est, ut gemmæ sibi invicem commissuris, quæ conspectum fugiunt, unitæ, silvas, arbores, flumina, flores, nubes, animalia, variasque rerum pulcherrimarum formas ita referant, ut depictæ ad vivum videantur, ac simile opus in toto orbe reperiri non possit.

*Nono*, jaspis subinde opacus est, subinde pellucidus. Rursum, cum variis gemmis miscetur. Nam « a commixtione cum achate, vocatur jaspachates; cum onyche illa qua nivem imitatur, ac crystallo similis est (quem hodie chalcedonium vocant), jasponyx a Plinio appellatur; quæ cum sarda miscetur, sardojaspis dici potest. Habeo unam quæ amethystum, sardam, chalcedonium distinctis locis in se habet, » ait Boetius, cap. CI.

Jam primus in fundamentis jaspis significat S. Petrum, Principem Apostolorum et Ecclesiæ : unde super hanc petram Christus promisit se ædificaturum Ecclesiam. Hinc viret semperque viget ejus auctoritas, vigebitque in suis successoribus ejus dignitas Pontificia usque ad finem mundi, imo in æternum.

*Secundo*, Petrus postquam post Christi resurrectionem ab eo creatus est Pontifex, firmissimus fuit in fide, ita ut contra eum ejusque Ecclesiam nec homines, nec portæ inferi, id est, omnis dæmonum vis unquam prævalere possit. Ipse est enim cui Christus oves suas jugiter commisit, dicens : « Pasce oves meas; » et : « Confirma fratres tuos. »

*Tertio*, Petrus, ejusque successores Pontifices, omnia terrorum et errorum phantasmata fugant et propulsant ab Ecclesia. Esto enim jaspis revera non fuget veneficia, sufficit tamen ad symbolicam hanc significationem et repræsentationem communis orbis opinio, quæ id putavit et credidit.

*Quarto*, Petrus habet maculas sanguineas, quia sanguine suo obsignavit et purpuravit suam fidem et pontificatum.

*Quinto*, Petrus jugibus lacrymis quotidie ad cantum galli deflens suum peccatum negationis Christi, maculosus fuit, pœnitens et atratus : indeque

*Sexto*, a Deo gratiam medendi toto orbe omnibus animi morbis accepit.

*Septimo*, Petri dignitas est prima et antiquissima, quia ab ipso Christo consignata, et toti orbi promulgata ac cognita.

*Octavo*, Petrus sistit in Romanis aliisque gentibus fluxum carnalium cupiditatum. In Rationali Aaronis jaspis insculptam sibi habebat tribum Gad : hæc enim erat tribuum firmissima et fortissima.

*Nono*, Petrus opacus fuit per spei ac fiduciæ in Deo soliditatem; fuit et pellucidus per vitæ puritatem, et per contemplationem; imo in se habuit commixtionem omnium virtutum : omnes enim habuit in gradu heroico.

Nota *secundo* : Primus in fundamento Ecclesiæ jaspis, denotat primum Symboli articulum : « Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ. » Hic recte comparatur jaspidi. *Primo*, quia significat Dei virorem, id est, robur et potentiam, qua hanc mundi machinam ex nihilo creavit.

*Secundo*, firmitatem in ejus conservatione et gubernatione æterna.

*Tertio*, hic articulus de uno Deo creatore, fugat omnia deorum et idolorum phantasmata.

*Quarto*, pro ejus veritate et fide Martyres sanguinem suum profuderunt, eoque maculati, imo purpurati sunt; aut viridis color spem innuit et præmia, quæ Deus creator suis cultoribus promisit : sanguineus, minas et tormenta, quæ incredulis et inobedientibus comminatur.

*Quinto*, est varius et maculosus, quia Deus creator varias et multiplices ad universi perfectionem creavit creaturas.

*Sexto*, medetur pusillanimitati, diffidentiæ, omnibusque infirmitatibus hominum.

*Septimo*, est antiquissimus, quia etiam Philosophi, qui non cognoverunt SS. Trinitatem, cognoverunt tamen unum Deum mundi opificem. Nam, ut ait Apostolus *Rom.* I, 19 : « Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit : ... ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. » Rursus creatio attribuitur Patri, quæ origine prima et antiquissima est persona in divinis.

*Octavo*, sistit sanguinem et menstrua, id est, impuras et carnales actiones ac desideria. Hoc facit quod recentiores, ut Beda, Rueus et alii, penes quos sit fides, tradunt jaspidem venereas cogitationes et appetitiones refrenare, oculos purgare et acuere. Hinc rursum jaspis dictus grammatias, linea alba interstinguitur, quæ symbolum est innocentiæ puræque vitæ, quam postulat Creatoris mundi debita servitus et cultus.

*Nono*, est opacus, quia obscurus Paganis et infidelibus; sed translucidus credentibus, quos etiam per puritatem morum, omnemque virtutem, in gratiam et lucem divinæ conversationis transformat. Ita Alcazar.



SECUNDUM, SAPPHIRUS. — In hac gemma omnes consentiunt. Nam hebr. vocatur *sapphir*, indeque græce et latine vocatur sapphirus. Jam sapphirus *primo*, cæruleus est, ait Plinius et alii passim.

*Secundo*, aureis punctis quasi stellis collucet et scintillat, ait Plinius et Isidorus; unde a Theophrasto vocatur χρυσόπαστος, id est *auro distinctus*, indeque hebr. ספיר *saphir* dicitur, id est *pulcher*, ait S. Hieronymus, a radice שפר *scaphar*, id est *pulcher fuit*; vel *sappir*, a ספר *sepher*, id est *numerus*, ob punctorum, quasi stellarum quæ in eo visuntur, numerum, ait Alcazar.

*Tertio*, cœli speciem præ se fert, ait ex Plinio S. Hieronymus; unde et *Exodi* XXIV, 10, visio Dei qua apparuit Mosi et senioribus, fuit « quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum cum serenum est; » indeque a gemmariis sapphirus vocatur gemma sacra. Ex hoc loco patet sapphirum ita esse cæruleum, sicut est cœlum serenum, cum nimirum speciem habet cærulei purissimi ultramarini, qualis est in lapide Lazulo; cœlum ergo videtur esse primus et primarius sapphirus, a quo gemma sapphirus suum colorem et stellas accepit.

*Quarto*, sapphirus veterum opacus fuit, teste Plinio et aliis; sic enim habet communis veraque lectio Plinii, lib. XXXVII, cap. IX : « Optimæ apud Medos, nusquam tamen perlucidæ; » licet unus codex manuscriptus, quem citat Dalecampius, habeat : « Nusquam enim sic perlucida. » Quare qui hodie sapphiri vocantur et pellucent, potius hyacinthi sunt quam sapphiri veterum. Quocirca Alcazar et Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. CXIX, censent Plinii et veterum sapphirum esse speciem quamdam illius, qui nunc vocatur lapis Lazuli, id est, qui nec venas, nec aureum pulverem, sed scintillas, seu guttas ex auro in cærulea planitie habet, ac nobiliorem esse qui cœli sereni colorem, absque ulla violacei admixtione, magis refert. Hinc et Epiphanius cyaneum (quidem est cum lapide Lazuli, vel ejus species) numerat inter species sapphiri. Et Dalecampius, in Plinium commentans, ait ea quæ Plinius scribit de sapphiro, non sapphiro nostro, sed cyaneo convenire. Cyaneo vero medici attribuunt virtutem corroborandi cor, pellendi melancholiam, multasque alias magnas et miras.

*Quinto*, de veterum sapphiro ait Pierius, *Hieroglyph.* 41 : « Sapphirus apud veteres magna semper in veneratione fuit : siquidem per eum imperium et summum sacerdotium significari manifestum est. » Et Rueus : « Supremam, inquit, olim sapphirum apud homines auctoritatem habuisse, et apud divos gratiam, ipsa perhibet antiquitas, » ut tunc illis jucundum et gratum esset sacrificium, quando offerebatur in sapphiro, id est patina sapphirina, vel certe quando sacerdos in annulo gestabat sapphirum. Et Abulensis in *Exod.* XXIV, 10 : « Apud Gentilium deos, inquit, in magna fuit sapphirus reverentia, quod sine eo responsa non dabantur. » Et in cap. XXVIII, vers. 18, ait olim sapphirum gemmam gemmarum appellari solitum. Hinc etiamnum Pontificibus et Cardinalibus congruunt sapphiri, et Pontifex recens creato Cardinali mittit sapphirum, uti Episcopo datur annulus; licet enim nostri sapphiri potius sint hyacinthi, tamen in veterum sapphirorum locum successerunt. Nam veteres Ægyptiorum summi judices, qui erant Pontifices, e collo gestabant sapphirum, cui insculpta erat veritas, teste Æliano, lib. XIV, cap. XXXIV.

*Sexto*, sapphirus visum acuit, ait Nyssenus, orat. 14 *in Cant.*

*Septimo*, Galenus et Dioscorides has virtutes dant sapphiro : « Percussis a scorpione haustum prodesse, et contra intestinas exulcerationes bibi; et ruptas membranas cogere, et excrescentia in oculis ac pustulas inhibere. » Addit Albertus Magnus, lib. II *De Mineral.*, valere contra melancholiam, quartanam et melancholicos humores. Vide quæ de sapphiro dixi *Exod.* XXIV, 10, et *Exodi* XXVIII, 18. Addunt aliqui, penes quos sit fides, sapphirum homines ad pietatem, constantiam, pacem et cupiditatum refrænationem inclinare, ideoque esse gemmam Pontificum.

Jam sapphirus in Rationali inscriptum habebat Nephthali : hic vero congruit S. Paulo, qui alter est et secundus a S. Petro Apostolus ac Ecclesiæ fundator. Ita Andreas et Aretas. Verum quia S. Paulus non fuit inter duodecim Apostolos, a Christo vivente vocatos, et recensitos a S. Matthæo, cap. X, vers. 2, aliisque Evangelistis; sed extra numerum et ordinem vocatus est a Christo e cœlo post resurrectionem; rursum, quia Paulus Petro et in apostolatu, et in morte, et in imaginibus, et in officio Ecclesiastico, et in festo tam Romæ, quam alibi per totam Ecclesiam semper associatur, ideoque ei hic pariter in jaspide jungendus videtur, « quia illos et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales, » ait S. Leo, serm. 1 *De S. Petro et Paulo* : hinc melius Joachim, Ribera et Viegas per sapphirum accipiunt S. Andream, fratrem S. Petri. Hic fuit cæruleus, puta cœlestis coloris, id est profundæ lucis et sapientiæ, quam hausit a sole justitiæ Christo, quando a S. Joanne Baptista amandatus ad Christum, *Joan.* I, 36, biduo apud eum mansit, et secreta ejus doctrinæ et vitæ perspexit et imbibit. Cæruleus enim color quem in cœlo videmus, nil est aliud, nisi maxima altissimæ lucis profunditas; quæ quia nullo colore miscetur nullumque habet terminum, hinc oculum absorbet, perstringit et hebetat, ut videatur esse cæruleus oculo, cujus acies infirma in eo perspiciendo succumbit, ideoque cespitat, et quasi obtunditur et obscuratur, uti experimur in nobis fieri, cum fulgentes solis radios adversis oculis per conspicilia, vel medium aliquod instrumentum intuemur.

*Secundo*, aureis stellis, id est ardentis charitatis radiis effulsit, quando a sole igneo, puta a Chri-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sto, afflatus et quasi sideratus, totius in ejus amorem exarsit.

*Tertio*, cœli speciem habuit, quia terrena omnia, prospera et adversa calcavit, animo in cœlo defixus.

*Quarto*, opacus fuit et densus, id est fortis et solidus : Andreas enim fuit ἀνήρ, id est vir, et virili animo ac robore, præsertim in morte et martyrio.

*Quinto*, fuit sacerdos et Pontifex.

*Sexto*, Achaiensium et aliorum Gentilium cæcos oculos luce et fide Christi illuminavit et acuit.

*Septimo*, melancholiam aliosque morbos a se suisque discipulis fugavit, quando lætus et alacer crucem biduo in ea pendens, sustinuit, eamque salutavit dicens : « O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando cupienti animo præparata! Accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. »

*Secundo*, sapphirus congruit secundo Symboli articulo : « Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. » Christus enim instar sapphiri cæruleus est, quia immensum incomprehensibilis lucis est pelagus, ut in ejus contemplatione mens humana evanescat. Est enim Verbum Patris, Deus de Deo, lumen increatum lucis increatæ : cæruleus ergo color sapphiri significat divinitatem, divinamque generationem Christi, qua procedit ut Verbum et imago Patris.

*Secundo*, aureis punctis collucet, quia est increata charitas et amor originalis, quo cum Patre spirat Spiritum Sanctum, qui est amor notionalis Patris et Filii.

*Tertio*, cœlestis est natura, habitatione, æternitate, beatitudine ; unde ait Apostolus : « Primus homo de terra, terrenus ; secundus homo de cœlo, cœlestis, » I *Corinth*. XV, 47.

*Quarto*, opacus est et densus, quia « generationem ejus quis enarrabit ? » est enim inscrutabilis et impervestigabilis. Rursum, quia deitas ejus in densa humanitate opacatur et absconditur.

*Quinto*, est Christus, id est unctus in regem et Pontificem æternum : in regem, inquam, et monarcham orbis.

*Sexto*, est lux mundi, *Joan*. I, 9, atque eos qui ejus contemplatione se pascunt, mira luce et voluptate perfundit.

*Septimo*, omnes morbos et mœrores corporis et animi sanat.

Tropologice sapphirus est, qui mente in cœlis versatur, quique, ut ait S. Hieronymus, cœlo similis factus, solem suis pedibus suppositum intuetur : et, ut ait Nyssenus loco citato, cujus cor ea quæ sursum sunt vult ac respicit, et istic oculos oblectat, sequens illud Apostoli : « Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. » Hic aureis punctis, id est charitatis actibus collucet ; scalpi non potest, id est, invictus et infractus est.

Rursum, in sapphiro, qui est cœli imago, et quasi cœlum in terra, docemur qualis debeat in Prælato et in principe (cujus symbolum est sapphirus) esse animi celsitudo, vitæ perfectio, mentis et frontis serenitas, ut jure Serenissimus vocari possit, habens semper et cum omnibus speciem et faciem cœli sereni ; ita ut Deum et Christum studeat imitari, et cum cæruleo colore, id est cum divinæ gloriæ zelo, aureis virtutum radiis collucens omnibus mundi pompis æque ac turbinibus sit superior.

TERTIUM, CHALCEDONIUS. — Pro chalcedonio in Rationali erat carbunculus, eique inscriptus erat Dan ; quocirca Isidorus, Beda et Aretas asseverant chalcedonium esse carbunculum aut carbunculi speciem, tum quia chalcedonii alterius veteres non meminerunt ; tum quia non videtur Joannes carbunculum præteriisse, quæ una erat e præcipuis gemmis Rationalis. Dicitur chalcedonius, quia, ut notat Aretas, prope Chalcedonem urbem (quæ Constantinopoli ex altera Bosphori parte objacet, in qua celebratum est Concilium Chalcedonense) in littorum saxis et scopulis innascitur gemma habens speciem et colorem carbunculi. Suspicatur Gesnerus pro chalcedonio legendum Carchedonius, id est Carthaginensis (Καρχηδὼν enim est Carthago) ; itaque Plinius in lib. XXXVII, cap. VII, carbunculos Carthagine allatos vocat Carchedonios. Sic enim ait : « Principatum habent carbunculi a similitudine ignium appellati, cum ipsi non sentiant ignes, ob id a quibusdam apyroti vocati. Horum genera Indici et Garamantici, quos et Carchedonios vocavere propter opulentiam Carthaginis magnæ. » Sicut ergo idem sunt *belial* et *beliar*, sic idem videtur esse chalcedonius et carchedonius : plane enim ad Plinianas, utpote suo ævo notissimas, gemmas respicere videtur Joannes. Porro vocatur carbunculus, quia habet speciem carbonis ardentis : quare et pyropus dicitur, quasi πυρὸς ὦπα, id est ignis faciem et speciem habens. Unde Poeta : « Flammasque imitante pyropo. » Dicitur et apyrausta, quod igne non læditur.

Alii chalcedonium censent esse genus ambræ, aut certe lapidis duri et candicantis : dicunt enim eum similem esse pallenti lucernæ, et fulgere magis sub dio quam sub tecto ; et, si sole aut frictu incalescat, paleas ad se attrahere. Tales enim sunt globuli lapidis duri et candicantis, quem vocant vulgo chalcedonium, etiam gemmarii, ex quibus fiunt Rosaria. Unde Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. LXXXVII : « Chalcedonius, ait, gemma est quæ per nubem vel nullo, vel levi aliquo colore tinctam, totumque corpus occupantem semiperspicua, scalpturæ propter duritiem contumax. Olim sub onyche comprehensa, cujus species est, appellabatur onyx candida. Nam candicans veterum onyx, sive transluceat, sive non, nunc chalcedonii nomen apud Europæ populos retinet. » Quales multis in locis in Germania, et in Belgio circa Lovanium in agro Hevarensi, et prope Bruxellam ipse se reperisse testatur cap. LXXXVIII. Ubi et addit : « Hoc tempore etiam pocula, effigies principum, coronæ pensiles, aliaque infinita ex chalcedonio fiunt. Præcipuus usus est ad sigilla, quia cera illi non adhæret. » Verum hic chalcedonius quasi vilis gemma, et potius lapis vulgaris, a Plinio omittitur et tacetur. Plinius enim, ut fatetur Boetius, per chalcedonium accipit granatum Orientalem, qui est species carbunculi ; chalcedonium vero modernum sub onyche comprehendit ; onyx enim, sardonyx, et chalcedonius, vel idem sunt, vel potius species invicem affines et cognatæ. Unde apud veteres omnes pro onyche habebantur, ait Boetius, lib. II, cap. XCII, ubi et addit : « Tantæ interdum magnitudinis est onyx, ut columnulæ inde fieri possint. Romæ enim in basilica S. Petri, sex columnulæ onychinæ conspiciuntur. »



Ergo verius est veterum chalcedonium esse carbunculum, aut carbunculi speciem ; carbunculus enim erat in Rationali, a quo hasce gemmas mutuatur S. Joannes. Porro carbunculus græce dicitur ἄνθραξ, id est pruna ignita ; talis enim esse videtur. Hinc igne non calescit, in tenebris tamen lucet, et splendescit magis interius quam exterius. Ita S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana*, cap. XVI, et Isidorus, lib. XVI, cap. XIII : « Carbunculi, inquit, fulgur nec nocte vincitur ; colore ignitus ut carbo lucet in tenebris. » Scilicet modica luce in se collecta, non autem foras emicante, uti gemmarii experti docent, ac nominatim Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. VIII. Hinc carbunculus rubet, indeque rubinus dicitur. Alcazar tamen censet carbunculos subinde candere, esseque adamantes ; carbones enim nimis ardentes non rubent, sed candent, uti apparet in candenti ferro, quod ubi maxime ignitum est, fabri ferrarii appellant argentum, quia perfecte candidum est. Hinc in sacra Scriptura non nominari adamantes, quia comprehendit eos Scriptura nomine carbunculorum : quocirca gemma quam Isaias, cap. VI, vers. 6, calculum et carbunculum nominat, Joannes, *Apocalypseos* cap. II, vers. 17, vocat calculum candidum. Itaque chalcedonium esse adamantem, qui inter carbunculos est præstantissimus. Probat id *primo*, quia Plinius ait adamantem Cyprium in æreum colorem vergere : ergo is erit chalcedonius ἀπὸ τοῦ χαλκοῦ, id est *ab ære*. *Secundo*, χαλκὸς sæpe ab Homero et aliis sumitur pro ferro et chalybe : nobiliores autem adamantes sunt, qui colore chalybea specula imitantur, quos Plinius vocat *siderites*, et ferrei splendoris. *Tertio*, chalcedonii nomen denotat lapidem hunc æs, chalybem, aliaque metalla domare et perfringere ; talis autem est adamas, quo gemmarii chalybem domant ac poliunt. Verum hæc desultoria videtur levitas, nimiaque metamorphosis, videlicet chalcedonium in carbunculum, et carbunculum in adamantem transformare, cum toto genere dissideant carbunculus et adamas : adamas enim candidus est et pellucidus, carbunculus rubeus et opacus, cum genuinus et perfectus est.

Quare verior videtur prior Aretæ et aliorum sententia, chalcedonium esse carbunculum, qui speciem habet χαλκοῦ, id est æris candentis. Alludit enim ad aurichalcum, sive chalcolibanum, de quo dixit cap. I, vers. 15, quod Christi pedes essent « similes aurichalco sicut in camino ardenti ; » tale enim aurichalcum ardens simile est carbunculo, sive prunæ ignitæ : unde et chalcites gemma est ærei coloris apud Plinium, lib. XXXVII, cap. XI, ac forte eadem cum chalcedonio. Et chalcitis vocatur lapis ex quo ipsum æs coquitur, teste Plinio, lib. XXXIV, cap. XII, sicut ex rubrica coquitur ferrum : nam « ferri rubrica parens. » Alludit quoque ad Concilium Chalcedonense, ut mox dicam in significatione chalcedonii. Porro de carbunculo ita scribit Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. XIII : « Nobiliores rubini in insula Zeilan nascuntur. Alii et minores in Coria, Calecut, Cambaia et Bisnaga : optimi in flumine Pegu, quos incolæ ore et lingua explorant. Nam frigidiores et duriores meliores arbitrantur. Illorum colorem igne in quo coquunt augere dicuntur. Nasci solent in quadam lapidea matrice rosei coloris, quam aliqui, si perspicua fuerit, Balassium rubinum vocant. Nam si transparens, gemmæque instar non sit, ab omnibus mater, aut matrix rubinorum appellatur. Propterea quod (ut infans in utero materno sanguine nutritur) in hac rubinus formetur, alatur et excrescat. Primum candicat, deinde paulatim maturescens ruborem contrahit. Hinc fit quod albi et albicantes, qui nondum maturi sunt, reperiantur. Nascitur plerumque in eadem fodina ubi sapphiri reperiuntur. Si alimentum varium fuerit et non omnino idoneum, mixti coloris inveniuntur, nempe partim albicantes, partim rubentes, aut media parte rubini, media sapphiri, quos Indi Nilacandi, quasi sapphirorubinos appellant. »

Jam chalcedonius, sive carbunculus, repræsentat Jacobum fratrem Joannis. *Primo*, quia ardens fuit Christi amore instar carbonis ardentis, aut æris candentis et flammantis.

*Secundo*, sicut carbunculus « nascitur in montibus apud Nasamonas, uti incolæ putant, imbre divino, » ut ait Plinius, lib. XXXVII, cap. VII : ita Jacobus et Joannes a Christo facti et vocati sunt *Boanerges*, id est, filii cœlestis imbris et tonitrui. Hinc vox eorum et concio erat efficax, quasi tonitru et fulmen.

*Tertio*, carbunculi sole aut manibus calefacti attrahunt paleas : ita Jacobus per se, perque suos discipulos et pastores attraxit Judæorum et Hispanorum corda ad Christum.

*Quarto*, si credimus S. Augustino et Isidoro carbunculus in tenebris lucet. Audivi a Lusitanis viris gravibus regem Lusitaniæ in festo Corporis

Domini, præferre in fronte equi carbunculum tantum, et tam fulgidum, ut plateam illustrare videatur. Ita inter Judæos et Gentes eluxit Jacobus, omnesque sua sapientia et sanctitate illuminavit.

*Quinto*, carbunculi in acetum acre injecti splendescunt magis, « et aquis perfusi inardescunt, » ait Plinius : ita Jacobus in persecutionibus magis charitate Christi exarsit, ideoque primus inter Apostolos martyr occubuit, ac Hermogenem magum, et Josiam necis suæ auctorem sua charitate et osculo complexus convertit, ut de eo merito dici possit illud *Cantic.* VIII, 6 : « Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum : aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. »

Rursum, tertiæ huic gemmæ respondet tertius Symboli articulus : « Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine. » Mysterium enim Incarnationis apte repræsentatur carbunculo, *primo*, quia fuit opus ardentissimæ charitatis Christi. Rursum, sicut in carbunculo est quasi ignis in gemma, hæcque duo ita uniuntur, ut ignis videatur esse gemma, et gemma esse ignis, æque ac fit in ferro candenti : ita in incarnatione Deus humanitati per unionem hypostaticam ita est unitus, ut Deus sit homo, et homo Deus; ac omnia attributa Dei tribuantur homini, et vicissim omnia attributa hominis tribuantur Deo et Verbo. Hinc idem mysterium repræsentatum fuit Mosi, dum vidit ignem in rubo, *Exod.* III, 2, uti ibi dixi, et docet Nazianzenus ad Chilonium, *dialog.* 1. Ita pariter Verbum incarnatum carboni ignito conferunt S. Cyrillus, lib. *De Incarnatione Verbi*, Justinus, Quæst. XLIV *ad Orthodoxos*, et alii. Porro carbunculus hic vocatur chalcedonius, ut innueretur in urbe Chalcedone, celebrandum magnum illud Concilium Chalcedonense, quo veritas hujus articuli, puta Verbi incarnatio, manentibus duabus naturis integris in eadem persona Verbi, totius orbis consensu sanciretur et confirmaretur contra Eutychetem, qui unam in Christo naturam, æque ac unam personam; et contra Nestorium, qui duas in Christo personas, æque ac naturas posuerunt.

*Secundo*, uti carbunculus, ita magis Christus conceptus fuit virtute cœlesti ex Spiritu Sancto.

*Tertio*, Christus ut carbunculus per se, et per Apostolos totum mundum ad se traxit.

*Quarto*, uti carbunculus, ita magis Christus est « lux, quæ in tenebris lucet, et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, » *Joan.* cap. I, vers. 9.

*Quinto*, Christi charitas magis aquis tribulationum exarsit, summeque enituit in cruce, quando crucifixoribus veniam et gratiam a Deo petiit et impetravit.

Porro Alcazar, qui censet carbunculum hunc fuisse adamantem, adamantis conditiones incarnationi Christi accommodat. *Primo*, sicut adamas est fortissimus, ita opus incarnationis fuit opus summæ fortitudinis et potentiæ divinæ qua, virtute Spiritus Sancti, deitas juncta est homini, et cœlum terræ, ac mater Christi illibata virgo permansit; unde canit B. Virgo : « Fecit potentiam in brachio suo. » *Secundo*, adamas hircino sanguine rumpitur, ac in minimas partes dividitur : ita pro peccatoribus crucifigi se, et quasi dirumpi permisit amor et adamas noster Christus. *Tertio*, adamas in medicinis efficacissimus est : venena irrita facit, lymphationes abigit, metusque vanos expellit a mente, ait Plinius. Idem in animabus facit Christus.

QUARTUM, SMARAGDUS. — Hebraice ברקת *bareket*, id est fulgurans, sive ceraunius; et græce smaragdus (ita Noster et Septuaginta; perperam ergo Pagninus vertit *chrysolithum*, quia hic magis, inquit, habet speciem fulguris) dicitur quasi *maragdus*, a splendore, ait Athenæus, lib. III, cap. VIII, aut potius smaragdus dicitur ab Arabico *zamarrut*, ait Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, LII; aut certe ab Hebræo *bareket* : sæpe enim *b* in *m*, et *k* in *g* liquescit. Unde liquet veterum smaragdos fulgentiores fuisse nostris, ac habuisse speciem fulguris. Id patet ex historia quam refert Plinius, lib. XXXVII, cap. V : « Ferunt in Cypro tumulo regis Hermiæ, marmoreo leoni fuisse inditos oculos ex smaragdis, ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi instrumenta refugerent thynni, diu mirantibus novitatem piscatoribus, donec mutavere oculis gemmas. » Hinc et Lucretius, lib. IV : « Grandes viridi cum luce smaragdi. »

*Secundo*, smaragdi viriditate superant herbas, imo et aerem regione alias sibi vicinas suo virore imbuunt. Unde soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. Hinc mire visum recreant, ideoque gemmarii eos elaborabant concavos, ut visum colligerent, ait Plinius. Porro viror hic smaragdi refert colorem olei purissimi, ait Joachim.

*Tertio*, ex smaragdo fiebant specula : unde Nero pugnam gladiatorum spectabat smaragdo.

*Quarto*, smaragdi æri sunt affines, durique et invulnerabiles : unde in æreis fodinis reperiri solent. Denique smaragdi sapor est amarus et acerbus, ait Epiphanius.

Jam quoad significationem, smaragdo in Rationali inscriptus erat Judas, Patriarcharum et tribuum fortissimus, qui viride semper et perenne habuit sceptrum et regnum usque ad Christum, juxta prophetiam Jacobi, *Genes.* XLIX, 10. Hic vero smaragdus notat Joannem; Joannes enim in ordine Apostolorum est quartus, *Matth.* X, 2. Joannes *primo*, est *bareket*, id est, fulgurans, quia est *boanerges*, id est, filius tonitrui, id est fulmen. Ergo sicut fuerunt duo fulmina belli Scipiadæ, ita et Zebedaidæ, puta Jacobus et Joannes, in acie Christi. Tale fulmen fuit cum intonuit : « In principio erat Verbum, » etc.



*Secundo*, semper viruit, quia permansit virgo; unde Christo fuit charissimus, et diutissime viguit, et vixit usque ad annum Christi 101. Rursum, habet colorem olei, quia spirituali charitatis oleo resplenduit; unde ejus perpetua vox et concio hæc erat : « Filioli, diligite invicem; » et quia in ferventis olei dolium Romæ missus est a Domitiano, sed illæsus, magisque virens et vegetus, quia virgo, inde exivit.

*Tertio*, S. Joannes fuit speculum castitatis, sanctitatis et charitatis.

*Quarto*, S. Joannes fuit æneus in oleo bulliente et martyrio, in persecutionibus, laboribus et ærumnis, per tot annos usque ad decrepitam senectam pro Christo toleratis; ut vere ei et fratri ejus Jacobo dixerit Christus : « Calicem meum bibetis, » quasi mei cognati, mihique dilectissimi. Summis enim suis amicis Christus dat summam crucem, tanquam summum et pretiosissimum donum. Bactriani, Etesiis flantibus, colligunt smaragdos ex commissuris saxorum, ait Plinius, lib. XXXVII, cap. V, et Theophrastus, lib. *De Lapidibus*. Ita aspirante Dei favore, omnis non tantum terrena, sed et cœlestis in Joannem similesque heroes influxit opulentia; atque ex ipsis rerum asperitatibus et persecutionibus summæ gloriæ suavitas decerpitur. « O faciles dare summa deos, » ait Lucanus, lib. I.

Rursum, inter articulos Symboli quartus, qui quarto huic fundamento smaragdino respondet, est : « Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus. » In hoc Christi et Dei amor fuit *bareket*, id est, effulgurans, quia instar fulguris homines et Angelos perstrinxit, afflavit, rapuit.

*Secundo*, in cruce viruit stupenda Christi constantia, et oleum misericordiæ, ut vere de eo dicatur, *Cantic.* cap. I, 2 : « Oleum effusum nomen tuum. » Hic etiam viret spes et fiducia fidelium, ut omnes peccatores sperent per Christum gratiam, misericordiam, salutem et gloriam æternam, sicut ex virenti segete speramus messem.

*Tertio*, passio et crux Christi fuit clarissimum speculum divinæ sapientiæ, justitiæ, charitatis omniumque virtutum : unde viri spirituales hoc speculum jugiter contemplantur, ex eoque discunt Deum, Deique attributa, veram sapientiam, omnemque virtutem et perfectionem. Crux enim Christi lucidissimum est speculum fœditatis peccati, pulchritudinis virtutum, charitatis Dei, magnitudinis gloriæ cœlestis, æque ac pœnæ damnatorum. Ad hæc, sicut smaragdus suo virore refringit colorem carnis sibi vicinæ, ut videatur pallescere : ita nihil adeo refringit carnales appetitus, ac meditatio passionis Christi. Sed sicut smaragdi in profundo latent, et profunde effodiendi sunt : ita et profunde meditanda est Christi passio, ut hunc fructum colligamus.

*Quarto*, ænea fuit Christi in cruce patientia; clavi enim et flagella quæ Christi carnem laceraruni, mentis ejus patientiam, et invictum robur vulnerare nequiverunt : hinc repræsentatus fuit æneo serpente, *Num.* XXI, 9. Quocirca ex Christi fortitudine, quasi ex fonte, manavit mira illa et varia fortitudo omnium Martyrum.

*Quinto*, ex smaragdis fiunt amuleta contra venena, et passio Christi est antidotum contra omnes dæmonis suggestiones.

*Sexto*, scribit Theophrastus viridem jaspidem esse smaragdi matrem : ita Christus per passionem reparavit quos per creationem condiderat. Creatio enim fuit redemptionis quasi matrix et fundamentum.

Denique scribunt Albertus Magnus, Abulensis, Berchorius et alii, smaragdo effici verba persuasoria, opes acquiri, dæmones et venereas cogitationes fugari; imo si conjux gestet annulum ex smaragdo, in copula maritali eum confringi, quæ facile est adaptare cruci Christi. Sed frivola sunt, uti ipsæmet matronæ conjugatæ asseverant. Esto Albertus Magnus scribat regem Hungariæ, post nocturnam pollutionem, invenisse mane smaragdum, quem in annulo digiti gestabat, in tres partes dissectum. Vere et solide Anselmus Boetius, Rudolphi II Imperatoris medicus, lib. I *De Gemmis*, capite ultimo : « Gemmas, inquit, a causis agentibus quæ reales non sunt, aliquid pati posse, ut smaragdum ab ictu adulterii, et turcoidem a casu, non quatenus concutitur, sed quatenus nocere casus potuit gestanti, disrumpi, plusquam absurdum est. Fortasse a nimia calefactione quæ coitu excitatur, excalefacta gemma subitoque hiemali tempore frigori exposita, rumpi posset. Sed hoc propter adulterium non fit; turcois, quia mollis, propter annuli concussionem, a casu rumpi posset. Sed hæc ruptura non fit, ut homo a casu illæsus permaneat, sed a concussione. » Quare plura olim superstitiose de gemmis fuisse credita ex quibusdam eventis, per dæmonem ad superstitionem hanc inducendam factis; multa etiamnum superstitiose credi et fieri, docet idem Anselmus, lib. I, capite ultimo. Sane fabulosum et superstitiosum est, quod scribit Camillus Leonardus, Pisaurensis medicus, in *Speculo lapidum*, gemmam quæ dicitur Heliotropia (quod instar herbæ, quæ dicitur heliotropium, soli se conformet), facere eum a quo gestatur invisibilem; achatem tempestates avertere et sistere fulmina; adamantem indomitas bestias humiliare et subjicere; dæmonium (nomen hoc est gemmæ) gestantem, ab hostibus eum tutum et victorem reddere; topazium divitias augere, et subitaneam mortem avertere, ac principum gratiam conciliare; turcoidem facere ut equus nunquam sessorem fatiget. Porro quæ de lapidum sculpturis et imaginibus subdit, plane superstitiosa et magica sunt, ut, si asini imago chrysolitho insculpta inveniatur, facere gestantem futurorum præscium; arietis figuram in sapphiro sculptam vim habere liberandi a carcere, conferendi honores, dignita-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS
®

tes et regnum; upupæ figuram, si cum dragontea herba ante se reperiatur in beryllo, vim habere mortuos notos ad se evocandi, ab eisque responsa ad quæsita accipiendi; hominis imaginem cum dextra manu erecta in cœlum, si in chalcedonio reperiatur, dare victoriam in causis et litibus forensibus, ac in itineribus a noxiis præservare; crucem sculptam in lapide viridi liberare gestantem a submersione aquæ; cervi imaginem in onyche sculptam ventos noxios compescere, et dæmones fugare; leporis imaginem in sardio facere, ne ab ullo dæmone aut spiritu lædi possis; hominis armati, enseque manu tensutis in sardio, dare bonam memoriam, ac sapientem efficere, plurimaque talia.

20. QUINTUM, SARDONYX. — Sardonyx est præstantissima species onychis, id est, gemmæ quæ habet speciem unguis humani; nam interius habet speciem carnis, exterius unguis carnem tegentis: « Velut carnibus ungue hominis imposito et utroque translucido, » ait Plinius, lib. XXXVII, cap. VI; inde dictus est sardonyx, quod rubescat ut sardius, candescat ut onyx. Hic veterum fuit sardonyx; postea enim sardonyches vocaverunt gemmas quibus superior unguis rubebat instar minii. Ita Plinius, qui et addit sardonyches candenti linea distingui et cingi. Hodie onyx et sardonyx a gemmariis Nicolus vocatur, ait Boetius, lib. II, cap. LXXXIV.

Rursum, sardonyx triplicem habet colorem in triplici quasi circulo: nam in infima parte est niger, in media albus, in summa ruber. Ita Plinius, Solinus, Isidorus et Alcazar. Habet circulum candidum, et in eo « quamdam cœlestis arcus (iridis) anhelationem, ait Plinius. Romani ea in annulis ad sigilla utebantur, eo quod sola prope gemmarum sculpta, ob duritiem ceram non auferat: primus qui ea usus est fuit Africanus Senior, ait Plinius.

Addit Rueus ea reprimi animi tumorem et fastum: alii, ea conciliari lætitiam et hilaritatem. Denique Platearius, celebris medicus, et ex eo Andreas Bacci, tract. *De duodecim Gemmis Script.*, docent onychem, si oculis admoveatur, educere malos humores et visum confirmare.

Jam quintus sardonyx significat Philippum, qui in ordine Apostolorum est quintus. Sardonyx notat candorem, qui in Philippo præ cæteris Apostolis eluxit; unde Gentiles, *Joan.* XII, 21, fidenter ad eum accesserunt dicentes: « Domine, volumus Jesum videre. » Et ipse candide ad Christum: « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis, » *Joan.* XIV, 8.

Rursum, notat cœlestem Philippi spiritum. Sardonyx enim constat tribus coloribus, inferius nigro, medio candido, superius miniato: hæc sola in signando nihil ceræ evellit, ait Isidorus, lib. XVI *Origin.*, cap. VIII. Notat ergo illustres animos, qui, cum adhærescant corpori, nihil tamen ex eo terrenæ labis contrahunt, sed purum servant æthereum ignem. Quocirca infra pedes res humanas habent, puro virtutum candore collucentes; in apice vero miniati, hoc est, primis futuræ gloriæ radiis jam afflati, igneo charitatis rubore purpurascunt.

> Frigida curarum fomenta relinquere posses,
> Quo te cœlestis sapientia duceret ires:
> Hoc opus, hoc studium,

ait Horatius, lib. I, *epist.* 3.

Hinc in Rationali sardonychi inscriptus erat Manasses, et ipse candidus.

*Secundo*, sardonyx cum candore habet rubedinem: ita et Philippus candori sociavit charitatem, idque suxit a Christo, cui fuit perfamiliaris, de quo ait sponsa *Cant.* V, 10: « Dilectus meus candidus et rubicundus. »

*Tertio*, rubor notat sanguinem, in quo vita consistit: hinc significat piam et excitatam alacritatem et vigorem Philippi, qualem naturaliter habent ii qui sunt complexionis sanguineæ; hi enim sunt læti et joviales.

Rursum, quinto sardonychi respondet quintus Symboli articulus: « Descendit ad inferos. » Superior enim sardonychi pars, puta rubens superficies, significat Christum charitate et sanguine purpuratum; limes, sive circulus candidus, qui quasi cingulum extimam superficiem rubeam ambit, significat patres in limbo Christum exspectantes et a Christo liberatos: limes enim hic, sive ora et circulus, est quasi limbus sive ambitus; ima pars nigra significat damnatos in gehenna, quos Christus suo descensu ad inferos perculit, et quasi profligavit.

*Secundo*, hic descensus fuit quasi sigillum, quo Christus obsignavit et confirmavit suam passionem, mortem et resurrectionem apud patres in limbo. Sed nihil ei ceræ, id est, fæcis carneæ passionis, mortis aut corruptionis adhæsit: quinimo tanquam victor et triumphator descendit, capturus quasi dominium et possessionem inferni: unde non tantum patres, sed et dæmones ac damnati eum ut dominum reveriti sunt, ut « in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. » Hoc descensu Christus fastum dæmonum humiliavit et compressit; patres vero lætificavit et extulit. Denique sicut in sardonyche est iridis (quæ pacis est symbolum, quod scilicet amplius non erit diluvium, *Genes.* IX, 13) anhelatio, sive æmulatio: ita Christus descensu suo ad inferos justos fecit securos, quod jam imbres tristitiæ et laborum abiissent, nec unquam in posterum essent redituri. Ita Alcazar.

SEXTUM, SARDIUS. — Sardius, vel sardinus est is quem Plinius, Solinus et alii *sardam* vocant, qui olim in majori pretio fuit quam nunc sit: unde fuit prima in Rationali. « Laudatissimus in sardinia invenitur, » ait Anselmus Boetius, lib. II *De*



*Gemmis*, cap. LXXXI. Unde forte nomen sardii accepit; licet alii a sarda pisce, cujus colorem refert, dictum putent. Colore similis est carni, perspicuæ ac pellucidæ, ita ut caro humana in gemmam pellucidam et splendentem videatur conversa, ait Plinius, lib. XXXVII, cap. VI. Unde vulgo *carnerina*, et corrupte *cornerina* dicitur; et hebr. dicitur אדם *odem*, id est *rubeus*, et habens similitudinem *Adam*, id est, hominis et humanæ carnis. Nonnulli, ut indici et mares, valde fulgent: generantur in saxi corde. Nullam habent maculam, aut vaporem, uti aliæ gemmæ, qui ipsius splendorem hebetet aut offuscet. Addit Alcazar sardium esse matrem amethysti; unde in nonnullis gemmis una parte sardius, altera amethystus cernitur.

Virtutes hæ sunt, *primo*, vulneribus ferro inflictis et tumoribus medetur, ait Epiphanius, lib. *De Gemmis*. Rursum, sanguinem undecumque fluentem mirabiliter sistit, ait Boetius. *Secundo*, gaudium accendit, ait Abulensis. *Tertio*, feris terrorem incutit, ait Aretas in cap. IV *Apocal.* Porro stultum est cum Cardano asserere quod litigantes victores, et gestantes divites faciat, ait Boetius, cap. LXXXII.

Jam sardius in Rationali inscriptum habebat Ruben: hic vero repræsentat S. Bartholomæum, qui sardii habuit speciem, cum excoriatus fuit pro Christo; tunc enim tota ejus caro rubea apparuit, ideoque feris, id est dæmonibus, terribilis extitit. Jansenius, Rupertus et alii censent Bartholomæum esse Nathanael, qui ad Christum a Philippo adductus audivit ab eo: « Ecce vere Israelita, in quo dolus non est, » *Joannis* cap. I, vers. 47. Fuit ergo ipse sardius, qui nullam habet maculam aut vaporem. Quocirca conversus ad Christum, gaudens et exultans, ait: « Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel, » *ibidem*, vers. 49.

Hinc tropologice sardius sanguinei coloris Martyres eorumque triumphos repræsentat. Nam

> Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine cœpit,
> Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Hinc S. Agnes impio Præsidi generose respondit: « Sanguis Christi sponsi mei tinxit et ornavit genas meas. » Æque fortis S. Cæciliæ vox in agone: « Miseria moritur, non homo. » Similis vox audici, exhortantis Ananiam præ senio trepidantem, ad martyrium: « Paulisper, pie senex, occlude oculos, et viriliter age; non enim multo post lucem æternam clari conspectus Dei intuebere. » Hæc sunt cycnæa carmina athletarum Christi; nimirum de cycno canit Poeta:

> Tempora fatalis quando sic limitis illis,
> Tristia concentu funera solor, olor.

Tale fuit S. Simonis: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. » Pax enim bello paratur, vita morte, cœlum martyrio. Hinc illud Constantii Imperatoris symbolum: « Virtus, dum patitur, vincit. »

Rursum, sardius respondet et repræsentat sextum Symboli articulum: « Resurrexit a mortuis. » Hic enim non jungendus est quinto qui præcessit: « Descendit ad inferos; » sed ab eo separandus; nam resurrectio a descensu plane distincta et disparata est, ait Alcazar. Hic apte respondet sardio. Christus enim a morte resurgens habuit speciem carnis humanæ, vivæ, lucentis et gloriosæ, in qua apparens discipulis miro eos gaudio perfudit; feris vero, id est, dæmonibus et militibus sepulcrum custodientibus, fuit formidabilis. Sicut ergo carbunculus, qui habet speciem prunæ ignitæ, Deum carne indutum: ita sardius habens speciem carnis translucidæ, Christum a morte suscitatum, et rursum in carne redivivum ac gloriosum significat. Insuper, sicut sardius in Rationali datur primogenito Jacobi, scilicet Ruben: ita hic datur Christo qui fuit primogenitus mortuorum, id est, a morte resurgentium. *Tertio*, sicut sardius intra saxum generatur, ita Christus in lapideo sepulcro resurrexit, et quasi regeneratus est. *Quarto*, sardius vulneribus et tumoribus medetur, ita resurrectio omnes Christi livores et vulnera persanavit. Denique, sicut in sardio nulla est macula, ita in Christo jam resuscitato nullus est dolor, nulla tristitia, quæ ejus gaudium et gloriam hebetare et fuscare possit. Ita Alcazar qui multis probat sextum articulum esse: « Resurrexit a mortuis. »

SEPTIMUM, CHRYSOLITHUS. — Chrysolithus auro colore translucet, eoque ita ardente, ut aurum cum eo collatum albicare videatur, ait Plinius. Chrysolithi ergo nomine subinde comprehenduntur topazii et hyacinthi, qui et ipsi aureo sunt colore. Censet Alcazar chrysolithum non alium quam aureum habere colorem. Verum cum non tantum aurei, sed et marini esse coloris, patet, quia hebr. vocatur תרשיש *tharsis*, id est *marinus*: unde *Ezech.* I, 16, ubi Noster vertit: « Quasi visio maris; » hebraice est: « Quasi visio Tharsis. » Hinc Isidorus: « Chrysolithus, inquit, auro similis est, cum marini coloris similitudine. » Alludit enim color chrysolithi hic, ad id quod Joannes de cœlesti hac Jerusalem dixit, vers. 18: « Ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro; » et vers. 21: « Platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. » Pari enim modo chrysolithus et aurei, et vitrei, id est, marini est coloris; quia enim aureus color in eo non opacatur, sed pellucet, hinc quasi vitreus est et marinus. Quocirca opinantur multi chrysolithum esse illum, qui vulgo a gemmariis vocatur chrysolica, cujus color est viridis dilutus, et multis angulis levigari et poliri solet, ut excitatius fulgeat. Verum in hac gemma vix apparet aureus color; adde, viridis color non est marinus. Quapropter Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. LXV: « Chrysolithus, inquit, aureum habet colorem, et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aquam rheubarbaro vel croco tinctam refert. Orientales purissimi auri instar rutilant : Europæi crystalli instar molles, cum aureo colore vel multum, vel parum nigricant. Inter hos nonnulli parum flavedinis habent, ut nisi nigredine a crystallis distinguerentur, ab iis secerni non possent. »

Chrysolithi dotes sunt : valet contra asthma et pectoris angustias, ac contra pusillanimitatem, melancholiam, molestias et timores nocturnos, uti se expertum scribit Rueus, Cardanus et ex eo Anselmus Boetius, cap. LXVI. Addit Abulensis in *Exodi* XXVIII, 20, valere contra dæmones, quia scilicet valet contra melancholiam, per quam operari et tentare homines solent dæmones. Denique Isidorus et Abulensis asserunt chrysolithum de die videri aureum, de nocte igneum. Sic de chrysolampi gemma scribit Plinius, lib. XXXVII, cap. X : « Chrysolampis in Æthiopia nascitur, pallidi coloris die, noctu ignei. » Denique Boetius loco citato : « Chrysolithus, ait, est naturæ solaris, cujus speciem aureo suo colore refert. »

Jam chrysolitho in Rationali insculpta erat Ephraim, aurea, id est regia, tribus regni Israel : hic vero notat S. Matthæum ex ordine Apostolorum, qui assignatur *Matth.* X, 2. Matthæus enim fuit Tharsis, id est pœnitens, et ardens amore Christi : unde scripsit præ cæteris Evangelistis, fuse et exacte Christi Evangelium, quo quasi ignea fax noctem hujus sæculi et Ecclesiæ illuminat.

Rursum, chrysolithus repræsentat septimum fidei articulum : « Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris. » Nam *primo*, sicut albus color sanctitatis, et cæruleus cœlestis vitæ, ita aureus symbolum est regiæ majestatis, triumphi et gloriæ Christi, quam adeptus est, cum ascendens in cœlum, gloria et honore coronatus est, sedetque ad dexteram Dei, quasi consors regni divini et æterni. Unde Plinius, lib. IX, cap. XXXVI, vocat aurum triumphale, eo quod triumphantes aureis vestibus amicirentur. Rursum, aurum symbolum est perfectæ felicitatis, puritatis, abundantiæ et æternitatis, quam Christus ascendens in cœlum a Patre accepit.

*Secundo*, chrysolithus est aurum, non opacum, sed pellucidum : ita Christi gloria in cœlis pellucet, transfundit et communicat se omnibus Beatis.

*Tertio*, sicut chrysolithus dispellit pusillanimitatem et melancholiam, ita et ascensio et sessio Christi ad dexteram Patris : sedet enim ibi, ut agat nostrum advocatum apud Patrem, utque peccatoribus et scelerum conscientia oppressis, item timidis et scrupulosis spem, robur, veniam ac gratiam impetret; illi ergo omnem metum omnesque scrupulos hic in sinu Christi ponant. Hoc est quod ait S. Joannes *epist.* I, cap. II, vers. 1 : « Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. »

OCTAVUM, BERYLLUS. — Beryllus colore est puri maris, ait Solinus, puta viridi diluto, hoc est habente perspicuitatem vergentem in cæruleum; qui glaucus, si dilutior; et cæsius, si saturior sit, dicitur, qualis est oleæ et olivarum. Unde Anselmus Boetius, lib. II. *De Gemmis*, cap. LXIX : « Beryllus, ait, gemma est quæ aquæ marinæ colorem refert ex viridi cæruleum : Italis a colore, aqua marina vocatur. » Dum berylli aureos radios habent, aut ex aureo scintillant, chrysoberylli appellantur. Porro berylli « poliuntur omnes sexangula forma artificum ingeniis : quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur, » ait Plinius, lib. XXXVII, cap. V. Addit Solinus : « Indici reges hoc genus gemmarum in longissimos cylindros amant fingere. » Hinc Curtius, lib. IX, scribit sceptrum aureum, quod Alexandro obtulit Sophites, beryllis fuisse distinctum.

Rursum, cæteræ gemmæ venustiores sunt vestitæ auro : beryllus vero sine auro, et nudus pulchrior est. Unde Plinius : « Solos gemmarum esse prædicant, qui carere auro malunt. »

*Tertio*, beryllum tradunt pugnantes excitare et animare ad pugnam. Rursum, inhibere catarrhos qui ad oculos et guttur fluunt : plures ejus vires recenset Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. LXXI.

Beryllo in Rationali insculptus erat Benjamin : hic denotat S. Thomam, qui berylli oculos, id est glaucos et perspicuos, accepit, cum Christum post resurrectionem, ejusque vulnera vidit et palpavit, ideoque audivit a Christo : « Quia vidisti me, Thoma, credidisti; » sexangulus etiam fuit, id est multis tentationibus et adversitatibus expolitus, fortior et gloriosior in fide evasit.

Rursum, beryllus denotat octavum Symboli articulum : « Inde venturus est judicare vivos et mortuos. » Idque *primo*, quia beryllus est colore maris puri; unde significat purum et limpidum Christi judicium, nullo favore aut passione fucandum. Idem significat berylli perspicuitas, qua pellucet : ita enim in judicio intima conscientiæ toti mundo patebunt; ac nuditas, qua aurum respuit, et se solo suaque nuditate fulget. Sic Christus nulla admittet munera auri vel argenti, et nuda opera secundum merita cujusque judicabit, et præmiabitur vel puniet.

*Secundo*, glaucus berylli color significat terrorem diei judicii : glauci enim oculi, licet speciosi, terrorem tamen incutere solent; nam tales sunt oculi draconum, leonum et aquilarum : tales etiam fuerunt Neronis, et Palladis bellorum præsidis. Unde γλαυκιᾶν idem est quod horribilibus oculis aliquem intueri.

*Tertio*, sicut beryllus pugnantium industriam et animos acuit, ita meditatio judicii omnem segnitiem discutit, et animos ad omnia contra dæmonem et carnem certamina accendit.

*Quarto*, beryllus sanat siccatque catarrhos : ita cogitatio judicii desiccat appetitus carnales. Semper ergo tuis, æque ac S. Hieronymi auribus hic



lituus insonet : « Surgite, mortui, venite ad judicium. »

NONUM, TOPAZIUS. — Topazius veterum partim aurei coloris erat, partim viridis, puta porracei, sive qualis est foliorum porri, ait Alcasar : quare moderni topazii, qui toti sunt aurei et fulvi, a priscis veterum diversi sunt. Duæ ejus species recensentur a Plinio : una dicitur prasoides, quod plus porri viridis quam auri speciem referret; altera chrysopasius, quod plus fulgentis auri quam porri colorem exhiberet. Translucidum esse tradit Strabo et alii. Audi Anselmum Boetium lib. II *De Gemmis*, cap. LXII : « Topazius, inquit, veterum fuit gemma viridis ac diaphana : si aureo quodam fulgore splendebat, chrysopatius appellabatur. Nunc utraque a gemmariis chrysolithi nomen obtinet. Topazius seu chrysolithus vulgaris smaragdo est colore dilutior, cui nonnihil flavedinis adjectum videtur. Huic, dum viror aureus est, chrysopatii nomen tribuitur, et smaragdi mater putatur. Plinius multa de chrysopatiis, chrysolithis et chrysoprasis tradit; sed omnes istas gemmas ita confundit, ut nihil inde certi colligi possit. Chrysopatius non absurde hodie a gemmariis chrysolithus appellari potest, quod revera aureus color per viridem in illo fulgeat. Qui si noctu igne admoto vehementer splendeat, chrysolampis Plinii est. A nonnullis hæc gemma cum chrysopraso confunditur, quia parum inter se differunt (et capite sequenti : Chrysopasium, vel chrysopatium a chrysopraso differre non puto). Topazius, teste Plinio, a Juba Mauritaniæ rege, qui eum in insula Chiti Arabiæ, marisque Rubri primum invenit, nomen accepit. » Dicitur topazius, id est quæsitus, ait Plinius : quia inveniebatur in Topazio insula, quæ quia nebulosa, a nautis quærebatur. Nam Troglodytarum lingua, *topazin* idem est quod quærere. Græce τοπάζειν est in loco collocare, aut conjectare et suspicari. Aliqui tamen suspicantur topazium dici ab Hebræo פז *paz*, id est aurum, et aurea gemma : inde Septuaginta, *Psal.* CXVIII, vers. 127, et alibi, *paz* vertunt topazium, quasi primitus topazius dictus sit τὸ *paz*, vel græce τὸ πάζιον, quod postea inscitia librariorum in unam dictionem coluit, indeque vocatur τοπάζιον. Aliud etymon dat S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.*, XXVII, explicans illud *Job* cap. XXVIII : « Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia : Topazius, inquit, pretiosus lapis est, et quia Græca lingua *pan* omne dicitur, pro eo quod omni colore resplendet, topazium quasi topandium vocatur. » Æthiopia est gentilitas, quæ Christo adæquari nequit, *q. d.* « Nullus Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, ex ista tamen nigredine mundi collectus, æquari ei potest, de quo scriptum est : Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. »

Est gemmarum maxima : nam inventi sunt topazii quatuor cubitorum, ex quibus facta est statua Arsinoæ, Ptolemæi Philadelphi uxoris, ait Plinius.

Rursum est delicatissima, quia sola nobilium gemmarum limam sentit, et usu atteritur, ait Plinius. Insuper est mire splendens et fulgida, præsertim cum solis radiis verberatur. Ita S. Ambrosius in illa verba *Psalm.* CXVIII : « Super aurum et topazion. » Tradunt Abulensis, Berchorius, Vincentius, et ex iis Alcazar topazium comprimere passiones animæ, ac nominatim passionem lunaticam, phrenesim, iram, tristitiam, luxuriam. Addit Rueus eum cohibere aquam ne igne effervescat et ebulliat : imo Rueus ait, si quis annulum ex topazio gestet, posse eum intra ferventis aquæ lebetem secure manum immittere; quod tamen credere malim quam experiri. Merito hasce de gemmarum viribus opiniones ridet, et ex experientia confutat Anselmus Boetius, lib. II, cap. LXIII. Olim topazius fuit pretiosissimus, et regibus in deliciis. Denique S. Ambrosius loco citato, ait topazium, « si eum polire et levigare velis, asperari magis, cum ipse natura sua sit euglyphus, » id est optimæ formæ, bene sculptus et scalptus.

In Rationali topazio insculptus erat Simeon : hic vero eodem significatur Jacobus, frater Domini, aurea sanctitate a Christo irradiatus; imo Christum ipsum vita et vultu referens, adeo ut qui ipsum videret, Christum ipsum sibi videre videretur. Qua de causa multi Hierosolymam confluebant, ut in ipso Christum cernerent.

*Secundo*, similis fuit porro, quia austeram et acrem egit vitam in magna abstinentia et pœnitentia, vino et carne abstinens, pane et aqua vivens, illique lacrymas miscens, nudis incedens pedibus. In oratione assiduus, adeo ut genua ex genuflexione callosa haberet instar cameli : quare creatus primus Episcopus Hierosolymorum, multos Judæos ad Christum convertit.

*Tertio*, corpus et affectus animi mortificatos et edomitos habuit; hinc cognominationem Justi est sortitus etiam apud Judæos, quia vitæ adeo sanctæ fuit, ut videretur esse imago vitæ cœlestis, adeo ut Josephus, licet Judæus, lib. XX *Antiquit.*, cap. VIII, hanc unam excidii Hierosolymæ per Titum causam afferat, quod Jacobum hunc justum occiderit.

Denique scripsit Epistolam omnigenæ perfectionis, qua Christianos ad tentationum et tribulationum omnium tolerantiam, opum contemptum, charitatem, misericordiam omnemque virtutem inflammat.

Rursum topazius notat nonum Symboli articulum : « Credo in Spiritum Sanctum. » Spiritus Sanctus enim est quasi radius a sole, id est a Patre et Filio, procedens : topazius enim radio solis est simillimus, ait Strabo.

Rursum est aureus in suis donis. Illi enim attribuitur sanctificatio, illuminatio, rerum æternarum amor, temporalium contemptus, alacritas et generositas animi ad heroica opera, visque homines ad Christum attrahendi.

*Secundo*, comparatur porro, quia porri dotes

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sunt sanare tusses, distillationes, aliaque vitia pectoris et pulmonis : item serpentum et scorpionum morsus, hydropem, icteron et renum dolores. Ita vitia morbosque animi curat Spiritus Sanctus per pœnitentiam et mortificationem : hydrops enim symbolum est avaritiæ, icteros pravi exempli, renum morbus libidinis. Rursum de porro ait Plinius : « Voci, fecunditati, somnoque multum confert ; » unde Nero statis diebus non nisi porro vescebatur : erat enim voci canendæ avidissimus, et Aristoteles scribit perdices adeo esse argutas et canoras, quod porri sint edacissimæ. Ita vocem et linguas igneas Apostolis dedit et dat Spiritus Sanctus, quibus fecundam sobolem Ecclesiæ procreent. Dat et somnum, id est quietem menti, quia facit ut sit addicta divinarum rerum meditationi et contemplationi. Adhæc Plinius, lib. XIX, cap. VI, asserit de porro : « Eo hausto, mortem sine ullo cruciatu perferri ; » affert exemplum de Mela, qui « cum esset reus ex procuratione, Tiberio principe, succo porri ad trium denariorum pondus hausto, sine ullo cruciatu expiravit. » Quis Martyres in summis tormentis alacres, validos et quasi insensibiles fecit, nisi Spiritus Sanctus ?

*Tertio*, sicut chrysolithus aureo colore symbolum est ascensionis Christi, ita ei vicinus topazius aureo colore, sed pellucente, symbolum est communicationis Spiritus Sancti, quo gloria et regnum Christi elucescit. Ideo enim Christus ascendit in cœlum, ut inde mitteret Spiritum Sanctum qui, post Christum, est lux mundi.

*Quarto*, topazius facilius noctu quam die invenitur, ait Strabo : ita Spiritus Sanctus facilius in adversis quam in prosperis acquiritur.

*Quinto*, ut topazius, ita longe magis Spiritus Sanctus frænat iram, libidinem, etc. omnesque animi motus pacificat et componit, ut inter medios mundi fluctus et turbines tranquilli simus.

*Sexto*, Spiritus Sanctus instar topazii est donum splendidissimum, pretiosissimum et regale, quod optat Psaltes *Psal.* L, dicens : « Spiritu principali (regio, principe) confirma me. »

*Septimo*, topazius studiose vestigandus est ; ita de Spiritu Sancto ait Christus : « Quærite, et invenietis ; » et : « Dabit Spiritum bonum petentibus se, » *Luc.* XI, 9. Rursum, eodem studio custodiendus est : est enim instar topazii delicatus.

DECIMUS, CHRYSOPRASUS. — Chrisoprasus, teste Plinio, est triplex : scilicet primus est species topazii, secundus berylli (hi pellucent), tertius Indicus, id est opacus ; de eo hic agitur : nam de topazio et beryllo jam ante audivimus. Hic viret, sed aureis guttis est inspersus. Unde Plinius, lib. XXXVII, cap. VIII, ait quod callais, quæ gemma est viridis et pallens, sit affinis chrysopraso. Hic ergo colore refert succum porri : inde chrysoprasus dicitur : χρυσός enim est aurum, πράσον porrum ; inde prasinus color, id est porraceus. Quocirca in chrysopraso quasi copulantur chrysolithus, qui aureo ; et topazius, qui porraceo est colore. Chrysoprasus enim porraceum habet cum aureo splendore, eumque per tenebras magis ostentat. Rursum, Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. LVI, tres chrysoprasi colores et species assignat : « *Prima*, inquit, continentur, qui exacte viridis porri colorem æmulantur. *Secunda*, qui multum flavedinis habent, ac filicis arescentis fere colorem referunt. Hi, si aurei sint splendoris, chrysopteri veterum sunt. *Tertia*, qui exigua viriditate, majorique flavedine lactescunt. Has tres species omnes apud me reservo. »

Tradunt chrysoprasum sanare infirmitatem aciei oculorum, ut firmiter in rem objectam figi possit. Addunt alii ingenerare animo opum contemptum et liberalitatem. Dilatat enim spiritus, eosque exhilarat, ideoque ex arcto et avaro facit liberalem et jovialem.

In Rationali pro chrysopraso erat achates, cui que inscriptus erat Issachar. Hæ solæ duæ gemmæ inter se diversæ sunt : quanquam corallachati, quæ est species achatis, affinis sit chrysoprasus, ut dixi *Exodi* XXVIII, 19.

Chrysoprasus est Judas Thadæus, aurea sapientia acer in hæreticos, ut patet ex tota ejus epistola, æque ac aureo charitatis, suavitatis omniumque virtutum fulgore, fidelibus æque ac Christo amabilis. Unde et Lebbæus, id est corculum, est appellatus. Quocirca *Joan.* XIV, 21, cum Christus dixisset : « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum ; » Judas interrogavit, dicens : « Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo? Respondit Jesus, et dixit ei : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. »

Jam chrysoprasus notat in Symbolo decimum articulum : « Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. » *Primo*, quia chrysoprasus paulum declinat a topazio in aurum. Topazius ergo vividior masculi, id est Spiritus Sancti, chrysoprasus fœminæ, id est Ecclesiæ, quæ sponsa est Spiritus Sancti, symbolum est : hinc ab eo sancto fit sancta, nec quis sanctus esse potest, nisi in sancta et per sanctam Ecclesiam. Topazius est pellucidus, chrysoprasus est opacus : quia Spiritus Sanctus illuminat opaca hominum terrestrium, qui in Ecclesia sunt, corda.

*Secundo*, in chrysopraso, id est Ecclesia, copulantur quasi chrysolithus et topazius, id est Christus et Spiritus Sanctus : hi enim regunt Ecclesiam. Unde qui Ecclesiæ resistit, Christo et Spiritui Sancto resistit.

*Tertio*, aureus color in chrysopraso charitatis, viridis spei est symbolum. Speramus enim in Ecclesia a Christo et Spiritu Sancto bona æterna, cujus spei pignus nobis dedit Christus in Eucharistia.

*Quarto*, chrysoprasus sanat infirmitatem oculorum, ita Ecclesia errorum et hæresum ; magisque se in tenebris, id est in adversis, ostentat, atque animum ab operibus terrenis ad cœlestes transfert. Porro apte in Rationali pro chrysopraso positus fuit achates, cujus gloria et splendor est in repræsentatione earum rerum, quæ in ipsomet figurantur. Naturaliter enim varias et miras variarum rerum figuras exhibet. Ita Pyrrhus rex, ait Plinius, lib. XXXVII, cap. I : « Habuisse traditur achatem, in qua novem Musæ et Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut musis quoque singulis sua redderentur insignia. » Similem achatem se habere asserit Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. XCV, in quo scilicet visatur imago Episcopi cum mitra, aliæque plures. Quocirca apte achates significabat synagogam, quia « omnia in figura contingebant illis, » I *Corinth.* X, 11.

UNDECIMUM, HYACINTHUS. — Hyacinthus veterum fuit idem qui nunc a gemmariis vocatur sapphirus, inquit Rueus, Georgius Agricola et Alcazar : licet Anselmus Boetius, lib. *De Gemmis*, cap. XXX, putet fuisse amethysti speciem ; nostrum vero sapphirum a Plinio, lib. XXXVII, cap. IX, vocari cyanum. Ibi enim Plinius cyanum docet esse cæruleum, comparatque ac distinguit eum a suo sapphiro, dicens : « Inest (cyano) aliquando et aureus pulvis, non qualis in sapphirinis. Sapphirus enim et aureis punctis collucet. » Verum auctores jam dicti censent hyacinthum olim fuisse modernum sapphirum, fierique potest ut idem alio nomine dictus sit cyanus (quanquam quis sit Plinii cyanus obscurum sit : nam aureus pulvis quem ei tribuit, non cernitur in nostro sapphiro) : hyacinthus enim olim, æque ac noster sapphirus, fuit cæruleo colore, qui modice violaceo diluebatur, uti docent Plinius, S. Hieronymus, Nyssenus, Gregorius Magnus et Eucherius. Porro cæruleus color in eo ita subtilis et delicatus, « ut evanescat antequam satiet, adeoque non implet, ut pene non attingat, » ait Plinius. Moderni ergo hyacinthi, cum sint coloris aurei et mellei, chrysolithi sunt (quod etiam docet Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. XXIX, quodque illi nunc vocentur hyacinthi, recens inventum est, ex eo ortum, quod olim vocati sint hyacinthi sapphirini. Ita ex Alberto Magno Alcazar. Nam vulgus nomen prius hyacinthi retinuit, posterius sapphirini subticuit.

Hyacinthus veterum cum cœlo colorem mutare videbatur. Cœlo enim nubilo videbatur obnubilari, et quasi extingui, idque quia color tener erat et delicatus. Ita Solinus. *Secundo*, durus erat, adamante tamen vincebatur et scalpebatur.

*Tertio*, difficile incalescebat, et in os missus frigescebat, inquit Solinus et Isidorus.

*Quarto*, medebatur. Hinc pesti et venenatis morbis medici potionem ex hyacinthis præscribebant, ideoque hyacinthus e collo suspendi solebat e regione cordis, inquit Rueus.

*Quinto*, hyacinthus dicitur corpus roborare, somnum et lætitiam conciliare. Denique quæ recentiores sapphiris tribuunt, ea priscis hyacinthis conveniunt. Ea sunt, roborare visum, pellere venena et tumorem, vinctos e carcere solvere, tollere invidiam, facere victorem, amorem castum inserere, fluxum sanguinis sistere, inordinatas animi affectiones frænare, pacem conciliare. Hæc vulgo etiam a doctis credita. E quibus multa vel per auxesim dicta, vel fabulosa arbitror.

Pro hyacintho in Rationali ponitur ligurius, quem Alcazar censet esse genus succini, vel electri, coloris ignei, et adeo durum, ut possit scalpi, ideoque a priscis vocari gemmam. Dici autem ligurium a provincia Liguriæ, quæ hoc succino abundarit, sive ibi mare illud ad littus ejecerit, sive Liguriæ feminæ fuerint ejus studiosissimæ, ut tradit Plinius. Verum probabilius est ligurium eumdem esse cum hyacintho, ut multis ostendi *Exod.* XXVIII, 19.

Ligurio, sive hyacintho in Rationali insculptus erat Aser : hic vero repræsentat Simonem Chananæum, qui cæruleus et violaceus, id est, cœlestis fuit coloris, instar sapphiri moderni, et instar floris, qui exinde pariter vocatur hyacinthus : est enim illi concolor; cœlestis, inquam, tam in vita et suavissimis moribus, quam in ardenti prædicatione : unde hebraice cognominatus est Chananæus, id est zelotes.

In Symbolo hyacinthus repræsentat undecimum articulum, scilicet « Remissionem peccatorum : » per hanc enim fimus quasi hyacinthi, id est cœlestes, juxta illud *Coloss.* I, 13 : « Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. » Nam sicut in topazio resplendet color porri, in chrysolitho auri, in carbunculo carbonis, sive prunæ ignitæ : ita in hyacintho refulget color floris, qui dicitur hyacinthus. Huic autem flori hæ duæ litteræ A, I, ita « discurrentibus venis, » ait Plinius, vel « maculosis notis, » ait Dalecampius, leguntur inscriptæ, quæ junctæ faciunt AI, quæ est vox et interjectio dolentis, pœnitentis et suspirantis ad cœlum et vitam cœlestem. Ex hac floris inscriptione Poetæ finxerunt fabulam de Hyacintho puero ab Apolline dilecto, quem cum ipse imprudens disco occidisset, in florem convertit, inscriptis his litteris AI, quæ est vox dolentis. Unde Ovidius, lib. VI *Metamorph.*, ita Apollinem loquentem inducit :

> Flosque novas scripto gemitus imitabere nostros ·

Et mox :

> Ipse suos gemitus foliis inscribit, et AI AI
> Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est.

Rursum flos hic mollis et tener symbolum est commiserationis, quam habet Christus erga peccatores. Eadem de causa in lege veteri Pontifex gestabat tunicam hyacinthinam, quæ cum sui



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aspectu jugiter moneret, et misereri, et interpellare pro peccatoribus. Insuper in flore hoc cæruleus color mixtus est miniato, qui sanguinis est instar, quem Christus pro peccatoribus ex immensa miseratione effudit. Adhæc, de flore hoc, ait Plinius, lib. XXI, cap. XXVI : « Torminibus et aranearum morsibus resistit, et contra serpentes et scorpiones, morbumque regium semen ejus cum abrotono datur. » Idem facit Christus et Ecclesia per Sacramentum pœnitentiæ, quo remittuntur peccata.

*Secundo*, gemma hyacinthi sudo cœlo quasi hilarescit et splendescit, nubilo fuscatur, et quasi luget et mœret. Quid aptius ad clementiam et misericordiam repræsentandam?

*Tertio*, cordi medetur : sic pœnitentia et absolutio menti.

*Quarto*, cœli fulmina hæc gemma avertit, ait Rueus : sic venia et condonatio peccatorum Dei iras et fulmina amolitur.

DUODECIMUM, AMETHYSTUS. — Hic violaceus est, purpureus et roseus, sculptura facilis, leniterque flammulas fundit. Unde Plinius, lib. XXXVII, cap. IX : « Violaceo colore perlucens. » Et inferius : « Præcellens debet esse in suspectu, velut ex cabunculo refulgens quidam in purpura leviter roseus nitor. » Et rursum : « Amethystum usque ad vini colorem accedere, sed in violam desinere, et fulgorem quemdam purpuræ in illa cerni, non ex toto igneum, sed in vini colorem deficientem. » Hinc ita oculis gratus est, ut Plinius eum vocet *gemmam Veneris*. Dictus est *amethystus*, id est *non ebrius*, eo quod vini colorem non integre accipiat, sed in violam desinat; aut, ut alii, *amethystus*, id est ebrietati resistens : *μεθύω* enim idem est quod inebrior : ita Rueus, qui et citat Aristotelem; licet Plinius et Plutarchus idipsum negent, et rideant eos qui dicunt amethystum ebrietati resistere; ut ut est, amethystus symbolum est sobrietatis. Amethystus enim, imo omnes gemmæ siccæ sunt et frigidæ, ait Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. LXVI.

Plutarchus, lib. *De Audienda Poetica*, ait amethystum habere vim attrahendi sibi vicina. Alciatus tradit in *Emblematibus*, colorem ianthinum, id est violaceum (qui est amethysti), esse symbolum ejus qui est sorte sua contentus. Ait enim :

Quisquis sorte sua contentus, ianthina gestet.

Superius in sardio dixi sardium esse amethysti matrem. Scribit Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. XXVII, amethystum Orientalem ustione dealbari et quasi in adamantem verti posse, ita ut periti gemmarii eum a vero adamante secernere vix queant.

Denique Rueus ait amethystum facere prosperos et felices, item vigilantes, forte ex eo quod hebr. vocetur *achlama*, a rad. חלם *chalam*, id est somniavit, per antiphrasin : licet et Rabbini et Pagninus ita dici velint, eo quod qui eum defert digito, semper videat somnia; sed hoc frivolum est.

In Rationali amethysto inscriptus erat Zabulon. Hic notat Matthiam, humilem, qui ultimus in locum Judæ sorte electus successit. Unde Matthias hebr. significat donum Dei : humilitas enim est gemma Veneris vel gratiarum, quæ Dei et hominum animos sibi conciliat, quæque vere ebrietati, id est superbiæ, resistit, ac quietem et felicitatem, gloriamque perennem et æternam parit. Ita hæc singulis Apostolis adaptant Joachim, Ribera et Viegas. Tropologice amethystus purpureus notat modestiam, quæ est « purpura virtutum, » ut ait S. Ambrosius; nam quasi purpura eas tegit, vestit et ornat.

In Symbolo amethystus repræsentat duodecimum articulum : « Carnis resurrectionem et vitam æternam. » Hæc enim duo cum eodem spectent, jungenda videntur. Nam primo, vini color notat Beatorum lætitiam, de qua Psaltes : « Torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Hoc vinum cœleste animum ad se rapit, avocatque a vino hoc terreno corpus et mentem inebriante. Unde S. Hieronymus *ad Eustochium* : « Quotiescumque sæculi te vana delectabit ambitio, quotiescumque aliquid videris gloriosum, ad paradisum mente transgredere. »

*Secundo*, habet colorem violæ, quæ refrigerat, ideoque, ut ait Plinius, lib. XXI, cap. XIX, « crapulam et gravedines capitis impositis coronis, olfactuve discutit. » Simili enim modo vitæ æternæ cogitatio arcet cupidinem, et gravedinem gulæ et luxuriæ.

*Tertio*, in hujus vitæ laboribus et ærumnis homines ad se trahit. Insuper habet colorem purpuræ, ut notet Beatos in cœlo esse triumphatores, item principes et reges purpuratos, utpote filios et hæredes regni Dei. Porro regum purpura lanea est, brevis et evanida; hæc vero gemmea, solida, splendida et æterna.

Rursum purpura erat sacerdotum; unde Ephod pontificis erat ex purpura : ita Sancti in cœlo erunt sacerdotes Dei.

*Quarto*, in cœlo omnes sua sorte sunt contenti, quia cujusque beati capacitatem et desiderium Deus adimplet; ac præsertim humiles, qualis fuit S. Matthias, exaltat.

*Quinto*, sardius est mater amethysti : ita resurrectio Christi est causa et origo nostræ resurrectionis et gloriæ : unde sicut sardius, ita et amethystus in corde saxi generatur, quia tam Christus, quam nos, e saxeis sepulcris resurgemus.

Denique hæc vita et gloria facit nos vigilantes et sobrios, instar amethysti. Hoc enim est quod nobis intonat S. Petrus : « Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, » et nos hac vita æterna privet, et in mortem ignemque gehennæ secum pertrahat. Ita singulos Symboli articulos singulis gemmis adaptat Alcazar, qui deinde notat. 36, eosdem combinat cum duodecim Patriarchis, qui iisdem gemmis inscripti erant in Rationali. Verum ipse inter Patriarchas gemmis inscriptos numerat Levi, quem non esse numerandum docui *Exod.* XXVIII, 17.



Quare eo omisso, illi utrimque sic apposite combinandi videntur. Jaspis, qui hic est primus, in Rationali inscriptum habebat Gad, qui ita dictus est a robore et turma militari. Gad ergo apte repræsentat S. Petrum, qui est petra Ecclesiæ; æque ac primum articulum creationis : creatio enim opus fuit fortitudinis et omnipotentiæ Dei.

*Secundus*, sapphirus cæruleus, in Rationali inscriptum habebat Nephthali, qui hebr. idem est quod colluctans, comparatus, æquiparatus, consimilis. Hic repræsentat Andream, qui fratri suo Petro fuit consimilis; æque ac secundum articulum, qui est de generatione Verbi. Verbum enim est menti paternæ consimile et coæquale. Rursum Nephthali benedicens Jacob, *Genes.* XLIX, 21, ait : « Nephthali cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis. »

Ita Filius Dei fuit Verbum ab eo emissum dans eloquia pulchritudinis. Verbum enim eloquitur omnem Patris rerumque divinarum pulchritudinem.

*Tertius*, carbunculus igneus, in Rationali inscriptum habebat Dan, qui ignitus fuit in Samsonis ex eo prognati zelo. Hic significat Jacobum, fratrem Joannis, amore Christi ardentem; æque ac tertium articulum, qui est de Verbi incarnatione. Hæc enim fuit opus igneæ charitatis Dei, fuitque adumbrata in Dan, cui Jacob benedicens dixit *Gen.* XLIX, 18 : « Salutare tuum (id est Christum incarnatum) exspectabo, Domine. »

*Quartus*, smaragdus viridis, in Rationali inscriptum habebat Judam, viribus virentem et pollentem. Hic adumbrabat S. Joannem, virginitate virentem et potentem; æque ac quartum articulum, qui est de passione et morte Christi. In ea omnes vires suas exseruit Christus, quibus peccatum, mortem et diabolum debellavit. Crux enim est fortitudo Christi, et gladius quo hostes profligavit.

*Quintus*, onyx, in Rationali inscriptum habebat Manassem, qui, utpote primogenitus, repræsentat patrem suum Joseph, innocentem et candidum. Joseph ergo apte repræsentat Philippum, pariter candidum; æque ac quintum articulum, qui est de descensu Christi ad inferos. Sicut enim Joseph a fratribus missus est in cisternam, et ab hero in carcerem : ita Christus missus est in infernum. Rursum, sicut Joseph dixit fratribus : « Ego sum Joseph frater vester; » ita Christus dixit Adæ et Patribus in limbo : « Ego sum filius et redemptor vester. »

*Sextus*, sardius, in Rationali inscriptum habebat Ruben, rubentem amore Josephi, ut eum e manibus fratrum liberaret, *Genes.* XXXVII, 21. Hic repræsentat S. Bartholomæum, qui pro Christo excoriatus, totus fuit sanguineus et rubeus; æque ac sextum articulum, qui est de resurrectione Christi. In hac enim Christus carnem in morte exsuccam et pallidam, rursus rubeam et sanguineam instar sardii effecit, cum redivivus et gloriosus e sepulcro surrexit.

*Septimus*, chrysolithus aureus, in Rationali inscriptum habebat Ephraim, qui aureum Israelis sceptrum obtinuit. Hic figurat S. Matthæum, ex publicano Apostolum, et Ecclesiæ ac Evangelii principem; æque ac septimum articulum, qui est de ascensu Christi in cœlum, ejusque sessione ad dexteram Patris. Hic enim notat regalem Christi dignitatem, aureamque ejus gloriam et majestatem.

*Octavus*, beryllus, in Rationali inscriptum habebat Benjamin, id est filium dexteræ. Hic figurat Thomam, qui fuit filius dexteræ Christi, cum novissimus inter Apostolos Christum resurgentem vidit, itaque ei credidit. Rursum figurat octavum articulum, qui est de judicio Christi : quia enim Christus est Benjamin, id est filius dexteræ Dei, hinc venturus est judicare vivos et mortuos.

*Nonus*, topazius aureus et cæruleus, in Rationali inscriptum habebat Simeonem, interritum et audacem. Hic figurat Jacobum Alphæi, qui apud Judæos, Christi parricidas, interrite Christum prædicavit, ideoque ab eis pariter occisus est. Rursum notat nonum articulum, qui est de Spiritu Sancto, qui Apostolos et Martyres fecit interritos, deditque eis vires et animos quibus orbem Christo subigerent. Adde, Simeon hebr. idem est quod exauditio : ita Deus Pater exaudivit preces Christi et Apostolorum, dum misit eis Spiritum Sanctum in Pentecoste.

*Decimus*, achates, in Rationali inscriptum habebat Issachar, qui inter Gentiles habitans, fidelis et sanctus exstitit. Hic notat Judam Thadæum, cujus sanctitas et zelus patent in ejus epistola; æque ac decimum articulum, qui est de S. Ecclesia et Sanctorum communione.

*Undecimus*, hyacinthus, in Rationali inscriptum habebat Aser, qui hebr. idem est quod Beatus. Hic notat Simonem Chananæum, qui beatus fuit, quia zelotes. Rursum notat undecimum articulum, qui est de remissione peccatorum. Scriptum est enim : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, » *Psal.* XXXI, 1.

*Duodecimus*, amethystus, in Rationali inscriptum habebat Zabulon, qui hebr. significat habitaculum. Hic notat S. Matthiam, æque ac duodecimum articulum, qui est de cœlo et vita æterna; hoc enim est habitaculum felix, dives et æternum, quod Deus Matthiæ, id est humilibus, præparavit; unde Moses benedicens Zabulon, *Deuter.* XXXIII, 18, ait : « Lætare, Zabulon et Issachar, populos vocabunt ad montem. Ibi immolabunt victimas justitiæ, quia inundationem maris quasi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hæc augent, et thesauros absconditos arenarum. » Apostoli ergo sunt gemmantes, immo gemmeæ stellæ : quia gemmæ sunt terræ, et stellæ cœli.

21. DUODECIM PORTÆ DUODECIM MARGARITÆ SUNT, PER SINGULAS. — *Primo*, Ansbertus et Ribera exponunt, *q. d.* Quælibet porta facta quidem erat ex solida una margarita, ut sequitur; habebat tamen alias duodecim margaritas sibi affixas et adpactas ad ornatum, ut significetur, omnes gratias et dona quas habent duodecim Apostoli, easdem habere et singulos eorum.

*Secundo* et genuine, Ticonius, Aretas, Beda et Viegas volunt hic significari, non quod in singulis portis fuerint duodecim margaritæ, sed quod singulæ portæ fuerint factæ ex singulis margaritis, ideoque fuerint singulæ margaritæ : τὸ enim *per singulas* idem est quod singulæ ex singulis. Ita enim mox se explicat S. Joannes dicens : « Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis. » Jam portæ hæ non fuerunt foramina margaritarum : hæc enim exilia sunt, et minora quam sit foramen acus, sed fuerunt instar portarum urbis; per eas enim homines et reges ingressi sunt, suasque opes secum in urbem intulerunt. Alcazar tamen censet has portas visas Joanni, arctas valde fuisse: arcta enim est via salutis, et porta aditusque in cœlum; ita tamen, ut per eam ingredi posset homo.

Adhæc singulæ portæ factæ erant ex una margarita integra, non dissecta, nec ex variis partibus conflata. Erant ergo ingentes hæ margaritæ, utpote ex quibus erigeretur ingens et magnifica porta, tantæ civitati proportionata, cum suis postibus ac liminibus; sicut Romæ videmus portam templi quod Pantheon olim dicebatur, ex una æris lamina constare.

Insuper margaritæ a Latinis vocantur uniones, eo quod nullæ duæ reperiantur in conchis indiscretæ, vel solæ, sed singulæ aliis sunt unitæ, connexæ et quasi adpactæ. Uniones « nulli duo reperiuntur indiscreti : unde nomen unionum Romanæ scilicet imposuere deliciæ, » ait Plinius, lib. IX, cap. XXXV, ubi et addit illas pretio superare alias gemmas. Porro per portas intelliguntur Apostoli et viri Apostolici. Horum vita et doctrina est margarita, quia mire præstans et pretiosa, atque instar unionis summe inter se unita et consentiens. Ut enim Religiosi et Clerici, qui sunt prædicatores zelosi, portæ cœlestes fiant, multosque in cœlum transmittant, debent esse inter se et cum capite suo unionis nexu copulati, adeoque instar primorum Christianorum, esse cor unum et anima una. Talis est et visio beatifica, gloria et fruitio Apostolorum et Beatorum in cœlis. Unde Christus, *Matth.* XIII, regnum cœlorum comparat homini quærenti bonas margaritas. Rursum, ut e margaritis fiant aptæ et concinnæ portæ, oportet ut multis tunsionibus et malleationibus feriantur et poliantur : ita et poliri debent magna corporis maceratione, et sensuum castigatione, ac varia mortificatione tam sponte assumpta, quam ab aliis illata, qui aliis portæ cœli fieri cupiunt.

Symbolice, margaritæ apte repræsentant viros Apostolicos et Religiosos. Nam *primo*, Plinius lib. IX, cap. XXXIII, scribit certo anni tempore conchas luxuriare, ac maritimum rorem velut maritum sitire, cujus desiderio hiant, et cum maxime lunares liquantur aspergines, oscitatione quadam haurire humorem cupitum : sic concipere gravidasque fieri ex cœli rore, ideoque plus cœli quam maris habere, ac cœli colorem, lucem et speciem præ se ferre. Hujus rei fides sit penes Plinium. Nam negat idipsum Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. XXXVII, ubi asserit se exemisse complures margaritas ex conchis, ac deprehendisse eas in conchæ corpore nasci ex eo humore, ex quo testa conchæ excrescit, non secus quam in fellis vesicula, et urinæ vesicula lapides generantur : quo etiam modo lapis Bezoar in capris Indicis multis cuticulis generatur. Verum ex sententia Plinii, sicut unio e cœli rore gignitur, ita vita Apostolica et religiosa cœlestis est, et e cœlo ad homines delapsa : ac cujusque vocatio ad statum tam eximium, opus est peculiaris favoris et gratiæ Dei. Sicut ergo margaritæ causa efficiens, est lumen cœli, sive lunæ; materia seminalis, est humor roscidus; mater et matrix, concha virginea : non enim coeunt conchæ, nec per commixtionem generant : forma constat magnitudine et candore, ut mox dicam; finis est ornamentum hominum, maxime regum et principum feminarum. Ita hæc omnia sese analogice habent in vita religiosa, cui cuivis facile est ea adaptare. Insuper nonnulli uniones in conchis fieri tradunt ex rore et fulgure. Ros enim allambentis fulguris vi non modo concrescit in unionem, sed et ipse unio celerius Jove tonante pariter, ait Ælianus, lib. X, cap. XIII, licet Plinius, lib. IX, cap. XXXV, asserat, si fulguret, comprimi conchas. Id S. Gregorius Thaumaturgus de Incarnatione Christi explicat : fulgur enim esse virtutem Spiritus Sancti; rorem, purissimum sanguinem Deiparæ Virginis; unionem, corpus Christi; unde Sedulius, lib. II :

Uteremque puellæ
Sidereum mox implet onus, rerumque Creator
Nascendi sub lege fuit : stupet innuba tensos
Virgo sinus, gaudetque suum partura parentem.

Simili modo effulgurante in mente Spiritu Sancto, ros, id est pia et cœlestis cogitatio, coalescit in unionem vitæ et virtutis religiosæ.

*Secundo*, margaritæ multiplici cute constant, æque ac cœlum variis orbibus, planetis et circulis, atque extimum empyreum omnibus eminet, omnesque ambit et continet. Ita religiosa vita omnibus statibus eminet, eorumque virtutes et dotes in se complectitur.

*Tertio*, « principium et culmen omnium rerum pretii margaritæ tenent, » ait Plinius. Ita religiosa vita nihil pretiosius et præstantius : qua prudens negotiator « vendit omnia quæ habet, et emit eam, » *Matth.* cap. XIII, 46. Cleopatra duos uniones habuit, qui valebant sexcenties sestertium, id est duodecies centena millia Philippicorum, teste Plinio, lib. IX, cap. XXXV, ubi et ornatum Lolliæ Paulinæ margaritis constantem, quadringenties sestertium, id est octingentis millibus Philippicorum æstimat. Hac ætate pretio et æstimatione primas tenet adamas, secundas rubinus, tertias unio, quartas sapphirus : ego tamen huic opalum præferri debere existimo, ait Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. XLIV.

*Quarto*, « margarita æternæ prope possessionis est, » ait Plinius : et vita religiosa « æternæ omnino possessionis est. » Rursum Origenes, tract. 13 *in Matth.*, et Plinius, lib. IX, cap. XXXV, docent inter conchylia esse unum maximum, et pulchritudine margaritæ intra se reconditæ venustissimum, quod quasi ducem alia conchylia turmatim sequuntur. Hoc urinatores præ cæteris venantur; eo enim capto, facile reliquum agmen, omnesque margaritas eo inclusas capiunt. Ita viri Apostolici et Religiosi Christum, Christique vicarium, puta suum Superiorem, quasi ducem per omnia sequuntur.

*Quinto*, margaritarum « omnis dos in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, » ait Plinius. Ita candent, ut nullam habeant maculam, nullam labem. Talis est angelica Religiosorum puritas et castitas. Magnitudo notat animi magnitudinem, qua omnia terrena, ut vilia et exilia despiciunt, ac cœlestia et divina spectant. Orbis, id est orbiculata et rotunda figura, facile in omnem partem mobilis, symbolum est obedientiæ, qua se ad nutum Dei et Superioris gyrari sinunt ad omnem locum, officium, exercitium. Cum orbe juncta est nuditas, id est paupertas. Lævor est politura absque ullo tumore aut scabritie. Hæc notat mores per omnia ad regulam et disciplinam compositos, ut nihil sit in iis excedens aut deficiens, nihil quod alios offendere, aut a quoquam culpari possit. Ponderosiores margaritæ, quales sunt Occidentales, pretiosiores sunt : ita gravitas, modestia et prudentia Religiosorum quo major est, eo pretiosior. Addit Plinius : « Non promptis rebus, » *q. d.* Non facile est hæc omnia simul in unionibus reperire : ita non facile est hasce omnes dotes simul in uno Religioso invenire; sed in quocumque inveniuntur, hic vir rarus est et eximius. Vir ergo Apostolicus et religiosus refert Christum, qui est prima et pretiosissima margarita, cujus deitas in concha humanitatis continetur; ex materia virginea et rore Spiritus Sancti conceptus; summe candidus per vitæ innocentiam, lucidus per sapientiam, rotundus per omnis perfectionis possessionem; habens pondus constantiæ, lævorem dignitatis et ingenii tractabilis, pretium ditandi [illegible] homines, et ornandi Ecclesiam tam præsentem, quam futuram. Rursum, instar Christi, omnes hasce gemmas refert, licet in una excellat. Ipse est enim carbunculus, quia est lux mundi; est fortis, ut adamas; delectans visum, ut smaragdus; gaudium generans et timorem expellens, ut sardius; lepram peccati et vulnera sanans, ut chrysoprasus; juvat ad partum bonorum operum edendum, ut jaspis; bellum movet in vitia et in dæmones ad ea sollicitantes, ut onychinus; ingenium et prudentiam acuit, ut beryllus; limam passionum sustinet, et fluxum sanguinis peccati restringit, ut topazius; tristitiam malosque spiritus fugat, ut chrysolithus; paleas inconstantium hominum trahit ad se, ut igne charitatis comburat, tanquam chalcedonius; abortivum peccati per confessionem expellit, ut achates; resistit somno et ebrietati, ut amethystus; imbecillitatem animi fugat, ut hyacinthus; gaudium spirituale gignit, ut sardonyx; cœlestis est coloris, et cœlestia spirat corde, et ore, et opere, ut sapphirus.

*Sexto*, margaritæ rore suaviter et modeste nutriuntur et crescunt, alioqui si tonuerit, abortiunt conchæ speciem inflatam sine corpore, quam vocant physemmata, ait Plinius. Ita Religiosus oratione nutriat spiritum oportet, alioqui si metu tantum agatur, externam duntaxat speciem et larvam Religionis habebit, non internam formam et speciem.

Rursum, pro qualitate roris, qui concha concipitur, mutatur margarita, atque puro rore candidior, turbido obscurior producitur, ait Plinius. Ita pro gratiæ et vocationum discrimine, varia, ac magis minusve perfecta vita religiosa perspicitur. Hinc alii, Deo impellente, vacant quieti et silentio, alii operibus charitatis in hospitalibus, alii doctrinæ et prædicationi, alii contemplationi, etc. Est enim Ecclesia sponsa Christi, in vestitu deaurato « circumdata varietate. »

*Septimo*, solidæ sunt, « et nullo lapsu franguntur, » ait Plinius. Ita solidi sunt Ascetæ per omnia probati et tentati, ut nulla tentatione aut persecutione frangantur, sed stent immobiles quasi Marpesia cautes.

*Octavo* : « Usu atteri non dubium est, coloremque indiligentia mutari; sole rubescunt candoremque perdunt, » ait Plinius. Ita Religiosi nimia conversatione cum sæcularibus atteruntur. Si ad Episcopatus et Prælaturas evehantur, candorem perdunt.

*Nono* : « Aceti asperitas visque margaritas in tabem resolvit; » ita aceto suum unionem liquavit Cleopatra, et absorpsit. Pari modo rancoris, iræ et invidiæ asperitas omnem Religionis formam tabefacit in eo quem infecerit et corruperit.

*Decimo* : « Flavescunt in senecta margaritæ, rugisque torpescunt; nec nisi juventa constat ille qui quæritur vigor, » ait Plinius. Ita senescentibus Religionibus aut Religiosis, torpescit, et pene evanescit primus ille vigor et spiritus : quod ut caveatur, renovatione frequenti opus est, ut quisque cum S. Francisco jam emoriente gestiat ad



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

novitiatus, humilitatis et fervoris redire primordia. Simili enim modo ad pristinum colorem, et quasi juventam redeunt margaritæ, nimirum, ut scribit Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. XXXVIII : « Dempta cuticula superiori. Deimitur autem spiritu vitrioli, alias pulvere alabastri, et corallii albi. Idem fit, si columbis devorandæ præbeantur; aut si oriza et sale diu fricentur. Maculæ abolentur rore maii, qui foliis lactucæ insidet, si per diem illi immorentur, aut eo perliniantur. »

*Undecimo* : « Singularis gratia est margaritam clara luce illustratam intus rubescere, ac velut animam habere sanguineam. » Id licet non habeat Plinius, in modernis tamen, præsertim Occidentalibus, idipsum videre est. Ita Religiosi anima est passio et sanguis Christi, ut cum S. Paulo dicat : « Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Unde Religiosi a Cassiano et aliis Patribus vocantur crucifixi.

*Duodecimo*, unionis gratia et splendor in unitate consistit. Si enim seces et dividas, perit. Hinc et unio dicitur, quia in singulis conchis singulæ, vel, si plures sint, unitæ et indivisæ reperiuntur, licet Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. XXXVII : « Magnæ, inquit, margaritæ uniones vocantur, quod raro sibi æqualem magnitudine habeant. » Ita religiosæ vitæ decus et fulgor in concordia et charitate fraterna consistit : si ea pereat, perit Religionis species et sanctitas. Quocirca sicut uniones singuli singulis colore, rotunditate, pondere, aliisque dotibus simillimi, et quasi fratres sunt : ita et Religiosi parem et communem agere debent vitam, ac in religiosæ disciplinæ observatione esse pares et simillimi. Qui enim singulares esse volunt et exempti, sibi odium, aliis scandalum creant. Romæ a Doctore Medico, qui pluribus monasteriis per multos annos operam navavit, audivi, se continua experientia didicisse, eos qui in victu aliisque rebus singulares esse volunt in monasteriis, juge habere purgatorium tam animæ, quam corporis : qui hoc evadere velit, ac jucunde et religiose vivere, debere agere vitam communem. Atque hanc singularitatem sæpe non ex infirmitate vel necessitate, sed ex occulta superbia, qua cæteris eminere volunt, proficisci : sicuti vitæ communis amor nascitur ex humilitate, qua, esto sis egregius, vis esse quasi unus e grege. Radix ergo religiosæ vitæ, pacis, quietis, sanctitatis, est humilitas : ex qua sequitur communitatis amor, et mutua unio, quæ omnium congregationum est vinculum, imo spiritus et anima. Quocirca Cassianus, lib. V *De Instit. Renunc.*, cap. XXIII, ita sancit : « Eligendus est cibus, etc., qui sit conversationi fratrum usuique communis. Quidquid enim extra consuetudinem præsumitur usumque communem, ut vanæ gloriæ atque ostentationis morbo pollutum, antiquissima Patrum traditio notat. » Acriter vero S. Bernardus, serm. 30 in *Cant.*, hosce singulares, velut perturbatores unionis et disciplinæ religiosæ, æque ac propriæ quietis, insectans ob quatuor mala quæ singularitas parit : « Parce, ait, obsecro, primum quieti tuæ; parce deinde labori ministrantium; parce gravamini domus; parce conscientiæ : conscientiæ dico, non tuæ, sed alterius. » Eosdem perstringit S. Basilius in *Regul. brevior.*, interrog. 129, 131, 132. Idem *Constit. Monast.* cap. XIX, vitæ cœnobiticæ decus et gloriam in eo consistere docet, quod in ea, inquit, sint « omnia communia, animi, mentes, corpora, eaque quibus necessario ad cultum et victum utimur. Communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia et certamina coronæ, ubi multi unus, et unus non solus, sed in pluribus. » Et S. Chrysostomus, homil. 38 *ad Populum*, loquens de Religiosis : « Una mensa, inquit, et ministrantibus, et iis quibus ministratur, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita. Parvus non dolet, quasi contemnatur, nec ullus est qui contemnat. » Quocirca merito David inter alia mirabilia Dei opera, hoc etiam commendat his verbis : « Qui habitare facit unius moris in domo, » id est ita concordes, æquales et similes, ac si multi unus essent. Et Sophonias, cap. III, vers. 9 : « Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. » Hæc est respublica beata cujus ideam descripsit Plato, sed reipsa exprimere non potuit, in qua omnia sunt communia et æqualia : in qua Religiosi quasi milites, hac communione quasi testudine castrensi, ita se uniunt et muniunt, ut omnium hostium telis sint impenetrabiles, ait S. Basilius, cap. XIX citato, imo omnia hostium castra expugnent et prosternant. Vide P. Alfonsum Rodriguez, *De Perfectione*, tom. III, tract. 5 *De obedientia*, cap. XVI et seq.

*Decimo tertio*, uniones ut usui esse possint, perforantur. Ita Religiosus, ut Ecclesiæ prosit, fiatque doctor, concionator, etc., prius ejus fides et virtus perspicienda est, ut constet eam esse solidæ et probatæ doctrinæ, æque ac virtutis. Denique Anselmus Boetius loco ante citato : « Margaritæ, inquit, cor spiritusque vitales roborant; proinde et venenis omnibus, pesti et putredini resistunt, animum exhilarant, cardiacos et melancholicos affectus, et syncopen tollunt. Phthisicis, marasmo febreque ardente aut pestilente correptis ob id utilissimæ sunt. Valent contra sanguinis alvique profluvia, cerebrum nervosque roborant, et oculorum lacrymas exsiccant. » Ita Religio mentem, spiritum omnesque potentias roborat, sanat, exhilarat, conservat. Porro quæ hic dixi de gratia et vita Apostolica præsentis vitæ, pari, imo majori jure competunt gloriæ ejusdem in cœlesti Jerusalem : de hac enim ad litteram hic agit Joannes, cum portas ejus ait constructas ex margaritis. Quæ ergo de gratia et virtutibus dixi, eadem gloriæ et



felicitatis dotibus adaptanda sunt. Hasce ergo Christi margaritas, humilitate parvas, valore pretiosas, portatu faciles, gestemus in capite nostro, ad ornamentum; in fronte, per confessionem fidei; in auribus, per disciplinam et obedientiam Deo et Superioribus debitam; in collo et pectore, per amorem et gustum; in brachio et armillis, per bonorum operum exercitium; in digitis et annulis, per donum discretionis spirituum; in cingulo, per castitatem; in vestitu et incessu, per modestiam et sanctam externæ vitæ moderationem, qua alios ad honestatem et virtutem, Christique imitationem et sequelam pelliciamus : ita in cœlesti Jerusalem fiemus portæ ex margaritis, ac cum aliis quos eo induxerimus, fulgebimus instar unionum in perpetuas æternitates. Amen.

ET PLATEA CIVITATIS AURUM MUNDUM, TANQUAM VITRUM PELLUCIDUM. — Platea, id est, plateæ : nam civitas duodecim millium stadiorum, necesse est ut plurimas habeat plateas. Rursum plateæ, id est, pavimentum platearum. Sicut enim vers. 16 dixit ipsam civitatem, id est, domos civitatis, esse ex auro pellucido : ita hic idem dicit de plateis. Platea ergo hic non est forum civitatis, ut aliqui putarunt. Itaque sensus est, *q. d.* Plateæ omnes, æque ac domus eis utrimque adjacentes, aureæ sunt et pellucentes. Qua re et symbolo significatur latitudo (platea enim græce idem est quod lata) charitatis, æque et claritatis Beatorum, scilicet quod eorum omnium communicatio, licet inter se meritis et gloria impares et inæquales sint, sit fraterna, tota aurea et fervida charitate, æque ac lucida, sincera et clara instar vitri. Sancti enim invicem alii aliorum gloriam clare intuentur, eaque gaudent et fruuntur : nam per communionem charitatis, mutuo sibi eamdem felicitatem, quasi radium pellucidissimum transmittunt. Porro Alcazar per domos accipit Beatos, qui gratia et gloria eminent; per plateam, Beatos communes et vulgares, v. g. qui in infantia, vel in conjugio vixerunt et obierunt, quorum ingens est numerus; unde recte plateæ latæ et longæ comparantur : omnium enim gloria ingens est, præstans et clara instar auri pellucidi, licet istorum major sit quam horum. Hoc aurum participant a Christo, qui in cœlo fulget et radiat ut chrysolithus, qui est instar auri fulgidi et pellucentis : unde et Beati idipsum a Christo participant, fiuntque et ipsi chrysolithi, juxta illud *Philip.* III, 21 : « Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. »

Denique chrysolithus, sive aurum pellucidum aptum est symbolum felicitatis Beatorum : aurum enim charitatem, vitrum pellucens claram Dei visionem et fruitionem, quæ eos beat, significat.

22. ET TEMPLUM NON VIDI IN EA : DOMINUS ENIM DEUS OMNIPOTENS TEMPLUM ILLIUS EST, ET AGNUS. — Syrus : *Ipse enim Dominus, ille omnipotens templum ejus est, et ille Agnus.* Porro in cœlo non est templum, *primo*, quia in hac mortali vita tantum est locus oblationis, sacrificii et orationis, et per consequens templorum, quæ ad hoc solum destinantur. In cœlo autem post plenam resurrectionem, locus est facialis præsentiæ et fruitionis Dei, ubi videlicet Sancti Dominum facie ad faciem semper contemplantur, adorant et laudant, atque in ipso, quasi templo divino et increato, divinam et beatam obtinent mansionem : ita ut Deus eis sit templum, et præses templi, et omnia in omnibus, ait Richardus et Primasius.

*Secundo*, Deus ibi non indiget templo, ac consequenter nec Beati, quia ipsemet sibi est templum. Nam et in seipso videtur a Beatis et in seipso majestatem omnem templi continet, eamque quasi « omnipotens » totam Beatis fruendam et possidendam communicat. Hoc enim est opus omnipotentiæ Dei; nusquam enim magis quam in cœlo, Deus suam omnipotentiam manifestat.

Pari modo, Agnus est templum Beatorum, tum quia Christus qua Verbum est Deus, Deoque Patri æqualis; tum quia qua homo, sua gloria animæ et corporis mire recreat Beatos, ab eisque quasi salvator et redemptor colitur et adoratur. Alcazar Christum hominem comparat Sancto, Deum vero Sancto sanctorum. Supervacaneum ergo in cœlo est templum, ubi Dei et Christi claritas immensa Beatos tenet in sui contemplatione defixos. Quare perperam Augustinus Marloratus hunc locum objicit Catholicis, ut probet in Ecclesia non debere esse templa ad offerendum Deo sacrificium, cum illud in lege nova nullum sit, nisi sacrificium Christi in cruce. Hæc est enim hæresis, quæ usu totius antiquitatis refellitur. Porro frustra hunc locum citat : Joannes enim hic non agit de Ecclesia militante, sed de triumphante.

23. ET CIVITAS NON EGET SOLE, NEQUE LUNA; NAM CLARITAS DEI ILLUMINAVIT EAM. — Vidit hic Joannes, æque ac cap. IV, Deum in medio hujus civitatis, throno sublimi et glorioso residentem, indeque instar solis radios quaquaversum spargentem, iisque totam civitatem illuminantem, exhilarantem et gloriosam reddentem. « Claritas ergo Dei, » *primo*, accipi potest lumen gloriæ, quod mentes Beatorum illustrat et elevat ad videndum Deum. Dicitur « Dei, » quia est donum Dei; nam ab ejus lumine inaccessibili Beati velut mutuatum lumen accipiunt, ait Gabriel Vasquez, I part., disp. XLII, num. 6. Qui tamen ibidem addit ex hoc loco non posse clare evinci contra refractarium, hoc lumen gloriæ esse habituale. Nam ipsa quoque visio et illustratio recte vocatur lumen et claritas. Sic et Ludovicus Molina, I part., Quæst. XII, art. 5, disp. 1. *Secundo*, « claritas Dei » est ipse Deus, qui est increata claritas et sol radiantissimus cœlestis Jerusalem. Idque aptius, quia hanc claritatem opponit lucernæ Agni, de qua mox, ita ut claritas Dei sit ipse sol divinitatis, ex qua lucerna humanitatis Christi suum lumen mutuatur. *Tertio* et aptissime utrumque jungendo,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

« claritas Dei » est ipse Deus clarissimus, qui suam claritatem, puta lumen gloriæ, Beatis communitat. De hac dixit vers. 11 : « Et lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum. »

Et lucerna ejus est Agnus. — « Lucerna, » id est fax, stella, vel lux oculos corporeos Beatorum illuminans et recreans, est splendidissima et gloriosissima Christi humanitas, quæ instar lunæ fulgidissimæ lumen per cœlum empyreum diffundit, ut videlicet oculi Sanctorum per illud intueantur humanitatem Christi gloriosam, aliosque Sanctos, omniaque quæ in cœlo erunt, et suam claritatem sensibilem, et recreationem ac jucunditatem maximam habeant. Sicut enim claritas Dei est sol, sic claritas Agni est quasi luna cœli empyrei. Pro *lucerna* græce est λύχνος; species autem carbunculi est quæ dicitur lychnites. Ergo videtur quod Christi humanitas instar ignei carbunculi et lychnitis, imo longe magis, refulget et radiat in cœlo. Nam eadem comparata est chalcedonio, id est carbunculo, ut dixi vers. 19. Ita Alcazar hic ad vers. 11. Hinc pie et pulchre S. Augustinus in hymno de gloria Paradisi, lib. *Meditationum*, cap. xxvi, ita jubilat :

> Non alternat luna vices, sol, vel cursus siderum,
> Agnus est felicis urbis lumen inocciduum.

24. Et ambulabunt gentes in lumine ejus, — id est, ad lumen ejus (civitatis scilicet, puta cœlestis Jerusalem, non autem Agni, ut patet ex pronomine Græco feminino αὐτῆς), quasi dicat : Gentes, viso ejus lumine, non in se, sed quasi reflexo, ita ejus amore et studio incitabuntur, ut omnibus viribus eo contendant; τὸ enim *ambulabunt* viatorum est, non comprehensorum. Licet enim claritas Dei tantum ipsam civitatem ejusque cives illustret, tamen quia tanta est et tam abundans, hinc spargit ex se mirum fulgorem circumquaque, qui eminus a viatoribus visus ita eos allicit, ut omni conatu eo proficiscantur; sicut sol antequam oriatur, spargit radios quosdam aureos auroræ, qui omnes recreant excitantque, ut ad solis ortum et conspectum anhelent. Porro fulgor ille claritatis cœlestis, quem in hac vita viatores conspicimus, est veritas et cognitio gloriæ cœlestis, quæ nobis a S. Scriptura, Patribus, Doctoribus et Concionatoribus proponitur et explicatur, ac interius a Deo menti objicitur et revelatur. Hæc enim exterius per fidem et spem percepta et præcepta, animos nostros in sui desiderium rapit, ut ad ejus assecutionem aspiremus, puta ad ipsum lumen gloriæ beatificum, ipsumque Deum, qui est lumen increatum, beans et clarificans suos electos.

Alludit ad *Isaiæ* lx, 3 : « Ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. » Ubi licet proxime loquatur Isaias de lumine Ecclesiæ militantis, tamen consequenter et de lumine triumphantis loquitur. Huc enim ducit et ducat nos militans, quasi ad sui finem, complementum et beatitudinem.

Et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam, — non tam ut eam glorificent et honorent, quam ut ab ea honorentur et glorificentur. Omnis enim regum honor et gloria fucata est et evanida, nisi a cœlesti summi Imperatoris Dei aula robur, confirmationem et perfectionem, puta gloriam cœlestem, accipiat.

*Primo* ergo, « ambulabunt gentes » et reges « in lumine ejus, » id est, ad ejus lucem et splendorem ineffabilem contendent; ideoque « afferent gloriam suam et honorem in illam, » id est, opes suas omnes et honores, ac regna et imperia huc dirigent, ut se et suos subditos ad beatam hanc civitatem ducant; quin imo opes et gloriam omnem regalem et temporalem præ æterna parvi pendent; multi etiam, ut Josaphat apud Damascenum, Carlomanus, Carolus Quintus, etc., deponent, ut expeditius ad cœlestem contendant, quam omnibus votis ambient.

*Secundo*, « omnem gloriam et honorem, » id est, omnia heroica et gloriosa facta, ac merita afferent in cœlum, *primo*, ut Deum laudent, eique quasi auctori et datori gratias agant; *secundo*, ut eorum præmium consequantur; *tertio*, ut alios Beatos lætificent.

Denique quidquid gloriosum et magnum erit in Gentibus, reges scilicet et principes, sapientes item et opulenti, inferentur in cœlestem Jerusalem, ac ipsimet in eam suas virtutes omnes, suam sapientiam, suum ingenium, suas dotes omnes inferent. Ita Primasius, Rupertus, Viegas et alii. Significatur enim hisce verbis cœlestis Jerusalem frequentia, nobilitas et opulentia, quasi ibi futurum sit emporium et commercium rerum et bonorum omnium. Alludit enim ad *Isaiæ* lx, 11 : « Afferetur ad te fortitudo Gentium, et reges earum adducentur tibi. Gloria Libani ad te veniet. Suges lac Gentium, et mamilla regum lactaberis. Fortitudo Gentium veniet tibi, aurum et thus de Saba. Argentum eorum, et aurum eorum cum eis. » Sicut de facto hæc ipsa a principibus et populis pietatis causa, undequaque Romam deferri videmus. Loquitur enim Isaias ad litteram de Ecclesia militante, cujus caput est Ecclesia Romana; anagogice, de triumphante. Joannes vero ad litteram hic loquitur de triumphante.

Addit Alcazar alium sensum, *q. d.* Multi etiam reges in cœlum suas opes afferent, dum eas pro Christo despicient et in pauperes erogabunt, aut etiam in divini cultus obsequium impendent. Ea enim ratione mundi opes in cœlum transferri et æternitate donari possunt.

25. Et portæ ejus non claudentur per diem : nox enim non erit illic. — Dixerat Isaias cap. lx, vers. 11, de Ecclesia militante, tantam fore ejus pacem et securitatem, ut portæ ejus die et nocte non claudantur, uti hic Romæ semper apertas videmus; Joannes vero ait : In cœlesti Jerusalem



« non claudentur per diem; nox enim non erit illic, » quasi dicat : Cum clausuræ portarum memini, memini diei tantum, non noctis, quia ibi nox non erit. Ita Alcazar. *Secundo* et magis genuine, quasi dicat : Portæ ejus non claudentur per diem, id est in fine diei, imminente jam nocte et tenebris : tunc enim metu hostium claudi solent portæ; sed in cœlo non claudentur, quia ibi nulla erit nox, æque ac nullus hostis, nullus metus, sed summa pax et securitas. Itaque τὸ ἡμέρας, quod Noster vertit « per diem, » idem est quod, per singulos dies noctu, ut fieri solet, quod Hebræi dicunt דבר יום ביומו *debar iom beiomo*, id est rem diei in die suo, id est, quolibet die stato tempore. Rursum hac perenni portarum apertura significat, omnibus gentibus et regibus jugiter in eam patere aditum.

Nox enim non erit illic, — quasi dicat : Ne quis, ex eo quod vers. 23 lucernæ mentionem feci, suspicetur in cœlo aliquam fore noctem, quæ lucerna illuminanda sit, assero ibi nullam fore noctem, sed unum perennemque æternitatis diem, cum in ea perpetuo sol divinitatis, et lucerna, id est fax et luna humanitatis Christi fulgeat. Pulchre S. Augustinus in *Sentent.*, num. 37 : « Æternæ civitatis, ait, æterna sunt gaudia, et stantium dierum perpetuitas infinita nec variabitur, nec labetur, quia incommutabili pace potientur, quorum erit omnium bonum, etiam quæ fiunt singulorum. »

26. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. — Quod vers. 24 dixit de regibus, idem hic dicit de gentibus, quod scilicet omnes suas dotes, artes, ingenium, scientias, prudentiam, etc., item omnia sua virtutum opera et merita afferent in cœlum.

27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. — Dixerat gentes gloriam suam in illam illaturas; nunc ne quis id de omnibus omnino accipiat, etiam infidelibus, pravis et infectis, subdit se de fidelibus tantum loqui, puris et sanctis. Porro « aliquod coinquinatum, » id est, aliquis coinquinatus. Utitur genere neutro per græcismum. Græcum enim ἔθνος, id est *gens*, est neutrius generis. Unde Arabicus vertit : *Non intrabit in eam mendax*, practice, hoc est impius, injustus. Alludit ad *Isaiæ* lx, 21 : « Populus tuus omnes justi. » Et cap. lii, vers. 1 : « Non adjiciet ut pertranseat per te incircumcisus. » Unde subdit : « Nisi, id est, sed tantum illi, qui scripti sunt in libro vitæ Agni, » de quo dixi cap. iii, vers. 5, et alibi.

Moraliter, disce hic quam puritati studere oporteat, cum nullus impurus, imo nullus sanctus habens maculam, etiam minimam, in cœlum admittatur : quod exemplis non semel testatum fecit Deus. Nam S. Anno, Archiepiscopus Coloniensis, in visione conspexit S. Heribertum, Arnulfum, Bardonem aliosque Episcopos in gloria, ac inter eos solium augustum sibi paratum; cumque illud conscendere conaretur, prohibuit eum Arnulfus, dicens eum non posse in gloriosum hunc consessum admitti, eo quod vestem ejus turpis macula fœdaret. Macula hæc erat memoria injuriæ sibi illatæ a civibus Coloniensibus, qui eum Colonia expulerant. Evigilans ergo pœnituit, civesque a se excommunicatos bonisque spoliatos absolvit, bonisque restituit. Ita Lambertus Schafnaburgensis in *Histor. German.*, ad annum Domini 1075.

S. Gertrudis vidit animam sororis suæ defunctæ Christo assistere, sed subtristem, et demisso vultu, oransque pro ea audivit a Christo causam, scilicet maculam, quæ ab ea expianda foret, ita exigente Dei justitia, addiditque Christus : « In hoc sponsa mea libentissime consentit justitiæ meæ, quæ cum plene purgata fuerit, gloria divinitatis mox jucundissime perfruetur. » Ad quæ verba Domini illa benigno vultu annuit. Alio tempore vidit animam Religiosæ cujusdam subducentem sese reverenter a Christo, licet eam invitante. Cumque Gertrudis ab ea quæreret : « Cur te subducis amplexibus sponsi tam amabilis? » Respondit : « Quia nondum purgata sum, sed adhuc maculæ aliquæ me incompositam reddunt. Etiamsi omnino liber ad cœlum accessus mihi pateret, ego tamen (dictante justitia) memetipsam sponte subtraherem, cum sciam me tam glorioso sponso nondum convenire. » Ita narrat Ludovicus Blosius, Abbas Læt., in *Monili spirit.*, cap. xiii.

S. Germanus, Capuanus Episcopus, vidit in thermis Puteolanis torqueri et purgari a maculis animam Paschasii Diaconi Apostolici, ab eoque requirens causam, audivit : « Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in tempore schismatis Laurentii, contra Symmachum Papam sensi. » Ita S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. xl. Qui et cap. lv narrat animam Justi, monachi sui, per triginta dies in Purgatorio expiasse maculam proprietatis, qua sibi secreto tres solidos in vita asservarat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# CHRONOTAXIS ET ORDO APOCALYPSEOS.

Sicuti Prophetæ varias, etiam de eadem re, vario tempore habuerunt revelationes, ac per consequens non servant semper ordinem temporis, sed prius futura posterius enarrant, et vice versa : ita facit et hic subinde S. Joannes, verum parcius et rarius. Magis enim connexa, consequens et ordinata est Apocalypsis, quam sit prophetia Isaiæ, Jeremiæ et aliorum Prophetarum. Cujus ratio est, quod Apocalypsis tota versetur circa librum signatum, quem vidit Joannes cap. v, ejusque sigilla. Quocirca minus recte nonnulli censent ordinem in Apocalypsi valde esse confusum et perturbatum : quorum sententia permovit Alcazarum, ut novam comminisceretur interpretationem, in qua ordinem et acoluthiam S. Joannis exacte servaret et tueretur, nimirum explicando omnia mystice et symbolice. Ego utrumque hoc extremum minus verum, et cavendum, mediaque via incedendum censeo, ut nimirum ordo servetur quantum fieri potest, nec series textus invertatur, nisi necessitas, aut evidens ratio cogat; ubi tamen illa cogit, hysterologiam et inversum esse ordinem non invitus admittam. Hoc autem raro admodum fieri, ex ipsa chronotaxi mox patebit, nimirum tantum in quatuor, scilicet *primo*, in septimo angelo, et tuba septimi sigilli, de quo cap. xi, vers. 15, qui libro signato non præponendus, uti reliqua sigilla, sed postponendus est, idque ex natura rei, puta consummationis mundi quam adducit; unde proprie in eo non est hysterologia, sed recta rerum gerendarum series et ordo. *Secundo*, in ligatione Satanæ a Christo facta, quæ ponenda fuisset initio Apocalypsis; et ejusdem solutione tempore Antichristi, quæ ponenda fuisset initio capitis undecimi : hic autem ponitur cap. xx, ob causam quam ibi dedi. *Tertio*, in narratione mortis, resurrectionis et ascensionis in cœlum Eliæ et Henoch; hæc enim vitæ eorum attexitur cap. xi, vers. 7, cum recto ordine ponenda sit cap. xix, ante vers. 11. *Quarto*, in visionibus nonnullis, quæ hinc inde identidem interjiciuntur de gloria cœlesti Beatorum, deque judicio et pœnis inferni reproborum, ut patet cap. vii, vers. 15; cap. xiv, vers. 14; cap. xv, vers. 2. Hæc enim proprio ordine ad finem Apocalypseos spectant; sæpius tamen partim in sigillis, partim in libro signato commemorantur et replicantur : quia scopus Apocalypseos est, per hæc et similia animare fideles, tum præsentes, tum futuros ad tolerantiam et constantiam in persecutionibus; nihil autem ita eos animat, atque spes et consideratio gloriæ et coronæ cœlestis. Rursum, perterrefacere et percellere peccatores, tum præsentes, tum futuros, maxime tempore Antichristi, cum refrigescet charitas, et abundabit iniquitas, per comminationem divini judicii et pœnarum inferni. Horum enim consideratio seria et attenta, maxime absterret et cohibet impios a peccatis. Accipe ergo totius Apocalypsis chronotaxin.

*Primo*, tribus primis capitibus recensentur septem epistolæ et monita Christi ad septem episcopos et Ecclesias Asiæ Minoris.

*Secundo*, cap. iv et v, S. Joannes per visionem videt librum signatum septem sigillis, in quo descripta vel consignata erant ea quæ a tempore S. Joannis usque ad finem mundi eventura sunt, et maxime quæ futura sunt sub tempora Antichristi : nam septem sigilla continent ea quæ futura sunt partim complete, partim inchoate ante Antichristum; ipse vero liber signatus continet futura tempore Antichristi. Porro sigilla aperiri incipiunt cap. vi, et finiuntur cap. x, vers. 8 : ibi enim apertis jam sigillis reseratur liber; quocirca a cap. undecimo usque ad finem Apocalypsis, recensentur ea quæ in libro signato conscripta, vel repræsentata erant.

*Tertio*, cap. sexto in *primo* sigillo, per equum album significatur victoria Apostolorum, et prædicatorum Evangelii de gentilismo et gentibus Christo subactis et subigendis. *Secundo* sigillo, per equum rufum significantur decem persecutiones fidelium, per decem imperatores Romanos usque ad Constantinum. *Tertio* sigillo, per equum nigrum significatur arianismus et hæreses, quæ post persecutiones Imperatorum, sub Constantino Magno cœperunt Ecclesiam oppugnare. *Quarto* sigillo, per equum pallidum significatur Mahomet et saracenismus, qui etiamnum Ecclesiam persequitur. *Quinto* sigillo, prodeunt animæ Sanctorum Martyrum, petentes persecutionum finem et vindictam. *Sexto* sigillo, transit Joannes ad tempora novissima : unde videt solem obscurari, lunam rubescere, stellas de cœlo cadere, etc. Quocirca deinceps usque ad finem libri agit de temporibus novissimis, puta de tempore Antichristi, ut cap. xi et deinceps, aut de annis illi contiguis, illudque proxime præcedentibus, uti facit ab hoc loco sexti sigilli usque ad cap. xi.

*Quarto*, cap. septimo signantur electi Judæi et Gentiles, ne plagis Dei ejusque septem angelorum, jam jam in orbem, id est in impios, immittendis, tangantur. Hæc signatio pertinet ad sextum sigillum, de quo cap. vi, vers. 12 : præcedit enim plagas quæ septimo sigillo continentur, ac con-



rientibus det cibum. Habet enim alitque utrimque arbores pulcherrimas, ferentes poma et fructus præstantissimos, instar paradisi divini : quocirca et fluvius, et arbores, et poma omnisque cætera hic divina sunt. Vocatur hic fluvius vitæ, id est vitalis, vivas semperque scaturientes dans aquas, per quas sitientibus et potantibus vitam perpetuam et beatam confert.

Quæres : Quisnam hic fluvius vitæ? *Primo*, Richardus et Joachim respondent esse gratiam Spiritus Sancti. *Secundo*, Rupertus ait esse ipsummet Spiritum Sanctum, qui procedit a Patre et Filio, sicut fluvius hic a throno Dei et Agni emanare dicitur; Spiritus Sanctus enim uti gratiæ, ita et gloriæ, felicitatis et voluptatis fons est uberrimus, qui electis et Beatis suggerit jugiter omnia ad voluptatem opportuna, ut per singulos menses et dies anni æternitatis pascantur fructibus suavissimis. Sic et S. Ambrosius lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. xxi : « Hic, inquit, est utique fluvius de Dei sede procedens, is est Spiritus Sanctus quem bibit, qui credit in Christum, sicut ipse ait : Qui sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu. Ergo flumen est Spiritus. Hic igitur est in Dei sede. » *Tertio*, Haymo et Ansbertus fluvium hunc aiunt esse prædicationem Evangelii, quæ instar fluvii omnes gentes pervasit. Verum S. Joannes agit hic de Beatis, et de beatitudine, non de conversione gentium.

Itaque dico eum alludere hic ad paradisum terrestrem, ejusque fontem et lignum vitæ, de quo Genesis cap. ii. Fluvius ergo hic significat exuberantiam donorum et voluptatum a Deo et Christo in Beatos effusam. Dicitur « fluvius aquæ vitæ, » vel, ut alii legunt, « vivæ, » qui scilicet semper ex se, quasi ex vitali corde aut hepate, effundit aquam, sive qui semper fluit, et nunquam arescit aut deficit : qui si urbem permeet, magnam illi amœnitatem et utilitatem affert. Unde dicitur *Psal.* xlv, 5 : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. » Talis ergo fluvius in cœlo, est visio Dei beatifica, per quam Deus se suaque omnia bona Sanctis communicat, suaque gaudia in eos effundit adeo copiose, ut de iis dicatur *Psalm.* xxxv, 9 : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » Et *Isaiæ* lxvi, 12 : « Declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam. » Quocirca pie et vere S. Bernardus serm. 4 *De Diversis*, labores et pœnas hujus vitæ cum hoc voluptatum cœlestium fluvio comparans : « Guttatim, inquit, pœna bibitur, liquando sumitur, per minutias transit; nam in remuneratione torrens est voluptatis, et fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, et flumen pacis. Flumen plane est, sed quod affluat, non quod fluat vel effluat. Flumen vocatur, non quod transeat vel pertranseat, sed quod abundet. »

Hunc fluvium anagogice adumbravit fluvius ille templi Ezechielis cap. xlvii, vers. 1 et 5, inquit S. Hieronymus. Ille enim Ezechielis est Ecclesiæ militantis, hic vero Joannis est triumphantis : fluvio enim doctrinæ et sapientiæ militantis Ecclesiæ, respondet fluvius sapientiæ cœlestis et visionis beatificæ. Quocirca de hac sapientia dicitur *Eccli.* xxiv, 40 : « Ego sapientia effudi flumina : ego quasi fluvii dioryx (id est aquæ ductus; unde explicans subdit), et sicut aquæductus exivi de Paradiso. Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.

Dices : Visio beatifica est sol hujus urbis, puta claritas Dei urbem illuminans, uti dictum est cap. xxi, vers. 23. Ergo eadem nequit esse fluvius urbis. Respondeo, nego consequentiam. In visionibus enim symbolicis et ænigmaticis, eadem res per diversa symbola et ænigmata repræsentatur, præsertim cum res ipsa varias habet dotes, quæ per unum symbolum adæquate figurari et exprimi nequeunt. Ita hic visio Dei comparatur soli cœlestis Jerusalem, quia eam illuminat et glorificat. Eadem visio comparatur fluvio urbis, quia omnem sitim, omneque desiderium Beatorum explet et satiat, eosque ineffabili voluptate perfundit et inebriat. Quocirca Alcazar eam comparat fluvio, quem Mardochæus in somnis vidit in solem converti, *Esther* x, 6 : « Parvus, inquit, fons crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit. » Porro hic fons repræsentabat « Esther, quam Rex accepit uxorem, et voluit esse reginam. » Ita pariter mystice sapientia, quam spirituali connubio omnes Beati sibi copulant, per solem et per fluvium adumbratur. Hinc ejus aqua vocatur « vitæ, » quomodo Itali vinum distillatum vocant aquam vitæ, quia est quasi spiritus vitalis vini, qui spiritus animales vitamque bibenti suggerit et instillat; aut vita hic significat felicitatem, quia vita in Scriptura sæpe idem est quod beatitudo. Quare fluvius aquæ vitæ perinde erit atque fluvius beatus, seu potius beatificans. Simili sensu vocatur lignum sive arbor vitæ. Hæc Alcazar.

Huic fluvio vitali similis est fons Virginis balsamum vegetans. Burchardus enim, qui ante trecentos annos lustravit terram sanctam, in ejus *Descript.* cap. penult., et ex eo Thomas Bozius, *De Signis Ecclesiæ*, lib. II, cap. vii, narrat se vidisse in Ægypto hortum balsami, qui ex se non dabat fructum, nisi irrigaretur fonte vicino, in quo B. Virgo sæpius puerum Jesum lavit; atque Saracenos expertos testari, frustra illum aliis aquis irrigari : quamobrem duxisse in illum fontem aliunde aquam, ut virtutem divinam inde hauriens, abunde sufficeret ad irrigationem. Ita tropologice, omnia nostra cogitata factaque tanquam steriles plantæ marcescunt, nisi illa aqua vitæ irrigentur. O sola inter virgines mater, et inter matres Virgo; sola filii tui mater et filia, tibi, tuoque Jesu competit hoc lemma : « Crescit quodcumque rigas. » Ita Nicolaus Causinus, lib. I *Parab. Hist.* lxv

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Adde fluvium hunc esse instar solis, quia pellucidus est instar crystalli : qua re significatur puritas et sanctitas voluptatis, quam hauriunt Beati ex sapientia spirituali, et visione beatifica, cum de sapientia carnali et voluptatibus carnalibus dicat Jeremias II, 18 : « Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? » Porro comites sunt et sociæ individuæ, lux et vita spiritalis, ac sociatæ uberrimos dant clarissimarum virtutum fructus. Quocirca eas sociare solet Scriptura, ut *Psal.* XXXV, 10 : « Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. » Et *Joan.* I, 4 : « In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. » Putant nonnulli fluvium hic comparari crystallo, eo quod aqua sit materia crystalli, ac glacies diu in frigidissimis montibus servata, tandem in crystallum convertatur. Verum id refutat Anselmus Boetius, lib. II *De Gemmis*, cap. LXXIII : « Nunquam, inquit, aqua in crystallum mutari potest; absque tamen aqua non generatur : solvi enim terræ tenuissima portio ab aqua debet, aut illi aliunde missa commisceri, qua recedente aqua tunc primum in crystallum concrescit. Si crystallus ex aqua congelata constaret, igne solveretur (quæ enim frigore concrescunt, calore solvuntur), ac aqueæ partes igne solverentur, quod non fit experienti. Igne enim crematus calcem, seu terram, et sal, cujus spiritus beneficio coagulatus fuit, ostendit. » Vera ergo causa, cur hic fluvius comparetur crystallo, est ea quam dedi, scilicet quod limpidus esset, et fulgidus instar crystalli. Unde ait : « Splendidum tanquam crystallum. » Sic canit Poeta :

Fons erat illimis, nitidis argenteus undis.

Ita Romani Gentiles censebant suorum animas post mortem transferri in cœlum ad circulum lacteum (sive galaxiam), qui videtur esse quasi fluvius aquæ, imo lactis candicantis et splendentis : ibi enim habitare animas heroum ob similem vitæ candorem, puta innocentiam, puritatem, sanctitatem, uti refert Cicero in *Somnio Scipionis*. Unde Manilius, lib. I, causam assignans, cur circulus lacteus nitescat crasso lumine, ita canit :

An fortes animæ, dignataque nomina cœlo,
Corporibus resoluta suis, terræque remissa,
Huc migrant ex orbe, suumque habitantis cœlum,
Æthereos vivunt annos, mundoque fruuntur?
Atque hic Æacidas, hic et veneramur Atridas.

Huc allusit Virgilius, *Eclog.* 5, ubi celebrans apotheosim Julii Cæsaris quem Daphnidem vocat (eo quod corona laurea caput redimere soleret loco diadematis : Δάφνη enim Græcis est *laurus*), ita canit :

Candidus insuetum miratur limen (*alii legunt* lumen) Olympi,
Sub pedibusque videt nubes, et sidera Daphnis.

2. IN MEDIO PLATEÆ EJUS, ET EX UTRAQUE PARTE FLUMINIS LIGNUM VITÆ, AFFERENS FRUCTUS DUODECIM, PER MENSES SINGULOS REDDENS FRUCTUM SUUM, ET FOLIA LIGNI AD SANITATEM GENTIUM. — « Lignum, » id est ligna, hoc est arbores vitales : nec enim una eademque arbor potest esse ab utraque fluminis ripa. Alludit tum ad lignum vitæ, quod erat in paradiso terrestri, de quo dixi *Genes.* II, 8 et 9; tum ad *Ezech.* XLVII, 7 : « Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis. » Et vers. 12 : « In ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum : non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus; per singulos menses afferet primitiva. » Ubi nota : in paradiso terrestri variæ erant arborum species, e quibus una vocabatur arbor vitæ; in cœlesti vero paradiso omnes arborum species sunt vitæ, id est, vitam et immortalitatem jucundam et beatam afferentes, *q. d.* Plane immortales sunt Beati, eorumque gaudia et felicitas, quia quocumque se vertant, per vias omnes vitales hæ arbores eis duplici ordine dispositæ occurrunt, quarum fructibus assidue pascuntur et fruuntur. Hinc arbori vitæ similis est palma, « quæ ad singulos lunæ ortus, singulos etiam ramos procreat, ita ut duodecim ramorum productione annus expleatur. Quocirca Ægyptii annum indicantes pingebant palmam, » inquit Horus Apollo in *Hierogl.* cap. III.

Ita in *Vita S. Onuphrii* legimus, eum fugientem in eremum consedisse juxta fontem, et palmam, quæ singulis mensibus fructum, puta dactylos ei proferebat : « Per singulos menses, inquit, afferebat mihi unum botryonem dactylorum, qui mihi sufficit triginta diebus, et post hunc maturatur alter. » Ita *Vitæ Patrum*, lib. VI, libello III, num. 14.

In Italia quoque videmus ficus biferas, id est, bis in anno dantes fructus, in junio scilicet, et septembri; rursum arbores melangulorum, sive malorum aureorum, citriorum, etc., quæ toto anno virent, fructusque gestant, alios maturos et croceos, vel aureos, alios virides et maturescentes. Celebrat et Homerus ac Poetæ Alcinoi hortos, quod sint biferi, semperque viridantibus foliis præditi, quod S. Justinus *Admonit. ad Gentes*, Homerum a Mose sumpsisse docet (fuit enim Homerus Mose longe posterior; sed Ezechiele, ad quem hic alludit Joannes, prior et antiquior), nec alios esse Alcinoi hortos, quam paradisum terrestrem. At hæ S. Joannis arbores fructus novos, eosque vitales afferunt per singulos menses; et folia semper virentia, ac sanitatem conferentia gestant. Audi S. Justinum versus Homeri recitantem : « Homerus paradisi imaginem descripsit in hortis Alcinoi, quos semper virere dicit, plenos continuatis fructibus. » Sic enim canit *Odyss.* VII :

Illi magnæ creverunt arbores, longæ
Piri, et punicæ, et mali fructuosæ,
Ficusque dulces, et olivæ longæ :
Quarum nunquam fructus perit, nec intermittit
Hieme, nec æstate, perennans; quin semper aura
Zephyris flans alia gignit, alia coquit,
Pirum post pirum senescit, et malum post malum,
Et uva post uvam, et ficus post ficum.

Narrat Ælianus, lib. III, cap. XVIII, historiam, vel potius fabulam (certe apologus est Stygis infernalis, et fluvii hujus cœlestis), in finibus Meropum locum esse ἄνοστον, irremeabilem; in eo duos fluvios labi, alterum voluptatis, alterum tristitiæ, et ad utrumque arbores sitas esse, magnitudine platani. Quæ ad flumen tristitiæ sunt, tales fructus producere, ut, si quis iis vescatur, assidue et ubertim lacrymetur per omnem vitam, ac fletibus luctibusque diffluat, et sic vitam finiat. Alteras vero quæ fluvio voluptatis agnoscuntur, fructum contrarium producere. Qui enim eum gustat, ab omnibus pristinis cupiditatibus abducitur, et si quem amavit, ejus obliviscitur, sensimque fit junior, ac transactam ætatem retroagit et resumit, ut ex senectute ad vigorem et florem ætatis revertatur. Utique talis est hic fluvius paradisi cœlestis, tales arbores et fructus, imo longe præstantiores.

Quare perperam Beza pro platea vertit *forum*, quasi in solo foro fuerit hæc arbor et fructus. Arbores enim hæ erant ex utraque ripa fluminis; flumen autem hoc non solum forum, sed totam urbem perluebat, lætificabat, alebat, per suos fructus, ut eos ad manum et in oculis jugiter cives haberent. Sic Venetiarum plateæ pene omnes rivis irrigantur. Denique Græcum πλατεῖα plateam, non forum significat : plateam, inquam, insignem, longam et latam, quæ tantam urbem decet. Unde Syrus et Arabicus vertunt *plateam*.

Quæres : Quænam sunt hæ arbores vitæ? *Primo*, Ticonius hic, *homil.* 18, putat esse crucem : « Lignum, inquit, juxta fluvium crux est, quæ per totum mundum non solum omnibus mensibus, sed etiam omnibus diebus in his qui baptizantur, exhibet fructum Deo. Nullum est lignum quod omni tempore fructificet, nisi crux Christi quam gestant fideles, qui rigantur aqua Ecclesiastici fluminis, et reddunt fructum perpetuum omni tempore.

Verum hæ arbores a Joanne visæ sunt in paradiso cœlesti : crux autem est in terra et Ecclesia militante. Ergo arbores hæ non sunt crux, nisi quis dicat crucem Christi et Sanctorum quoque fore in cœlo, ad trophæum et triumphum æternum : quia crux quam hic perpessi sunt, pariet eis gaudium et gloriam perennem; unde vel ipsa in se, vel ejus imago et symbolum in Beatis remanebit. Sicut enim Christus in cœlo retinet cicatrices vulnerum, sed gloriosas jam et mira gloria fulgentes : ita videtur quod similes retinebunt Martyres, aliique Sancti. Quin et exterius in cœlo apparebit crux Christi, quasi victoriæ trophæum. Hoc est enim quod ait Christus *Matth.* XXIV, 30 : « Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo. » Unde et Ecclesia canit : « Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. » Et Sibylla lib. VI *Carminum* :

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit!
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.



*Secundo*, aliqui, ut Viegas, censent esse ipsos Sanctos et Beatos : hi enim arbori comparantur *Psal.* I, 3 : « Et erit, inquit, tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet prosperabuntur. » Verum hæ arbores vitæ sunt cibus Beatorum, qui eis confert vitam immortalem; ergo non sunt ipsi Beati, unde cap. II, vers. 7, dixit : « Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. »

*Tertio*, Beda, Rupertus, Ansbertus, Ribera et alii, per lignum vitæ intelligunt Christum Dominum, qui sui visione et fruitione dat Beatis vitam immortalem, sicut lignum vitæ dabat Adamo in paradiso. Lignum hoc fert duodecim fructus per duodecim menses, hoc est, perpetuo Beatis fructum suum in cibum et voluptatem recentem, ac sine ullo fastidio, imo cum nova semper aviditate suppeditat. Folia ligni sunt verba Christi, quibus ipse Beatos omnium gentium mulcebit et consolabitur. Unde ad eum dixit Petrus : « Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes. »

*Quarto*, magis apposite et genuine Alcazar censet sapientiam divinam, sive visionem beatificam hic repræsentari per duo symbola, scilicet per fluvium aquæ vitæ, et per lignum vitæ. Dicitur enim ipsa fluvius aquæ vitæ, quia Sanctorum sitim et vota omnia satiat, eosque summa voluptate inebriat. Eadem dicitur lignum vitæ, quia ejus ad instar Beatis confert immortalitatem. Nam visionem beatificam (quæ perfectissimus est sapientiæ actus) necessario consequitur summa voluptas, nec non immortalitas. Atqui hæc duo aptissime per potum vitæ et cibum vitæ figurantur, quia ex potu et cibo, potus aptior videtur ad voluptatem indicandum; cibus autem, ad vitæ sustentationem. Nam in potu major voluptas, in victu robustior alimonia reperitur. Porro quod hæ arbores singulis mensibus novos proferant fructus, significat in Beatis jugem esse immortalitatis et beatitudinis renovationem, eamque novam semper completam et perfectam : adeo ut singulis mensibus, diebus et horis ita eis nova, sapida et jucunda sit visio Dei et fruitio, ac fuit primo die quo illa frui cœperunt; nunquam enim, ne quidem post mille milliones annorum, obrepet illis ullum vetustatis, fastidii aut satietatis vestigium. *Tertio*, « folia ejus sunt ad sanitatem gentium, » non instaurandam et curandam : hoc enim fieri nequit, cum ibi nulli sint morbi, nullus virium defectus; sed conservandam et prorogandam in omne ævum. Adde folia hæc sanare omnes morbos et infirmitates corporis et animæ, quibus Sancti laborarunt in hac vita; eas ergo sanant mox ut quis cœlum ingreditur, ac deinde easdem sanas conservant in omnia sæcula. Porro folia hæc significant doles accidentales visionis beatificæ, quæ eam condecorant, uti folia, arborem, quales sunt in anima summa delectatio, fruitio, comprehensio summi boni; in

corpore plena sanitas, vigor, robur; item agilitas, claritas, subtilitas, impassibilitas. Adjungit Alcazar folia hæc esse sanctas cæremonias ac pia verba, item Sacramenta, quibus Catholica Ecclesia decoratur; hisce enim etiamnum gaudent et delectantur Beati, præsertim cum vident se per ea ad beatitudinem pervenisse. Hæc enim sunt folia arboris Ezechielis XLVII, 7, ad quæ hic anagogice alludit S. Joannes; Ezechielis enim fluvius et arbor vitæ est Ecclesiæ militantis, Joannes vero fluvius hic et arbor vitæ est Ecclesiæ triumphantis. Summa, hæc folia symbolice significant in cœlesti gloria et visione beatifica nihil, quantumvis exiguum, esse, quod non mire Beatos recreet, vivificet, vegetet et beet. Hunc vitæ fontem cum suis arboribus et gemmis ita depingit S. Augustinus lib. *Meditationum*, cap. XXVI, tomo IX :

Ad perennis vitæ fontem mens sitivit arida,
Claustra carnis præsto frangi clausa quærit anima,
Ubi vivis margaritis surgunt ædificia,
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia.
Auro mundo tanquam vitro urbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur.
Hiems horrens, æstas torrens, illic nunquam sæviunt.

Et rursum :

Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum,
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum,
Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum,
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum,
Inhiantes semper edunt, et edentes inhiant.

Quibus verbis significat fore ibi res floridas, odoriferas, amœnas, quæ visum, odoratum aliosque sensus pascant, et mira voluptate perfundant. Idem docet S. Anselmus, lib. *De Similitudinibus*, cap. LVII : « Oculi, ait, aures, nares, os, manus, guttur, jecur, pulmo, ossa, medullæ, etc., Beatorum mirabili delectationis et dulcedinis sensu replentur. » Idem asserit B. Laurentius Justinianus, *De Discipl. monast. convers.* cap. XXIII. Idem liquet ex visione quam recenset S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XXXVI. Erunt enim Beati in cœlo empyreo, quasi in æthere suavissimo et felicissimo, quem proinde instar aeris nostri findi et scindi posse (ne Beati in eo quasi in muro compacti sint) docet D. Thomas, in II, *dist.* II, *Quæst.* II, art. 2, Richardus in IV, *dist.* XLIX, *Quæst.* III, art. 4, imo S. Basilius, Ambrosius, Damascenus, quos citavi *Genes.* I, 6, et Sebastianus Barradius, tom. III, lib. X, cap. III, et alii. Denique omnes sensus Beatorum proprias et mirificas voluptates, et sua oblectamenta quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, in cœlo habituros, docent D. Thomas, Scotus, D. Soto, Henricus, Major et alii quos citant et sequuntur Suarez, III part., tom. II, disp. XLVII, sectione ultima, et Joannes Salas, I II, Quæst. V, art. 5, tract. 2, disp. 14, sect. 14. Hoc est quod Psaltes suspirabat : « Credo videre bona Domini in terra viventium. » Quocirca fluvius hic, arbores et poma ad litteram, uti sonant, accipi possunt. Quid enim obstat? nam si his in paradiso terrestri fruitus est Adam, multo magis iisdem fruentur Beati in paradiso cœlesti; hujus enim specimen et imago fuit terrestris. Quocirca veras et naturales aquas esse supra cœlos, ex Mose et ex communi Patrum sententia docui *Genes.* I, 6. Sed per hæc mystice et symbolice dotes beatificæ jam dictæ, ac bonorum et gaudiorum affluentia significatur et repræsentatur.

Has paradisi cœlestis aquas et delicias sitiens S. Dorothea virgo et martyr, cum in equuleo graviter torqueretur, dixit tyranno magna constantia et serenitate : « Quid moraris? exerce in me omnia tua tormenta : fac illico quod facere cogitas, ut per ea perveniam ad sponsum meum, pro cujus amore non timeo te, imo desidero tua tormenta. Sponsus enim meus me invitat : imus enim per hasce pœnas breves et exiles ad paradisum deliciarum, ubi sunt poma miræ pulchritudinis, rosæ, lilia et flores innumeri, qui nunquam marcescunt, ubi sunt fontes aquæ vivæ, qui nunquam siccantur, quibus animæ Sanctorum fruuntur et exultant in Christo. » Cumque Theophilus, assessor Præsidis, irridens (erat enim hiems, puta 6 februarii) diceret : « Mitte mihi poma e paradiso sponsi tui, cum eo perveneris. Faciam, » inquit illa; idque præstitit. Misit enim ad eum Angelum pueri elegantissimi specie, cum pomis et rosis speciosissimis. Quo miraculo conversus Theophilus, Christum confessus, martyrii lauream pariter adeptus est. Vere ergo fuit Dorothea δῶρον Θεοῦ, id est *donum Dei*, uti nomine, ita reipsa.

Tropologice lignum vitæ est sancta perfectio, in cordibus justorum plantata juxta fluenta gratiæ. Radix est timor Dei, *Eccli.* I, 16. Rami sunt omnes virtutes, quæ a Dei timore et amore procedunt, de quibus *Eccli.* I, 25 : « Rami ejus longævi. » Folia sunt præcepta divina, quia lignum istud protegunt et ornant, quibus gentes a morbis peccatorum liberantur, et salutem justitiæ adipiscuntur. Fructus duodecim sunt, *primus*, puritas mentium; *secundus*, abjectio temporalium; *tertius*, quies appetituum; *quartus*, circumspectio verborum; *quintus*, munditia cogitationum; *sextus*, impatientia desideriorum cœlestium; *septimus*, sollicitudo virtutum; *octavus*, pulchritudo operum; *nonus*, sustinentia adversitatum; *decimus*, collectio internarum virium : *undecimus*, concordia voluntatum; *duodecimus*, transformatio in Deum, quos recenset et fuse prosequitur noster Jacobus Alvarez de Paz, lib. III *De Natura perfect.*, parte II, cap. XIII et seq.

3. ET OMNE MALEDICTUM NON ERIT AMPLIUS. — *q. d.* Nil dignum maledictione, puta nullum peccatum, erit amplius; hoc enim significat κατάθεμα. Rursum metonymice, « nullum maledictum, » id est nullus maledicti, sive peccati effectus et pœna, puta nullus morbus, nullus dolor, nulla miseria erit ibi. Tolletur ergo in cœlo omne maledictum, id est peccatum cum sua prole, puta omnis culpa et pœna : ac in eorum locum succedet omnis benedictio, id est omnis gratia et gloria, omne bonum, omnis felicitas; inter quæ prima erit, quod jugiter habebunt ante se thronum Dei et Agni, ac cum utroque familiariter agent, utrumque videbunt, utroque fruentur, ab utroque colentur, recreabuntur et beabuntur; unde subdit : « Sedes Dei et Agni erunt in illa, » et ipsi quasi « servi ejus servient illi. » Servire enim Deo, præsertim in cœlo, regnare est. « Et videbunt faciem ejus. »



4. ET NOMEN EJUS IN FRONTIBUS EORUM. — *q. d.* Palam profitebuntur et gloriabuntur se esse servos Dei, ac si nomen ejus palam frontibus inscriptum gererent. Est enim metalepsis. Hæc tamen servitus, non tam servitus erit, quam regale imperium : erunt enim omnes Beati reges et principes; unde subdit vers. 5 : « Et regnabunt in sæcula sæculorum. »

Alludit ad laminam pontificis, cui inscriptum erat, « sanctum Domino, » *Exod.* XXVIII, 36 : sicut enim hæc laminæ inscriptio significabat eum esse ministrum et pontificem sancti Dei, ita in cœlis omnes agnoscent a fronte et vultu Beatorum, eos esse servos et sacerdotes beati Dei, ac proinde (addit Alcazar) eos esse advocatos eorum qui in hac mortali vita morantur, et ad hanc rem Aarone potentiores esse. Hoc posterius verum est, sed non ad rem; nam post resurrectionem et diem judicii, ac gloriam Beatorum, de quibus hic agitur, nulli erunt in terra homines, pro quibus Beati in cœlo Deum interpellent.

5. ET NOX ULTRA NON ERIT. — Repetit et inculcat ea quæ dixit cap. XXI, vers. 23.

Hic finitur hypotyposis et descriptio cœlestis Jerusalem, quam S. Joannes inchoavit cap. XXI, 1, et huc usque perduxit. Similem ex hoc loco fere petitam habet S. Vigilantius in *Vita S. Astionis*, quæ exstat in *Vitis Patrum* P. Heriberti. Cum enim Astion martyrio laureatus esset, in somnis apparuit Vigilantio, rogans eum ut adiret parentes suos, eosque adhuc gentiles ad Christum converteret, ac eis suam mortem et martyrium dextere nuntiaret. Paruit Vigilantius, ac ut parentum dolorem de filii morte leniret, initio rem dissimulavit, dixitque Astionem adhuc vivere. Roganti matri in qua regione et urbe, qua ratione et modo viveret, respondit : « Regio robustorum seu fortium virorum est. Plures [illegible] et valde nobiles degunt, quorum possessio paradisus dicitur, quorum tabernacula ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, et conversatio immortalis existit; quorum vestes sanguine sunt respersæ, et in capite coronæ ex auro purissimo cum gemmis variis fabricatæ. Rex eorum potentissimus, cujus nomen Deus deorum, et Dominus dominantium; cujus nuntii Angeli dicuntur justitiæ, quorum vestis una est omnibus, et tactus eorum igni assimilatur urenti. Senatus hujus Imperatoris valde clarus habetur : media pars Prophetæ nuncupatur, alii vero Apostoli pronuntiantur. Civitas valde præclara, nomenque ejus Christicolis (quasi Christum colens, nisi legendum sit Christipolis, quasi Christi urbs), cujus murus ex auro purissimo, habens portas duodecim, et in ipsis singulæ dependent margaritæ, atque singuli ex Senatoribus per singulas sedent. *Prima* porta dicitur Petri, *secunda* Pauli, *tertia* Andreæ, *quarta* Joannis, *quinta* Jacobi, *sexta* Philippi, *septima* Bartholomæi, *octava* Thomæ, *nona* Matthæi, *decima* Thadæi, *undecima* Simonis, *duodecima* Matthiæ. » Pergit templum ejus describere. « Sed et templum mirificum est in ea, habens Sancta sanctorum, et altare aureum, ante cujus conspectum vir quidam adstat mirificus, tenens decem chordarum psalterium, ac jugiter ibidem degentes ad laudem regis illius cohortatur, dicens : Laudate Dominum in cœlis; laudate eum, omnes Angeli ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus. Hujus itaque nomen David, filius Jesse pronuntiatur. Sed et plateæ hujus civitatis ex auro purissimo sunt stratæ : cujus fluvius in vitam æternam emanat, cujus pomifera per singulos menses reddunt fructus suos, et folia eorum ad medicamentum procedunt animarum; cujus lumen inenarrabile est; et portæ nunquam clauduntur, eo quod nunquam ibi nox erit, nec ullæ tenebræ; sed semper gaudium et perpetua lætitia ibidem commoratur. »

Præclare quoque S. Anselmus in *Proslogio*, cap. XXV, cœlestem felicitatem ita pingit : « Qui hoc bono fruetur, quid illi erit, et quid illi non erit? Certe quidquid volet, erit; et quod nolet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. Quid enim amas, caro mea? quid desideras, anima mea? Ibi est, ibi est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis cui nihil obsistere possit, erunt similes Angelis Dei : quia seminatur corpus animale, et surget corpus spirituale, potestate utique, non natura. Si longa et salubris vita, ibi sana est æternitas, et æterna sanitas : quia justi in perpetuum vivent, et salus justorum a Domino. Si satietas, satiabuntur cum apparuerit gloria Dei. Si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia, ibi Angelorum chori concinunt sine fine Deo. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas, torrente voluptatis tuæ potabit eos Deus. Si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia, diligent Deum plus quam seipsos, et invicem tanquam seipsos, et Deus illos plusquam illi seipsos, quia illi illum, et se, et invicem per illum, et ille se, et illos per seipsum. Si concor-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

dia, omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit nisi sola Dei voluntas. Si potestas, omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volet, per seipsum, ita poterunt illi quod volent, per illum; quia sicut illi non aliud volent, quam quod ille: ita ille volet quidquid illi volent, et quod ille volet non poterit non esse. Si honor et divitiæ, Deus servos suos bonos et fideles supra multa constituet, imo filii Dei et dii vocabuntur; et ubi erit Filius, ibi erunt et illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si vera securitas, certe ita certi erunt nunquam et nullatenus ista, vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum. Gaudium vero quale, aut quantum est, ubi tale aut tantum bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imo obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares! »

S. Gregorius in fine VII *Psal. Pœnit.*: « Ibi, ait, est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Ibi sancti et humiles corde, ibi spiritus et animæ justorum, ibi cuncti cœlestis patriæ cives, et beatorum spirituum ordines Regem in decore suo videntes, et in gloria virtutis ejus exultantes. Perfecta viget in omnibus charitas, una omnium lætitia, una jucunditas. Bone Jesu, Verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, ut a spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies æternus, et unus omnium spiritus: ubi est certa securitas, et secura æternitas, æterna tranquillitas, et tranquilla felicitas, felix suavitas, et suavis jucunditas: ubi tu Deus cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas per infinita sæculorum sæcula. Amen. »

6. ET DIXIT MIHI: HÆC VERBA FIDELISSIMA SUNT. — « Dixit, » supple Angelus, qui Joanni cap. XXI, vers. 1, ostendit Jerusalem cœlestem, et hucusque ejus bona et gaudia ei explicavit. Porro censet Alcazar Angelum hunc fuisse S. Paulum, qui Joanni ostendit gloriam quam Romana Ecclesia, id est Pontifices, Martyres aliique fideles Romani, mox post mortem in cœlo consecuturi erant; ideoque eum dicere: « Hæc verba fidelissima sunt et vera, » *q. d.* Brevi fideliter et vere complebuntur. Verum superius dixi hunc Angelum fuisse verum et proprie dictum, qui totam Apocalypsin concludit temporibus novissimis, puta revelatione judicii, resurrectionis et gloriæ Beatorum (1).

ET DOMINUS DEUS SPIRITUUM PROPHETARUM (*q. d.* Dominus Deus, qui Prophetis, ac consequenter et mihi, dedit spiritum propheticum) MISIT ANGELUM SUUM OSTENDERE SERVIS SUIS (mihi Joanni, et per me aliis Christi servis et fidelibus) QUÆ OPORTET FIERI CITO, — quia respectu æternitatis omnia temporalia cito affluunt, æque ac effluunt. Adde quædam hujus Apocalypseos cito post Joannem facta esse, uti sunt ea quæ primis capitibus prædixit septem Asiæ Episcopis.

7. ET ECCE VENIO VELOCITER. — Sunt verba, non Angeli, sed Domini Dei spirituum Prophetarum, de quo vers. præced. loquebatur Angelus, *q. d.* Agite, Christiani, constantes estote, state in fide mea contra Domitianum, Trajanum, Decium, etc.; ego enim Deus et Dominus vester brevi veniam, vosque æterna felicitate, quam per Angelum descripsi, remunerabor: tyrannos vero et persecutores vestros ad æternas pœnas damnabo; unde et subdit: « Beatus qui custodit verba prophetiæ libri hujus. »

8. ET EGO JOANNES (scilicet sum, vel testor me esse eum) QUI AUDIVI ET VIDI HÆC. — Hæc est quasi subscriptio qua Joannes, velut scriba et notarius, subscribit huic libro et prophetiæ Apocalypseos, eaque confirmat ac vera esse testatur, ut omnes sciant hanc Apocalypsin esse S. Joannis Apostoli, quam ipse a Deo per revelationem accepit, præsertim accedente testimonio Ecclesiæ, quæ docet hanc esse veram et certam, non supposititiam, S. Joannis subscriptionem, sine quo testimonio subscriptio hæc plenam auctoritatem et fidem non haberet. Multa enim scripta, imo et Evangelia, nomine Apostolorum inscripta sunt, quæ constat esse apocrypha.

10. ET DICIT MIHI: NE SIGNAVERIS VERBA PROPHETIÆ LIBRI HUJUS; TEMPUS ENIM PROPE EST, — *q. d.* Ne obsignaveris, ne clauseris, ne celaveris hæc oracula, sed potius ea scribe et expone omnibus legenda, quia omnibus profutura sunt. Solet Deus, ut patet *Danielis* VIII, 26, et XII, 4, Prophetis jubere ut obsignent prophetias suas, quando eæ spectant remota tempora, tanquam jam legi non debeant, aut parvo sensu et fructu legendæ essent. At vero cum illæ sunt de temporibus propinquis, jubet ne signentur, uti hic fit. Multa enim, præsertim quæ spectant persecutiones tyrannorum et hæreticorum, tangebant tempora S. Joannis. Et hoc est quod ait: « Tempus (quo hæc prophetia implenda est) prope est; » et cap. I, vers. 1: « Apocalypsis, inquit, Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito. » Adde: omnia hæc spectabant ad fideles eo tempore in persecutione animandos, præsertim ea quæ dicuntur de Dei erga suos providentia, et in hostes vindicta, de impiorum damnatione,

(1) A versu 6 usque ad finem capitis est totius libri Epilogus. Primo angelus rerum omnium prænuntiatarum veritatem confirmat; deinde ipse Jesus Christus omnia prædicta certissima eventura esse spondet; tandemque Joannes adhortatur lectores ut oraculo obsequium præstent.



piorum et constantium gloria et felicitate, quæ hisce capitibus descripsit, et identidem inculcavit; unde vers. 12, ait: « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. » Scriptura enim jubet subinde signari prophetias, cum eæ, licet non adeo sint remotæ, tamen præsenti tempore parum afferunt fructus, sed in futuro, cum implebuntur, afferent. At vero vetat signari eas, quæ licet post multum tempus futuræ sunt, tamen ex nunc magnam fidelibus afferunt utilitatem, quia eos animant ad constantiam in fide et cultu Dei. Talis est hæc, ac proinde eam signari vetat. Ita Alcazar.

11. QUI NOCET, NOCEAT ADHUC (Arabicus, *qui opprimit*, vel *calumniatur, opprimat etiam*); ET QUI IN SORDIBUS EST, SORDESCAT ADHUC; ET QUI JUSTUS EST, JUSTIFICETUR ADHUC (Syrus, *justitiam faciat adhuc*); ET SANCTUS, SANCTIFICETUR ADHUC. — Significat S. Joannes adhuc spatium et tempus superesse, antequam hæc omnia compleantur, ac præsertim ante judicium generale, eoque tempore quemlibet a Deo suæ libertati permitti, ut bene agat vel male. Itaque priora verba sunt permittentis, *q. d.* Permitto jam nocenti ut noceat, sordido ut sordescat magis, sed suo tempore eumdem puniam. Unde est tacita ironia, æque ac *Eccle.* XI, 9, ubi dicitur: « Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et ambula in viis cordis tui, etc., et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. » Quæ vero sequuntur: « Qui justus est, justificetur adhuc, » etc., serio monentis et adhortantis sunt: ita Viegas et Ribera. Hinc patet contra hæreticos justitiam et injustitiam in omnibus non esse æqualem, nec consistere in indivisibili, sed posse crescere et augeri per opera bona et mala. Nam qui magis sordescunt, certe per mala opera et nova peccata sordescunt: ergo et qui magis justificantur, per nova bona opera magis justificantur.

*Secundo*, pressius et nervosius Alcazar censet hæc verba esse comparativa, *q. d.* Sicut ille qui nocet, nocere pergit, sic qui sanctus est, sanctificari pergat. Aliquando enim imperativus non præcipientis est, sed comparantis. Sensus ergo est: quando adversarius et persecutor deterius se et immanius gerit, tunc justus in sanctitate magis crescere et imminere studeat. Hoc enim pacto tum persecutorum supplicium, tum præmium justorum ad suum tandem cumulum perveniet. Sic enim in Proverbiis, singulis sæpe hemistichiis copula *et* est comparantis, nec tantum copulat, sed et comparat posterius hemistichium cum priori; ut *Proverb.* XXV, 23: « Ventus aquilo dissipat pluvias, et (id est *sic et*) facies tristis linguam detrahentem. » Duos enim hic impiorum gradus comparat et opponit duobus gradibus piorum. Prior est: « Qui nocet » et injurius est proximo, noceat adhuc; huic opponit: « Qui justus est, justificetur adhuc. » Posterior est: « Qui, » licet nulli sit injurius, sibi ipsi tamen est intemperans, et « sordibus » in gula, venere etc., « sordescat adhuc; » huic opponit: « Et sanctus sanctificetur adhuc, » per majorem in dies abstinentiam, continentiam, orationem, etc. Vere S. Augustinus, epist. 137 *ad plebem Hipponensem*: « Sicut, ait, difficile expertus sum meliores, quam qui in monasterio profecerunt: ita non sum deteriores expertus, quam qui in monasterio defecerunt, ita ut hinc arbitrer in *Apoc.* cap. XXII, scriptum: Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc. » Hoc idem recte de primitiva Ecclesia, de qua maxime hic loquitur S. Joannes. Sensus ergo est, *q. d.* Quisque pius accumulet merita, uti, et ubi impii accumulant demerita.

Præclare Faustus Rhegiensis Episcopus, *Instruc. ad Monachos*, quæ habetur in appendice *Biblioth. SS. Patrum*: « Nullum, inquit, finem sibi faciat proficiendi, nullum terminum constituat acquirendi, cum sibi dici audiat: Para in exitu opera tua; et iterum: Non verearis usque ad mortem justificari; et iterum: Sapientia in exitu canitur. Quanto ergo plus proficimus, tanto plus humiliemur, quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto amplius proficimus. Nullus illi (Deo et Superiori suo) senior jam indoctus appareat, ut putet quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia, in junioribus adhuc necessitas, in senioribus jam dignitas est. Ille bene proficit, ille bene consummat, qui quotidie sic agit, quasi semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum incitamenta esse perfectorum Scriptura pronuntiat. » Et post nonnulla: « Simus itaque in opere Dei indeficientes propter æternam retributionem, et quotidie ad meliora tendamus. Ipsa enim apprehendendi aviditas, ipsa consuetudo proficiendi, semper nos ad majora provocet; et ubi viderit Deus devotionem animæ, ardentiorem insinuabit affectum; et quanto nos arserimus ad studium, tanto ille apponet adjutorium; quanto nos apposuerimus ad diligentiam, tanto ille addet ad gloriam. Qui habet, dabitur illi, et superabundabit. Et alio loco dicit: Posui adjutorium super potentem. Gratia ergo de gratia nascitur, et profectus profectibus serviunt, lucra lucris, et merita meritis locum faciunt, ut quanto plus quis acquirere cœperit, tanto plus conetur acquirere; et quanto avidius de sapientiæ bonis hauserit, tanto plus haurire desideret; sicut ipsa de se loquitur sapientia: Qui edunt me, adhuc esurient. Urgeamus cursum nostrum, ut crescat in novissimo vita nostra. Quæramus usque in finem, unde sine fine gaudere mereamur. Sed esto non possimus exercere corporis labores, conferamus nos ad spiritualium bonorum desiderium, ad compunctionis et charitatis augmentum. Si quotidie in cordibus nostris disponamus ascensus, nulla infirmitate, nulla ætate lassari possunt mentes, ut spiritualibus quibusdam gradibus ascendere mereamur ad promissa Domini nostri Jesu Christi. »

Egregie S. Bernardus, epist. 253 *ad Guarinum*, urget singulos ad progressum in via Dei : Quia, inquit, nolle proficere, est deficere; non progredi, est regredi. Vide eum.

12. ECCE VENIO CITO, ET MERCES MEA MECUM EST, — hoc est, in promptu et quasi in manibus meis est, ut statim eam cuique pro meritis reddam; idque probat ex eo quod subdit : « Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis, » *q. d.* Ergo meum est cuique suum finem et præmium, vel beatum, vel miserum pro meritis assignare. Rursum, *q. d.* Ergo meum est Ecclesiæ et justis laborum et persecutionum finem dare, uti eisdem principium dedi. State ergo, o fideles mei, in tribulationibus; dabit Deus his quoque finem et celerem finem, cum præmio et corona æterna : vide dicta cap. I, vers. 8. Ita S. Furseus audivit Angelos concinentes : « Nullus labor durus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria æternitatis acquiritur, » ut refert Venerabilis Beda, lib. III *Histor. Angl.*, cap. XIX.

Symbolice, Tertullianus, lib. *De Monogamia*, cap. V : « Sic et duas, inquit, Græciæ litteras, summam et ultimam sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras, uti quemadmodum α ad ω usque volvitur, et rursus ω ad α replicatur, ita ostenderet in se esse et initii decursum ad finem, et finis recursum ad initium, ut omnis dispositio in eum desinens per quem cœpta est, per sermonem scilicet Dei, qui caro factus est, proinde desinat quemadmodum et cœpit. Et adeo in Christo omnia revocantur ad initium, ut et fides reversa sit a circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit; et libertas ciborum, et sanguinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit; et matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit; et repudii cohibitio, quod ab initio non fuit; et postremo totus homo in paradisum revocatur, ubi ab initio fuit. » Sed deinde Tertullianus hanc sententiam nimis extendit, ex eaque probare contendit, secundas nuptias Christiano esse illicitas, quia eæ non fuerunt in paradiso, qui est ejus error, quem hoc libro persuadere conatur.

14. BEATI QUI LAVANT STOLAS SUAS IN SANGUINE AGNI. — Aliqui codices carent hac sententia : inde putarunt Lovanienses eam ex cap. VII, vers. 14, huc esse translatam. Verum Romana, aliaque Biblia complura eam legunt, et τὸ *beati* non habetur cap. VII, vers. 14. Rursum, pro πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν, id est, *qui lavant stolas suas*, Græci codices, quos sequitur S. Cyprianus et Aretas, legunt, ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, id est, *qui faciunt mandata ejus*. Verum prior lectio est communior et verior, cujus hic est sensus : Stola, sive vestis candida animæ, est puritas, innocentia et sanctitas animæ; hæc nævis venialibus subinde maculatur : lavanda ergo est pœnitentia in sanguine Agni, si beati esse velimus. Ubi nota : Sanguis Agni est quasi sapo, quo maculæ peccatorum ex anima eluuntur : per merita enim passionis Christi, et per fidem, qua per eadem merita veniam peccatorum et gratiam a Deo nos obtenturos credimus, speramus et obsecramus, Deus nobis veniam hanc et gratiam elargitur.

UT SIT POTESTAS (ἐξουσία, id est *jus, facultas*) EORUM IN LIGNO VITÆ, — ut frui possint fructu arboris vitæ, scilicet visione Dei beatifica, uti dixi vers. 2. Nota : Prius est habere jus ad lignum vitæ, quam actu per portas ingredi in civitatem, ut sequitur.

ET PER PORTAS INTRENT IN CIVITATEM — cœlestem. Hinc patet Angelos, uti custodes a Deo appositi fuerunt et excubarunt ad paradisum terrestrem, ne Adam, vel quis hominum post peccatum Adæ eo ingrederetur, Gen. III, 24 : ita pariter eosdem jussu Dei custodire portas paradisi cœlestis, ne quis eo ingrediatur, nisi stolam et vestem habeat plene lotam et candidam. Idem clare patet ex cap. præc., vers. 12 : « Et in portis angelos duodecim. »

15. FORIS (scilicet extra civitatem cœlestem, in gehennam pellantur et eant) CANES, — id est persecutores, qui instar canum rabidorum corpora Sanctorum, aut famam et nomen dilacerant, quales multi erant tempore S. Joannis, et plures erunt tempore Antichristi; unde Aretas per canes intelligit Judæos, hæreticos, aliosque infideles fidelium hostes. Hos enim canes vocat Paulus *Philip.* III, 2.

VENEFICI (malefici et magi) ET OMNIS QUI FACIT MENDACIUM — perniciosum, uti dixi cap. XXI, vers. 8, hoc est, omnis perjurus, veterator, calumniator, falsus testis, etc. Hæc scelera abundarunt tempore S. Joannis, et magis abundabunt tempore Antichristi, de quo maxime passim hic loquitur S. Joannes.

16. EGO JESUS MISI ANGELUM MEUM TESTIFICARI VOBIS HÆC IN ECCLESIIS, — *q. d.* Ego Christus per angelum hanc Apocalypsin, ejusque oracula, ac præsertim hæc ultima de magnitudine civitatis et gloriæ cœlestis, æque ac civitatis et pœnæ infernalis, revelavi Joanni, ut ille eadem prædicaret et scriberet toti Ecclesiæ, ut omnes fideles iis excitentur ad curam salutis suæ, ad constantiam in fide, et martyrium pro illa, si opus sit, obeundum.

EGO SUM RADIX ET GENUS DAVID. — Ego sum ortus ex stirpe, radice et genere Davidis; vide dicta cap. V, vers. 5, *q. d.* Ego sum Messias, sive Christus Davidi promissus, qui hæc edico, prædico et promitto, ac consequenter reipsa præstabo. Ego sum qui Davidis gloriosum regnum pene exstinctum, quasi filius et hæres suscitabo, magisque gloriosum et spiritale efficiam in Ecclesia tum militante, tum potius triumphante.

STELLA SPLENDIDA ET MATUTINA. — Arabicus : *Stella quæ oritur in mane*; Syrus : *Sicut illa stella illustris, illa matutina*, de qua dixi cap. II, vers. 28, *q. d.* Ego sum Lucifer prænuntius instantis



solis, id est vitæ et gloriæ beatæ. Agite ergo, durate, constantes estote in persecutionibus : indico enim vobis adventare solem vestræ gloriæ et diei æternitatis. Unde S. Gregorius, XXIX *Moral.*, XVII : « Christus, ait, vivus apparens post mortem, matutina nobis stella factus est : quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur, indicavit. »

Tropologice : Stellæ sunt Apostoli et Doctores, de quibus audi S. Chrysostomum, hom. 1 *De Pentecost.*, sub finem tom. III : « Quæ, ait, sunt tales stellæ sicut Apostoli? stellæ in cœlo, Apostoli super cœlos. Quæ sursum sunt, inquit Apostolus, sapite, ubi Christus est in dextera Patris sedens. Stellæ de igne (ex sententia Platonicorum, juxta quam Poeta : Vos æterni ignes) insensibili, Apostoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucent, in die obscurantur : Apostoli in die et in nocte suis radiis, hoc est virtutibus, effulgent. Stellæ orto sole obscurantur : Apostoli, sole justitiæ resplendente, sua claritate lucescunt. Stellæ in resurrectione cadunt sicut folia : Apostoli resurrectione rapientur in aera nubibus. Et in illis quidem sideribus alius Antifer, alius Lucifer appellatur : in Apostolis autem nullus Antifer est, omnes Luciferi; et ideo stellis majores Apostoli. Et quicumque eos luminaria vocaverit mundi, non peccabit, non solum dum essent in corpore, sed etiam magis nunc quando de vita migrarunt. » Vide dicta *Danielis* XII, 3.

17. ET SPIRITUS ET SPONSA DICUNT : VENI. — « Spiritus, » scilicet Sanctus; « et sponsa, » id est Ecclesia, « dicunt, » id est dicere, desiderare et orare nos docent adventum Christi, ut dicamus : « Veni, » scilicet Domine Jesu, ad judicium, in quo nos cum tua sponsa matre nostra, id est Ecclesia, in thalamum cœlestem inducas. Quare perperam hæc divellit Arabicus, sicque dispungit : « Ego radix et genus David, et stella quæ oritur in mane, et spiritus, et sponsa; et dicetur : Veni. »

ET QUI AUDIT (in se hanc vocem, et hunc instinctum Spiritus, idipsum) DICAT, (scilicet) VENI, — Domine Jesu.

ET QUI SITIT (justitiam et vitam æternam), VENIAT; ET QUI (idipsum) VULT, ACCIPIAT AQUAM VITÆ (Syrus, *aquam vivam*) GRATIS, — de qua dixi vers. 1, *q. d.* Dum Christo dicimus : « Veni, » nos vicissim spiritualibus gressibus illi obviam procedere debemus, atque hanc ejus sitim in nobis acuere, ut vitæ et gloriæ beatæ siti et desiderio accensi, ad eam anhelemus, dicamusque : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. » Huic enim ita sitienti et anhelanti hæc aqua vitæ obtinget : Deus enim ita munificus est, ut magnos labores non requirat, sed tantum sitiri appetat, ait Nazianzenus. Nihil ergo superest, nisi ut sitientes ad aquam vitæ festinemus.

Quocirca pie et sapienter S. Eugenius Toletanus Archiepiscopus, antecessor S. Ildephonsi, anno Domini 636, ita orare solet :

Rex Deus immensi quo constat machina mundi,
Te mea mens sitiat, sermo canat, actio promat.

Integram ejus orationem carmine expressam recitat noster Browerus, in calce poematum Venantii Fortunati.

18. CONTESTOR ENIM. — « Enim, » id est autem, *q. d.* Enim vero contestor : nam γάρ, id est *enim*, apud Græcos sæpe est encliticum, et redundat. Alcazar tamen τὸ *enim* proprie accipit, ut causale, huncque dat sensum. Quæ dixi de sitientibus, deque danda eis aqua vitæ, adeoque toto hoc libro, certissima sunt, itaque vera, ut de iis verissime pronuntietur Væ adversus eum, qui ejus verbis aliquid aut addere, aut detrahere ausit.

Est hoc quasi sigillum libri, quo gravi asseveratione et comminatione contestatur Joannes, hæc omnia et singula esse Deo accepta, esseque Dei oracula.

SI QUIS APPOSUERIT AD HÆC. — Significat fore hæreticos, qui Apocalypsin, et S. Scripturam, cujus Apocalypsis est quasi finis et clausula, adulterarent vel addendo, vel minuendo, uti fecit Marcion, quem ideo Tertullianus, lib. *De Carne Christi*, cap. IV, « comestorem, sive murem Ponticum » appellat (fuit enim oriundus ex Ponto). Ita Ticonius, Beda et alii. Non ergo Joannes carpit hic leges humanas, Apostolicas, vel Ecclesiasticas, quæ adduntur divinis, ipsique Evangelio : non enim adduntur ut leges vel Scripturæ divinæ, sed ut humanæ ex divinis deductæ. Vide dicta *Deut.* IV, 2.

20. DICIT (non Joannes, ut volunt Aretas et Ribera, sed Christus) QUI TESTIMONIUM PERHIBET ISTORUM (Joanni. Christus, inquam, « dicit, » tum id quod præcessit : « Si quis apposuerit, » etc., tum id quod sequitur) : ETIAM VENIO CITO (Arabicus vertit, *et venit*, id est veniet, *cito*). AMEN. *q. d.* Ego Christus certissime et citissime veniam, ut eos qui mihi fideles et constantes sunt præmiem; infideles vero, inconstantes et deficientes puniam : observate ergo hæc mea monita et præcepta. Porro Christo respondet S. Joannes jam senex, sitiens aquam vitæ cœlestem, optansque Christo frui : « Amen, » id est fiat; « veni, » vel, ut græce est, καὶ ἔρχου, id est *etiam veni*, « Domine Jesu; » obsecro veni, omnino veni, amor mi, gaudium meum, desiderium meum; idemque nos dicere et desiderare, tacite suo exemplo monet : Hoc enim est quod expressit vers. 17 : « Qui audit, dicat : Veni. » Ita Rupertus, Ansbertus, Haymo et Viegas. Unde Arabicus vertit : *Veni, Domine Jesu Christe, ad omnes sanctos in sæculum sæculorum. Amen.* Qui enim est puræ conscientiæ, pureque et intense amat Jesum, desiderat dissolvi, et esse cum Christo. « Ipse enim Jesus, qui dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere, dulcior apparebit in deitatis visione, » ait S. Bernar-

dus (vel quisquis est auctor), serm. *De Cœna Domini*, pag. 391.

Quidam vir doctus apud Salmeronem, *Prolegomen.* 7, pag. 97 : Amen, ait, dictio familiaris Joanni, qua præ cæteris in Evangelio est usus, eo quod illud jam senio confectus scripserit. Nam litteræ Ἀμὴν significant 99, ut etiam Gratianus tradit, *dist.* 83, cap. *Qualiter vero.* Siquidem *alpha* in Ἀμὴν denotat 1, *mu* vero 40, *eta* 8, *nu* 50; qui numeri collecti faciunt 99, quot annos fertur vixisse S. Joannes. Verum hæc levicula sunt et incerta.

Narrat S. Gregorius, lib. I *Dialog.*, cap. VIII, S. Anastasium simili voce cœlitus lapsa : « Veni, Anastasi, » vocatum esse ad mortem, imo ad immortalitatem; unde mox animam Deo reddens, ad illam evolavit. Tropologice idem Gregorius, homil. 14 *in Ezech.* : « Qui audit, ait, dicat : Veni. Cui enim jam vox vocantis Dei efficitur in corde, necesse est ut proximo per prædicationis officium erumpat in voce; et idcirco alios vocet, quia jam ipse vocatus est. » Idem, lib. IV *Dialog.*, cap. XIII, narrat de S. Galla, quod a S. Petro vocata sit in cœlum. Cum enim eum videns exultaret rogaretque : « Quid est, Domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea? » ab eo audivit : « Dimissa, veni. »

Idem, ibidem cap. XII, narrat S. Probum Reatis Episcopum, a S. Juvenali et Eleutherio Martyribus vocatum in cœlum. Idem cap. XIV narrat S. Servulum paralyticum, qui « studebat semper in dolore gratias agere, hymnis Deo et laudibus diebus ac noctibus vacare, » angelorum cantu ad æternam gloriam invitatum. Et cap. XV refert S. Romulam in paralysi mire patientem, a duabus suis discipulis hac voce : « Mater, veni; mater, veni, » evocatam, ac duobus cœlitum psallentium choris in cœlum deductam, mira post se odoris fragrantia relicta.

Et cap. XVI narrat S. Tarsillam, amitam suam, a S. Felice Pontifice atavo suo, ostendente ei mansionem perpetuæ claritatis, accersitam hac voce : « Veni, quia in hac te lucis mansione recipiam. » Quare febri correpta, sursum respiciens, Jesum venientem vidit, cœpitque clamare dicens : « Recedite, recedite, Jesus venit. » Cumque in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima corpore est egressa. Dum vero corpus ejus lavaretur, longæ orationis usu in cubitis ejus et genibus, camelorum more inventa est obdurata cutis excrevisse.

Et cap. XVII narrat Musam puellam a B. Virgine invitatam ad suum virginum cœtum, mox pueriles mores in seniles commutasse, ac trigesimo post die, cum plane a B. Virgine evocaretur, depressis reverenter oculis aperta voce clamasse : « Ecce, domina, venio; ecce, domina, venio. » In qua voce spiritum tradidit, et ex virgineo corpore habitatura cum sanctis virginibus excessit.

Ita ad Christum transire anhelabat S. Maria Oigniacensis. Nam, ut in ejus Vita scribit Cardinalis de Vitriaco, lib. II, cap. X, ultimo vitæ suæ anno propinquante, jam se amplius continere non valens anhelabat, suspirabat, præ desiderio clamabat, quasi moræ impatiens, cum « Dominum (Christum, cum quo familiariter versabatur) amplexaretur : Nolo, Domine, ut sine me recedas : non cupio hic morari amplius, domum ire volo. » Et paulo post cum narrasset illi revelatum suum transitum in cœlum : « Non potuit, inquit, tunc præ spiritus ebrietate tacere, sed clamans dicebat : Audivi a Domino me ituram in Sancta sanctorum. O dulcissimum vocabulum! Dic mihi, mea Clementia (sic enim ejus ancilla vocabatur), quid est Sancta sanctorum? Ex famula volebat scire quid eæ dictiones significarent, cum neutra id sciret; sed, ut dixi, spiritu ebria id faciebat. » Et mox : « Audiebat etiam vocem Domini vocantis et dicentis : Veni, amica mea, sponsa mea, columba mea; jam coronaberis. » Instante vero morte, ut idem Cardinalis scribit cap. XI et seq. : « Cœpit clara voce et alta cantare, nec cessavit spatio dierum trium et noctium laudare Deum, » hymni carmina suggerente ei angelo Seraphino; adventante autem hora ultima canebat : « Quam pulcher es, rex noster Domine! Alleluia. » Ita Sancti vitam habent in patientia; mortem, imo immortalitatem, in desiderio, quia ad Christum amorem suum suspirant. Unde S. Bernardus in *Form. honest. vitæ* : « Sit tibi Jesus, inquit, semper in corde; et nunquam imago crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus et potus, dulcedo et consolatio tua, mel tuum et desiderium tuum, dulcedo et meditatio tua, oratio et contemplatio tua, vita et mors, et resurrectio tua. »

Lege suspiria S. Augustini anhelantis ad cœlum, in lib. *Meditationum* et *Soliloquiorum*, tomo IX; lege et imitare suspiria S. Bernardi ad Jesum in Jubilo, ubi inter cætera ait :

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ,
Te quærunt piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.

Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Jesu mi bone, sentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per præsentiam,
Tuam videre gloriam.

Quem tuus amor ebriat,
Novit quid Jesus sapiat,
Quam felix est quem satiat!
Non est ultra quod cupiat.

Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.



Desidero te millies :
Mi Jesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?

Jam quod quæsivi video,
Quod concupivi teneo,
Amore Jesu langueo,
Et corde totus ardeo.

O beatum incendium,
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium!

Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio,
Tu mea gloriatio,
Jesu mundi salvatio.

Tu verum cœli gaudium,
Jesu cordis tripudium,
Tollens omne fastidium,
Mel, nectar, melos, suavium.

Jesu, corona Martyrum,
Et flos perennis virginum,
Tu casti cordis lilium,
Tu decertantis præmium.
Exaudi preces supplicum,
Nil extra te quærentium.

21. GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUM OMNIBUS VOBIS (Syrius, *cum omnibus sanctis*). AMEN. — Apostolicae litterae solent incipere et terminari in apprecatione gratiae Christi. Ita hic Apocalipsin (quae instar epistolae est : unde initio septem epistolas ad septem Asiae Epscopos continet; atque hic in fine terminatur instar epistolae) S. Joannes ejusdem apprecatione concludit.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Descripsit S. Joannes cap.* XXI *cælestis Jerusalem ambitum, murum, plateas, fundamenta, portas : hic ejus fluvium et ex utraque fluvii parte arbores vitæ describit. Secundo, vers. 8, volens adorare Angelum hæc nuntiantem, ab eo prohibetur dicente :* Conservus tuus sum, etc. *Tertio, vers. 12, adhortatur omnes ad hujus civitatis desiderium, utque per fugam peccatorum et sanctam vitam eamdem ineant. Quarto, vers. 18, graves pœnas comminatur ei qui addit, vel detrahit aliquid huic prophetiæ. Denique ad cælum et Christum suspirans :* Veni, *inquit,* Domine Jesu.

1. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. 2. In medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem Gentium. 3. Et omne maledictum non erit amplius : sed sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi. 4. Et videbunt faciem ejus : et nomen ejus in frontibus eorum. 5. Et nox ultra non erit : et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum. 6. Et dixit mihi : Hæc verba fidelissima sunt et vera. Et Dominus Deus spirituum Prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis quæ oportet fieri cito. 7. Et ecce venio velociter : Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri hujus. 8. Et ego Joannes, qui audivi et vidi hæc. Et postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat. 9. Et dixit mihi : Vide ne feceris : conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum Prophetarum, et eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus : Deum adora. 10. Et dicit mihi : Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus : tempus enim prope est. 11. Qui nocet, noceat adhuc : et qui in sordibus est, sordescat adhuc : et qui justus est, justificetur adhuc : et sanctus, sanctificetur adhuc. 12. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. 13. Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis. 14. Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni : ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. 15. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. 16. Ego Jesus misi Angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. 17. Et spiritus et sponsa dicunt : Veni. Et qui audit, dicat : Veni. Et qui sitit, veniat : et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. 18. Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus : si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. 19. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto. 20. Dicit qui testimonium perhibet istorum : Etiam venio cito : Amen. Veni, Domine Jesu. 21. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

1. ET OSTENDIT MIHI FLUVIUM AQUÆ VITÆ (Syrus, *aquarum viventium*), SPLENDIDUM TANQUAM CRYSTALLUM, PROCEDENTEM DE SEDE DEI ET AGNI. — Arabicus vertit : *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ procedentem de sede Dei et Agni, in medio platearum ejus ; et mare ex hinc, et illinc* (ex utraque parte), *et lignum vitæ proferens duodecim fructus secundum numerum mensium.* Fluvium hunc cœlestem vocat *mare,* quia ingens erat et amplus instar maris. Pro intelligentia hujus visionis et symboli nota S. Joannem vidisse thronum Dei et Agni in medio urbis, alto loco positum, atque ex hoc throno prodire fluvium, qui per singulas urbis plateas decurrit, tum ad voluptatem, tum ad utilitatem civium, eamque duplicem, scil. *primo,* ut sitientibus det potum, ut dicitur vers. 17 ; *secundo,* ut esu-



sequenter præcedet Antichristum : intellige inchoate : Judæi enim incipient converti et signari ante Antichristum, sed plene et universim convertentur et signabuntur post Antichristum.

*Quinto,* cap. octavo et nono aperitur septimum sigillum, prodeuntque septem angeli septem plagas immittentes in orbem, id est, impios non signatos. Has plagas in genere et breviter Christus prædixit *Matth.* cap. XXIV, vers. 29; *Marc.* cap. XIII, vers. 24; *Luc.* cap. XXI, vers. 25; sed Joannes hic particulatim et sigillatim eas enarrat. Huc etiam spectare excidium Babylonis, de quo cap. XVII et XVIII, censet Ribera. Verum cap. XVII, vers. 16 et 17, ostendi illud suo loco et ordine positum esse, nec ad sigilla, sed ad librum signatum spectare.

*Sexto,* cap. decimo, S. Joannes videt angelum glorioso habitu, jurantem quod amplius non erit tempus, id est, quod instet finis mundi : mox reboant et consonant eidem septem tonitrua.

Deinde, vers. 8, apertis jam septem sigillis, jubetur librum ante signatum nunc apertum devorare. Quocirca hic finiuntur sigilla, et prior pars Apocalypsis, continens ea quæ prævia erunt Antichristo, incipitque secunda, quæ est ipse liber, sive materia libri : ergo

*Septimo,* capite undecimo recenset ea quæ libro continebantur, quæ omnia ad tempus Antichristi pertinent. Itaque cap. XI prædicit magnam Ecclesiæ et fidelium partem tradendam Antichristo, ac contra eum certaturos Eliam et Henoch. Hi enim erunt duo capita et principes fidelium resistentium Antichristo, ac consequenter erunt quasi duces belli sacri contra Antichristum, quod sequentibus capitibus describit. Porro, quia hoc capite Joannes cœpit historiam Eliæ et Henoch, ne de iis in sequentibus cogatur rursum mentionem facere, hinc eam hoc loco pertexit, agitque de eorum morte, martyrio, resurrectione, ascensione ad cœlum, quæ omnia posterius contingent, quorum proprius locus videtur esse, ut ponantur cap. XIX, ante vers. 11, nimirum ante prælium quod Christus gesturus est contra Gog et Magog, et Antichristum. Nam paulo ante eorum stragem occidentur Elias et Henoch, resurgent, et ascendent in cœlum. Hic etiam, puta vers. 15, cap. XI, intexit septimam tubam septimi angeli et septimi sigilli. Hæc enim sola inter sigilla non præibit tempora Antichristi, sed potius consequetur : comitabitur enim mortem, resurrectionem et ascensionem Eliæ et Henoch ; quocirca illa, æque ac mors, resurrectio et ascensio Eliæ et Henoch, recto ordine ponenda videtur cap. XIX, ante vers. 11 : præit enim Christi victoriam et judicium.

*Octavo,* describit bellum dæmonis cum fidelibus et Ecclesia per Antichristum, toto capite XII.

*Nono,* cap. decimo tertio describit Antichristum, ejusque mores et præcursorem, sub specie et symbolo duarum bestiarum.

*Decimo,* cap. decimo quarto describit gloriam virginum, qui generose resistent Antichristo. Deinde ea occasione diem judicii, et pœnas reprobourm in gehenna summatim perstringit.

*Undecimo,* cap. decimo sexto et decimo quint describit septem plagas novissimas.

*Duodecimo,* post has sequetur excidium Babylonis, de quo agit cap. XVII et XVIII, indeque jubilus et exultatio Sanctorum, de quo agit initio cap. XIX. Deinde enarrare incipit prælium Christi extremum contra Antichristum, Gog et Magog, ejusque narrationem perficit cap. XX. Ubi altius hujus belli originem repetit, et orditur a ligatione Satanæ jam ante mille annos facta a Christo, qui solvetur initio regni Antichristi, sed magis in ejus fine, cum ad eum Gog et Magog aliasque gentes adducet. Mox post horum stragem, describit Christum venientem ad judicium extremum.

Denique cap. vigesimo primo et vigesimo secundo gloriam cœlestis Jerusalem, Martyribus et Sanctis generose certantibus præparatam, quam instar bravii accipient a Christo in die judicii, fuse et graphice depingit.

Ex dictis facile est videre quam recta et exacta sit S. Joannis acoluthia, et rerum temporisque ordo, quamque raræ et paucæ in Apocalypsi sint hysterologiæ.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS

# JESU CHRISTO

## REGI SÆCULORUM, DICTATORI APOCALYPSEOS.

A ET Ω.

### HYMNUS EX EJUSDEM SYNOPSI.

Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant qui redempti sunt a Domino : Quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israel : Quoniam in æternum misericordia ejus.

Gaudens gaudebo in Domino : et exultabo in Deo Jesu meo.

I. Apocalypsis Jesu Christi : Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui venturus est.

Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ : qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

Et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo : ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Ecce venit cum nubibus : et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.

Et plangent se super eum omnes tribus terræ : etiam. Amen.

Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens.

Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu, fui in insula quæ appellatur Patmos : propter verbum Dei et testimonium Jesu.

Vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea.

Et habebat in dextera sua stellas septem, et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat : et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.

Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me, dicens : Noli timere, ego sum primus et novissimus.

Et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum : et habeo claves mortis et inferni.

Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc.

II. Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe : Scio opera tua, et laborem, et patientiam.

Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.

Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

Et Angelo Smyrnæ scribe : Scio tribulationem tuam et paupertatem, sed dives es.

Habebis tribulationem diebus decem : esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.

Et Angelo Pergami scribe : Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, et tenes nomen meum : sed habeo adversus te pauca, quia habes tenentes doctrinam Nicolaitarum.

Similiter pœnitentiam age : si quo minus, veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei.

Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum; et in calculo nomen scriptum quod nemo scit, nisi qui accipit.

Et Angelo Thyatiræ scribe : Novi opera tua novissima, plura prioribus.

Sed habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolothytis.

Ecce mittam eam in lectum, et qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt : vobis autem dico : Id quod habetis, tenete donec veniam.

Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes.

Sicut et ego accepi a Patre meo : et dabo illi stellam matutinam.

III. Et Angelo Sardis scribe : Habes nomen quod vivas, et mortuus es.

Esto vigilans et confirma cætera quæ moritura erant : non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.

Alioqui veniam ad te tanquam fur : et nescies qua hora veniam ad te.

Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ : et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus.

Et angelo Philadelphiæ scribe : Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David : Scio quia modicam habes virtutem.

Quoniam servasti verbum patientiæ meæ : et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum, tentare habitantes in terra.

Ecce venio cito : tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei : et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo, a Deo meo, et nomen meum novum.

Et angelo Laodiciæ scribe : Hæc dicit Amen : Utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te emovere ex ore meo.

Quia dicis, Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus; suadeo tibi emere a me aurum ignitum.

Ego quos amo, arguo et castigo : æmulare ergo, et pœnitentiam age.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

IV. Ecce sedes posita erat in cœlo; et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis : et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ.

Et in circuitu sedis viginti quatuor seniores amicti vestibus albis et coronis aureis.

Et in conspectu sedis mare vitreum : et quatuor animalia plena oculis ante et retro.

Animal primum simile leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ : singula habebant senas alas, et requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens.

Et viginti quatuor seniores procidebant, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia.

V. Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem.

Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum.

Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus.

Et ecce Agnum stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem : et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum.

VI. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores cantabant canticum novum, dicentes :

Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione.

Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium et seniorum : et erat numerus eorum millia millium,

Dicentium voce magna : Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.

Et cum aperuisset Agnus sigillum primum, ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.

Cum secundum, exivit alius equus rufus, et qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus.

Cum tertium, ecce equus niger, et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua.

Cum quartum, ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum.

Cum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, clamantes : Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum.

Et datæ sunt illis singulis stolæ albæ, et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi.

Cum sextum, ecce terræ motus magnus factus est, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis.

Et stellæ de cœlo ceciderunt, et cœlum recessit sicut liber involutus : et reges, et principes, et divites, et fortes absconderunt se in speluncis, et in petris montium, dicentes :

Cadite super nos, et abscondite nos ab ira Agni; quis enim poterit stare?

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : in concilio justorum et congregatione.

Magna opera Domini : exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

VII. Et vidi angelum ab ortu solis clamantem : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

Et audivi numerum signatorum : centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, et ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.

Et dixit mihi angelus : Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus : et qui sedet in throno, habitabit super illos.

Quoniam Agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum : et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

VIII. Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi media hora.

Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei; et datæ sunt illis septem tubæ.

Et facta sunt tonitrua et voces, et fulgura, et terræ motus magnus.

Et primus angelus tuba cecinit, et facta est grando et ignis, mixta in sanguine, et missus est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum concremata est, et omne fœnum viride combustum est.

Et secundus angelus cecinit, et tanquam mons magnus missus est in mare; et facta est tertia pars maris sanguis, et tertia pars piscium et navium interiit.

Et tertius cecinit, et cecidit stella ardens, cui nomen Absynthium, in tertiam partem fluminum, eamque vertit in absynthium, indeque multi hominum mortui sunt.

Et quartus cecinit, et percussa est tertia pars solis, lunæ et stellarum.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Magnus Dominus et laudabilis nimis, qui dominatur terræ, mari et omnibus abyssis : quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.

Et audivi vocem aquilæ volantis per medium cœli : Væ, væ, væ habitantibus in terra!

IX. Et quintus cecinit, et stella cadens aperuit puteum abyssi, et exierunt locustæ, ut cruciarent eos, qui non habent signum Dei in frontibus.

In diebus illis quærent homines mortem, et non invenient.

Locustæ similes erant equis paratis in prælium, habebant facies hominum, coronas aureas in capite, capillos mulierum, dentes leonum, loricas ferreas, caudas scorpionum; et super se regem abyssi, nomine Abaddon.

Et sextus cecinit, et soluti sunt quatuor angeli ligati in Euphrate, ut occiderent tertiam partem hominum.

Et numerus equestris exercitus, vicies millies dena millia.

Et vidi equos, et equites qui habebant loricas igneas, hyacinthinas et sulphureas. Et capita equorum quasi capita leonum; et de ore eorum procedit ignis, fumus et sulphur.

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine : Quoniam Dominus excelsus, terribilis rex magnus super omnem terram.

Qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.

X. Et vidi alium angelum fortem, descendentem de cœlo, amictum nube, et iris in capite ejus : et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus ta columna ignis.

Et juravit per viventem in sæcula sæculorum quia tempus non erit amplius.

Et dixit mihi : Accipe librum et devora; et accepi, et devoravi, et erat in ore meo tanquam mel dulce, sed amaricatus est venter meus.

XI. Dictum est mihi : Metire templum, no atrium quod foris est : quia datum est Gentibus, et calcabunt sanctam civitatem mensibus quadraginta duobus.

Et dabo duobus testibus meis : et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.

Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra : in conspectu Domini terræ stantes.

Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum : et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi.

Et cum finierint testimonium, bestia occidet eos : et post tres dies intravit spiritus vitæ in eos, et resurrexerunt.

Et audiverunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis : Ascendite huc; et ascenderunt in cœlum in nube, et viderunt illos inimici eorum.

Et factus est terræ motus magnus : et tertia pars civitatis cecidit, et occisa sunt septem hominum millia.

Et septimus angelus tuba cecinit; et factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes :

Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus : et regnabit in sæcula sæculorum. Amen.

Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus : et facta sunt fulgura, et voces et terræ motus, et grando magna.

Lætamini in Domino, et exultate, justi : et gloriamini, omnes recti corde.

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?

Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.

XII. Et signum magnum apparuit in cœlo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

Et ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, et cornua decem, et cauda trahebat tertiam partem stellarum, stetit ut devoraret filium quem paritura erat mulier : et peperit, et raptus est filius ejus ad Deum.

Et factum est prælium magnum in cœlo : Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.

Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis.

Væ terræ et mari! quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.

Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ, ut fugeret in solitudinem.

Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen : ut eam faceret trahi a flumine.

Et adjuvit terra mulierem, et aperuit os suum : et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.

XIII. Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, et cornua decem : super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiæ.

Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem : et plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam.

Et est datum illi bellum facere cum sanctis, et vincere eos : et data est illi potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem.

Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco.

Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram, in conspectu hominum.

Et faciet ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus : et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.

XIV. Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion : et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.

Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia et seniores : et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt : hi sequuntur Agnum quocumque ierit; hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno.

Et in ore eorum non est inventum mendacium : sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Et vidi alterum angelum clamantem : Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.

Adorate eum qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum.

Si quis adoraverit bestiam, cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum : et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.

Et audivi vocem de cœlo, dicentem mihi : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos.

Et misit angelus falcem suam acutam in terram; et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum.

Et calcatus est lacus extra civitatem : et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.

Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

XV. Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, et eos qui vicerunt bestiam et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei.

Et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine, Deus omnipotens; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.

Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es.

Quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo; quoniam judicia tua manifesta sunt.

XVI. Et audivi vocem magnam de templo dicentem septem angelis : Ite, et effundite septem phialas iræ Dei in terram.

Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram : et factum est vulnus sævum et pessimum in homines qui habebant characterem bestiæ, et in eos qui adoraverunt imaginem ejus.

Et secundus angelus effudit phialam suam in mare; et factus est sanguis tanquam mortui; et omnis anima vivens, mortua est in mari.

Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum; et factus est sanguis.

Et audivi angelum aquarum dicentem : Justus es, Domine, qui es, et qui eras : Sanctus, quia hæc judicasti.

Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu affligere homines, et igni.

Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ; et factum est regnum ejus tenebrosum, et commanducaverunt linguas suas præ dolore.

Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem : et siccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis.

Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem; et exivit vox magna de templo a throno, dicens : Factum est.

Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines; et blasphemaverunt Deum.

Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus; date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua, Domine! omnis terra adoret te.

Venite et videte opera Dei; terribilis in consiliis super filios hominum.

XVII. Et abstulit me in spiritu in desertum, et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, et cornua decem.

Et in fronte ejus nomen scriptum, mysterium; Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ.

Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu; et miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magna.

Et hic est sensus, qui habet sapientiam : sep-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UANL ®

tem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt.

Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit; et cum venerit, oportet illum breve tempus manere.

Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt; sed potestatem tanquam reges una hora accipient post bestiam.

Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles.

XVIII. Et vidi alium angelum clamantem : Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis.

Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Deus iniquitatum ejus.

Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum, quia in corde suo dicit : Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo.

Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igni comburetur; quia fortis est Deus, qui judicabit illam.

Exulta super eam, cœlum, et sancti Apostoli et Prophetæ; quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa.

XIX. Et audivi vocem turbæ magnæ dicentis : Alleluia, gaudeamus et exultemus, demus gloriam ei : quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se.

Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido; byssinum enim justificationes sunt sanctorum.

Et dixit : Scribe : Beati ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt; et dicit mihi : Hæc verba Dei vera sunt.

Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi : Vide ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu : Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.

Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus; et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax; et cum justitia judicat et pugnat.

Oculi ejus sicut flamma ignis; vestitus erat veste aspersa sanguine.

Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestitu byssino : et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus. Et ipse reget gentes in virga ferrea.

Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.

Et vidi angelum clamantem avibus : Venite ad cœnam magnam, ut manducetis carnes regum, liberorum et servorum.

Et apprehensa est bestia, et pseudo-propheta; vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Et cæteri occisi sunt in gladio.

Deus ultionum Dominus : Deus ultionum libere egit.

Exaltare, qui judicas terram; redde retributionem superbis.

Et vidi angelum, qui ligavit Satanam per mille annos.

XX. Et vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu, et regnaverunt cum Christo mille annis : Hæc est resurrectio prima.

Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo : et exibit, et seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog.

Et congregabit eos in prælium; quorum numerus est sicut arena maris.

Et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos.

Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum; a cujus conspectu fugit terra et cœlum, et locus non est inventus eis.

Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni; et libri aperti sunt.

Et alius liber apertus est, qui est vitæ; et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.

Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

Hæc dies quam fecit Dominus : exultemus, et lætemur in ea.

XXI. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.

Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.

Et ipsi populus ejus erunt; et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.

Qui vicerit, possidebit hæc; et ero illi Deus, et ille erit filius.

Timidis autem, et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus : pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure; quod est mors secunda.

Et civitas habebat murum magnum, et altum habentem portas duodecim, et nomina inscripta : quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.

Ab Oriente portæ tres, et ab Aquilone portæ tres, et ab Austro portæ tres, et ab Occasu portæ tres.

Et murus civitatis habens fundamenta duodecim; et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.

Civitas in quadro posita est; longitudo, et latitudo, et altitudo ejus æqualia sunt



Et era[illegible] ... in lapide jaspide; ... hæc in Ecclesiis. Ego sum radix et genus David,

ipsa ver
mundo.
Et fu
tioro c
cundu
tum, s
sardius
ryllus;
sus; u
thystus
Et t
Deus o
Et c
in ea;
Et a
terrae
Non
abomi
scripti
Beat
saecul
XXI
didum
sede
Et i
flumi
per m
folia
Et
Dei
illi.
Et v
tibus
Qui
est, s
tur a
Ecc
redd
Eg
pium
Be
rum
taten
Eg

14 — simplificar el asunto, fue la hip. con
tinua sobre la H. d. J. El pagaré grande de 14,
que como la hip. junto con la H. como [illegible]
[illegible] de los bienes — Es cierto que las dos Haci
endas quedan con el compromiso, pero
tienen muchos más de lo suficiente para
garantizar el pago. — En cuanto a pedir el
abono de 30 sobre el pagaré me parece muy bien
y [illegible] en lo sucesivo el [illegible]
[illegible] sin exceso.

Acabo de llegar de S. Francisco del [illegible] a donde
fui a [illegible] la venta y a [illegible]
[illegible] el punto de [illegible]
[illegible] de 17 [illegible] el intervalo de [illegible] un mes
[illegible] ahora ya notablemente
[illegible] y [illegible] este instrumento [illegible]
[illegible] como me dices. [illegible]
[illegible] — Yo salí para [illegible] pero tuve que interrum
pir el plan por el exceso de lluvias.

tem capita, septem montes sunt, super quos mu-

Deus ultionum Dominus : Deus ultionum libera

He aquí las postreras palabras con que S. J. el Discíp. Amado cierra el misterioso libro del Apocal. y más misterioso de los libros divinamente inspirados. ¡Ven Señor Jesús [illegible] Salvador! y esta llama- [illegible] constante de los [illegible] de los Papas y de todos [illegible] gemidos del [illegible] cristiano [illegible] el [illegible] mundo [illegible] este valle de lágrimas como decimos en la Salve, de este valle hondo oscuro [illegible] la llama Fr. Luis de León



Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo.

Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata : fundamentum primum, jaspis; secundum, sapphirus; tertium, chalcedonius; quartum, smaragdus; quintum, sardonyx; sextum, sardius; septimum, chrysolithus; octavum, beryllus; nonum, topazius; decimum, chrysoprasus; undecimum, hyacinthus; duodecimum, amethystus.

Et templum non vidi in ea : Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.

Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam.

Et ambulabunt gentes in lumine ejus; et reges terrae afferent gloriam suam et honorem in illam.

Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.

Beati qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te.

XXII. Et ostendit mihi fluvium aquae vitae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.

Et in medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.

Et omne maledictum non erit amplius; et sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi.

Et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum, et regnabunt in sæcula sæculorum.

Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc : et qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus sanctificetur adhuc.

Ecce venio cito; et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.

Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis.

Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem.

Ego Jesus misi angelum meum testificare vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina.

Et spiritus et sponsa dicunt : Veni; et qui audit, dicat : Veni. Et qui sitit, veniat. Et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

Dicit qui testimonium perhibet istorum : Etiam venio cito. Amen.

Veni, Domine Jesu, veni et deduc nos a mundi turbinibus, a mari hoc procelloso, in quo tot tantique naufragium faciunt, in portum salutis. Veni, Domine Jesu, traduc nos a sæculo hoc nequam in regnum tuum cœleste; traduc nos a vita hac mortali, imo a morte vitali, in qua filii Adæ continue morimur, gemimus et suspiramus gemitibus inenarrabilibus, in paradisum tuum, in quo, et ad quem primitus condidisti nos. Veni, Domine; veni, Jesu, transfer nos ab exilio hoc in patriam, a terra in cœlum, a morte in vitam, a tempore in æternitatem, a mortalitate in beatam immortalitatem, ut cantet tibi gloria mea : «Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.» Veni, mi Jesu; veni, salus et redemptio nostra; veni, amor noster, gaudium nostrum, spiritus oris nostri, lumen oculorum nostrorum. Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum, ut in cœlesti Jerusalem conscribamur cives sanctorum, domestici Dei, filii et hæredes tui. Ad hoc enim nos ab æterno ante tempora sæcularia prædestinasti; ad hoc nos in tempore a te constituto creasti, redemisti, vocasti et justificasti, ut post hocce tempus in tuo regno, in tua sancta civitate, in omnia sæcula nos magnificares et glorificares. Veni ergo, veni, ostende nobis faciem tuam : sequamur te quocumque ieris, fruamur te jugiter, qui nunc frui nec possumus, nec volumus; quia tu es pars hæreditatis nostræ et calicis nostri. Eia, Domine, aspiret dies tua, et inclinentur umbræ. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? veni, desiderium collium æternorum; veni, exultatio et jubilus cordis nostri. O vera charitas, chara sanctitas, sancta felicitas, felix æternitas nostra! Amen.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# INDEX
# LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
## QUÆ HISCE COMMENTARIIS EXPLICANTUR.

*Prior numerus paginam, alter columnam denotat.*


### EX GENESI.

*Cap.* I, *vers.* 1. In principio creavit Deus cœlum et terram, 358, 2.
III, 14. Super pectus tuum gradieris, 247, 1.

### EX EXODO.

*Cap.* III, 14. Ego sum qui sum, 7, 1
VII, 12. Devoravit virga Aaron virgas eorum, 193, 2.
VIII, 22. Faciam mirabilem terram Gessen, 161, 1.
XX, 18. Cunctus populus videbat voces, 28, 1.

### EX NUMERIS.

*Cap.* XIV, *vers.* 22. Tentaverunt me jam per decem vices, 49, 2.
XXIV, 17. Videbo eum, sed non modo, 849, 1.

### EX DEUTERONOMIO.

*Cap.* XVIII, *vers.* 5. Ipsum elegit Dominus Deus tuus, ut stet et ministret nomini Domini, 69, 1
XXXIII, 2. Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis : in dextera ejus ignea lex, 358, 2.

### EX LIBRIS REGUM.

*Lib.* I, *cap.* I, *vers.* 8. Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii? 49, 2.
XXIV, 13. Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te; manus autem mea non sit in te, 150, 2 et seqq.
*Lib.* III, *cap.* XI, 36. Filio ejus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David, 44, 2.
XVIII, 7. Qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, 73, 1.
*Lib.* IV, cap. II, 15. Venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram, *ibid.*

### EX LIBRO TOBIÆ.

*Cap.* XII, *vers.* 15. Ego sum Raphael, unus ex septem, qui astamus ante Dominum, 19, 1; 109, 1.

### EX LIBRO JOB.

*Cap.* XVIII, *vers.* 15. Socii ejus qui non est, 318, 1.
XIX, 3. En decies confunditis me, 49, 2.
XXVIII, 19. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, 393, 1.

### EX PSALMIS.

*Psal.* II, *vers.* 9. Tanquam vas figuli confringes eos, 4, 1.
. 12. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, 69, 1.
XI, 4. Disperdat Dominus linguam magniloquam, 355, 2 et seqq.
XVIII, 6. Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, 36, 2.
XXII, 5. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me, 16, 2.
XXXVII, 17. Super me magna locuti sunt, 256, 1.
L, 14. Spiritu principali confirma me, 271, 2; 394, 1.
— 20. Benigne fac in bona voluntate tua Sion, et ædificentur muri Jerusalem, 223, 2.
LVII, 7. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, *ibid.*
LXVIII, 29. Deleantur de libro viventium, 70, 1.
LXXIV, 9. Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, 813, 1, 2.
LXXIX, 4. Ostende faciem tuam, et salvi erimus, 223, 2.
— 13. Vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam, 285, 2.
LXXXIX, 4. Mille anni ante oculos tuos sicut dies hesterna quæ præteriit, 354, 1.
CX, 10. Laudatio ejus manet in sæculum sæculi, 333, 1.
CXIII, 17. Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, 134, 1.
CXXXI, 17. Paravi lucernam Christo meo, 44, 2.
CXLIX, 1. Cantate Domino canticum novum, 131, 1.

### EX LIBRO PROVERBIORUM.

*Cap.* IX, *vers.* 2. Miscuit vinum, 326, 1.
— 5. Bibite vinum quod miscui vobis, 279, 1.
XXIII, 23. Veritatem eme, 85, 2.
XXV, 23. Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem, 416, 2 et seqq.

### EX ECCLESIASTE.

*Cap.* XI, *vers.* 9. Lætare juvenis in adolescentia tua, et ambula in viis cordis tui, 410, 2.

### EX CANTICIS.

*Cap.* III, *vers.* 6. Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris? 130, 1.
IV, 6. Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris, *ibid.*
V, 1. Messui myrrham meam cum aromatibus meis, *ibid.*

### EX LIBRO SAPIENTIÆ.

*Cap.* XVIII, *vers.* 24. In veste poderis totus erat orbis terrarum, 29, 2.

### EX ECCLESIASTICO.

*Cap.* XXXIX, *vers.* 17. Obaudite me divini fructus, florete flores, et date odorem, et frondete in gratiam : date nomini ejus magnificentiam in canticis labiorum et citharis, 129, 2.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

XLIII, 8. Fornacem cu...diens in operibus ardoris, tripliciter sol exurens montes, 36, 1.
XLVIII, 3. Dejecit de cœlo ignem ter, 227, 2.
L, 6. Quasi stella matutina in medio nebulæ 61, 2.

### EX ISAIA.

Cap. I, vers. 15. Manus vestræ plenæ sunt sanguine, 144, 2.
III, 10. Dicite justo, quoniam bene, 292, 2.
V, 22. Væ qui estis viri fortes ad miscendam ebrietatem, 279, 2.
XVI, 9. Super vindemiam tuam vox calcantium irruit, 236, 1.
XIX, 14. Dominus miscuit in ea spiritum vertiginis, 303, 1.
XXII, 22. Dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat, 71, 2.
XXVIII, 15. Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum, 146, 1.
XXX, 33. Præparata est ab heri Tophet, 286, 2.
LI, 7. Blasphemias eorum ne timeatis, 48, 2.

### EX JEREMIA.

Cap. XXXI, vers. 22. Creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum, 131, 1.
XLIV, 26. Juravi in nomine meo magno, 69, 1.
LI, 27. Adducite equum quasi bruchum aculeatum, 211, 2.

### EX THRENIS.

Cap. I, vers. 12. Vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui, 285, 2.

### EX EZECHIELE.

Cap. I, vers. 5. Et in medio ejus similitudo quatuor animalium, et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis, 104, 1.
— 18. Totum corpus oculis plenum in circuitu ipsorum quatuor, 109, 2.
V, 15. Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon, 48, 2.

### EX DANIELE.

Cap. II, vers. 46. Tunc rex Nabuchodonosor Danielem adoravit, 73, 1.
XII, 7. Jurasset per viventem in æternum, quia in tempus, etc., 216, 2.

### EX OSEE.

Cap. IV, vers. 2. Sanguis sanguinem tetigit, 155, 1.

### EX AMOS.

Cap. IX, vers. .. Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel? 153, 1.

### EX HABACUC.

Cap. III, vers. 4. Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus, 126, 1.

### EX ZACHARIA.

Cap. IV, vers. 14. Isti sunt duo filii olei, qui assistunt, 226, 1.

### EX LIBRIS MACHABÆORUM.

Lib. I, cap. XIII, vers. 6. Vindicabo gentem meam, et sancta, 150, 1.

### EX S. MATTHÆO.

Cap. I, vers. 1. Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham, 20, 2.
XVIII, 8. Si oculus tuus vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, 11, 1.
XXIV, 29. Virtutes cœlorum movebuntur, 156, 2.

### EX S. MARCO.

Cap. XIII, vers. 32. De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater, 212, 2; 335, 1.
XVI, 7. Dicite discipulis ejus, et Petro, 349, 1.

### EX S. LUCA.

Cap. XI, vers. 52. Tulistis clavem scientiæ, 71, 1.
XVIII, 3. Vindica me de adversario meo, 150, 1, 2.

### EX S. JOANNE.

Cap. I, vers. 14. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti,
— 29. Ecce agnus Dei, 124, 1.
— 47. Ecce vere Israelita, 70, 2.
IV, 23. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, ibid.
— 47. Incipiebat enim mori, 83, 2.
VI, 32. Pater meus dat vobis panem de cœlo verum, 70, 2.
XIII, 34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, 131, 1.
XV, 1. Ego sum vitis vera, 70, 2.
XXI, 23. Sic eum volo manere, donec veniam, 1, 1, 2.

### EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. III, vers. 3. Cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, 83, 2.
XIII, 34. Amplius jam non reversurum in corruptionem, 77, 1.

### EX EPISTOLIS S. PAULI.

Rom. cap. I, vers. 16. Judæo primum, et Græco, 24, 2.
I Corinth. IV, 13. Blasphemamur et obsecramus, 48, 2.
XIV, 15. Psallam spiritu, psallam et mente, 267, 2.
Philip. II, 9. Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, 79, 2.
II Thessal. II, 6. Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore, 121, 1.
I Timoth. VI, 19. Ut apprehendant veram vitam, 71, 1.
II Timoth. IV, 5. Ministerium tuum imple, 68, 1.
Tit. III, 2. Admone illos neminem blasphemare, 48, 2.
Hebr. XII, 2. In auctorem et consummatorem Jesum, 25, 2.

### EX EPISTOLIS S. PETRI.

Epist. I, cap. V, vers. 13. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone, 305, 2.
Epist. II, cap. II, vers. 4. Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, 200, 2.

### EX APOCALYPSI.

Cap. XII, vers. 8. Neque locus inventus est amplius eorum in cœlo. 44, 2.

# INDEX
# RERUM ET VERBORUM
## MEMORABILIUM,
### QUÆ HISCE COMMENTARIIS CONTINENTUR.

## A.

A et ω quomodo sit Christus, 24, 2 et seqq. et dicatur Deus, 369, 1, 2.
Abaddon rex locustarum, est dæmon verus, 204, 1.
Abaddon vox quid significet, et unde derivetur, 207, 1.
Abbas idem est quod pater, 78, 2.
Absinthium unde dicatur, et ejus proprietas, 195, 2. stella, cui nomen absinthium, qualis in fine sæculi futura, ibid.
Abyssus quid proprie sit, 199, 1. allegorice infernum significat, ibid.; 287, 1.
Accidentales dotes visionis beatificæ repræsentantur per folia arboris, 407, 1, 2.
Accipitres Norwegi ad prædam cur festinent, 248, 1, 2.
Acediæ damna et mala, 82, 1. ejus remedia, 86, 1.
Achates gemmæ quam mirabiles figuras præferant, 395, 1.
Achemenes Persa aquilæ fuit alumnus, 107, 2.
Acoluthia in Prophetis et Apocalypsi non semper urgenda, 9, 1.
Actionis gratiarum formula cujusdam Sancti, 179, 2.
Actus septem amoris et laudis Dei sunt, 124, 2.
Adæ peccati chirographum an sit liber signatus Joanni in cœlo visus, 119, 2.
S. Adalbertus Pragensi Episcopatu se abdicavit, 66, 2.
Adamantinam crucem in pectore cur gestet Pontifex, 161, 1.
Adamas, an eadem gemma quæ carbunculus, cur in S. Scriptura non nominetur, 53, 2 et seqq. quinam præstantissimi, 387, 1. repræsentat incarnationis mysterium, 388, 1, 2.
S. Adelfardus in exilio suo ob bonam causam exultabat, 51, 2.
Admirationis causa, 315, 2. admiratione et reverentia Deum maxime laudamus, 184, 2.
Adorari homines ab hominibus quo sensu Scriptura intelligat, 73, 1.
Adrianus I Pontifex in Nicæna Synodo II damnavit Iconoclastas, 304, 1.
Adversa parvæ durationis sunt in hoc mundo, 291, 2. adversis claescit virtus, 257, 2. in iis æque ac prosperis Deo sunt gratiæ agendæ, 177, 2.
Ægypti nomine cur vocetur impia Jerusalem, 229, 2. unde Ægyptus vocetur hebraice Misraim, 179, 2. ejus plagæ tempore Mosis quales fuerint, 297, 1; 298, 2. has et majores immittendi potestatem habebunt Elias et Henoch, 228, 2. eæ quomodo mystice exponantur, ibid.
Ægyptii quomodo Dei providentiam depingerent, 109, 2. quomodo solem colerent, 37, 1.
Ælius Pertinax Imperator quod habuerit omen imperii, 139, 1.
Æqualitas longitudinis, latitudinis, altitudinis cœlestis civitatis quid denotet, et quomodo accipienda sit, 379, 2 et seqq.
Aër dat sanitatem vel morbum, 196, 1.
Ætatibus singulis mundi fuere aliqui qui Dei Ecclesiam et pios persequerentur, 317, 1.
Æterna quomodo sit Roma, 310, 1, 2.
Æternitatis symbolum est oliva, 226, 2. æternitas Dei temporibus omnibus dominatur, 216, 2.
Æthiopia fœcunda hominum est, 210, 2.
Ævum pene quoddam æternum sequetur post finem temporis, id est, post mundi consummationem, 216, 2.
S. Agathæ in tentatione constantia usque ad mortem, 30, 1. ejus martyrium, 2. a Deo acceptam refert suam in tormentis constantiam, 115, 2. et epitaphium quod posuerint angeli, 277, 1.
Agatho Abbas quod vitæ religiosæ studioso præceptum dederit, 44, 1, 2.
Ἅγιος, id est sanctus, unde formetur, et quid sit, 112, 1, 2 et seqq.
S. Agnes ad lupanar damnata, illæsa exiit, 325, 2. post mortem parentibus cum aliis virginibus gloriosa apparuit, 273, 1. martyrii et virginitatis suæ coronam Deo acceptam refert, 115, 1, 2.
Agni cerei benedicti a Summo Pontifice benedicuntur, 124, 2.
Agnos et castos amat Christus Agnus, 268, 1.
Agnus ab origine mundi occisus quomodo sit Christus, 256, 2. is, Agnus cur vocetur, 124, 1 et seqq. agni figura olim depictus est, 124, 1. cur sit stans, cum sit mortuus, 2; 126, 2. quomodo sit tanquam occisus, 125, 1. quomodo acceperit librum de manu sedentis in throno, ibid. Agnus est templum Beatorum, cur, 401 2, et seqq.
Agon olympicus olim quam celebris in Græcia, 89, 2.
Alæ duæ aquilæ datæ mulieri quid significent, 248, 2 et seqq. alas quot haberent animalia Joannis et Ezechielis Cherubini, 110, 1. quid illorum alæ significarent, ibid.
Albati erat factio aurigarum Circensium, 138, 2.
Albertus Magnus commentarium in Apocalypsim edidit, 12, 1.
Albis equis præcedere proverbium quem habeat sensum, 456, 2. albo equo cur visus insidere Christus contra Antichristum pugnaturus, 336, 2. albus color symbolum est felicitatis et triumphi, 330, 2; 336, 2. idem gloriam et beatitudinem decet, 139, 1 et seqq. is cum equis sit cæteris deterior, 137, 1.—Vide Equus. Albæ sunt Beatorum vestes, non purpureæ, 171, 2.
...inoi horti semper virebant, 406, 1. sunt typus paradisi, 407, 2.
...inus quando in Apocalypsim scripserit, 11, 2.
... Hebræis est symbolum millenarii numeri, 352, 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

XLIII, 8. Fornacem cu...diens in operibus ardoris, tripliciter sol exurens montes, 36, 1.
XLVIII, 3. Dejecit de cœlo ignem ter, 227, 2.
L, 6. Quasi stella matutina in medio nebulæ 61, 2.

### EX ISAIA.

Cap. I, vers. 15. Manus vestræ plenæ sunt sanguine, 144, 2.
III, 10. Dicite justo, quoniam bene, 292, 2.
V, 22. Væ qui estis viri fortes ad miscendam ebrietatem, 279, 2.
XVI, 9. Super vindemiam tuam vox calcantium irruit, 236, 1.
XIX, 14. Dominus miscuit in ea spiritum vertiginis, 303, 1.
XXII, 22. Dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat, 71, 2.
XXVIII, 15. Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum, 148, 1.
XXX, 33. Præparata est ab heri Tophet, 286, 2.
LI, 7. Blasphemias eorum ne timeatis, 48, 2.

### EX JEREMIA.

Cap. XXXI, vers. 22. Creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum, 151, 1.
XLIV, 26. Juravi in nomine meo magno, 69, 1.
LI, 27. Adducite equum quasi bruchum aculeatum, 211, 2.

### EX THRENIS.

Cap. I, vers. 12. Vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui, 285, 2.

### EX EZECHIELE.

Cap. I, vers. 5. Et in medio ejus similitudo quatuor animalium, et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis, 101, 1.
— 18. Totum corpus oculis plenum in circuitu ipsorum quatuor, 109, 2.
V, 15. Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon, 48, 2.

### EX DANIELE.

Cap. II, vers. 46. Tunc rex Nabuchodonosor Danielem adoravit, 73, 1.
XII, 7. Jurasset per viventem in æternum, quia in tempus, etc., 216, 2.

### EX OSEE.

Cap. IV, vers. 2. Sanguis sanguinem tetigit, 155, 1.

### EX AMOS.

Cap. IX, vers. .. ..mquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel? 153, 1.

### EX HABACUC.

Cap. III, vers. 4. Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus, 126, 1.

### EX ZACHARIA.

Cap. IV, vers. 14. Isti sunt duo filii olei, qui assistunt, 226, 1.

### EX LIBRIS MACHABÆORUM.

Lib. I, cap. XIII, vers. 6. Vindicabo gentem meam, et sancta, 150, 1.

### EX S. MATTHÆO.

Cap. I, vers. 1. Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham, 20, 2.
XVIII, 8. Si oculus tuus vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, 11, 1.
XXIV, 29. Virtutes cœlorum movebuntur, 156, 2.

### EX S. MARCO.

Cap. XIII, vers. 32. De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater, 212, 3; 335, 1.
XVI, 7. Dicite discipulis ejus, et Petro, 342, 1.

### EX S. LUCA.

Cap. XI, vers. 52. Tulistis clavem scientiæ, 71, 1.
XVIII, 3. Vindica me de adversario meo, 150, 1, 2.

### EX S. JOANNE.

Cap. I, vers. 14. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti,
— 29. Ecce agnus Dei, 124, 1.
— 47. Ecce vere Israelita, 79, 2.
IV, 23. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, ibid.
— 47. Incipiebat enim mori, 83, 2.
VI, 32. Pater meus dat vobis panem de cœlo verum, 70, 2.
XIII, 34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, 131, 1.
XV, 1. Ego sum vitis vera, 70, 2.
XXI, 23. Sic eum volo manere, donec veniam, 1, 1, 2.

### EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. III, vers. 3. Cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, 83, 2.
XIII, 34. Amplius jam non reversurum in corruptionem, 77, 1.

### EX EPISTOLIS S. PAULI.

Rom. cap. I, vers. 16. Judæo primum, et Græco, 24, 2.
I Corinth. IV, 13. Blasphemamur et obsecramus, 48, 2.
XIV, 15. Psallam spiritu, psallam et mente, 267, 2.
Philip. II, 9. Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, 79, 2.
II Thessal. II, 6. Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore, 121, 1.
I Timoth. VI, 19. Ut apprehendant veram vitam, 71, 1.
II Timoth. IV, 5. Ministerium tuum imple, 68, 1.
Tit. III, 2. Admone illos neminem blasphemare, 48, 2.
Hebr. XII, 2. In auctorem et consummatorem Jesum, 25, 2.

### EX EPISTOLIS S. PETRI.

Epist. I, cap. V, vers. 13. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone, 305, 2.
Epist. II, cap. II, vers. 4. Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, 200, 2.

### EX APOCALYPSI.

Cap. XII, vers. 8. Neque locus inventus est amplius eorum in cœlo. 44, 2.


# INDEX
# RERUM ET VERBORUM
## MEMORABILIUM,
### QUÆ HISCE COMMENTARIIS CONTINENTUR.

### A.


A et Ω quomodo sit Christus, 24, 2 et seqq. et dicatur Deus, 360, 1, 2.
Abaddon rex locustarum, est dæmon verus, 204, 1.
Abaddon vox quid significet, et unde derivetur, 207, 1.
Abbas idem est quod pater, 78, 2.
Absinthium unde dicatur, et ejus proprietas, 195, 2. stella, cui nomen absinthium, qualis in fine sæculi futura, ibid.
Abyssus quid proprie sit, 199, 1. allegorice infernum significat, ibid.; 287, 1.
Accidentales dotes visionis beatificæ repræsentantur per folia arboris, 407, 1, 2.
Accipitres Norwegi ad prædam cur festinent, 248, 1, 2.
Acediæ damna et mala, 82, 1. ejus remedia, 86, 1.
Achates gemmæ quam mirabiles figuras præferant, 385, 1.
Achemenes Persa aquilæ fuit alumnus, 107, 2.
Acoluthia in Prophetis et Apocalypsi non semper urgenda, 9, 1.
Actionis gratiarum formula cujusdam Sancti, 179, 2.
Actus septem amoris et laudis Dei sunt, 124, 2.
Adæ peccati chirographum an sit liber signatus Joanni in cœlo visus, 119, 2.
S. Adalbertus Pragensi Episcopatu se abdicavit, 66, 2.
Adamantinam crucem in pectore cur gestet Pontifex, 161, 1.
Adamas, an eadem gemma quæ carbunculus, cur in S. Scriptura non nominetur, 55, 2 et seqq. quinam præstantissimi, 387, 1. repræsentat incarnationis mysterium, 388, 1, 2.
S. Adelfardus in exilio suo ob bonam causam exultabat, 54, 2.
Admirationis causa, 315, 2. admiratione et reverentia Deum maxime laudamus, 184, 2.
Adorari homines ab hominibus quo sensu Scriptura intelligat, 73, 1.
Adrianus I Pontifex in Nicæna Synodo II damnavit Iconoclastas, 304, 1.
Adversa parvæ durationis sunt in hoc mundo, 291, 2. adversis clarescit virtus, 257, 2. in iis æque ac prosperis Deo sunt gratiæ agendæ, 177, 2.
Ægypti nomine cur vocetur impia Jerusalem, 229, 2. unde Ægyptus vocetur hebraice Misraim, 179, 2. ejus plagæ tempore Mosis quales fuerint, 297, 1; 298, 2. has et majores immittendi potestatem habebunt Elias et Henoch, 223, 2. ea quomodo mystice exponantur, ibid.
Ægyptii quomodo Dei providentiam depingerent, 109, 2. quomodo solem colerent, 37, 1.
Ælius Pertinax Imperator quod habuerit omen imperii, 139, 1.
Æqualitas longitudinis, latitudinis, altitudinis cœlestis civitatis quid denotet, et quomodo accipienda sit, 379, 2 et seqq.
Aër dat sanitatem vel morbum, 196, 1.
Ætatibus singulis mundi fuere aliqui qui Dei Ecclesiam et pios persequerentur, 317, 1.
Æterna quomodo sit Roma, 310, 1, 2.
Æternitatis symbolum est oliva, 226, 2. æternitas Dei temporibus omnibus dominatur, 216, 2.
Æthiopia fœcunda hominum est, 210, 2.
Ævum pene quoddam æternum sequetur post finem temporis, id est, post mundi consummationem, 216, 2.
S. Agathæ in tentatione constantia usque ad mortem, 30, 1. ejus martyrium, 2. a Deo acceptam refert suam in tormentis constantiam, 115, 2. et epitaphium quod posuerint angeli, 277, 1.
Agatho Abbas quod vitæ religiosæ studioso præceptum dederit, 44, 1, 2.
Ἅγιος, id est sanctus, unde formetur, et quid sit, 112, 1, 2 et seqq.
S. Agnes ad lupanar damnata, illæsa exiit, 325, 2. post mortem parentibus cum aliis virginibus gloriosa apparuit, 273 1. martyrii et virginitatis suæ coronam Deo acceptam refert, 115, 1, 2.
Agni cerei benedicti a Summo Pontifice benedicuntur, 124, 2.
Agnos et castos amat Christus Agnus, 268, 1.
Agnus ab origine mundi occisus quomodo sit Christus, 256, 2. is, Agnus cur vocetur, 121, 1 et seqq. agni figura olim depictus est, 124, 1. cur sit stans, cum sit mortuus, 2; 126, 2. quomodo sit tanquam occisus, 125, 1. quomodo acceperit librum de manu sedentis in throno, ibid. Agnus est templum Beatorum, cur, 401 2, et seqq.
Agon olympicus olim quam celebris in Græcia, 89, 2.
Alæ duæ aquilæ datæ mulieri quid significent, 248, 2 et seqq. alas quot haberent animalia Joannis et Ezechielis Cherubini, 110, 1. quid illorum alæ significarent, ibid.
Albati erat factio aurigarum Circensium, 138, 2.
Albertus Magnus commentarium in Apocalypsim edidit, 12, 1.
Albis equis procedere proverbium quem habeat sensum, 456, 2. albo equo cur visus insidere Christus contra Antichristum pugnaturus, 336, 2. albus color symbo... est felicitatis et triumphi, 339, 2; 336, 2. iden... loriam et beatitudinem decet, 139, 1 et seqq. is cu... a equis sit cæteris deterior, 137, 1.—Vide Equus. Albæ ...unt Beatorum vestes, non purpureæ, 171, 2
...inoi horti semper virebant, 406, 1. sunt typus paradisi, 407, 2
...inus quando in Apocalypsim scripserit, 11, 2.
... Hebræis est symbolum millenarii numeri, 352, 2.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Alexander Abbas quomodo se ad virtutem excitaret, 75, 1.

Alexander Magnus cur sibi cornua assumpserit, 259, 1, 2. citharæ modulis ad arma conciliabatur, 129, 2.

Alexandrina sedes Patriarchalis cur per hominem denotetur. 107, 1.

Alfonsus Ramirius Vergara quænam sibi salutis æternæ pignora data diceret, 66, 2.

Alleluia vox unde dicatur, et quid contineat, 332, 1. ejus usus quam frequens, 333, 2.

*Almuggim* quid sit hebraice, 328, 1, 2.

Altare et templum correlativa sunt, 356, 2. altare non consecratur, nisi illatis eo Sanctorum reliquiis, 147, 2. altare dicebatur sepulcrum Martyris, Memoria Martyris, Martyrium, Confessio, *ibid.* altare sub quo animæ mortuorum latere dicuntur, quod sit, 146, 1. 2 et seqq. altare holocaustorum significatur per altare, sub quo animæ Sanctorum requiescere dicuntur, 148, 2 et seqq. in altari thymiamatis non ardebat ignis, 191, 2. in altari cœlesti proprie animæ requiescunt, 148, 1, 2. et tunc hoc adumbratur per altare thymiamatis, *ibid.* altaria habent tutores et custodes angelos, 188, 2.

Altitudo idem est quod profunditas, 59, 1; 379, 1. altitudines Satanæ quæ sint, 59, 1.

Altum se cingere proprie sacerdotum est, 20, 2. in alta enitendum ad beatitudinem tendere volenti, 372, 2.

B. Amadæus Lusitanus Franciscanus didicit revelatione divina nomina septem angelorum: de ejus revelationibus judicium, 21, 1.

Amara stomacho amica sunt, 198, 1.

S. Ambrosius SS. Gervasii et Protasii reliquias inventas sub altari recondidit, 147, 2. quomodo et qualiter exspirarit, 282, 1. ejus in supputatione annorum mundi error, 354, 2. ejus an sit commentarius in Apocalypsim ejus nomini inscriptus, 11, 2.

Amen dictio familiaris est Joanni, 415, 2. amen est epithetum Christi, 79, 2.

Amethystus gemma qualis sit, ejus descriptio, 396, 1 et seqq. nomen unde derivetur, vires quas habeat, *ibid.* est filius sardii, *ibid.* 95, 2. an in adamanti verti possit, 396, 1.

Ammon Abbas ad injuriam insensibilis erat sicut lapis, 68, 1.

Amomum quis sit frutex, 328, 2.

Amoris vis et potentia, 311, 1. amoris carnalis vis, 137, 1. amore concupiscentiæ et amicitiæ maxime Deum laudamus, 125, 1. ejus varii gradus et effectus, *ibid.* amoris mors est mors in Domino, 282, 1. amor Dei et timor pœnarum sunt duo primarii S. Scripturæ et sapientiæ effectus, 248, 2. amor Christi erga Patrem, 78, 2. amor Christianorum mutuus unde ortum habere debeat, 131, 1. amores quatuor inordinati ante Christum in orbe dominabantur, 107, 1.

Anabaptistarum quis sit auctor, 391, 2.

S. Anastasius est voce cœlesti ad mortem vocatus, 414, 2.

Anastasius Imperator hæreticus fulmine ictus interiit, 342, 1.

S. Andreas Apostolus sapphiro assimilatur, ejus sapientia, 385, 2. ejusdem charitas, *ibid.* terrenorum contemptus, fortitudo, 386, 1. crucem ardenti animo concupivit, *ibid.* ejus typus fuit Nephthali, 397, 1. quotidie Missam celebrabat, 125, 2. visa cruce exsultavit, 55, 2 et seqq.

Andreas Cæsariensis in Apocalypsin est commentatus, 11, 1.

Angeli septem tubarum qui, 187, 1. angelus secundus tuba canens, ejusque plaga quid sint, 193, 2. angelus tertius tuba canens ejusque plaga absinthii, quæ, 195, 1. quartus angelus tubam tenens quis, et quæ plaga quæ post ejus tubæ cantum sequitur, 196, 1. angelus sextus tuba canens quis sit, 207, 2 et 209, 1. angelum altioris ordinis habent Episcopi, 40, 1.

Angeli septem cum phialis iræ Dei qui sint, 293, 1. quinam sint mystice et symbolice, 304, 2.

Angeli quatuor ligati in fine mundi solvendi, quinam sint, 209, 1.

Angeli quatuor super quatuor angulos terræ stantes et ventos tenentes, quinam sint, 161, 1, 2. an mali sint quia nocent? negatur, 162, 1, 2.

Angeli intelliguntur per septem spiritus in conspectu throni stantes, 19, 1, 2.

Angeli quatuor præsunt quatuor ventis, eos emittentes vel retinentes, 161, 2. angelorum apostatantium peccatum in quo situm sit, 242, 2. an ii sint pars tertia reliquorum angelorum, *ibid.* angelos malos dum Scriptura significare vult, id ex aliquo adjuncto vel circumstantia satis intelligitur, 162, 2. angeli boni etiam nocere possunt, Deo jubente, *ibid.* per eos Deus tempestatem et malorum impetum moderatur, *ibid.* angeli dicuntur interdum quatuor, interdum septem stare ante Dominum, 109, 1.

Angeli illustriores dati Sanctis in virtute progredientibus pro custodia, item Prælatis et principibus, 61, 2. angelorum quæ nomina agnoscat Ecclesia, 21, 1, 2. angeli terrestres sunt Religiosi, 182, 1. angelorum nomine vocantur Episcopi, 33, 2; 39, 1. angeli singuli præsunt elementis singulis, 298, 2.

Angelos sua morte Christus non redemit, 109, 1. eorum alii assistentes, alii ministrantes, 2. eorum quod sit officium, 111, 1, 2. quomodo sibi invicem loquantur, 359, 1. an per se fideles in fronte crucis signo signaturi sint, 164, 1, 2. ignorant secreta cordium et conscientiarum, *ibid.* assistunt sacerdoti celebranti, id variis exemplis probatur, 188, 2 et seq. eorum duplex munus, 180, 1. eorum est mitti, 19, 1. præsunt planetis septem, *ibid.* eorum multitudine, fortitudine et gloria Dei majestas repræsentatur, 103, 2. aliquando ministrarunt S. Eucharistiam, 189, 1. offerunt Deo preces hominum, 190, 2. per eos omnia sua judicia exercet Deus, 337, 2 et seqq. cœli portas custodiunt, ne quis immundus illuc penetret, 374, 1; 412, 1, 2. nulla habent nomina, sed ea sortiuntur ex ministerio quod apud homines obeunt, 21, 2; 207, 2. per eos Deus orbem moderatur, 162, 1. eorum ingens est multitudo, 213, 1. eorum ope vinci possunt dæmones, 235, 1. sacrificio Missæ assistunt, 135, 1. gaudent de hominum commodis et salute, *ibid.* per eos docet et illuminat Deus homines, 15, 2. eorum scientia et perspicacitas, 109, 2. sunt ductores et receptores animarum sanctarum in cœlum, 371, 1. an ad signa judicii obstupescent, et proinde intelligantur per virtutes cœlorum tunc movendas, 156, 2. in fine mundi præliabuntur contra Luciferum et angelos ejus pro Christianis, eosque animabunt, 246, 1, 2.

Angelus falcem acutam habens quis sit, 284, 2.

Angelus habens signum Dei vivi quis sit, variæ expositiones, 162, 2. est verus angelus, 163, 2. ab ortu solis quomodo dicatur oriri, *ibid.*

Angelus fortis apparens Joanni circa apertionem libri signati quis esset, 121, 2. cur dicatur fortis, *ibid.* quos is denotaret, *ibid.*

Angelus fortis descendens de cœlo amictus nube et iride, quis, 213, 2 et seqq. cur pedem dextrum in mari ponat, 215, 1.

Angelus thuribulum habens quis sit, 188, 1.

Angelus denuntians excidium Babylonis quis, 323, 1, 2.

Angelus quidam præest inferno: is habet clavem inferni, 344, 1.

Angelus Martyres vindicaturus in fine sæculi cur de altari exeat, 285, 2. angelus cur a Joanne adorari noluerit, 335, 2 et seqq.

Angli conversi sunt per S. Augustinum a S. Gregorio illuc missum, 202, 2 et seqq.; 233, 2.

Anglicana Ecclesia est Babylon, cur, 312, 2.

Anglocalvinistæ quam in Pontificem Rom. ex Apocalypsi injurii, 12, 2; 252, 1; 305, 2; 317, 2.

Angusta est porta cœli, 376, 1.



Anicia familia unde ortum habuerit, et quinam illustres ex ea nati, 291, 2.

Anima sancta proprie templum Dei est, 113, 2. item cœlum, 307, 2. ejus vita Deus est, 64, 2. ejus candida vestis est innocentia, 69, 2. anima Martyrum habet stolam candidam, corpus habebit candido-purpuream, 172, 1. animæ quatuor facultates an per quatuor animalia Joannis repræsententur, 107, 1.

Animæ ante Christum dicebantur esse in promptuariis, in limbo exspectantes Christum; post illum dicuntur esse sub altari thymiamatis, in cœlo, 149, 1. animæ pro Christo interfectorum in cœlo exspectant corpus gloriosum, *ibid.* animæ quomodo abluantur, 180, 2. animas heroum ubinam habitare fingerent prisci, 180, 2. animas convertit robusta sanctitas, 72, 2. animæ propter Christum occisæ, sunt velut reges, principes et judices, 348, 2; 342, 2 et seqq. animæ quam ægre convertantur, 239, 2. animæ puræ mox a morte vident Deum, 147, 1. animæ multæ sanctæ aliquam maculam habentes ad Dei conspectum nolunt et nequeunt admitti, 403, 2.

Animalia quatuor Joannis. — *Vide* Quatuor.

S. Anno Archiepiscopus Coloniensis quam ob maculam cœlo exclusus, 403, 2.

Annulis utebantur veteres, loco sigilli, 34, 1.

Annus Hebræus et Chaldæus quot haberet dies, 225, 1. annus Julianus quomodo Hebræo posset adoptari, *ibid.*

Anni mille, quibus Satanas ligatus est, quomodo supputentur, 344, 2. anni quot restent a nostra ætate usque ad mundi finem, 355, 1. quot usque ad tempora Antichristi, 353, 2. anni an plurimi restabunt post cæsum Antichristum, 342, 2; 356, 2.

Ἀντος quis sit locus apud Ælianum duplici arborum genere consitus, 407, 2.

Ansbertus sæpe a Christo instructus fuit ut obscura Apocalypsis loca intelligeret, 11, 1.

Anselmus Cantuariensis interpres Apocalypseos, 12, 1.

Anselmus Laudunensis est auctor Glossæ interlinealis, *ibid.*

Anthracites lapis aquis perfusus ardescit, 391, 2.

Antichristiani agnoscent in fine mundi visis plagis, a Deo et Christo eas sibi immitti, 158, 1; 231, 2.

Antichristus quamdiu regnaturus sit, 223, 1; 224, 2; 248, 1; 256, 1. supervivet Eliæ et Henoch triginta diebus, 231, 2. cur bestia sit quæ ascendit de abysso, 229, 1. dæmones eum agent et possidebunt, et per eum truculentiam suam in Sanctos exercent, *ibid.* erit parricida, *ibid.*; 251, 2 et seqq. ejus erit Jerusalem, non Roma, 229, 1; 312, 2. sub illo plerique homines erunt impii, 230, 1. occidet tres reges ex decem regibus futuris suo tempore, tum reliqui septem ei sponte se subdent, 242, 1; 312, 2. repræsentatur in cauda draconis rufi, 242, 2. quam multos decepturus sit, *ibid.* pro eo, et cum eo, certabit Lucifer cum angelis suis, 246, 1, 2. per bestiam maris intelligitur, 253, 1; 253, 2. cur vocetur bestia, 253, 1. orietur et succrescet de mari, quomodo, *ibid.* an per mare cum ingenti classe venturus, *ibid.* quæ ejus capita septem, et cornua decem, *ibid.* cur comparetur pardo, 251, 2. erit dolosus: ejus in orbe subigendo celeritas: ejus pedes cur similes ursinis, *ibid.* ejus imperium futurum leoninum, superbum, immane et ferox: est designatus in quatuor bestiis Danielis, *ibid.* quam potestatem diabolus ei facturus sit, 2. simulabit se mortuum, ac triduo exacto se vivum sistet, 255, 2. est capitum bestiæ caput præcipuum, *ibid.* ejus plaga an sit revera futura mortifera, et artis humanæ respectu incurabilis, *ibid.* volet adorari ut Deus, *ibid.* faciet quæcumque volet, 256, 1. erit blasphemus et atheus, *ibid.* Christi honores sibi decernendos asseret, *ibid.* fiet sensim orbis monarcha, *ibid.* a quibus adorandus sit, *ibid.* violenta morte a Christo occidetur, 257, 1. ejus præcursor quis futurus, 258, 1. imitabitur mysterium SS. Trinitatis, 259, 1. ejus miracula tria, 260, 1. item alia, 260, 1. faciet omnes gestare suum signum et characterem, 2. et cur, 262, 1. numerus nominis ejus quis futurus, *ibid.* cur triplici senario constet, 2. ejus nomen quale futurum, 263, 1, 2. numerus nominis ejus efficiet DCLXVI, 2. ejus persecutio quam acris futura, 153, 1; 264, 2 et sequent. ejus nequitia, *ibid.* ipse superabit crudelitate priores tyrannos, 265, 1. ejus doles et mores summatim, 267, 1 et seqq. e Babylone veniet, ejus typi varii, 306, 1; 312, 1. an sit bestia coccinea super quam sedet mulier meretrix, 312, 1. ipse est caput et rex impiorum, 311, 2. est unus e septem capitibus bestiæ coccineæ, in eis regibus, et tamen octavus est, 318, 1. septies amplius persequetur Ecclesiam, quam reliqui omnes superiores tyranni, *ibid.* ipse Romam comburet et evertet per reges sibi subjectos, 312, 2; 319, 1. Imperium Romanum ex Europa in Asiam transferet, 320, 1. erit omnium regum totius terræ monarcha, 2. ejus jam nati signum erit Romæ eversio, *ibid.* 321, 1. ordo rerum ab eo gerendarum, 321, 2. quomodo sit a Christo occidendus, 337, 2. fulgure afflabitur, 338, 1; 341, 2; 357, 2 et seqq. finget se mori, et post mortem ad vitam resurgere, 341, 1. ascendet dein in montem Oliveti, volens in cœlum ascendere: unde eum dæmones in aera attollent, sed per S. Michaelem deturbabitur, ac tunc dæmones eum rapient in tartara, *ibid.* an vivus illuc descensurus sit, 2. ejus socii et milites quomodo occidendi, *ibid.* quo die occidendus sit, 342, 1. quot post ejus mortem supererunt dies usque ad judicium, *ibid.* occidetur finitis bacchanalibus, 2. post ejus cædem dabitur spatium aliquod pœnitendi et respirandi fidelibus, 154, 1.

Ἀντεμος an sit nomen Antichristi futurum, 263, 2.

Antiochena sedes Patriarchalis cur per vitulum repræsentetur, 107, 1.

Antiochi Soteris pentalpha ominosum, 26, 1.

Antiochus Epiphanes a Deo percussus, Dei justam vindictam in se agnovit, 158, 1.

Antipas, Episcopus Pergami, dæmones e possessorum corporibus pellebat; æneo bovi candenti inclusus animam pro Christo reddidit, 31, 2.

Antoninus Imperator quartam in Christianos persecutionem concitavit, 141, 2.

S. Antonius cur se albatum stiterit judici Alexandriæ, 172, 2.

Antonius Duca sacerdos cultum septem primorum angelorum promoveri conatus est, 20, 1.

S. Antonius de Padua cantans mortuus est, 282, 2.

Aperire librum et signacula solvere, non est quid diversum, 121, 2.

Apocalypseos libri dignitas, ejusque materia, 2, 1. est liber ultimus Bibliorum, 2. ejus auctor, *ibid.* an sit liber Canonicus: cur a quibusdam rejiciatur, 5, 1. probatur quod sic, *ibid.* ejus auctor Joannes Apostolus, non alius Joannes Presbyter, 2. scripta est græce, *ibid.* scripta est diu post excidium Jerusalem per Titum, *ibid.* item post relegationem auctoris ejus in Patmos, 6, 2. ante Evangelii scriptionem, *ibid.* quod ejus argumentum et materia, 7, 1. et seqq. an sit continuum ænigma, 7, 2. est prophetia de futuro, *ibid.* an duos habeat sensus litterales secundum Alcasarem, 8, 1. in ea aliquando est hysterologia, sed rarior, 9, 1; 278, 2. ejus acoluthia quæ, 9, 1. ejus argumentum est duplex, 2. ejus finis et scopus, *ibid.*; 116, 1, 2. ejus series et ordo, 10, 1. est omnium librorum S. Scripturæ difficillimus et obscurissimus, 2. ejus visiones non describuntur ordine temporis, 11, 1. est plena allusionibus ad veteris testamenti loca, historias et figuras, *ibid.* est primo revelata Christo in ejus incarnatione, 15, 1. in re est Apocalypsis, sed in modo et phrasi est epicalypsis, id est occultatio, 2. cur eam rejiciat Lutherus, *ibid.* ejus

revelatio quomodo Joanni facta, *ibid.* cur vocetur Evangelium 16, 1. ejus septem visiones, eorumque varia expositio, 91 et 92. ipsa est liber signatus quem vidit Joannes, 120, 1. tota occupatur circa descriptionem libri et septem ejus sigillorum, 2. ejus duæ partes, *ibid.* ejus pars secunda ubi incipiat, 221, 1. quædam illius cito post Joannem contigere, 410, 2 et seq. quomodo ei Joannes subscribat et auctoritatem addat, 410, 1, 2. ejus succincta chronotaxis et ordo, 415, 1 et seqq. est ipsa satis connexa, consequens et ordinata, *ibid.* quater tantum in ea ordo inversus, *ibid.*
Ἀποκάλυψις quid proprie sit, 15, 1.
Apollonius Tyanæus quo anno obierit, 6, 2. ejus de Vespasiano augurium, 66, 1.
Apostoli Ecclesiæ ut stellæ perfulsere, 238, 1; 413, 2. eorum decem figuræ, 238, 1 Apostoli 12 et 12 Patriarchæ, vel Prophetæ, fuere 24 seniores, quos videt Joannes in circuitu throni et Agni, 99, 2 et seqq. eorum humeris incumbit Ecclesia, 375, 2 et seqq. eorum quis sit ordo servandus, ut iis gemmæ civitatis cœlestis accommodentur, 375, 1 repræsentantur per duodecim portas cœlestis Jerusalem, 377, 2. et per ejusdem fundamenta, 374, 2; 383, 1. Patriarchis duodecim æquiparantur, 382, 2; 397, 1, 2. iis succedunt Episcopi, Pontifex Petro, 48, 1. plurimas ad virginitatem Deo vovendam animarunt, 275, 2. sunt pedes Christi, cur, 32, 2. per equum album denotantur, 139, 1, 2. eorum in prædicando ardor, *ibid.* quomodo portarint equitem Christum; eorumque in prædicando velocitas et patientia, 139, 2. orbi salutem et felicitatem prædicando peperere, *ibid.* Apostolos utrosque Apostolicos quomodo significent quatuor animalia, 107, 2. Apostoli novi duodecim an in fine mundi mittendi, 374, 1.
Apostolici viri vita et doctrina sua sunt velut margaritæ, 393, 1, 2.
Aqua omnis in fine mundi vertetur in sanguinem, 228, 2. sed id non erit diuturnum, *ibid.* an hæc plaga fidelibus sit nocitura, *ibid.* aqua sanitatis vel morbi esse causa solet, 196, 1. cur dicatur vitrea et crystallina, 102, 2. aqua facta sanguis tanquam mortui quomodo intelligatur, 298, 2. aquæ flumen quod evomat draco in mulierem, 250, 1. aquæ vitæ fluvius in cœlo quis sit, 405, 1.
[illegible]æ veræ et naturales super cœlos sunt, 106, 1. aquas in sanguinem vertent Elias et Henoch, 228, 2. aquæ cur populum repræsentent, 310, 2.
[illegible]ila significat Dei celsitudinem et sapientiam, 108, 2. [i]tem Christi divinitatem, 1. aquila in cœlo volans quæ sit, varie exponitur, 197, 1. ei comparantur concionatores, *ibid.* et seqq. aquilæ cur assimiletur S. Joannes, *ibid.* 3, 2 aquilæ cornicum obstreperos garritus contemnunt, 197, 1. earum fel melle mixtum acuit visum: senescentes se cum pennis renovant, *ibid.* 2. earum ala dextera in agro defixa ab eo avertit grandinem: in Imperatorum apotheosi ipsæ in cœlum evolabant, quasi eorum animæ, 197, 2. multos neci eripuere, *ibid.*
Arabes an futuri sint Gog et Magog, 357, 1.
Arabica versio Apocalypseos exstat in vaticana Bibliotheca, 13, 1.
Aranearum texentium Thebis quod fuerit prodigium, 95, 2.
*Arbe* (id est hebraice *locusta*) vox unde derivetur, 205, 2.
Arbores cœlestes omnes dant fructum vitæ et immortalitatis, 406, 1. illæ quid significent, *ibid.*
Arca fœderis significat corpus et humanitatem Christi, 199, 1; 232, 1. in cœlo visa Joanni quæ sit, 232, 1 et seq. symbolum est B. Virginis, 232, 2. arca bis mille cubitis a populo in transitu Jordanis distans, quid typice et symbolice denotet, 353, 1, 2.
Archidæmones ligati in passione Christi fuere, 209, 1. cur ligati dicantur in Euphrate, 2. quibus vinculis ligentur, *ibid.* habent tamen suos emissarios. *ibid.*
Archidiaconus inter cardinales quæ sit dignitas, 22, 2.
Archilochus Poeta cur a Spartanis urbe ejectus sit, 68, 1.
Arenæ symbolo denotantur impii, utpote steriles et terreni, 251, 1.
Aretas Apocalypseos commentator est, 12, 1.
Ariani per equum nigrum Joanni visum repræsentantur, 143, 1. eorum dogma, *ibid.* eorum propagatio et sævitia in Orthodoxos, 144, 1, 192, 2 orbis se mirabatur esse Arianum, 144, 1. olim baptizatis a suis in Africa chirographum dabant, 260, 2.
Aristippi de muliere parva gnome, 68, 1.
Arius in secessu crepuit medius, 312, 1.
Armadillus animal habet corium instar loricæ compactum, 206, 2.
*Armageddon* hebraice quid significet, et ubi is locus sit, 302, 1. est nomen loci novum, quod illi ab eventu imponetur tempore Antichristi, *ibid.* hic locus futurus est juxta Jerusalem et vallem Josaphat, 2.
Ἀρνοῦμε an sit nomen Antichristi futurum, 263, 2.
Arnulphus Caroli Magni avus, relicto Episcopatu, ad eremum rediit, 66, 1.
Arsabacus apud Parthos primus Rex magnus est appellatus, 340, 2.
Articuli Symboli repræsentantur duodecim lapidibus civitatis Jerusalem, 375, 1. quinam a quonam Apostolo sint compositi incertum, at singulis suam attribuerunt auctoritatem, 375, 2.
Ascensio Christi in cœlos cur chrysolitho gemmæ assimiletur, 394, 1.
*Asceta* vox quid significet, hoc nomine vocantur Religiosi, 172, 1.
Aser Patriarcha est typus S. Simonis Apostoli, 397, 2.
Asiæ principes quo ritu inaugurarentur, 85, 1.
Asmodæus ligatus a Tobia in deserto, habet tamen suos per mundum ganeones, 209, 2.
Aspectus Hebræis ponitur pro colore vel specie, 65, 2 et sequ.
Aspiratio Græca sæpe latine vertitur in S. litteram, 291, 1.
Assistentes angeli videntur significari per quatuor animalia in conspectu throni stantia, 109, 1, 2.
Astion jam beatus, Vigilantio apparens, parentes jussit ab ethnicismo converti, et in quam amœna regione ageret, aperuit, 409, 2 et seqq.
Astra cœli an sint virtutes cœlorum in fine mundi movendæ, dicunturque militia cœli, 156, 2.
S. Athanasius quam libere Constantinum Imperatorem arguerit, 228, 1. continuo in fuga et latebra vixit, 371, 2. pene solus sese Arianis opposuit, 144, 1.
Athletæ futuri prius sese diu privatim exercebant, 90, 1. eorum labores et patientia, 181, 2. oleo se ungebant, 226, 2.
Attributa quatuor divinæ providentiæ an denotentur per quatuor Joannis animalia, 107, 1. attributa septem Dei, in quibus consistit integra providentiæ perfectio, 23, 2.
Audire et videre in spiritu idem sunt, 28, 1.
S. Augustinus quam ardenter ad cœlestia gaudia anhelaret, 414, 1, 2. lectione vitæ S. Antonii conversus, 88, 1. per matris lacrymas ad fidem Catholicam transiit, 270, 2. quam Deo gratus ob suam conversionem, 177, 1, 2. ejus mors qualis, 282, 1.
Aurelianus Imperator novam in Christianos persecutionem movit, 152, 1. sed ea non fuit executioni mandata, 252, 1, 2.
Aurichalcum quid sit, unde dicatur, an sit æs; aurichalcum ardens simile est carbunculo, 387, 2.
Aurigarum Circensium factiones erant quatuor, 138, 2.
Aurum cur veteres nonnisi regibus et viris divisis attribuerent, 99, 1. id in Scriptura varia significat, 30, 1; 392, 1. cur sit pallidum, 145, 2. per aurum ignitum quid intelligatur, 84, 2. aurum inauratum quod sit: id ad splendorem facit, 318, 1. aurum charitatis emittat



oratione, lacrymis, pœnitentia, bonis operibus, 85, 1. item sanguine Christi, *ibid.* quomodo sit civitas cœlestis aurum mundum, 389, 2.
Authoris oratio ad S. Joannem, 5, 1, 2. ejus in hisce commentariis ratio ac methodus, 13, 1. ejus in hæreticos candor et sinceritas, 309, 2.
Aventinus collis Romæ unus e septem, 316, 2.
Avis imago diaboli est, 211, 1.
Axilla dicitur ab ala, 110, 1.

## B.

Babylon meretrix magna, cum qua fornicati sunt reges terræ, quæ sit, 305, 1, 2. an cœtus impiorum, *ibid.*, 1. an mahometismus, 306, an Constantinopolis et Babylon Chaldæorum regum sedes, *ibid.* est Roma ethnica qualis fuit olim, et tempore Antichristi futura est, *ibid.*; 314, 1. quid sit bestia coccinea super quam sedet, 311, 2. ejus poculum aureum quod sit, 313, 1. Babylonis Chaldaicæ excidium et ruina fuit typus excidii Babylonis Romanæ, 324, 1; 352, 1. quanta ejus futura vastitas, 324, 1. cur Babylonis nomine eam vocet Joannes, *ibid.* cur id excidium describat, *ibid.* in ea punientur et Romæ Ethnicæ persecutiones, 2. cum ea occidet orbis, *ibid.* vocatur meretrix, mercatrix, caupona, 325, 1. ejus deliciæ, 329, 1. mercatura et avaritia, 330, 2. ejus veneficia, 331, 1. — *Vide* Roma.
Babylon Chaldæorum metropolis an intelligatur per meretricem magnam in Apocalypsi descriptam, 306, 1. ejusdem situs, 310, 2. magnitudo, 364, 2.
Babyloniæ virgines et sponsæ prius sese Veneri prostituebant, 314, 1.
Bacchus priusquam nasceretur, habuit cornua, 259, 1, 2. cur, 279, 1. ei post victoriam præmium fuit templum magnificum, 371, 1.
Balaam ariolus Israelitis non tam maledixit, quam benedixit, 51, 1. illius pravum consilium regi Balac datum, *ibid.*
Balænæ aquarum montes evomunt, 350, 1.
Balduini Godefridi Bullonii successor an repræsentetur per equum album e cœlo aperto prodeuntem, 349, 1.
Balsami hortus ex se non dat fructum in Ægypto, nisi irrigante fonte Virginis, 405, 1.
Balteus sacerdotis veteris describitur, 30, 2.
*P.* Balthazari Alvarez celebranti adstabat angelus, 189, 1.
Baptismi sacramentum adumbratur mari Rubro, 299, 2. an dici possit mare vitreum, *ibid.*; 103, 2.
Baptizati olim vestem candidam deponentes ejus loco accipiebant agnum cereum a Pontifice benedictum, 124, 2.
Barachiel quid proprie significet, 21, 2. ejus emblema, 22, 1.
S. Barnabæ Apostoli elogium, 129, 2.
S. Bartholomæus cur sardio gemmæ comparetur, 391, 1. an ipse sit Nathanael, *ibid.* ejus typus fuit Ruben, 397, 1.
S. Basilii oratio erat tonitru, quia vita fulmen, 4, 2. scripsit in Apocalypsin, 11, 1.
Beati admirantur non terrena, sed cœlestia, 180, 2. eorum reverentia erga Deum, 186, 1. a Jesu vocantur Jesuitæ, vel Jesuani, 79, 1. quomodo in cœlo invicem loquantur, 359, 1. eorum unio et communio in cœlo, 369, 1. sunt populus Dei, 2. Deus est jugiter cum eis, *ibid.* alter alterius vident arcana, 381, 1. palam profitebuntur se esse servos Dei, 409, 2. sunt reges, 132, 2. eorum spes de vindicta nihil minuit de beatitudine ipsorum, 151, 2. stant ante thronum Dei, 170, 2. eorum in cœlo voluptas e ligno vitæ quæ sit, 406, 1. eorum præmii dotes septem, 183, 1, 2. ipsi dici nequeunt arbores vitæ, 407, 1. illorum voluptas jugiter renovatur, 2. omnia in cœlo, etiam minima, eos recreant, 408. eorum quantus sit numerus, 170, 1.
Beatitudo cœlestis cur vocetur cœna, non prandium, 335, 1 et seqq. est velut lignum vitæ, 47, 1. an denotetur per mille annos ligati Satanæ, 347, 1 et seq. — *Vide* Cœlum.
Beda in Apocalypsin commentarium edidit, 11, 2.
Bella inter probos et improbos, eorumque exitus an in Apocalypsi generaliter describantur, 7, 2. bellum Ecclesiæ cum Synagoga et gentilitate, ac de utraque triumphus an in ea describatur, 7, 2.
S. Benedictus quomodo prædixerit Romam nunquam ab infidelibus eversum iri, 310, 1. in spiritu elevatus vidit totum orbem quasi in globo in radiis solaribus collectum, 359, 2.
Benedictus Pererius docte in priora Apocalypseos capita scripsit, 12, 2
Beneficia Dei in nos omnem gratiarum actionem et laudem superant, 178, 2.
Benjamin Patriarcha est typus S. Thomæ Apostoli, 397, 2.
S. Bernardus quomodo a cœlestibus deliciis absorberetur. 54, 1, 2. ejus ad Jesum jubilantis ardor, 414, 2.
Beryllii gemmæ color, descriptio, sine auro venustior est, ejus dotes, 392, 1, 2.
Bestiæ quatuor Danielis quomodo Antichristum repræsentent, 254, 1. bestia coccinea super quam sedet meretrix magna, quæ sit, 311, 2. significat cœtum impiorum et mundanorum, *ibid.* 312, 1. cur dicatur coccinea, 312, 2. bestia e mari ascendens quæ sit, 252, 1, 2. non esse imperium Romanum ostenditur, 252, 1, 2. bestia de terra quænam sit, 238, 1 et seq. proprie est præcursor et præco Antichristi, 258, 1. ejus duo cornua similia Agni quæ sint, 259
*Beta semicocta* proverbium dicitur de hominibus languidis, 83, 2.
*Beth* Hebræi utuntur, cum instrumentum, modum et rationem significant, 58, 2.
Bezæ error de auctore Apocalypseos, 6, 2. ejus scomma de Cardinalibus, 318, 1.
Βίβλος varia patitur diminutiva, 215, 1.
Bilibris quæ sit mensura, 143, 2.
Blasius Viegas moraliter in Apocalypsin scripsit, 12, 2.
Βλασφημία idem est quod δυσφημία, sed usu Ecclesiastico sumitur pro convicio jactato in Deum vel Sanctos, 48, 2 et seqq.
Boetii Severini elogium, 291, 2.
*Bogh* illyrice Deus est, *bogaztuo* divitiæ, 183, 2.
*Bogorisa* cur dicatur Polonis et Moschis B. Virgo, id est Dei radix, 123, 2.
Bona terrena fideles debent a se abdicare, 223, 1. ob bona sua cur Sancti non superbiant, 115, 2.
S. Bonaventura et D. Thomas Aquinas comparantur duabus olivis, 227, 1
S. Bonifacii Martyris inter tormenta jubilus, 344, 2.
S. Bonifacius Episcopus Moguntinus an sit angelus habens Evangelium æternum, 278, 1.
Bonifacius III Papa non fuit primus Antichristus, 262, 2; 263, 1.
Bonum esse oportet tum sibi, tum aliis, 64, 2.
Boos et Jachin erant duæ columnæ templi, 76, 1.
Bos significat symbolice Dei patientiam, justitiam, religionem et cultum, 108, 2. item Christi sacerdotium, 1.
Bosphorus Cimmerius sedes inferni, 145, 2.
Botri sunt symbolum reproborum, 285, 2.
Britanni *alleluia* inclamantes de hoste suo obtinuere victoriam, 333, 2
S. Bruno quo facto sit ad Deum conversus, 269, 1, 1.
Βυθὸς primum numen Valentini hæretici, 59, 2.
Byssus repræsentat purissimam conversationem Sanctorum, item felicitatem, 334, 1; 339, 2.

## C.

Cadente uno alius a Deo in ejus locum surrogatur, 74, 1, 2.
*Cados*, id est *sanctum*, quid proprie sit, 112, 1.

S. Cæcilia quid responderit sortem ejus miserantibus, 380, 2. ei ejusque sponso Valeriano coronas floreas e cœlo attulit angelus, 115, 1.

Cœlestinus Pontifex, relicto papatu, in monasterium se recepit, 66, 2.

Cælius collis Romæ quis esset, 316, 1.

Cælius Pannonius Apocalypseos interpres, vero nomine dictus Gregorius Hungarus, 12, 2 et seqq.

Cæremoniæ et Sacramenta quibus Catholica Ecclesia decoratur, sunt velut folia arborum vitæ, 408, 1, 2.

Cæruleus cœli color unde habeat ortum, 385, 2.

Cain cum gigantibus persecutus est pios, 317, 1.

Calamus quæ mensura sit, 371, 1, 2. capitur etiam pro virga mensoria, 221, 2. quot esset cubitorum, *ibid.* non est mensura hominis, 222, 1. cur esset similis virgæ, *ibid.*

Calculus candidus quis vincenti promittatur, 55, 1. quis proprie sit calculus, *ibid.* 2. calculus candidus qualiter res priscis denotabat, *ibid.*

Calidæ potus ad quid conducat, 83, 1. calidi, frigidi, tepidi quinam spiritualiter sint, 80, 1, 2.

Caligulæ Imperatoris immanitas, 35, 1. ejus imperium an per equum album significetur, 137, 2.

Calix aureus aliquando supplicium, aliquando splendorem et luxum significat, 313, 1, 2. calices sacerdotum an possint per phialas exponi, 128, 1.

Calixtus II, Pontifex, quomodo Satanam per mille annos ligasse dicatur, 345, 2.

Callais quæ sit gemma, 391, 1.

Calvinus quomodo sit Antichristus, 312, 2. qualem infernum fingat, 202, 2. ejus funesta mors et castigatio, 342, 1.

Calvinistæ cur recipiant Apocalypsin, cum Calvinus eam rejiciat, 5, 1.

Camera capitur interdum pro fornice, 376, 2.

Candelabrum templi septem habebat lucernas, 28, 1; 192, 1. Sanctum sanctorum aliquatenus illustrabat, *ibid.* Ecclesiæ symbolum et typus est, et cur, 21, 1; 28, 1; 98, 1.

Candido calculo notabatur absolutio in judicio, 56, 1. candidus color, quarum rerum sit symbolum, 172, 1; 293, 2; 334, 1; 358, 1. convenit Deo et divinis, 387, 1. — *Vide* Albus.

Candidi et sinceri sint oportet senatores, 101, 1.

Candor nimius purpurascit aliquando, 171, 2.

Candor morum virginum est, 276, 2.

Canes qui cœlo excluduntur, quinam sint, 412, 1.

Cani capilli quarum rerum sint symbolum, 31, 2.

Canones Apocalypsi prælucentes, 11, 1.

Canticum novum virginum quod sit, 273, 2. canticum novum quod canant 24 seniores, 131, 2 et seqq. canticum Mosis et Agni quod sit, 292, 1, 2.

Capilli candidi Christi apparentis quid denotent, 31, 2.

Capra symbolum est libidinis, 227, 1.

Caprea cur abstinerent sacerdotes prisci Romani, 29, 2.

Caput in omni hominum congregatione necessarium est, 207, 1.

Caput recte formatum an sit sexta pars hominis, et consequenter cubitus, 221, 2. capita septem draconis rufi quid denotent, 241, 2. capita septem Antichristi quæ sint, 253, 1, 2.

Carbunculus cur dicatur calculus candidus, 55, 1. est gemma eadem quæ chalcedonius, 386, 2 et seqq. unde dicatur, 387, 1. an adamas sit, *ibid.* et seqq.; 55, 2. qualis gemma sit describitur, 387, 1, 2. quam fulgidum Lusitaniæ Rex habeat, 387.

Cardinales diaconi septem cur Pontifici Romano assistant, 22, 2. eorum numerus quando auctus, *ibid.* Cardinales septem Episcopi in basilica Lateranensi olim erant, 39, 1. Cardinales omnes cur sint brevis vitæ, 52, 1. in eos injurius est Beza, 313, 1. Cardinalis Alexandrini Pii V nepotis de sublimi statu sententia, 65, 2.

Carlomannus regis Francorum filius factus est monachus Benedictinus, 261, 1, 2.

S. Carolus Borromæus voluptatibus omnibus bellum indixit, quo castitatem lucraretur, 272, 2. quot annis sit mortuus, 282, 2.

Carolus Magnus regnum Longobardorum extinxit, 231, 1. ejus zelus, 299, 1.

S. Carpus an fuerit Episcopus Pergamenus, 51, 1. potius videtur fuisse Thyatirensis, *ibid.* 57, 1.

S. Casimirus maluit mori, quam virginitatem etiam conjugio perdere, 97, 2.

Cassiodorus in Apocalypsin est commentatus, 11, 2.

Castigatio scelerum signum est electionis peccantis, 58, 2; 294, 1.

Castiget suos Deus, cur, 87, 1, 2.

Castitas dicitur a castigatione, 272, 2. est virtus princeps regalis et divina, 271, 1.

Castra metaphorice dicuntur latibula Christianorum tempore Antichristi, 357, 2. castra duodecim tribuum in deserto quomodo essent disposita, 373, 1.

S. Catharinæ Senensis elogium, 278, 2. quotidiana communione vires animi et corporis reparabat, 47, 1. quomodo divinis consolationibus perfunderetur, 54, 2. vehementia amoris mortem sibi acceleravit, 282, 2. e Christi manibus aliquando communicavit, 191, 1.

Cathedras in templo habebant principes sacerdotum, 98, 1.

Catholicorum doctrina, in qua ab eis dissident hæretici, diu fuit ante S. Gregorium secus ac calumniantur hæretici, 283, 1. Catholicorum longe major pars salvatur, et cur, 378, 1 et seqq.

Caudæ scorpionum maxime sunt noxiæ, 199, 2; 225, 1. caudæ capitatæ equorum visorum Joanni denotant gladios militares, qui instar caudarum retro exstant, et capulos instar capitis habent, 211, 1. aut pedisequos militares, 212, 1.

Caupona est imago et origo cultus idololatrici, 325, 1.

Celeritas solis in cœlo, 86, 2.

Cellæ meretricum nomine olim Romæ inscribebantur, 214, 1. cellæ et promptuaria animarum quæ sint post mortem, 149, 1.

Centum et viginti anni vitæ hominum in Genesi a Deo definiti quid symbolice significent, 352, 2. centum quadraginta quatuor millia signati, mystice quid suo numero repræsentent, 168, 1 et seqq. centum quadraginta quatuor millia in monte Sion stantes alii sunt a 144 millibus signatis, 270, 2. eorum vox quibus rebus comparetur, 271, 2.

Centuplum promissum renuntiantibus sæculo quod sit, 56, 2.

Cerberion mons est apud Pontum Euxinum, 145, 1.

Cerinthus miscere volebat legem cum Evangelio, 59, 2; 60, 1. mire extollebat angelos, eosque præferebat Christo, 336, 1. docebat Christum non esse Deum, hinc a Joanne jugulatur in Apocalypsi, 10, 1. ei cur Apocalypsis attributa, 6, 1; 346, 1.

Certandum est in cœlum pertingere volentibus, 90, 1.

Chalcedonensi in Concilio declarata est veritas incarnationis Verbi divini, 388, 1.

Chalcedonius quæ sit gemma, an idem qui carbunculus, unde dicatur, an dicendus Carchedonius, 386, 2. dicitur et pyropus et apyrausta, *ibid.* ejus color, vires, descriptio, an idem qui onyx, *ibid.*; 387, 1. an interdum candent, itaque sit adamas, 387, 1.

Chalcitis quæ species lapidis sit, 387, 2.

Chalcolibanum quidnam sit, 32, 1. an sit thus, an aurichalcum, *ibid.*

Characterem Antichristus suis asseclis quare inuret, 260, 2. quomodo id fiet, 261, 1. sine eo nemini licebit quidquam emere, *ibid.* quis is futurus, *ibid.*

Charitas cur dicatur ignis et aurum, 85, 1; 191, 2. charitas plena quæ sit, quæ non sit, 68, 2. charitatis lex est aurea, 30, 2; 31, 1. charitatis communio in Beatis viget, 401, 1. charitas et gratia est sanctitas, 118, 1.





*Chel* quam varia significet, 325, 2.

Chœnix quæ mensura sit: quæ sit Attica chœnix, 143, 2.

*Cherub* vox unde derivetur, 103, 1, 2.

Cherubini an in templo præcise 24 fuerint, itaque 24 seniores Apocalypsis repræsentent, 99, 2. Cherubinorum perspicacitas, 110, 2. Cherubini Ezechielis habebant ungulam fissam, non item animalia Joannis, *ibid.* eorum perfecta idea, *ibid.* illi describuntur, 104, 1, 2; 107, 1.

*Chet* littera Hebræa apud Latinos et Græcos liquescit et perit, 392, 2.

Chiliastæ post Antichristum numerant annos mille: eorum quis author, 345, 2. eorum error refutatur, 346, 1 et seqq. — *Vide* Millenarii.

Chilo præ gaudio mortuus est, 80, 2.

Chilpericus, Francorum rex, visus a morte in infernum projici, 109, 2.

Chinensi in regno quot sint hominum milliones, 210, 2.

Chirographum peccati Adæ an sit liber signatus Joanni visus, 119, 1.

Χλωρὸς est viridis color herbarum, 144, 1.

Χόρτος significat herbam virescentem et germen herbescens, 193, 2.

Christianæ religionis antiquitas quanta, 31, 2.

Christiani cur recte vocentur nomina, 69, 1. cur et quomodo debeant esse masculi, 243, 2 et seqq. quomodo in terra regnare dicantur, 132, 1. cur se mutuo amare debeant, 131, 1, 2. magis ad amandum tenentur, quam cæteri homines, *ibid.* sunt reges et pontifices, cum sint sancti, 132, 1. eorum verba et sanctimonia qualia esse debeant, 101, 1. Christiani qui potissimum damnentur, 378, 2. Christiani omnes non sunt sacerdotes proprie dicti, sed mystici, 23, 1. tempore Antichristi cruces gestabunt publice cur, 164, 1. eorum multi in fine sæculi cur Jerusalem confluxuri sint, 357, 2. quam multi tunc adhuc futuri sint, 374, 1. — *Vide* Fideles.

Christiani primi tum verbis, tum vita Ethnicos convertebant, 101, 2. cur citharœdis comparentur, 273, 1. olim corona non utebantur, 114, 2. non erant adversarii Romæ et Romanorum Imperatorum, 324, 2. cur sepulcris suis incidi curarent α et ω, 21, 1; 26, 1. illis moris erat crucis signum aut nomen Jesu candentibus notis carni inurere, 165, 1.

Chronologia mundi, ejusque ætates septem an sint liber signatus, 119, 2.

Chronotaxis Apocalypseos, 416, 1.

Chrysolithus gemma describitur, quam late nomen ejus pateat, ejus color, 391, 2 et seqq. ejus dotes et vires, 392, 1.

Chrysoprasus gemma est species topazii, 393, 1; 394, 1. ea describitur, ejus species, nomen, vires, 394, 1.

Cicatrices vulnerum ad gloriam in cœlo an retinebunt Martyres et alii Sancti, 407, 2.

Cimmerius lacus est apud Pontum Euxinum, 145, 2.

Cippus quod cum cornibus visus esset, augur ei regnum prædixit, 259, 2.

Circensium aurigarum factiones erant quatuor, 138, 2.

Circulus lacteus in cœlo cur nitescat crasso lumine, 406, 1.

Citharis cur dicatur vox virginum similis, 272, 1. citharæ seniorum et phialæ quid significent, 127, 2 et seqq. citharas in cœlo fore probatur, 128, 1. earum suave melos, 2. citharæ mystice qui sint, 273, 1.

Civitas dilecta etiam tempore Antichristi erit Jerusalem, 357, 2 et seq. civitas est quasi musicus concentus, 272, 1. civitas cœlestis Joannis an respondeat civitati Ezechielis quoad longitudinem et latitudinem, 364, 1; 376, 1.

Claritas Dei civitatem cœlestem illuminans quænam sit, 373, 1; 402, 1.

Classes septem Beatorum, 183, 2.

Claves mortis et inferni septuplices habet Christus, 38, 1. clavis David quæ sit, 71, 1.

Clemens Ancyranus viginti annis obiit martyrium, 54, 2; 250, 2.

Clemens I Pontifex perpetuam virginitatem coluit, 275, 1. ejus pro fide Christi martyrium, *ibid.* vidit Agnum stantem, qui ei pede fontem aquæ indicavit, *ibid.* S. Domitillam ad virginitatem et martyrium pro ea subeundum animavit, 2. fuit egregius in Gentilibus ad Christum adducendis, 293, 1.

Cleopatræ reginæ Ægypti luxus et pompa, 313, 2. ejus uniones duo quanti constiterint, *ibid.*; 398, 2.

Coccus regum est vestis, 312, 2.

Cœlestis gloria melius potu quam cibo denotatur, 183, 2. ejus hypotyposis, 171, 1. pro ea quam generose certandum, 90, 1. ejus cogitatio quas habeat vires, 396, 2 et seqq. vocatur corona et palma, cur 49, 2. — *Vide* Cœlum, Beatitudo, Gloria.

Cœli descriptio, 409, 1 et seqq. in nobis semper ante oculos habendum, 367, 1. anagogice per Sionem significatur, 269, 1. in eo verus est fluvius et poma, 408, 1. ejus templum Deus est, non aliud, 401, 2. ejus sol est Dei claritas, claritas Agni est quasi luna, 402, 1. in eo omnia communia, 243, 1. domus est fortium, cujus typus fuit domus fortium Davidis, 91, 1, 2; 368, 2. in eo non est nox, 279, 2. qui illuc sine purgatorio transeant, 283, 1. id post diem judicii innovabitur, 366, 1. ejus pulchritudo unde colligatur, 382, 1. ejus magnitudo et vastitas, 377, 2. est quasi sapphirus primarius, 385, 1. ejus color cæruleus proprie non est color, 2. ejus fundamenta cur gemmea, 382, 1. in eo sunt veræ gemmæ, *ibid.* vocatur tabernaculum, 360, 2. — *Vide* Ecclesia cœlestis.

Cœlum crystallinum et aquæ super cœlos an denotari possint per mare vitreum in conspectu sedis, 103, 2. cœli apertio quam vidit Joannes fuit tantum imaginaria, 93, 1. quid ea mystice designet, *ibid.* cœlum empyreum cur dicatur mare vitreum, 103, 2. id an sit rotundum, an quadratum, 376, 1. cœlum novum quod dicatur, 396, 2 et seqq. cœlum recedere quomodo dicatur, 156, 1.

Cœnæ nuptiarum Agni quæ sint fercula, 334, 2.

Cœtus impiorum an commode intelligatur per Babylonem quæ in Apocalypsi describitur, 305, 2.

Cogitationes et intentiones omnes mentis ad voluntatis divinæ normam componendæ, 362, 1.

Cognitio gloriæ cœlestis homines in hac vita recreat, 402, 1. cognitione ipsa Deum laudamus, 134, 2.

Coinquinatum aliquod in cœlum non ingreditur, 403, 1, 2.

Colles Romani quinam, 316, 1, 2.

Collyrium est pharmacum lippitudinis oculorum, 85, 2. collyrium spirituale quod sit, 86, 1.

Colores aurigarum Circensium erant quadruplices, 138, 2. his denotabantur elementorum inter se pugnæ, *ibid.* colores varios cur gestent equites in loricis, 211, 1.

Columnæ eriguntur ut trophæa victoriarum, 78, 2. columnæ octo sunt dotes, *ibid.* iis inscribuntur tituli victorum, 78, 1, 2. columnæ duæ Booz et Jachin, qua occasione ante templum Salomonis erectæ, 78, 1.

Communicantibus digne (in) maxime fructum suum operatur Eucharistia, 46, 2.

Communis vita in Religioso probatur, 400, 1, 2.

Concio quænam sit efficax, 101, 2.

Concionando (in) non oportet tepescere, etiamsi pauci aut nulli convertantur, 44, 1, 2.

Concionator aliquis in fine mundi, hominibus plagas imminentes prænuntiabit et Antichristum instare, 197, 1. — *Vide* Prædicator.

Concordia unde dicta, 127, 2. concordia et unio cur requiratur in Religiosis, et Clericis, virisque Apostolicis, 393, 1; 400, 1.

Concubinatus sacerdotum est velut hæresis Nicolaitarum, 52, 1.

Concupiscentias repræsentant locustæ, 199, 1, 2. eas vincentibus dantur consolationes, 54, 1.

Confessio capitur pro sepulcro Martyrum in priscis Martyrologiis, 147, 2 et seq.

Confessorum quanta copia sit in cœlo, 170, 1. confessores in carcere mortis sententiam exspectantes vocabantur olim martyres, 173, 2.
Confirmare alios, munus est Episcoporum, 67, 1, 2.
Conscientia quotidie examinanda, 362, 1. conscientia cuique instar libri est, in qua sua bona aut mala opera legit, 361, 1. conscientiarum septem genera sunt, 42, 1.
Consiliarii principum quales esse debeant, 100, 2 et seqq.
Consolationes spirituales sunt velut manna absconditum, eæque dantur vincentibus delicias et concupiscentias carnales, 53, 2 et seqq. consolationem in ærumnis submittit Deus, 142, 2.
Constantini Copronymi sordes, 327, 1. ejus funestus interitus, 342, 1.
Constantinopolis, an intelligatur per Babylonem in Apocalypsi descriptam, 278, 2; 306, 1.
Constantinopolitana sedes Patriarchalis, cur per aquilam designetur, 107, 1.
Constantinus Magnus an denotetur per angelum habentem signum Dei vivi, 163, 1. ejus imperio an ligatus Satanas, et post annos mille solutus, 345, 1, 2; 347, 1.
Constantinus ultimus Græcorum Imperator una cum vita imperium amisit, capite truncatus, et pariter Orientis imperii finem fecit, 194, 1.
Constantius, Constantini Magni pater, unde dictus sit Chlorus, 144, 2.
Constantius Imperator quam esset dirus et immanis in Orthodoxos: typus Antichristi fuit, 265, 1, 2 et seq. ejus mors, et quid in morte deploraret, 266, 1.
Contemplationis rerum cœlestium dulcedo quomodo dicatur manna absconditum, 53, 2. ad eam per duodecim gradus ascenditur, 169, 1. illi intendens sapphiro designatur, 386, 1.
Convivium sacra Scriptura est in ea assidue versantibus, 234, 2.
Cooperationem nostram cum sua gratia quanti faciat Deus, 88, 1.
Cor hominis deberet esse patens et apertum, 381, 1. cor octo modis pulsat Deus 88, 1. corda Sanctorum sunt velut desertum, 249, 2.
Corallachates affinis est chrysopraso, 394, 2.
Cornu(ex) olim bibebant, 279, 2. cornu apud priscos signum erat regni, imo divinitatis, 259, 1, 2. item roboris et potestatis, 259, 2; 242, 1. cornua decem bestiæ maris quæ sint, et quomodo disponenda, 253, 1, 2. quid per ea intelligant hæretici, 253, 2. cornua decem draconis rufi quid denotent, 241, 2 et seqq. cornua duo similia Agni bestiæ de terra ascendentis quæ sint, 259, 1. cornua septem Agni quomodo in ejus capite essent disposita, 125, 2. quid illa significent, *ibid.* et seqq.
Corona aurea propria sacerdotum olim, sed provincialium duntaxat erat, 99, 1. qualis olim regum esset corona, *ibid.*; 338, 2. corona olim nulli nisi Deo dabatur, 115, 1. quarum rerum corona sit symbolum, *ibid.* corona gloriæ septem titulis et nominibus significatur, 62, 2. varias excellentias includit, *ibid.* corona Olympica quam esset gloriosa, 89, 2. hæc in eminenti loco suspensa ab agonistis manibus veloci cursu corripiebatur, 74, 1; 173, 1. corona pro galea accipitur aliquando, 203, 2. coronæ nomine cur appelletur beatitudo, 49, 2. corona cœlestis est propter hominem, non homo propter coronam, 74, 2.
Coronæ quales deceant Christianos, 161, 2. coronæ aureæ in capite 24 seniorum, quid denotent, si per hos sacerdotes intelligantur, 99, 1. coronæ hæreticorum cur fingantur similes esse auro non aureæ, 201, 2.
Corpus Dei sedentis in throno superne erat simile sardio, inferne jaspidi, 95, 1. corpus Christi repræsentabat arca fœderis, 232, 1.
Corsico Wandalorum rex multum damni Italiæ intulit, 200, 2.
Cotyla quæ sit mensura, 43, 1.
Creatio mundi et resurrectio Christi quomodo inter se conveniant, 92, 2 et seq.
Creaturæ omnes quomodo Deum laudent, 134, 1, 2. Dei et Christi imperium ac dominium maxime agnoscent in extremo judicio, 2. earum varietas, universitas et pulchritudo per iridem repræsentatur, 97, 1. earum visio in Deo per smaragdum repræsentatur, *ibid.* muta voce laudant Deum creatorem suum, 134, 2
Crœsus in sua opulentia a Solone non est habitus felix, 281, 2.
Cruciatæ expeditiones quæ dicantur, 164, 2.
Crucem gestant Episcopi et Pontifex, 164, 1. crux et tribulatio est character Christi, 261, 2; 262, 1. crux in fronte, corde et brachio quomodo, 164, 1. ejus elogia, *ibid.* est signum electorum Dei, 163, 2; 165, 2. crux an quomodo arbor, vitæ dicatur, 407, 1. crux a Christianis sæpe per diem formatur, 164, 1. crux signum Dei vivi, habet formam *tau*, 163, 2. crux Christi est velut clavis cœli, 71, 1. in ea quæ ejus virtutes eluxerint, 22, 1. fuit velut arcus cœlestis 96, 2. clamat illa misericordiam et reconciliationem, *ibid.* ejus cornua quæ, quam potentia, 126, 1. crux cithara est, 125, 2; 272, 2. ea in cœlo exterius apparebit, quasi victoriæ trophæum.. 407, 1.
Cryptæ cur in priscis templis Romæ conspiciantur, 148, 1.
Crystalli quæ sit materia et origo, 406, 1.
Cubile dicitur locus felicitatis Beatorum, 148, 1.
Cubitus an quarta, an sexta pars staturæ hominis, 221, 2; 376, 2; 380, 1, 2.
Cupidinis vis et potentia, 311, 1.
Cupiditatibus debent imperare Christiani, 244, 1; 90, 1.
Cyanus qualis gemma sit, an cæruleus, 395, 1.
S. Cyprianus Wandalorum excidium prædixit, 201, 1. ejus error de mundi ætate et duratione, 354, 1.
Cyrillus Alexandrinus in Apocalypsin scripsit, 11, 2.
Cyrus ignavos milites exauctorabat, 82, 2. nihil admirabatur, 156, 2; 315, 2. Cyrus et Darius quo astu Babylonem cœperint, 299, 2 et seq.

## D.

Dactylus palmæ fructus digitis est similis, 173, 1.
Dæmones in inferno habent corpora ignita, 287, 1. inviti confitentur Deum, 134, 1. recte comparantur scorpiis, 295, et seq. in inferno horrendas induunt larvas, ut terreant damnatos, 288, 2. in fine sæculi in forma equitum et equorum impios punient, permixti aliis equitibus impiis, 310, 2. tum quoque locustarum speciem induent, sed novam et monstrosam, et ex variis animalibus commixtam, 294, 1 et seq. dæmones tres in specie ranarum prodeuntes an visibili specie hominum ab Antichristo mittendi, ut gentes ad eum congregent, 300, 2. cur ranis comparentur, 301.
Damagoræ nomen respondet in numero suo voci λοιμός, id est pestis, 264, 2.
S. Damasus Papa an denotetur per angelum habentem thuribulum, 188, 1.
Damnandorum in fine sæculi quanta sit futura multitudo, 286, 2. Damnandorum pavor et pudor coram judice Christo, 278, 1.
Damnati coguntur Deum agnoscere et revereri, 134, 1. quem in inferno habeant situm, 287, 2. eorum desperatio et maledictio, et quos maledicturi sint, 361, 2. in singulis sensibus cruciabuntur, 126, 2. non solum adurentur, sed etiam de facto ardebunt, 361, 2. eorum clamores erunt lamentabiles, *ibid.*
Damnatio est mors secunda, 356, 1.
Dan patriarcha est typus S. Jacobi Majoris, 397, 1. cur non signetur, 168, 2. ex eo orietur Antichristus, ideoque omnes Danitæ ei contribuli suo adhærebunt, *ibid.*
Danitæ etiam aliqui in fine sæculi salvandi, 167, 2.



Daphnidis nomine cur Virgilius Julium Cæsarem designet, 406, 1.
David fuit typus Christi, 71, 1. fuit radix Christi quoad naturam, Christus vicissim radix Davidis respectu sanctificationis et glorificationis Davidis, 123, 2. Deo ob accepta beneficia gratus fuit, 177, 1.
Debilitas hæreticorum, 201, 2.
Debitoris cujusdam magni injuria et quies unde, 303, 1, 2.
Decem reges qui per decem cornua bestiæ repræsentantur, sunt decem reges futuri sub finem mundi quasi orbis domini, cum veniet Antichristus, Romæ et Imperio Romano subjecti, 318, 2. tres ex his Antichristus bello subiget, reliqui septem ei mox se subdent, 318, 2 et seq. differunt ab illis septem regibus, qui per septem cornua designati sunt, 318, 2. hi Romam evertent et cremabunt, 319, 2; 320, 2.
Decius Imperator septimam adversus Christianos persecutionem movit, 142, 1.
Decretum Dei prævium necessario impleri debet, quidquid agamus, 75, 1.
Deitas est velut sol, 236, 2.
Deletur quis de libro vitæ diversimode, 79, 1.
Deliciæ virtutis robur auferunt, 178, 1, 2. deliciæ Romæ ethnicæ et luxus in quibus consisterent, 325, 2.
Delphinus piscis vigilantiæ symbolum est, 65, 1.
Demetrius Phalereus quid monuerit regem Ptolemæum Philadelphum, 101, 1.
Democriti de muliere gnome, 58, 1.
Denarii numeri perfectio, 49, 2.
Denarius est pretium diurni laboris, 143, 2; 144, 2. est quarta pars sicli, 144, 1.
Dentes locustæ non in ore habent, sed in scapulis, 206, 2.
Descensus Christi ad inferos sardonychi gemmæ cur comparetur, 390, 2. quid in eo factum, *ibid.*
Desiderium rerum æternarum nascitur ex amore Dei et salutis, et timore pœnarum, 292, 1. desideria animarum sunt velut verba, 149, 2.
Desidiæ Christianorum imputanda dilatio resurrectionis, 151, 1.
Desolatio extrema, quibus phrasibus a Prophetis exprimatur, 158, 2.
Despicientia terrenorum nascitur ex amore Dei et timore pœnæ, 43. 2.
Detractor habet dentes leoninos et serpentinos, 291, 2 et seq. detractoris et conviciatoris symbolum est locusta, 294, 2.
Deus græce, latine et hebraice dicitur a divitiis, 133, 2. Deus per angelos solet docere et illuminare homines, 15, 2. tripliciter loquitur iis, et Prophetis, *ibid.* ejus nomen proprium quod sit, 17, 1. quomodo de eo dicatur *Fuit, Est, Erit*, 2. est Ecclesiæ principium, et progressus et consummatio ejus ab eo est, 18, 1. est α et ω, 25, 2; 412. 1. est item pentalpha, 26, 1. adest suis in tribulatione, 27, 1. præsens adest suis, etsi non videatur, 28, 2. ejus hieroglyphicum est sol, 30, 1. non præcise coronarum numerum prædestinavit, sed in genere et in communi, ut tot essent coronæ, quot essent futuri in agone suo victores, 75, 1. sitit sitiri, 85, 1. cur suos castiget, 87, 1. octo modis pulsat cor, 88, 1. satis laudari ab hominibus et angelis non potest, 111, 2. eum assidue laudare quomodo quis possit, 112, 1. sanctus est, *ibid.* quomodo sit sanctus in omnibus operibus suis, 2. quomodo eum colere et in quo imitari debeamus, 113, 1. est vita increata et causa vitæ omnium angelorum, hominum et animalium, tum naturalis, tum supernaturalis, 93, 1. ejus decretum, memoria, judicia, scientia an sit liber signatus, 119, 1. clades immissurus, eas prænuntiare solet, 153, 1. ejus in fine sæculi formidabilis ira et potentia, 158, 1. per angelos ita vim fulminum, tonitruorum, ventorum et aliarum procellarum moderatur, ut hunc non illum tangant, impios non pios, etc., 162, 2. quanti electos suos faciat, 169, 1. ejus clementia in peccatores, 197, 2, ejus æternitas, 216, 2. quo jure puniet priscorum Romanorum peccata in fine mundi, 330, 1. ejus laus quadruplex est, 333, 1. in mente retinet omnium hominum tum bona, tum mala opera, 359, 1. est cum Beatis in cœlo jugiter, 369, 2. ipse est templum cœli, 401, 2. est claritas increata, 402, 1.
Deus pater non insedit throno quem vidit Joannes, sed Deus prout est communis toti S. Trinitati, 94, 2.
Diabolus unde dicatur, 247, 1. quomodo super terram gradi dicatur et repere, *ibid.* unde vocetur draco et serpens, 2; 240, 2. ejus indoles et arma, 241, 1. comparatur variis animalibus et rebus, *ibid.* item injusto litigatori, 2. ob Christum incarnatum maxima odia in Ecclesiam concepit, 235, 2. cur magis nos oppugnet quam olim patres nostros, 248, 1, 2. est myrmicoleon, cur, 240, 2. est serpens antiquus, 344, 2. cum Antichristo detrudendus est in tartara, 357, 2 et seq. quomodo homines sibi consentientes coram Christo judice convicturus sit, 345, 1. ejus vis valde imminuta est, 315, 1, 2. sed in fine mundi rursum eam recipiet, *ibid.* nocere non potest nisi volenti, 344, 2. ejus triplex maledictio, 262, 2. in fine mundi adorabitur ut numen Antichristi, 256, 1. proprie in cœlo aereo dominatur, 240, 1. cur dicatur rufus, 2. ejus tria nomina, *ibid.*; 241, 1. septem dæmones an præposuerit septem capitalibus vitiis, 19, 2. diabolus exterminator quomodo præsideat hæreticis, 202, 1.
Diaconi septem qua occasione in primitiva Ecclesia instituti, 22, 2.
Diadema erat fascia capitis, 338, 2. quis ejus inventor, *ibid.*
Dagoras præ gaudio animam efflavit, 89, 2.
Dianæ Ephesiæ templum quam esset celebre, 42, 1.
Dictatores Romæ fuere extraordinarii magistratus, 317, 2.
Dies in inferno nulli, nox perpetua, 358, 1. dies mundi finiendi a secreto Dei decreto dependet, et proinde incertus est, sed moraliter sciri potest, 353, 1. dies quot superfuturi sint cæso Antichristo, 342, 2. diebus decem quomodo dicatur duratura tribulatio, 49, 1, 2. in diebus 1260 quibus Elias et Henoch prædicabunt, explicandis, ut Antichristum Pontificem Romanum faciant, quomodo se torqueant Lutherani et Calvinistæ, 224, 2 et seqq. hi dies idem sunt cum 42 mensibus, et tribus annis cum dimidio præcise, 225, 2.
Dignæ et Emeritæ Martyrum elogium, 46, 1.
Dilectionis mandatum cur sub Christo novum, 131, 1.
Diluti vini commoda, 279, 1.
Diocletianus edictum edidit, ne quis quid Christianis venderet, nisi thura prius diis dedissent, 261, 1. an in sexto sigillo repræsentetur, 137, 1. sub eo fuere duo milliones Martyrum, 170, 1. decimam in Christianos persecutionem excitavit: ea quam immanis fuerit, 142, 1.
Diogenes cur juvenes insulsos bobus assimilaret, 82, 2.
Dionysius lapis aquæ mistus, si conteratur, vinum fragrat, 257, 2.
Dionysius Alexandrinus in Apocalypsin scripsit, 11, 1.
S. Dionysius Areopagita e Christi manibus Eucharistiam recepit, 191, 2. primus Joannem Theologum nuncupavit, 6, 2.
Diversorio inservientes præsumitur non esse honesta, 325, 1.
Dives quis vere sit, 48, 1. divites pauperibus succurrentes dici possunt mensa solis, 57, 1. divitum et pauperum voluntariorum mors et vita quam sit differens, 48, 2.
Divinitatem non potuit Christus mereri, utpote quam haberet, antequam nasceretur, 133, 1. eam quomodo Agnus accipere dicatur, 2. divinitas repræsentatur per jaspidem et sardium, quorum colorem Deus in throno sedens habere videbatur, 95, 2. divinitas Christi, ejusque humanitas per α et ω mystice repræsentantur, 28, 1; 37, 1.
Doctores Evangelici aquilis comparantur, 197, 1 et seqq.

sunt velut stellæ, 413, 1. Doctores quatuor Ecclesiæ an per quatuor animalia Joannis repræsentari possint, 107, 1.
Dominicæ diei cultus quam sit antiquus, 27, 1.
Dominicanos Ecclesiam in fine sæculi maxime propugnaturos contra Antichristianos, prædixit S. Teresia, 324, 1.
Domitianus secundam in Christianos persecutionem excitavit, 141, 2; 255, 1. quare porticum sphenigite lapide instraverit, 373, 2. ejus imperium an per equum pallidum significetur, 137, 2.
Domus cœlestes et auro mundo sunt, et quinam Beati per hos intelligantur, 401, 1. domus cœlestes sunt vitreæ et pellucidæ, 380, 2.
Dona Spiritus Sancti an intelligantur per septem spiritus in conspectu throni stantes, 18, 2. dona sua Deus in nobis coronat, 115, 2.
Dormitantia pastorum quam noceat gregi, 67, 1; 68, 1.
S. Dorothea quomodo ad cœlestes delicias in tormentis anhelaret, 408, 2. misit tempore hibarno e cœlo rosas Theophilo, *ibid.* accepta mortis sententia gavisa est, 385, 2.
Draco est serpens grandior et sævior, 240, 2. dracones ignivomi inveniuntur, *ibid.* draconis forma an sit futurus Antichristi character, 261, 2. draco rufus habens capita septem et cornua decem in cœlo apparens, est diabolus, 240, 1. hoc nomine intelligitur Lucifer, 2. rufus cur dicatur, *ibid.* ejus septem capita quæ, 241, 2. ejus cauda repræsentat Antichristum, 242, 2. ejus prælium cum Michaele Archangelo, 244, 2 et seqq. dicitur draco magnus, 246, 2. cur steterit super arenam maris, inter mare et terram, 253, 1. — *Vide* Lucifer
Dulcia noxia sunt stomacho, 196, 1.
Duodenarius universitatem et perfectionem significat maxime si sit quadratus, 167, 2; 271, 1; 379, 2. item omnia, 107, 1.
Dux in omni republica et congregatione est necessarius, 297, 1.

## E.

Ebion legem et legalia miscere volebat cum Evangelio, 59, 1. docebat Christum non esse Deum, nec fuisse ante B. Virginem, jugulatur a S. Joanne, 10, 1.
Ecclesia quævis vocatur abusive martyrium, 145, 1.
Ecclesia candelabro templi Mosaici assimilatur, 28, 1. ejus varia cum diversis certamina, 146, 1. ultimum ejus bellum erit cum Antichristo, *ibid.* ejus septem status an solum in Apocalypsi describantur, 7, 1. in eam Christus summam potestatem habet, 71, 2. in fine mundi pariet filios suos magnis doloribus, 239, 1. quomodo dicatur signum, 234, 1. eam repræsentat arca fœderis, maxime triumphantem, 232, 2. est Agni sponsa in hac vita, in futura erit uxor, 334, 1. quomodo sit cœlestis et in cœlo, 234, 1. repræsentatur per mulierem amictam sole, maxime ea quæ erit in fine sæculi, 2. continuo luctatur cum Lucifero ejusque asseclis, 235, 1. est amicta sole suo Christo, 236, 1. ejus constantia in fide, doctrina, moribus, persecutionibus, martyriis, 239, 1. ejus persecutiones a Romanis Imperatoribus excitatæ, 141, 1, 2. est regnum sacerdotale, 144, 1. quomodo pariat Deo filios masculos, 243, 2. est thronus Dei mysticus, 94, 1. in fine mundi aletur in solitudine a pastoribus verbo Dei toto tempore Antichristi, 249, 2. ejus gloria et imperium æternum ad Christi gloriam spectat, 24, 1. eam Deus ut cœpit, ita et promovebit, 25, 2. e persecutionibus gloriosior exsurgit, 38, 1. in ea est potestas peccata retinendi et absolvendi : hoc significatur per sardinum et jaspideum colorem Dei sedentis in throno, 95, 1. ejus felicitas quando futura, 346, 2; 358, 1. stabit usque ad finem mundi, 347, 1. ejus quadratura tropologice exponitur, 376, 2. cur chrysopraso gemmæ assimiletur, 384, 2. cur sit sancta : a Spiritu Sancto regitur, *ibid.* hæreses convellit, et in adversis magis effulget, *ibid.* fideles omnes ad gratias Deo agendas excitat, 177, 2.
Ecclesia tam militans in terris, quam triumphans in cœlis vocatur Jerusalem, 79, 1. eadem cur dicatur de cœlis descendere, *ibid.*
Ecclesia triumphans et cœlestis describitur in typo civitatis quam vidit Joannes descendentem de cœlo, 363, 2. sua insignia sumit a militante, 364, 1. ejus dotes ex ordine recensentur, *ibid.* et seqq. ipsa cur dicatur sancta et nova, 366, 2. ejus elogium, 356, 1. quomodo de cœlo descendere dicatur, 367, 1. quomodo descendere simul et stare, 367, 2. 1 est sponsa ornata viro suo, 368, 1 est civitas fortium, victorum et triumphantium, 368, 2. vocatur tabernaculum ob quatuor causas, *ibid.* cur dicatur sponsa Agni, 372, 1. ejus portæ duodecim quid denotent, 373, 2. quanta fuerit portarum ab invicem distantia, 374, 1. ejus portæ quomodo dispositæ, 2. ejus fundamenta duodecim habebant inscripta nomina duodecim Apostolorum, *ibid.* aureo calamo eam metitur angelus, 380, 1, 2. quadrangula est, *ibid.*; 376, 2. ejus longitudo et latitudo, 377, 1. ejus ambitus, *ibid.* ejus latitudo, longitudo et altitudo quomodo æqualia sint, 378, 2 et seqq. ejus murus quam sit altus, 379, 2 et seqq. ejus domus quales sint, 380, 2. est ex auro structa, quomodo, *ibid.* quomodo sit aurum, *ibid.* ejus fundamenta erant ex gemma, et gemmis ornata, 382, 1. ejus portæ cœlatæ ex margaritis, 398, 1. ejus plateæ et domus ex auro pellucido sunt, 401, 1. ejus claritas est a Deo et Agno, *ibid.*, 2. ejus frequentia, nobilitas, opulentia, 402, 2. quomodo ejus portæ non claudantur die ac nocte, *ibid.* nihil inquinatum illuc ingreditur, 403, 1. ejus fluvius quis, 405, 1. — *Vide* Cœlum.
Ecclesiæ primitivæ persecutio quamdiu durarit, 185, 1.
Ecclesiæ Romanæ gloria in quibus consistit, 35, 2. quæ angelorum nomina agnoscat et colat, 21, 1. ejus Ecclesiæ repræsentantur per septem Ecclesias Asiæ, ad quas scribit S. Joannes, 199, 2. ipsa non est Babylon, ut volunt hæretici, 307, 2; 312, 1. ejus decus, 307, 2. ejus elogia, 308, 1.
Ecclesiæ aliquot Græcæ cur Apocalypsin olim rejecerint, 5, 2.
'Ἐκδικεῖν constructum cum propositione ἐκ significat liberationem aliquam a malo, 150, 1.
Echo septem vocum ubi, 215, 2.
Eduardi II Angliæ regis quod symbolum, 291, 2.
S. Eduardus I, Anglorum rex, a S. Joanne in cœlum est evocatus, 276, 1.
*Eie* Hebræum tria tempora complectitur, 17, 1.
Electi quomodo in fine mundi per angelos signo crucis signandi, 165, 1, 2.
Elementa quatuor an in quatuor Joannis animalibus denotentur, 107, 1. singula habent angelum præsidem, 298, 2. eorum pugnas repræsentabant quatuor colores Circensium aurigarum, 139, 1.
Eliam et Henoch in fine sæculi venturos negant Calvinistæ Angli, 223, 2. certum tamen est et indubitatum, 224, 1. ubi nunc degant, 2. quem Ecclesiæ statum ambo repræsentent, *ibid.* quamdiu prædicaturi sint contra Antichristum, *ibid.* et seqq. quomodo tam brevi tempore per universum orbem prædicare poterunt, 225, 2. quomodo eos Antichristus non statim occidet, sed permittet ut contra se prædicent, *ibid.* vestientur ciliciis, et cur, 226, 2. cur comparentur olivis, 226, 1, 2. repræsentantur a Zacharia in persona Zorobabelis et Jesu filii Josedec, *ibid.* cur vocentur Cherubini, *ibid.* cur candelabra stantia in conspectu Domini, 227, 2. dabunt oleum Ecclesiæ, et ardebunt ipsi sanctitate, *ibid.* ignem in adversarios suos evocabunt, et is devorabit eos, *ibid.* Antichristum et ejus asseclas libere arguent, 228, 1 imperio suo prohibebunt pluviam, 228, 2. aquas vertent in sanguinem, percutient terram plagis quotiescumque voluerint, *ibid.* peracto suo officio et spatio temporis sibi a Deo decreto sinent se occidi ab Antichristo, 229, 1. idque Hierosolymæ, *ibid.* eorum corpora per tres dies insepulta jacebunt in plateis Jerusalem, sed iis exactis cum gloria resurgent, 230, 1. publice coram omnibus ascendent in cœlum, *ibid.*
*Elias* an repræsentetur per angelum habentem signum Dei vivi, 163, 1. inter homines vivens fuit vestitus veste pilosa, 223, 2. an intelligatur per angelum habentem potestatem super ignem et exeuntem de altari, 285, 1.
Elisæus in fine sæculi contra Antichristum an venturus, 224, 1.
Emere nemo quid poterit qui characterem Antichristi non habebit, 260, 2 et seqq.
S. Emericus dissolvit nexus ferreos, quos peccator quidam Conradus pœnitens ad carnem adstrinxerat, 273, 2.
Empusæ quales sint larvæ, 327, 1.
Ephesus a quo condita, ejus celebritas, 42, 1.
Ephraim tribus dicitur et Joseph, cur, 169, 1. Ephraim est typus S. Matthæi Apostoli, 297, 2.
S. Ephrem quanta spiritus gestiret lætitia, 54, 2.
Episcopi in Ecclesia debent esse quasi stellæ ob varias analogias, 33, 2. quomodo in dextera Christi dicantur esse, 34, 1. dicuntur angeli, 39, 1, 2. habent angelum illustriorem pro custodia, 40, 1; 61, 2. eorum tria sunt munia, 60, 2. eorum quanta debeat esse cura, 65, 1; 67, 1. quam esse oculati debeant, 57, 1. quos habere pedes aurichalco similes, *ibid.* eos quomodo figurent quatuor animalia Joannis, eorum dotes, 107, 1. ardere charitate debent ut Seraphim, 99, 2. eorum dignitas, 40, 1. olim erant pauperes, 48, 1. eorum quæ sit obligatio ad sanctitatem vitæ, et ad vigilantiam, 40, 2. cur gestent crucem auream vel argenteam, 164, 1. eorum qui se episcopatu abdicarunt exempla, 66, 1.
Episcopi septem Asiæ ad quos Joannes scribit, planetis assimilantur, 33, 2; 39, 1; 42, 1.
Episcopi Thyatirensis imprudentia, 57, 1. quis ille fuerit, *ibid.* verisimile est fuisse S. Carpum, *ibid.*; 51, 2.
Episcopus Laodicensis, cui S. Joannes scribit, quis fuerit, 79, 2. ejus peccatum, 79, 2 et seqq.; 81, 2.
Episcopus Pergamenus cur a Christo castigandus moneatur, 52, 2.
Episcopus Philadelphensis an fuerit S. Quadratus, 70, 2. quid ad eum scribatur, *ibid.*
Episcopus Sardensis, cui scribit S. Joannes, an fuerit S. Melito, 61, 1. cujus rei moneatur, 2. ejus quod fuerit peccatum, 2; 67, 1, 2. ejus opera quomodo non plena, 68, 1.
Episcopus aliquis Apostata videtur futurus Antichristi præcursor, 220, 1, 2.
Equi omnibus animalibus bello utiliores, 138, 2. eorum dotes, *ibid.*; 139, 1, 2. albi aliis sunt celeriores, 33[illegible], 2. denotant hi victoriam et triumphum, *ibid.* et 339, 2. Persici perferoces sunt, 211, 2. equi quatuor quatuor primos libri signati sigillis apertis prodeuntes quid significent, 136, 1. an significent quatuor imperia, 137, 2; 138, 2. equus symbolum est belli, 138, 2. item imperii et victoriæ, 139, 1. equus albus sunt Apostoli, *ibid.*; 140, 1. rufus quid proprie significet, 141, 2 et seqq. ejus sessores qui, 142, 1. niger quid proprie significet, *ibid.* et 143, 1. ejus sessor est diabolus vel hæresiarcha, 143, 1. pallidus quos significet, 144, 2 et seqq. repræsentat Mahometanos, 145, 2.
Equitum exercitus in fine mundi quam numerosus futurus, 210, 1, 2. unde hi prodituri sint, 210, 2. hic viam pandet Antichristo, 211, 1 excellunt equitatu Turcæ, Poloni, Persæ, *ibid.*
Esdras quos signatos et coronatos viderit, 181, 1. videt promptuaria animarum de quibus loquitur, non in cœlo, sed in limbo, 148, 2. Esdræ liber tertius et quartus non sunt Scriptura Canonica, suam tamen habent auctoritatem, et proxime ad eam accedunt, 149, 1.
Esquilinus collis quis esset Romæ, 316, 1.
*Et* Hebræis omnibus conjunctionibus deservit, 349, 1. sæpe ponitur in futuro pro *ut*, 223, 2.
Ethnici etiam sex millia annorum durationi mundi assignarunt, 354, 2.
Eucharistia est vinculum amoris Christianorum, 131, 1. in ea Christus Agnus tanquam occisus, 125, 1, 2. an commode intelligatur per septem sigilla libri, 118, 2 et seqq. ejus mirabilia et arcana, 119. renovantibus proposita prodest, estque lignum vitæ, 46, 2. est manna absconditum, 53, 2. eam primitivi Christiani cur domum deferrent, 47, 1. eam angeli aliquando ministrarunt, 189, 1.
Euphrates voluptatum est symbolum, 297, 2, quare in fine sæculi ab angelo sit exsiccandus, 299, 2.
Euthymius pugil vivus et sentiens consecratus est, 90, 1.
Eutychetis quæ fuerit hæresis, 198, 2.
Evangelistæ assidue quomodo Deum laudent, 111, 1. eorum præcipuus quomodo sit Joannes, 2, 1. Evangelistas quatuor an designent quatuor animalia Joannis, 107, 2. eorum diversitas maxime in principio, 108, 1. inter eos quis sit ordo, *ibid.*
Evangelium cur vocetur æternum, 278, 2. ejus prædicatio quam sonora et potens sit, 23, 1. ejus prædicatio, gratia et vocatio est arcus Christi, 140, 1. multis adhuc gentibus prædicatum non est, 353, 2. ejus lex quam diu duratura sit, *ibid.*
Excidii sæculi figura fuit eversio regni Samariæ, et eversio Jerusalem, 158, 1.
Exempla quantum ad imitationem excitent, 40, 2.
Exercitus barbarorum an repræsentetur per locustas in fine sæculi e puteo abyssi prodeuntes, 203, 1.
Exspectatio instantium plagarum ipsis plagis gravior est, 159, 1.
Ezechielis ad visiones maxime alludit S. Joannes in Apocalypsi, 11, 1.

## F.

Factiones aurigarum Circensium quadruplices erant, 138, 2.
Falx acuta in manu Filii hominis quid sit, 284, 1. falx quoque est cultellus vindemiantium, 2.
Fames apta pœna deliciarum et gulæ, 328, 2.
Fastus hæreticorum, 201, 2.
Felicis Episcopi Africani in martyrio luna est conversa in sanguinem, 155, 2.
Felicitatis symbolum est byssus, 336, 2. et sol, 36, 2.
Feminis (in) virginitas fortior et generosior quam in viris est, 271, 1. feminæ sub maribus in generali locutione comprehendi solent, *ibid.* earum auxilio pleræque hæreses disseminatæ, 202, 1.
Femur Christi quatuor res notat, 340, 1.
Fervorem (ad) acres stimuli, 86, 2.
Festa Judaica instituta in gratiarum actionem pro beneficiis olim per patres acceptis, 175, 2.
Festus Patricius Romanorum auctor fuit schismatis inter Symmachum Papam et Laurentium Antipapam, 208, 1.
Fidei antiquitas candore denotatur, 172, 1. citharæ comparatur, 272, 1.
Fideles cur dicantur nova creatura, 80, 1. in persecutione esse debent constantes et longanimi, 251, 1, 2. sunt reges et sacerdotes, sed mystici, 23, 2. eorum nomina novit Deus, 69, 1. tempore Antichristi in solitudinem fugient, 244, 1. tunc futuri constantes, per templum Salomonis repræsentantur, 222, 2. — *Vide* Christiani.
Fidelis et verax quomodo sit Christus, 335, 1.
Fidendum Deo in adversis, 371, 2.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
ALERE FLAMMAM VERITATIS ®

Filius masculus quem draco vorare parabat, quos denotet, 243, 2,
Filius Dei, in quantum homo, etiam invocavit seipsum ut Deus, 94, 2. ejus divinitas probatur contra Arianos, 18, 2 — *Vide* Christus.
Flaminius Consul quod cladis suæ omen acceperit, 129 1.
Flora et χλωρὶς eadem dea florum, 144, 2.
Fluvius cœlestis civitatis describitur, 404, 2. quis sit hic fluvius, *ibid.* et seqq. est instar solis pellucidus, 405, 2.
Fons Virginis in Ægypto quis sit locus, 406, 2.
Fornicatio spiritualis est hæresis vel idololatria, 58, 1.
Fortes fortuna adjuvat, 371, 1.
S. Francisca Romana illustriorem pro custodia habuit angelum, 61, 2.
S. Francisci de Paula vaticinium de tribus Ordinibus sub finem mundi orituris ex Simone de Limena, 322, 1.
P. Francisci Villanovæ Societatis Jesu elogium, 66, 2.
S. Franciscus prædestinationis suæ revelationem accepit, 56, 2. ejus fervor et renovatio mentis assidua, 11, 1. ei promisit Dominus Ordinis sui perpetuitatem, 76, 1. æger audivit angelum suavissime citharam pulsantem, 128, 2. ex vehementis amoris crebras patiebatur exstases, 282, 2. jam senex gestiebat ad novitiatus redire fervorem, 309, 2. ipse et Franciscani an denotentur per angelum habentem signum Dei vivi, 163, 1.
Franciscus Ribera præclare in Apocalypsin scripsit, 12, 2.
S. Franciscus Xaverius quomodo cœlestibus consolationibus perfunderetur, 54, 2. qualiter mortuus sit, 289, 1, 2. in tribulationibus adhuc majores optabat, 166 1.
Fraus et imposturæ hæreticorum, 202, 2.
Friderici II Imperatoris schisma quam diu duravit, 332, 2.
Frigidæ et calidæ potus Romanis in usu, 82, 1. frigidi, calidi, tepidi quinam spiritualiter sint, 83, 1 et seq.
Frons unde dicatur, ipsa publicæ professionis est symbolum, 163, 2. in fronte signandi electi in fine mundi, *ibid.* in ea cur signandi Antichristiani, 262, 1. fronti inscriptum olim nomen meretricum, 374, 1.
Fructus Italici et varii et sapidi, 229, 1.
Fruitio Dei in cœlo est velut fons vitæ, 188, 2. et lignum vitæ, 47, 1.
Frumentum optimum est ejusdem cum aqua ponderis, 143, 2.
Fucus hæreticorum, 201, 2.
Fugere licet in persecutione, 371, 1.
Fulgura et tonitrua Dei magnificentiam et majestatem denotant, 100, 2. unde hæc nascantur, 102, 1. fulgure occidetur Antichristus, 337, 1; 341, 1. fulmini assimilatur S. Joannes, 4, 1. fulmina igne sulphureo constant, et sulphur olent, 361, 1.
Fulminatrix legio Christiana sitienti exercitui Antonini Imperatoris pluviam precibus impetravit, 141, 2.
Fumus a majestate Dei prodiens quid denotet, 295, 2.
Fundamenta Ecclesiæ sunt Apostoli, 3, 2.
*Fur* vox unde derivatur, 301, 2. sicut fur veniet Dominus ex improviso, 89, 1.
Furiarum quæ sit pictura et imago, 208, 1.


## G.


Gabriel quod proprie significet, 21, 2; 121, 2. ejus emblema, 22, 2. videtur esse de Seraphinis, 22, 1.
Gad Patriarcha typus est S. Petri, 397, 1.
Gagates accenditur aqua, oleo restinguitur, 257, 2.
Galba Imperator quo signo perduelles neci dandos ostenderit, 35, 1, 2.
S. Galla a S. Petro in cœlum est vocata, 414, 1.
Gallinæ caro consumit aurum, 328, 1.
Γάρ sæpe encliticum est apud Græcos, 413, 2.
Gaudii actu quomodo Deum laudemus, 105, 2.
Gemmarum pulchritudo, pretium, splendor: unde dictæ, 382, 1, in cœlis veræ futuræ gemmæ, *ibid.* an congrue vocentur stellæ, 34, 1. omnes sunt siccæ et frigidæ, 396, 1. gemmas plures gestabant antiqui in annulis, 95, 1. earum in pretio qui sint gradus, 399, 1. earum fabulosæ virtutes, 383, 1, 2. gemmæ duodecim civitatis cœlestis significant duodecim Apostolos, et duodecim Symboli articulos, 374, 1; 383, 1. hæ in quibus a gemmis Rationalis differant, et conveniant, 382, 2 et seq. gemmæ priscæ nonnullæ interiere, earum nomina mutata, novæ subnatæ aut substitutæ, *ibid.*
Gennadius commentatus est in Apocalypsin, 11, 2.
Gensericus Wandalus Africam et Romam diripuit, 200, 2. cur dictus sit regum omnium felicissimus, *ibid.* primus Wandalorum regum Arianus fuit, a Bonifacio Comite primus est in Africam vocatus, 201, 1. Gensericus an sit nomen Antichristi, 263, 2.
Gente ex qualibet ad cœlestem Jerusalem confluent aliqui, 374, 1.
Gentiles cur vocentur mare, 215, 1, 2. cur iis gravis videretur lex Christi, 59, 2.
S. Gerennis vox ad orantem Episcopum Emergistum, 148, 2.
Germanicus Martyr bestiis fuit objectus, 49, 1.
S. Germanus audivit loquentem de tumulo S. Cassianum, 282, 1.
S. Gertrudis vidit multas animas quæ sponte se a Domini conspectu subducerent, 103, 1.
SS. Gervasius et Protasius albati S. Ambrosio apparuerunt 172, 2.
*Gidon* Hebræa vox quid significet, et unde derivetur, 302, 1, 2.
Gilimer, Wandalorum rex, a Belisario victus et captus argentea catena vinctus ad Imperatorem mittitur, 200, 1, 2.
Gladio Christi ex ore exeunte quid denotetur, 34, 2 et seq. gladius dicitur quasi cladius, 35, 1. est symbolum principis, multis fuit omen mortis, *ibid.*
Glauci oculi terrorem incutere solent, 392, 1.
Gloria animæ est stola alba, 151, 1, 2.
Gloria cœlestis cur dicatur tabernaculum Dei, 168, 2. est revera gratiæ, 370, 2. longe major est quam bona sint et merita hominum, 326, 2. ad eam Deus neminem absolute elegit, nisi post prævisa merita, 111, 1, 2. vocatur corona et palma ob tres causas, 49, 2.
Gnostici hæretici a Nicolaitis orti, 45, 2.
Godefridi Bulloni expeditio in terram sanctam an prædicta in Apocalypsi, 304, 1. an is repræsentetur in angelo forti sustollente lapidem molarem, 330, 2.
S. Godricus Eremita in Anglia S. Petro Apostolo confessus, et ab eodem absolutus est, 191, 1.
Gog et Magog sunt certæ gentes suum habentes regem, 356, 2. is erit unus e decem regibus, qui tempore Antichristi in orbe dominabuntur, 357, 1. quales eæ futuræ sint, *ibid.* igne cœlesti allabuntur cum Antichristo, 357, 2 et seqq.
Gothi qua ratione Ariani facti sint, 192, 2. Latinam linguam corruperunt, 97, 2. per trecentos annos, quia Ariani, Ecclesiam vexarunt, 143, 1.
Gradus cur in priscis templis Romæ conspiciantur, 117, 1, 2 et seq.
Græcari quid sit, 279, 1.
Græcorum inconstantia, 315, 2. Græci olim a Judæis dicebantur omnes gentes idololatræ, 24, 1. Græci tensim et taciturni in pugnam progrediebantur, barbari cum strepitu, 127, 2. Græci negantes Spiritum Sanctum a Filio procedere, a Turcis ipso festo Spiritus Sancti excisi sunt, 134, 2 et seq. cur Christum aliter pingi voluerint, quam specie humana, 124, 2.
Grando magna symbolum est iræ Dei, 233, 1, 2. grando talentaris cadet in fine sæculi, 303, 2. ea mystice intelligitur, 304, 1. grandine cur Deus in fine sæculi percussurus sit tertiam terræ partem, non totam, 193, 1.





Gratia maxima est gradus perfectissimus, 55, 2. gratia gratiam emimus majorem, 85, 1. gratiæ divinæ pulsus qualis, 87, 2 et seq. gratia operans et cooperans aut subsequens quomodo distinguantur, 88, 1. gratiam cur in salutatione post Christi ascensionem Apostoli paci addiderint, 17, 1. gratiæ lex quamdiu duratura sit, 352, 2.
Gratiarum actio, quam homines beati in fine sæculi agent Deo, unde habebit ortum, 175, 1. ea est optima ratio impetrandi a Deo donum perseverantiæ, et pertingendi ad salutem, *ibid.* quam ea utilis, necessaria, sancta, Deo grata, 2 et seqq. est victima novi Testamenti, 176, 1, 2. ea Deo gratissima est, quæ in Missa fit, 128 1. hæc pro beneficiis a Deo acceptis facta, vocatur sacrificium laudis, 176, 1. est unicum sacrificium quod Deo præstare possumus et debemus, 176, 1, 2.
Gratulationis actu Deum summe laudare possumus, 135, 2.
S. Gregorio Pontifici celebranti adstabat angelus, 180, 1, 2. is an denotetur per aquilam clamantem in cœlo væ, 197, 1. ærumnis pressus Deo gratias egit, 178, 2. hæreticis primus Antichristus est, 202, 2. is Anglos per S. Augustinum ad fidem adduxit, 202, 2 et seq.; 203, 1.
S. Gregorius Nazianzenus est in Apocalypsin commentatus, 11, 1. relicto patriarchatu Constantinopoli rus concessit, 66, 1.
S. Gregorius Thaumaturgus a S. Joanne in orthodoxa doctrina confirmatus est, 5, 1.
Grossi sunt ficus immaturæ, 156, 1, 2.
Guardianus Franciscanorum Londinensium gaudens patibuli scalas conscendebat, 129, 1.
Gubernatio nonnisi probo committenda, 60, 2.
Gula fomentum est luxuriæ, 52, 1.
Gygarta urbs unde dicta, an a Gog, 357, 1.
Gyges non est idem qui Gog, *ibid.*


## H.


Hæresiarcharum funestus interitus, 341, 2 et seq.
Hæresis quomodo proserpat et celeriter se diffundat, 202, 1. hæreses pleræque per mulieres propagatæ sunt, 58, 1. pene omnes Christo adversatæ sunt, 143, 1, 2. iis exortis semper opponit Deus antagonistas, 135, 1.
Hæretica Ecclesia vocanda est Babylon, 312, 2.
Hæretici Scripturam addendo vel minuendo adulterant, 413, 2. dogmata prava per eloquentiam suis propinant, 314, 2. eorum symbolum est rana, 301, 2. cur dicantur locustæ, 201, 1 et seqq. eorum proprietates variæ, 201, 1. eorum simulata humanitas, 143, 1; 208, 1, 2, 212, 1. per equum nigrum significantur, 143, 1. Scripturam ad mentem suam torquent, 148, 1. in eorum persecutione furtim Sacramenta percipiuntur, ad necessitatem, non ad abundantiam, 144, 1. sunt mendaces, 200, 2. vocant doctrinam suam altissimam, profundissimam, et nulli alii, quam sibi suisque comprehensibilem, 59, 2.
Hæretici moderni sunt præcursores Antichristi, 256, 1. quid per quatuor Joannis animalia intelligant, 107, 1. grassantur in cœlum, terras, Purgatorium, infernum, quomodo, 202, 1. quinam eorum commentati sint in Apocalypsin, 13, 2. eorum calumnia in Romanum Pontificem et Ecclesiam refutatur, 202, 2; 253, 2; 255, 1; 307, 2; 312, 1; 317, 2.
Haymo commentarium in Apocalypsin scripsit, 11, 2.
Hebrææ aliquot voces etiam aliis linguis communes, 328, 2.
Hebræi per futurum significant rei constantiam et continuationem, 17, 1. sub præterito intelligunt præsens et futurum, et vice versa, 281, 2. sæpe abstracta usurpant pro concretis, 207, 2. verba activa realia capiunt pro activis mentalibus, 256, 2; 326, 2. instrumentis addunt *in*, 257, 1. sæpe dicta sua non ad proxime præcedentia, sed ad remotiora, quæ anterius præcesserunt, referre, 350, 1.
Hederam sacerdotes Romani nec tangere, nec nominare poterant, 29, 2.
Helvetii Catholici publice inter hæreticos gestant rosaria et cruces, 164, 2.
Henoch nondum est mortuus, sed raptus a Deo, 224, 1. repræsentat statum legis naturæ et Patriarcharum, *ibid.* ab eo descendunt omnes homines per Noë, 229, 1. — *Vide* Elias.
Henricus V Imperator renuntiavit juri investituræ, 345, 2.
P. Henricus Garnettus Societatis Jesu post martyrium in spica expressus conspicitur, 164, 2.
Ἄρες quid proprie significet, et unde deducatur, 29, 2.
Herodes infanticida vocatur draco, rufus et ignitus, 243, 2.
Hierarchiæ primæ angeli quænam Dei attributa repræsentent, 99, 2.
Hieronicæ veste alba, florida, triumphali, et palmea, et subinde palmea corona donabantur, 172, 1.
S. Hieronymi qualis fuerit mors, 282, 1.
Hierosolymitana Ecclesia cur leone denotetur, 107, 1.
S. Hilarius quam libere Constantium Imperatorem reprehenderit, 228, 1.
S. Hippolytus ob doctrinam creatus Episcopus Portuensis, et statua marmorea donatus, et capitis damnatus, 1, 1. est Apocalypsim interpretatus, 11, 2. ejus elogium: non idem est cum B. Nonno, 66, 1.
Homerus fuit Mose longe posterior, 406, 2.
Hominibus Deus utitur ad homines docendos, 278, 1. an tot salvandi, quot angeli ceciderunt, 242, 2. homines blandi implent partem angelorum lapsorum, 242, 1 et seqq. homines nonnulli bestias vultu referunt, 160, 2 et seqq.
Homo creatus ad beatitudinem, 243, 1. ejus fragilitas et miseria, 291, 1, 2. homo in animalibus Joannis denotat Dei bonitatem et mansuetudinem, 107. item Christi humanitatem, *ibid.*
S. Honoratus Ambianensis Episcopus e Christi manibus communicavit, 191, 1.
*Hora* quam late pateat, et ejus significatio, 78, 2.
*Horma* quis sit locus, 302, 2.
Hostes tres fidelium ranis comparantur, 301, 1.
Humanitas Christi per pedes ejus apparentis denotatur, 32, 1. lunæ assimilatur, 238, 2 et seqq. ea cruenta Christus diabolis terrori est, 339, 1. in cœlo est velut ejus lucerna, 402, 1. eam anagogice significabat arca veteris testamenti, 232, 1.
Humilitas optime purificat cor, 86, 1. est via ad cœlum, 378, 2. est gemma virtutum, 396, 2. humilitas plena quæ sit, quæ non, 68, 2. radix est religiosæ pacis, quietis, sanctitatis, 400, 1.
Hunericus, Wandalorum rex, quomodo in Orthodoxos sævierit, ejus castigatio a Deo, 200, 2.
Hungariæ regis inauguratio quo ritu peragatur, 85, 1.
Hyacinthina tunica Christi quid denotet, 30, 1.
Hyacinthus flos unde maculosas notas habeat, et unde nomen, 395, 2. ejus vires, 390, 1
Hyacinthus gemma qualis sit, variæ ejus species, colores, discrimen hodiernorum a priscis, 395, 1. priscorum dotes, natura, vires, *ibid.* et seq.
Hydra an fuerit draco septem capitum, 241, 2.
Hymnodia Dei quintuplex, 179, 1.
Hymnorum responsoriorum in Ecclesia quæ sit origo, 111, 2.
Hyperbata in Apocalypsi sunt frequentia, 288, 1.
Hypocrisis hæreticorum, 201, 2.
Hypocritæ an per equum pallidum Joanni visum repræsententur, 145, 1.
Hysterologia mortis Eliæ et Henoch in Apocalypsi, 221, 1. rara est in ea hysterologia, 9, 1; 277, 2.


## I.


Idolia prisca erant quasi caupone, 323, 1.
Idololatria in fine mundi renascetur, sed eam postea vo-


UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

miens evertet Antichristus, volens adorari ipse ut Deus, 212, 2; 229, 2. idololatria vocatur fornicatio, 319, 2. ad eam viam sternit libido, 276, 2.

Idolothytis per se vesci licet, sed olim ob varias causas non licebat, 58, 2.

S. Ignatius Episcopus Antiochenus, Epistolis suis subscripsit *gratia*, 17, 1. auctor est psalmodiæ alternæ sive chori, 111, 2.

S. Ignatius de Loyola præ dulcium lacrymarum copia pene oculos amiserat, 54, 1, 2. lectione vitæ Sanctorum mutavit vitam, 88, 1. quanti cruces et ærumnas faceret, 180, 2. cur Societatem a se nominari noluit, 15, 1, 2.

Ignis charitatis est symbolum, 85, 1; 191, 2. ignem in Antichristianos sibi resistentes revocabunt Elias et Henoch, 227, 2 et seqq.

Ignis infernalis quam ingens futurus sit, 280, 1. est sulphureus, 361, 1. et sine fumo, 279, 2.

Immortalitatem designat candor et albedo, 172, 2.

Imperativus aliquando non præcipientis est, sed comparantis, 411, 1.

Imperatores Romani serviebant quæstui et lucro etiam sordido, 325, 2; 330, 2. quam atrociter olim in Christianos grassati sint, 265, 1; 300, 2.

Imperii symbolum est equus, 137, 2 et seqq.

Imperium Romanum valde jam declinat, ipsum vero durabit usque ad finem mundi, 354, 1. id erit ultimum, et a quo evertendum, 319, 2. ipsum modo adhuc stat, contra hæreticos, 320, 2. æternum id fore opinati sunt Gentiles, etiam Christiani nonnulli, *ibid.* hi cadet eversa Roma ab Antichristo, 331, 2; 324, 2. — *Vide* Romanum.

Impii dum aperte non queunt, per fraudem nocent occulte, 212, 1. quomodo transeant ad mortem primam et secundam, 362, 1. in fine mundi visis tot signis, nihilominus in sceleribus persistent, 141, 2. impii vocantur arena. cur. 221, 1.

Impostor quidam blasphemus in Peru sese redemptorem orbis esse jactabat, 239, 1.

Impudentia hæreticorum, 203, 1.

Impunitas peccandi est peccatoris fructus, et signum reprobationis, 58, 2.

*In* aliquando capitur pro *pro*, 280, 1, 2. *In Domino mori* quid sit, *ibid.*

Incarnationis Christi mysterium iride denotatur, cur, 96, 1. repræsentatur carbunculo, 388, 1 et seq. item ortu unionum, 398, 2 et seqq.

Incendia multa modo sub terra latent, quæ in fine mundi erumpent, 204, 2.

Inconstantes tempore Antichristi futuri, denotantur per atrium templi Salomonis, 222, 2.

Infans Patris an Christus proprie dicatur, 124, 1. infantes fidelium olim docebantur *alleluia* proferre, 373, 2.

Inferni clavis quæ sit, 38, 1; 73, 1. ipse est lacus iræ Dei, 286, 1, 2 et seqq. in eo erit verum sulphur, 361, 2. ejus pœna major est deliciis hujus vitæ, 326, 2. in eo est ignis sine fumo, 279, 2. in eo nulla est dies, *ibid.* et qualem vim in dæmones et damnatos indiderit Deus, 199, 2. ejus longitudo, et altitudo quanta, 286, 2. cur vocetur abyssus, 199, 1; 287, 1. ejus situs describitur, 287, 2. ejus horror quantus, 288, 1. quos daturus sit mortuos, 360, 1 et seqq. in Apocalypsi inducitur velut persona per prosopopœiam, 38, 1, 2. ipse et mors velut sociæ pene semper conjunguntur, 360, 2. quomodo missi dicantur in stagnum ignis, *ibid.* et seqq.

Inferos locales et veros negant Lutherani multi, 201, 2.

Influentia cœlorum in fine mundi cessabunt, 156, 2.

Ingressus Religionis similis est baptismo, 182, 1.

Innocens ab omnibus videri gaudet, 362, 2. innocentium, sui scilicet et asseclarum suorum, liberationem ab injuria petunt Martyres, 150, 1, 2. innocentes ab Herode occisi quot sint, 271, 1. Innocentia vitæ est velut candida vestis animæ, 69, 2. innocentia et puritas ab omni labe, est sanctitas, 112, 2.

Instrumenta musica in cœlo fore probatur, 128, 1.

Instrumentis ineptioribus ad res magnas uti Deus gaudet 72, 2.

Insulæ in fine mundi de loco movendæ sunt, 193, 1, 2. an in fine mundi a mari, e quo enatæ, sint absorbendæ, 157, 2.

Intellectus ad omnia videnda et audienda a Deo sustolli potest, 359, 1.

Interpres Vulgatæ adversus calumniantes defenditur, 207, 2. interpretes Apocalypseos varii quolibet sæculo, 11, 1.

Invidi luteo sunt colore, 304, 2. eorum imago sunt locustæ, 204, 2.

Iræ quod sit hieroglyphicum, 207, 2 et seqq. in ea cur oculi flammescant, 31, 1, 2. ira Dei in impios tum in hoc mundo, tum in inferno, 211, 2.

S. Irenæus in Apocalypsin scripsit, 11, 1, an fuerit Episcopus Thyatirensis, ad quem scribit Joannes, 57, 2.

Irene Imperatrix Leonis Imperatoris Iconoclastæ uxor iconoclasmum sustulit, 96, 2 et seqq.

Iris in circuitu throni Dei quid ad litteram significet, 96, 1. proprie ejus misericordiam notat, 2.

Israel omnis in fine sæculi salvus fiet, 167, 1, 2.

Issachar patriarcha typus est S. Judæ Thaddæi, 397, 2.

*Ita* pro *talis* capitur interdum, 69, 1.

Italiæ deliciæ et amœnitas, 329, 1. ejus ficus biferæ, et aliæ arbores toto anno virentes et fructus dantes, 406, 2.


## J.


S. Jacobus Major carbunculo cur comparetur, 387, 2. ejus charitas, fervor, 388, 1. Hispanias convertit, primus Apostolorum Martyr occubuit, 387, 2. ejus typus fuit Dan Patriarcha, 397, 1. aliquando Hispanis opem et victoriam attulit, 140, 2.

S. Jacobus Minor cur topazio gemmæ comparetur, 393, 2. erat is Christo similis, ejus vitæ austeritas, scripsit epistolam omnigena perfectione plenam, *ibid.* ejus typus fuit Simeon patriarcha, 397, 2.

Janiculum collis Romæ fuit præter septem alios notiores, 316, 2.

Japones cur semper calidam bibant, 83, 1.

Jaspis et sardius in throno Dei quid significet, 93, 1. Jaspis est lapis viridis, interdum etiam purpureus, *ibid.*; 373, 1. designat Deum sua luce beatos recreare et confirmare 373, 2. cur sit in fundamentis muri cœlestis Jerusalem 380, 1. nomen jaspis unde dicatur: *Jaspe* Hebraicum alius est a jaspide Latino, 383, 1. ejus color, firmitas et vires, *ibid.* et seqq. quis præstantissimus, *ibid.* est ipse non simpliciter viridis, sed maculosus, 2. ejus maculæ salutares sunt, estque gemma antiquissima, *ibid.* subinde opacus, subinde pellucidus est, 384, 1.

Jehova nomen ineffabile proprium Dei est, 338, 2; 17, 1. an id nomen sit idem cum, *Qui est*, *qui erat*, *et qui venturus est*, 17, 2. unde id compositum, *ibid.* an significet S. Trinitatem, 18, 1. notat Dei tum essentiam, tum providentiam, *ibid.*

Jehudiel angeli nomen sonat idem quod laus Dei, 21, 2. ejus emblema, 22, 1.

Jeremias Propheta in quo fuerit typus Joannis Evangelistæ, 220, 2. an in fine mundi cum Elia contra Antichristum venturus, 224, 1.

Jerusalem quoties mutarit fidem et religionem, 309, 1. quot haberet portas, 373, 2. ejus quis esset ambitus, 377, 1. erit regia Antichristi, 229, 1, 2. cur vocetur Sodoma et Ægyptus, *ibid.* magnus illuc erit confluxus, Antichristo in ea residente, *ibid.* in ejus plateis occisa jacebunt corpora Eliæ et Henoch, *ibid.* findetur in tres partes paulo ante cædem Antichristi, 303, 1. cur vocetur civitas magna, *ibid.* ipsa etiam punita ob prisca patrum peccata, 230, 2 et seq. Jerusalem cœlestis duplex, 366, 1.

Jesus est nomen novum Christi, 70, 1. Jesu Christi animæ revelata Apocalypsis in ejus incarnatione, 15, 1. eam ipse Joanni revelavit per angelum, *ibid.* ejus quæ fuerit olim salutatio, 17, 1. verum testimonium de Patre reddidit apud homines, 23, 1, quomodo sit primus Martyr, *ibid.* est primogenitus mortuorum, *ibid.* ipse patiens est dux omnium patientium, *ibid.* est princeps regum terræ, *ibid.* ut homo agnoscit Deum ut Deum et creatorem suum, 24, 1. in eo ad judicium veniente videbuntur crucifixionis insignia et vulnera, 24, 1. quomodo dicatur α et ω, principium et finis, 25, 1, 2. eum an viderit Joannes in primo Apocalypseos capite apparentem, et qua forma, 28, 2. cur vestitus apparuerit podere, 29, 1. et cur tunica hyacinthina, 30, 1. est noster Pontifex, 29, 2. ejus aurea zona et cinctio ad mamillas quid denotet, 30, 2. quid ejus oculi flammantes, 32, 1. quid ejus pedes designent, 33, 2 et seqq. soli fulgenti comparatur, 35, 2 et seqq. ejus gloria in cœlo quanta sit, 36, 1. ejus divinitas asseritur, 37, 2; 59, 1; 50, 1; 135, 2; 356, 2. quomodo oculos flammeos habere dicatur, 57, 1. cur stella matutina dicatur, 61, 2 et seq. est clavis et claviger, 71, 1. summam potestatem habet in Ecclesia, 2. ejus potestas in mortem et infernum, *ibid.* ejus amor erga Patrem, 78, 2. cur vocetur Amen, 79, 2. est causa efficiens et exemplaris rerum creatarum, 80, 1. ejus principatus in omnes creaturas, *ibid.* ut homo nos sibi reconciliavit etiam ut Deo, 86. an per quatuor animalia Joannis designetur, 107, 1; 108, 1. an intelligatur per librum signatum septem sigillis, 118, 2. apparuit Joanni specie agni occisi, 122, 2. quomodo vocetur agnus et leo, *ibid.* est radix, id est ramus, David, 123, 2. est agnus Dei et occisus ab origine mundi, 124, 1; 256, 2. depictus olim est agni specie, 125, 1. amat mites et mansuetos, 2. quomodo habeat cornua septem, et quid illa significent, 125, 2. ejus amor potens est, 126, 1, quomodo citharœdus in vita fuerit, 129, 2. merito passionis accepit potestatem revelandi cui vellet futura circa regimen Ecclesiæ, 131, 2. item assumendi sibi in populum quoscumque voluisset, *ibid.* non potuit mereri divinitatem, utpote quæ in eo præcederet existentiam, 133, 1. in Verbo videt infinita, 134, 1. cur dicatur sessor equi albi Joanni visi, 138, 1; 140, 1. ejus victoria de Gentibus, 140, 2. an significetur per angelum habentem signum Dei vivi, 162, 2. natus est nocte silenti, 184, 1. an denotetur per angelum habentem thuribulum, 188, 1. morte sua cœlum hominibus patefecit, 190, 1. visus aliquando est in cœlis jam gloriosus sacrificium Missæ celebrare, 2. an sit angelus de cœlo descendens amictus nube, et iridem in capite habens, 213, 2. quomodo eum jam inde ab initio oderit diabolus, 235, 1. vestit Ecclesiam ut vestis, et illuminat ut sol, 236, 1. quomodo vocetur Michael pugnans cum dracone, 246, 1. ejus nomen Ἰησοῦς efficit numerum LXXXVIII, 264, 1. quomodo sit angelus habens potestatem super ignem, 285, 2. alligavit cacodæmonem veniens in mundum, 315, 1. albo insidens visus est equo Joanni, Antichristum debellaturus, 336, 1. an vere id ita futurum, 2. post ascensum semper in cœlo manet, 337, 2. habet clavem abyssi, 344, 1. quomodo diabolum ligarit, et eum solvet, 2. sapphiro assimilatur, 386, 1. hujus naturæ ei secundum deitatem applicatur, *ibid.* et seqq. ejus in passione amor, 389, 1. est margarita pretiosissima, 399, 1 et seqq. est templum Beatorum, 401, 1. ejus humanitas est lucerna cœli, *ibid.* quomodo dicatur lignum vitæ, 407, 2. ejus sanguis est velut sapo ad eluendas maculas nostras, 412, 2.

Jezabel regina Dei cultores persecuta est, 57, 2. quænam Jezabel ab Episcopo Thyatirensi permissa, varia expositio, *ibid.* an sit ipsa Synagoga Judaica, *ibid.* fuit potens quædam mulier propagans sectam Nicolaitarum, 58, 1.

Joachim Abbas an vere fuerit Propheta, ejus errores et deliria, 12, 2 et seqq.; 285, 1. ejus prophetia de novo Ordine Jesu quomodo intelligenda, et cujus auctoritatis sit, 72, 1.

Joannes Abbas quomodo dulcedine interiori profunderetur, 54, 1, 2.

S. Joannes Apostolus est Propheta novi Testamenti, 1, 1. an venturus sit contra Antichristum, *ibid.* an necdum mortuus, *ibid.* 2. mortuus esse probatur, *ibid.*; 219, 1, in quo cæteris Evangelistis antecellat, 2, 1. habet omnes Sanctorum titulos, 2, 2. virgo fuit per omnem vitam, 3, 1, 338, 2; 389, 2. ejus prærogativæ apud Redemptorem nostrum, 3, 1. fuit proprie Martyr, quia in ferventis olei conjectus, *ibid.* locus et modus martyrii ejus, *ibid.* fuit et fustigatus, et ignominiæ causa attonsus, 3, 2. fuit et martyr sub cruce Christi, *ibid.* aquilæ cur comparetur, *ibid.*; 111, 1. in cœlo specie aquilæ se vidit, 8, 2; 277, 2. est Doctorum sanctissimus, et Sanctorum doctissimus, 4, 1. est sol Evangelii, 3, 2. cur dictus cum fratre Boanerges, *ibid.*; 387, 2; 388, 2. est tonitru et fulmen, 4, 1, 2. Theodosio Imperatori victoriam contra Eugenium prædixit, *ibid.* charitatem Dei et proximi in omnibus spiravit, *ibid.*; 385, 2. ejus elogia, 8, 2. apparuit S. Brigidæ, dicens se auctorem Apocalypseos, 4, 2. docuit S. Gregorium Thaumaturgum et S. Chrysostomum, 5, 1. est vere auctor Apocalypseos, 6, 1. cur vocetur Theologus, *ibid.* an mortuus ætatis anno XCIII, 6, 2; 389, 1. cur postremum scripserit Apocalypsin, 9, 2. ei revelata Apocalypsis a Christo per angelum, 15, 1. ejus humilitas, *ibid.* quomodo sit particeps Christianorum in tribulatione et regno, 26, 2. vocem cur a tergo audierit, 27, 1. an viderit Christum ipsum revera in primo cap. Apocalypseos, 28, 2. rediens ab exilio Ephesum concessit, ibique Evangelium scripsit, et mortuus est, 47, 2. non potuit seipsum in quatuor animalibus docere aut videre, 108, 1, 2. utrumque Christi adventum descripsit, primum in Evangelio, alterum in Apocalypsi, 121, 1. plura in Apocalypsi accepit, quam scripserit, 216, 1. quando iterum prophetaturus gentibus et populis dicatur, 219, 1. audito nuntio de excidio Babylonis et nuptiis Agni procidit in terram, 335, 2. cur ab eo angelus adorari noluerit, *ibid.* in smaragdo gemma cur denotetur, 388, 2. ejus typus fuit Judas patriarcha, 397, 1. quomodo Apocalypsi suæ subscribat, 416, 2. quomodo optaret dissolvi, 413, 2.

Joannes Baptista habuit vestem ex pilis camelorum, 226, 1.

Joannes Chrysostomus in exilio et variis ærumnis positus, 180, 1. et seqq. ei apparens S. Joannes Apostolus, eum illuminavit, 5, 1. eidem S. Petrus apparens tradidit ei duas claves, 71, 1, 2. eum tutati sunt angeli, adversus milites ab Eudoxia ad eum capiendum missos, 188, 2.

Joannes Gerson qualiter mortuus sit, 282, 1, 2.

Joannes et Paulus martyrium subiere sub Juliano, 227, 1.

Joannes Wiclef et Hus consentiunt in fidei articulis cum Luthero et Calvino, 347, 2.

Joas rex ab amita in domo Domini absconditus, mystice expositus, 244, 2.

Joel prænuntiavit signa judicio prævia, 155, 2.

Josephi (S.) confessoris dignitas, 15, 1.

Josephus historicus cur Cherubinorum formam texerit, 106, 2.

Jovem lapidem jurabant veteres, 230, 1.

Jubili actu Deum laudare possumus, 125, 2. jubili Sanctorum in cœlo quales, 128, 2.

Judæ patriarchæ viror e quo colligatur, 388, 1. est typus S. Joannis, 397, 1. Juda tribus an primo ad Christum convertenda, 168, 2.




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ALERE FLAMMAM VERITATIS

Judæi cur vocentur terra, 215, 1, 2. etiam castigati sunt ob priora patrum peccata, 330, 1. primo Christianos sunt persecuti, 48, 2. diligenter servant adhuc divisiones tribuum suarum, 169, 1. post cæsum Antichristum omnes ad Christum convertentur, 160, 1.
S. Judas Thaddæus fuit aurea sapientia, acer in hæreticos, et fulgore aureo virtutum amabilis, proinde chrysopraso gemmæ comparatur, 394, 2. cur dictus Corculum, ibid. ejus typus fuit Isachar, 397, 1.
Judices olim coronati ad judicandum sedebant, 99, 1. martyres judices futuri sunt cum Christo, 330, 1, 2.
Judicii proprii tenaces non sunt senatores, 101, 2.
Judicii dies acceleratur ob preces Sanctorum, 150, 2. iride repræsentatur, 96, 2. an is præsciri possit cæso Antichristo, 355, 1. in eo quisque cujusque facta videbit, et quomodo, 359, 1. id per prævia signa Deus prænuntiabit, 181, 1. tota Trinitas ad id veniet, 18, 2. est id assidue cogitandum, 362, 1. ejus horror, ibid. optime per beryllum gemmam repræsentatur, 392, 2. Christus veniet ad id inexspectato sicut fur, 301, 2 et seqq.
Judicia Dei sunt justa et vera, 392, 2 et seq. eorum abyssus an sit liber signatus Joanni visus, 119, 1.
Julianus Apostata typus Antichristi, 261, 2; 266, 2. ejus persecutio brevis fuit, 153, 1. cœlitus ictus interiit, 158, 1; 264, 2; 314, 2.
Julii Cæsaris equus portentosus, 139, 1.
Jumento assimilatur dæmon, 251, 1.
Juramentum maximum priscis quod esset, 35, 2.
Juramus manu levata in cœlum, 210, 2.
Justinianus Imperator Codicem Juris digeri jussit; factus postea Eutychianus, afflixit Sylverium et Agapetum Papas, 214, 1.
Justinus Imperator exterminari jussit Arianismum, ibid. per Narsen Totilam regem repressit, 231, 2.
Justitia et injustitia semper crescere et augeri possunt, 411, 1.
Justorum octo sunt gradus et status, 35, 2.
Justus monachus cur visus sit ad triginta dies Purgatorio detineri, 403, 2.
Juventutis institutionis maxima habenda est ratio, 378, 1.

K.

Κάλυπτρα quid proprie sit, 15, 1.
Kemnitii hæretici in Sacramenta Ecclesiæ calumnia, 313, 2.
Κεραννύειν quid proprie sit, 279, 2.
Κοπιᾶν dupliciter laborare significat, 43, 1.
Κοσμεῖν non tantum ornare, sed et ordinare et distribuere significat, 382, 2.

L.

Labarum Constantini qualem præferret characterem, 261, 2.
Labor qui in hac vita pro Deo subitur, brevis est, 412, 1.
Lacrymas ab oculis Beatorum quomodo abstergat Deus, 370, 1.
Lacus frequentes in Italia, 329, 1.
Lætitiæ symbolum sol est, 37, 2.
Lampades septem ante thronum Dei in Apocalypsi quid denotent, 102, 1.
Lanæ Laodicenses quam præstantes, 83, 2.
Laodicia urbs ubi sita, ejus nomina, conditor, 79, 2. est opulentissima, ejus opes ex ovibus, 83, 2.
Lapsum quomodo tepidis optare liceat, 82, 1.
Lateranensis templi elogium, 316, 1.
Laudantes Deum assidue, angelos imitantur, 111, 1, 2. laudare eum jugiter quomodo quis possit, 2. id est vitam inchoare angelorum, 178, 2 et seqq. de Dei laude, ibid.
Laurentius Antipapa contra Symmachum quartum schisma generale in Ecclesia produxit, 208, 1, 2.
Laus Dei quadruplex est, 338, 1.
Lavamur sex modis in sanguine Agni, 180, 1, 2.
Lector quidam quia alleluia cantabat, ab Arianis jaculo in gutture trajicitur, 332, 2.
Lectus peccatorum quis sit, 58, 2.
Leo hebraice labi dicitur a corde, quia magnanimus, 107, 2. vigilantiæ symbolum est, 65, 1. item superbiæ et ferocitatis, 254, 2. item fortitudinis, iræ et vindictæ, 294, 1. item Dei fortitudinis et potentiæ, 106, 1. item Christi, 107, 2 et seqq. ejus proprietates ei adaptantur, ibid. 123, 1.
Leo I Papa Gensericum Wandalorum regem rogavit ut templis abstineret, 317, 2. dictus est Œcumenicus, 268, 1.
Leo Abbas quomodo se regem fore prædixerit, 26, 2.
Leontius Abbas vidit angelum altari adstantem, 158, 2.
Leges naturæ, Mosaicæ et Christi quamdiu duraruntt, et hæc duratura sit, 352, 2; 358, 1. legum severitas commendatur in Rectoribus, 60, 2. leges Apostolicæ et Ecclesiasticæ non adduntur Scripturæ ut Scriptura divina, sed ut humana ex divina deducta, 413, 2.
Λευκαίνειν dealbare, mundare, et pellucidum ac candidum reddere significat, 171, 2.
Liber signatus quem vidit Joannes, fuit involutus ut mappa geographica, 117, 1. an fuerit signatus arcanis characteribus, 118, 1. quid per eum intelligatur, 2 et seqq. est a suis sigillis distinguendus, ibid. ipse est Apocalypseos mysteria, et oracula in Dei præscientia contenta, 120 quid in eo contineatur, ibid. non poterat legi nisi reseratis omnibus sigillis, ibid. quomodo esset scriptus intus et foris, 121, 1. sensim est ab Agno apertus, 127, 1. ob eum reseratum omnes angeli et creaturæ Christum laudarunt, 133, 1; 134, 1, 2. eo graviora mala continebantur, quam sigillis, 221, 1. nec eadem erant; hinc Joannes tam vidit librum apertum, quam sigilla reserata, 219, 2. de libro vitæ diversimode quis deletur, 70, 1. in eo dupliciter Sancti scribuntur, ibid. is quis dicatur, 359, 2. libri aperti in judicio pandendi qui sint, 358, 2 et seqq. libri libere monent reges et principes, 101, 1. libri veterum erant convolvi ilas, 117 2; 121, 1; 156, 1, 2.
Liberi hominis cur dicantur animæ, 329, 1.
Libertas qualis deceat consiliarios, 101, 1.
Libido et gula viam sternit ad hæresim et idololatriam, 270, 2. item ad atheismum, 399, 1. libido per Euphratem commode designatur, 304, 2. reddit pallidos et lividos, 145, 1, 2. eam in fine mundi quomodo puniet Deus, 297, 2.
Ligari quomodo et quando dæmones dicantur, 209, 2.
Ligatio dæmonis per mille annos quomodo intelligatur, 344, 2.
Lignum vitæ quale Christus promittat vincenti, 46, 2. tale erat in paradiso, 406, 2 seqq.
Ligurus gemma an idem sit qui hyacinthus, 395, 2.
Linea tunica sacerdotis quid denotet symbolice, 30, 1. ea tantum usque ad crura descendebat, ibid. cur dicatur poderis, ibid.
Linum symbolum est mortificationis et patientiæ, 293, 2. semper injuria fit melius, 30, 1. linum mundum et candidum quid denotet, 293, 2.
Locustæ symbolum concupiscentiæ et cupidinis, 199, 1. ipsæ describuntur, 2; 204, 2; 205, 1, 2. quam sint noxiæ, 206, 2. variæ earum sunt species et formæ, 205, 1. iis assimilantur hæretici et hæresiarchæ, 201, 1 et seqq. ipsi vero iis assimilant monachos, 202, 2. locustæ de puteo abyssi egredientes qui sint, 199, 1. sunt veri dæmones, 203, 2 et seqq. eas veras fore etiam est probabile, 204, 2. sed eas diriget diabolus Abaddon, 205, 1.
Longitudo et latitudo cœlestis civitatis mystice exponitur, 377, 1.
Longobardos an Narses in Italiam evocarit, 231, 1; 239, 2.



Loquitur Deus hominibus tripliciter, 15, 2.
Loricæ equestris exercitus in fine sæculi grassaturi in impios quales futuræ, 211, 1, 2.
S. Lucas an fuerit senior ille qui dixit Joanni, Ne fleveris, 122, 1, 2. cur per vitulum demonstretur, 107, 2.
Lucerna in Scriptura significat regnum et sacerdotium, 44, 2.
Lucifer Calaritanus an fuerit Sardensis Episcopus, 64, 1. non fuit Smyrnæ Episcopus : quare ab Ecclesia fecerit schisma : rediit postea ad eam, ibid. quam libere Constantium Imperatorem Arianum sit allocutus, 228, 1.
Lucifer religatus in inferno suos ubique habet emissarios, 209, 2. quando et quomodo ibi religatus sit, 344, 2. plurimos angelorum sua ruina involvit, 242, 2. in quo ejus et sequacium ambitio sita fuerit, ibid. an tertiam angelorum partem post se traxerit, 240, 1; 235, 1. cur nomine draconis rufi intelligatur, 240, 2. quod flumen ore vomat, 250, 1. ejus epitheta, 246, 2 et seq.
Lucina Juno erat Gentilibus Luna, a parturientibus invocari solita, 236, 2. ei Christi humanitas assimilatur, 2 et seq.
Lucta Ecclesiæ cum diabolo in fine mundi maxime intenditur a Joanne in signo magno, 236, 1.
Ludovici Alcazaris opinio de Apocalypseos argumento quas difficultates contineat, 7, 2 et seqq.; 12, 2. ejus intentio et sententia excusatur, 9, 1. eum auctor in compendium redegit, 18, 1. ejus commenta ingeniosa rejiciuntur, 34, 2.
S. Ludovicus Galliæ rex blasphemantis linguam ferro candenti inuri voluit, 49, 1.
S. Ludovicus Episcopus qualiter mortuus sit, 282, 1.
Ludovicus Imperator quare diu in Purgatorio pœnas dederit, 45, 2.
Lumen gloriæ et clara Dei visio est velut stella matutina, 62, 1.
Lunæ magnus in sublunaria influxus est, 236, 2. ipsa quomodo sit sub pedibus Ecclesiæ, 237, 2. cur sit inconstantiæ symbolum, ibid. in fine mundi erit sanguinea, cur, et quomodo, 155, 1 et seqq. rubra luna portendit ventos et tempestates, ibid.
Lusitaniæ reges sententiam mortis laturi olim saccum induebant, 152, 2.
Lutherani cum Wiclefistis et Hussistis in fide consentiunt, 347, 2.
Lutheri hæresis quamdiu duratura conjiciatur, 320, 2. ejus arrogantia, 201, 2. auguratur papatus extinctionem, sed frustra, 348, 1. gulam sibi fregit, dæmones ejus funus sunt comitati, 342, 1. ex eo tres aliæ sectæ promanarunt, 301, 2.
Lux cœlestis civitatis quid denotet, 364, 2.
Lycurgus ignavum civem cur puniri jusserit, 82, 2.

M.

Macedonius hæresiarcha docuit Spiritum Sanctum esse creaturam et servum Filii, 194, 1.
Machabi vox unde sit conflata, 17, 2.
Magi quomodo dæmones ligent 210, 1.
Magnetis vis duplex, 60, 2. huic rector assimilatur, ibid. est sapientiæ et charitatis divinæ symbolum, 103, 1.
Magnum capitur interdum pro superbo, item pro blasphemia, 255, 1.
Mahomet an sit bestia ascendens de terra, 258, 1. ejus miracula, ibid. nomen ejus continet numerum nominis Antichristi, 283, 1. quando cœperit et desierit, ibid. et 145, 1, 2; 331, 2. quam fuerit ferus; est præcursor Antichristi, 145, 2. putatur a nonnullis Antichristus, ibid.; 258, 2.
Mahometani putant sectam et regnum suum duraturum mille annis, 351, 1; 353, 1; 355, 2. cur per equum pallidum repræsententur : eorum persecutio contra Ecclesiam, 145, 1. eorum brutalitas et carnalitas, livor in Christianos, nequitia, libido, avaritia, ibid. quam multos ad interitum pertraxerint, 2. quam multos Christianos interfecerint, 2 et seqq.; 331, 1. eorum descriptio, 303, 1. — Vide Saraceni, Turca.
Mahometismus an per Babylonem in Apocalypsi descriptam intelligatur, 301, 1. est vorago errorum et scelerum, 350, 2. ipse jam paulatim ad finem vergit, 331, 1 quamdiu durabit, 146, 2; 351, 1; 355, 2.
S. Malachias Hiberniæ Episcopus symbolice omnes Pontifices Romanos describit, 307, 1. ex eo quot anni colliguntur futuri usque ad mundi finem, 355, 2.
Maledictum amplius in cœlo non futurum quomodo dicatur, 408, 2.
Mali in hoc mundo nihil possunt, nisi data a Deo potestate, 145, 2.
Malum punicum symbolum martyrii, 173, 2.
Mamillarum præcinctio in Christo quid designet, 30, 2.
Manasses Patriarcha typus est S. Philippi Apostoli, 397, 1.
Mandatum amoris novum sub Christo, cur, 181, 1.
Manna absconditum quod promittatur vincenti, 53, 2.
Mansuetudo omnia vincit, 124, 2.
Manu levata cur juremus, 210, 1.
Marcion quare dictus mus Ponticus, 418, 2.
Marco monacho Eucharistiam dederunt angeli, 189, 1.
S. Marcus cur sit leo inter animalia Joannis, 107, 2; 306, 2.
Mare cur symbolum sit mundi, 253, 1. cur dicatur vitreum, 102, 2. quos mortuos daturum sit, 360, 1 et seq. post diem judicii, ejus natura et conditio tantum mutabitur, 365, 2 et seq. mare æneum templi Salomonici describitur, id parvitatem repræsentat, 102, 2. et confertur cum mari vitreo quod vidit Joannes, ibid. et seq. mare vitreum in conspectu sedis Dei quid symbolice designet, ibid., 2. mare vitreum mixtum igne quod sit, 293, 1, 2. cur dicatur vitreum, 2.
Margaritæ cur dicantur uniones, 398, 1; 400, 1. quomodo nascantur, 398, 2. variis coloribus constant, ibid. earum pretium, ibid. inter earum conchylia quidam velut dux est : earum dos in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, 399, 1. rore nutriuntur et crescunt, si tonuerit abortiunt, 2. nullo lapsu franguntur, usu atteruntur, aceto resolvuntur, ibid. præ senio flavescunt, et quomodo instaurentur, 400, 1. aliquando intus rubescunt, dividi nolunt, ibid. earum vires et dotes, 2. e margarita una integra erat unaquæque porta cœlestis Jerusalem, 398, 1.
S. Maria Virgo est arca testamenti, 232, 2. ejus misericordia et modestia, 239, 1, 2. ejus cruciatus, ibid. ei adaptari possunt ea quæ in Scriptura de Ecclesia dicuntur, 235, 2; 237, 2. ipsa est velut avia Ecclesiæ, 235, 2. est pars, civis et filia lectissima Ecclesiæ, ibid. est signum magnum, ibid. eam in quantum mater est Dei, Deus facere meliorem non potest, ibid. est luna ob septem analogias, 237, 2 et seqq. Christo Filio suo sociata est, ibid. ejus castitas et puritas, ibid. ejus fœcunditas Ecclesiam suis precibus et meritis fulcit : homines tam pios quam impios vegetat, 237, 1. in passione Christi velut deliquium passa est, ibid. ejus duodecim prærogativæ, 238, 1. ejus variæ virtutes, ibid. et seqq. mystice est thronus Dei, 94, 1. quæ rigat, crescunt, 405, 1. mortua est ex actu et vi amoris, 282, 2. an sit mortua, an vero rapta translata in cœlum, 219, 1.
S. Maria Magdalena mortua ex vi amoris, 282, 2.
S. Maria Oigniacensis quam ad Christum transire anhelaret, 415, 1, 2.
Marti equus sacer est, 138, 2.
Martyr idem est quod testis et confessor fidei, 147, 2. Martyres proprie qui sint, 173, 2. cur olim sepelirentur sub altari, 147, 2. eorum quanta sit copia in Ecclesia, 170, 1, 2; eorum stola et vestis est rubea sive

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

Judæi cur vocentur terra, 215, 1, 2. etiam castigati sunt ob priora patrum peccata, 330, 1. primo Christianos sunt persecuti, 48, 2. diligenter servant adhuc divisiones tribuum suarum, 162, 1. post cæsum Antichristum omnes ad Christum convertentur, 160, 1.
S. Judas Thaddæus fuit aurea sapientia, acer in hæreticos, et fulgore aureo virtutum amabilis, proinde chrysopraso gemmæ comparatur, 394, 2. cur dictus Corculum, ibid. ejus typus fuit Issachar, 397, 1.
Judices olim coronati ad judicandum sedebant, 99, 1. martyres judices futuri sunt cum Christo, 330, 1, 2.
Judicii proprii tenaces non sunt senatores, 101, 2.
Judicii dies acceleratur ob preces Sanctorum, 150, 2. iride repræsentatur, 96, 2. an is præsciri possit cæso Antichristo, 355, 1. in eo quisque cujusque facta videbit, et quomodo, 359, 1. id per prævia signa Deus prænuntiabit, 181, 1. tota Trinitas ad id veniet, 18, 2. est id assidue cogitandum, 362, 1. ejus horror, ibid. optime per beryllum gemmam repræsentatur, 392, 2. Christus veniet ad id inexspectato sicut fur, 301, 2 et seqq.
Judicia Dei sunt justa et vera, 392, 2 et seq. eorum abyssus an sit liber signatus Joanni visus, 119, 1.
Julianus Apostata typus Antichristi, 261, 2; 266, 2. ejus persecutio brevis fuit, 155, 1. cœlitus ictus interiit, 158, 1; 264, 2; 314, 2.
Julii Cæsaris equus portentosus, 139, 1.
Jumento assimilatur dæmon, 251, 1.
Juramentum maximum priscis quod esset, 35, 2.
Juramus manu levata in cœlum, 210, 2.
Justinianus Imperator Codicem Juris digeri jussit; factus postea Eutychianus, afflixit Sylverium et Agapetum Papas, 214, 1.
Justinus Imperator exterminari jussit Arianismum, ibid. per Narsen Totilam regem repressit, 231, 2.
Justitia et injustitia semper crescere et augeri possunt, 411, 1.
Justorum octo sunt gradus et status, 35, 2.
Justus monachus cur visus sit ad triginta dies Purgatorio detineri, 403, 3.
Juventutis institutionis maxima habenda est ratio, 378, 1.


## K.


Κάλυπτρα quid proprie sit, 15, 1.
Kemnitii hæretici in Sacramenta Ecclesiæ calumnia, 313, 2.
Κεραννύω quid proprie sit, 279, 2.
Κοπιᾶν dupliciter laborare significat, 43, 1.
Κοσμέω non tantum ornare, sed et ordinare et distribuere significat, 382, 2.


## L.


Labarum Constantini qualem præferret characterem, 261, 2.
Labor qui in hac vita pro Deo subitur, brevis est, 412, 1.
Lacrymas ab oculis Beatorum quomodo abstergat Deus, 370, 1.
Lacus frequentes in Italia, 329, 1.
Lætitiæ symbolum sol est, 37, 2.
Lampades septem ante thronum Dei in Apocalypsi quid denotent, 102, 1.
Lanæ Laodicenses quam præstantes, 85, 2.
Laodicia urbs ubi sita, ejus nomina, conditor, 79, 2. est opulentissima, ejus opes ex ovibus, 85, 2.
Lapsum quomodo tepidis optare liceat, 82, 1.
Lateranensis templi elogium, 316, 1.
Laudantes Deum assidue, angelos imitantur, 111, 1, 2. laudare eum jugiter quomodo quis possit, 2. id est vitam inchoare angelorum, 178, 2 et seqq. pulchra de Dei laude, ibid.
Laurentius Antipapa contra Symmachum quartum schisma generale in Ecclesia produxit, 208, 1, 2.
Laus Dei quadruplex est, 338, 1.
Lavamur sex modis in sanguine Agni, 180, 1, 2.
Lector quidam quia alleluia cantabat, ab Arianis jaculo in gutture trajicitur, 332, 2.
Lectus peccatorum quis sit, 58, 2.
Leo hebraice labi dicitur a corde, quia magnanimus, 107, 2. vigilantiæ symbolum est, 65, 1. item superbiæ et ferocitatis, 254, 2. item fortitudinis, iræ et vindictæ, 294, 1. item Dei fortitudinis et potentiæ, 106, 1. item Christi, 107, 2 et seqq. ejus proprietates ei adaptantur, ibid. 123, 1.
Leo I Papa Gensericum Wandalorum regem rogavit ut templis abstineret, 317, 2. dictus est Œcumenicus, 263, 1.
Leo Abbas quomodo se regem fore prædixerit, 26, 2.
Leontius Abbas vidit angelum altari adstantem, 158, 2.
Leges naturæ, Mosaicæ et Christi quamdiu durarunt, et hæc duratura sit, 352, 2; 353, 1. legum severitas commendatur in Rectoribus, 60, 2. leges Apostolicæ et Ecclesiasticæ non adduntur Scripturæ ut Scriptura divina, sed ut humana ex divina deducta, 413, 2.
Λευκαίνειν dealbare, mundare, et pellucidum ac candidum reddere significat, 171, 2.
Liber signatus quem vidit Joannes, fuit involutus ut mappa geographica, 117, 1. an fuerit signatus arcanis characteribus, 118, 1. quid per eum intelligatur, 2 et seqq. est a suis sigillis distinguendus, ibid. ipse est Apocalypseos mysteria, et oracula in Dei præscientia contenta, 120 quid in eo contineatur, ibid. non poterat legi nisi reseratis omnibus sigillis, ibid. quomodo esset scriptus intus et foris, 121, 1. sensim est ab Agno apertus, 127, 1. ob eum reseratum omnes angeli et creaturæ Christum laudarunt, 133, 1; 134, 1, 2. eo graviora mala continebantur, quam sigillis, 221, 1. nec eadem erant; hinc Joannes tam vidit librum apertum, quam sigilla reserata, 219, 2. de libro vitæ diversimode quis deletur, 70, 1. in eo dupliciter Sancti scribuntur, ibid. is quis dicatur, 359, 2. libri aperti in judicio pandendi qui sint, 358, 2 et seqq. libri libere monent reges et principes, 101, 1. libri veterum erant convolvitas, 117, 2; 121, 1; 156, 1, 2.
Liberi hominis cur dicantur animæ, 329, 1.
Libertas qualis deceat consiliarios, 101, 1.
Libido et gula viam sternit ad hæresim et idololatriam, 270, 2. item ad atheismum, 399, 1. libido per Euphratem commode designatur, 304, 2. reddit pallidos et lividos, 145, 1, 2. eam in fine mundi quomodo puniet Deus, 297, 2.
Ligari quomodo et quando dæmones dicantur, 209, 2.
Ligatio dæmonis per mille annos quomodo intelligatur, 344, 2.
Lignum vitæ quale Christus promittat vincenti, 46, 2. tale erat in paradiso, 406, 2 seqq.
Ligurus gemma an idem sit qui hyacinthus, 395, 2.
Linea tunica sacerdotis quid denotet symbolice, 30, 1. ea tantum usque ad crura descendebat, ibid. cur dicatur poderis, ibid.
Linum symbolum est mortificationis et patientiæ, 293, 2. semper injuria fit melius, 30, 1. linum mundum et candidum quid denotet, 293, 2.
Locustæ symbolum concupiscentiæ et cupidinis, 199, 1. ipsæ describuntur, 2; 204, 2; 205, 1, 2. quam sint noxiæ, 206, 2. variæ earum sunt species et formæ, 205, 1. iis assimilantur hæretici et hæresiarchæ, 201, 1 et seqq. ipsi vero iis assimilant monachos, 202, 2. locustæ de puteo abyssi egredientes qui sint, 199, 1. sunt veri dæmones, 203, 2 et seqq. eas veras fore etiam est probabile, 204, 2. sed eas diriget diabolus Abaddon, 205, 1.
Longitudo et latitudo cœlestis civitatis mystice exponitur, 377, 1.
Longobardos an Narses in Italiam evocarit, 231, 1; 329, 2.





Loquitur Deus hominibus tripliciter, 15, 2.
Loricæ equestris exercitus in fine sæculi grassaturi in impios quales futuræ, 211, 1, 2.
S. Lucas an fuerit senior ille qui dixit Joanni, Ne fleveris, 122, 1, 2. cur per vitulum demonstretur, 107, 2.
Lucerna in Scriptura significat regnum et sacerdotium, 44, 2.
Lucifer Calaritanus an fuerit Sardensis Episcopus, 64, 1. non fuit Smyrnæ Episcopus: quare ab Ecclesia fecerit schisma: rediit postea ad eam, ibid. quam libere Constantium Imperatorem Arianum sit allocutus, 228, 1.
Lucifer religatus in inferno suos ubique habet emissarios, 209, 2. quando et quomodo ibi religatus sit, 344, 2. plurimos angelorum sua ruina involvit, 242, 2. in quo ejus et sequacium ambitio sita fuerit, ibid. an tertiam angelorum partem post se traxerit, 240, 1; 235, 1. cur nomine draconis rufi intelligatur, 240, 2. quod flumen ore vomat, 250, 1. ejus epitheta, 246, 2 et seq.
Lucina Juno erat Gentilibus Luna, a parturientibus invocari solita, 236, 2. ei Christi humanitas assimilatur, 2 et seq.
Lucta Ecclesiæ cum diabolo in fine mundi maxime intenditur a Joanne in signo magno, 236, 1.
Ludovici Alcazaris opinio de Apocalypseos argumento quas difficultates contineat, 7, 2 et seqq.; 12, 2. ejus intentio et sententia excusatur, 9, 1. eum auctor in compendium redegit, 18, 1. ejus commenta ingeniosa rejiciuntur, 34, 2.
S. Ludovicus Galliæ rex blasphemantis linguam ferro candenti inuri voluit, 49, 1.
S. Ludovicus Episcopus qualiter mortuus sit, 282, 1.
Ludovicus Imperator quare diu in Purgatorio pœnas dederit, 43, 2.
Lumen gloriæ et clara Dei visio est velut stella matutina, 62, 1.
Lunæ magnus in sublunaria influxus est, 236, 2. ipsa quomodo sit sub pedibus Ecclesiæ, 237, 2. cur sit inconstantiæ symbolum, ibid. in fine mundi erit sanguinea, cur, et quomodo, 155, 1 et seqq. rubra luna portendit ventos et tempestates, ibid.
Lusitaniæ reges sententiam mortis laturi olim sacram inducbant, 152, 2.
Lutherani cum Wiclefistis et Hussitis in fide consentiunt, 347, 2.
Lutheri hæresis quamdiu duratura conjiciatur, 320, 2. ejus arrogantia, 201, 2. auguratur papatus extinctionem, sed frustra, 318, 1. gulam sibi fregit, dæmones ejus funus sunt comitati, 342, 1. ex eo tres aliæ sectæ promanarunt, 301, 9.
Lux cœlestis civitatis quid denotet, 364, 2.
Lycurgus ignavum civem cur puniri jusserit, 82, 2.


## M.


Macedonius hæresiarcha docuit Spiritum Sanctum esse creaturam et servum Filii, 104, 1.
Machabi vox unde sit conflata, 17, 2.
Magi quomodo dæmones ligent, 210, 1.
Magnetis vis duplex, 60, 2. huic rector assimilatur, ibid. est sapientiæ et charitatis divinæ symbolum, 103, 1.
Magnum capitur interdum pro superbo, item pro blasphemia, 285, 1.
Mahomet an sit bestia ascendens de terra, 258, 1. ejus miracula, ibid. nomen ejus continet numerum nominis Antichristi, 283, 1. quando cœperit et desierit, ibid. et 145, 1, 2; 351, 2. quam fuerit ferus; est præcursor Antichristi, 145, 2. putatur a nonnullis Antichristus, ibid.; 258, 2.
Mahometani putant sectam et regnum suum duraturum mille annis, 351, 1; 353, 1; 355, 2. cur per equum pallidum repræsententur: eorum persecutio contra Ecclesiam, 145, 1. eorum brutalitas et carnalitas, livor in Christianos, nequitia, libido, avaritia, ibid. quam multos ad interitum pertraxerint, 2. quam multos Christianos interfecerint, 2 et seqq.; 351, 1. eorum descriptio, 303, 1. — Vide Saraceni, Turca.
Mahometismus an per Babylonem in Apocalypsi descriptam intelligatur, 301, 1. est vorago errorum et scelerum, 350, 2. ipse jam paulatim ad finem vergit, 351, 1. quamdiu durabit, 146, 2; 351, 1; 355, 2.
S. Malachias Hiberniæ Episcopus symbolice omnes Pontifices Romanos descripsit, 307, 1. ex eo quot anni colliguntur futuri usque ad mundi finem, 355, 2.
Maledictum amplius in cœlo non futurum quomodo dicatur, 408, 2.
Mali in hoc mundo nihil possunt, nisi data a Deo potestate, 145, 2.
Malum punicum symbolum martyrii, 173, 2.
Mamillarum præcinctio in Christo quid designet, 30, 2.
Manasses Patriarcha typus est S. Philippi Apostoli, 397, 1.
Mandatum amoris novum sub Christo, cur, 181, 1.
Manna absconditum quod promittatur vincenti, 53, 2.
Mansuetudo omnia vincit, 124, 2.
Manu levata cur juremus, 210, 1.
Marcion quare dictus mus Ponticus, 418, 2.
Marco monacho Eucharistiam dederunt angeli, 169, 1.
S. Marcus cur sit leo inter animalia Joannis, 107, 2; 106, 2.
Mare cur symbolum sit mundi, 253, 1. cur dicatur vitreum, 102, 2. quos mortuos daturum sit, 360, 1 et seq. post diem judicii, ejus natura et conditio tantum mutabitur, 365, 2 et seq. mare æneum templi Salomonici describitur, id pœnitentiam repræsentat, 102, 2. et confertur cum mari vitreo quod vidit Joannes, ibid. et seq. mare vitreum in conspectu sedis Dei quid symbolice designet, ibid., 2. mare vitreum mixtum igne quod sit, 293, 1, 2. cur dicatur vitreum, 2.
Margaritæ cur dicantur uniones, 398, 1; 400, 1. quomodo nascantur, 398, 2. variis coloribus constant, ibid. earum pretium, ibid. inter earum conchylia quidam velut dux est: earum dos in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, 399, 1. rore nutriuntur et crescunt, si tonuerit abortiunt, 2. nullo lapsu franguntur, usu atteruntur, aceto resolvuntur, ibid. præ senio flavescunt, et quomodo instaurentur, 400, 1. aliquando intus rubescunt, dividi nolunt, ibid. earum vires et dotes, 2. e margarita una integra erat unaquæque porta cœlestis Jerusalem, 398, 1.
S. Maria Virgo est arca testamenti, 232, 2. ejus misericordia et modestia, 239, 1, 2. ejus cruciatus, ibid. ei adaptari possunt ea quæ in Scriptura de Ecclesia dicuntur, 235, 2; 237, 2. ipsa est velut avia Ecclesiæ, 235, 2. est pars, civis et filia lectissima Ecclesiæ, ibid. est signum magnum, ibid. eam in quantum mater est Dei, Deus facere meliorem non potest, ibid. est luna ob septem analogias, 237, 2 et seqq. Christo Filio suo sociata est, ibid. ejus castitas et puritas, ibid. ejus fœcunditas Ecclesiam suis precibus et meritis fulcit: homines tam pios quam impios vegetat, 237, 1. in passione Christi velut deliquium passa est, ibid. ejus duodecim prærogativæ, 238, 1. ejus variæ virtutes, ibid. et seqq. mystice est thronus Dei, 24, 1. quæ rigat, crescunt, 405, 1. mortua est ex actu et vi amoris, 282, 2. an sit mortua, an vero rapta translata in cœlum, 219, 1.
S. Maria Magdalena mortua ex vi amoris, 282, 2.
S. Maria Oigniacensis quam ad Christum transire anhelaret, 415, 1, 2.
Marti equus sacer est, 138, 2.
Martyr idem est quod testis et confessor fidei, 147, 2. Martyres proprie qui sint, 173, 2. cur olim sepelirentur sub altari, 147, 2. eorum quanta sit copia in Ecclesia, 170, 1, 2; eorum stola et vestis est rubea sive


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

purpurea, 171, 2. imo potius candida, 172, 1. cur ita ad tormenta anhelarint, 165, 1. in tormentis gratias agebant Deo, 178, 1. iis timidis et inconstantibus Deus alios substituit, 75, 2. eorum animæ sub altari quomodo vindictam clament, 150, 1. et qualem, 150, 1, 2. quam dira passi sint, 90, 2. iis cur palmæ in manibus dentur, 172, 2; 174, 2. eorum robur et constantia unde haberet ortum, 47, 1. regnant mille annis, quibus, 349, 1 et seqq. eorum in cœlo non erit luctus, neque clamor, 370, 1. quem legatum in fine sæculi ad Christum mittent, et quid is ab eo petet, 285, 2. Martyres multi in thermis Diocletiani laborarent, 20, 1. Martyrum Smyrnensium pœnæ et constantia, 49, 1. Martyres illustres futuri tempore Antichristi, 265, 1.
Martyrii tituli vel stimuli, 281, 1.
*Masach* Hebræum significat proprie miscere, non infundere, 279, 2.
Masculos parit Ecclesia Dei, 243, 2.
S. Matthæus cur per hominem repræsentetur, 107, 2. quare ab Hyrtaco rege occisus, 275, 2. an fuerit senior ille qui dixit Joanni ne fleret, 122, 2. in chrysolitho gemma cur adumbretur, 392, 1. ejus typus fuit Ephraim patriarcha, 397, 2.
S. Matthias cur in amethysto gemma repræsentetur, 396, 2. Zabulon patriarcha ei confertur, 397, 1.
Matthias Suecus quomodo in Apocalypsin scripserit, 12, 1.
Mauritius Imperator in adversis gratias egit Deo, 178, 1.
Maximianus Imperator sentiens sibi acres dolores a Deo immissos, persecutionem sitit, 138, 1.
Maximini Imperatoris sexta persecutio in solos Evangelii præcones sævilt, 232, 2. ejus vastitas et immanitas; unde varia ei nomina indita, 147, 2.
S. Mechtildis didicit per revelationem homines permultum quolibet die mereri posse, 87, 1. ejus silentium, 186, 1, 2.
Meditatio judicii quas habet vires in animo hominis, 392, 2.
Megarenses quomodo solem colerent, 37, 2.
Mel comestum in flavam bilem convertitur, 218, 2.
Melampus medicus apud Græcos primus aqua vinum diluere præcepit, 279, 1.
S. Melito an fuerit Episcopus Sardensis, cui scribit S. Joannes, 64, 1. ejus elogium; quoto anno vixerit, *ibid.*
Μέλλω in Scriptura sæpe significat incipere, 83, 1.
Melodia summa est cum vocibus citharæ consonant, 128, 2.
Membranæ repertæ sunt Pergami, 51, 1.
Mendaces in Scripturis vocantur omnes qui mandata Dei violant, 372, 2.
Mendacium dæmonibus et hæreticis familiare est, 206, 2. id sequitur furtum et libidinem, 276, 2.
Menippus quomodo ab amasia deceptus, 327, 1.
Mensa solis in Æthiopia quæ dicatur, 37, 1.
Menses Hebræorum, Græcorum et Chaldæorum quot essent dierum, 225, 1.
Mensura hominis, quæ est angeli, quænam sit, 379, 2 et seqq. quid per eam significetur, 380, 1. mensura inferni quæ, 286, 2 et seqq.
Mentis solitudo in quo consistat, 244, 1 et seq. quæ in ea observanda, 245, 2.
Mereri quantum quotidie possimus, 87, 1.
Meretrix proprie quid significet, 325, 1. meretrices quibus rebus dementent amasios, 313, 2. eorum titulus olim Romæ in cella et fronte scriptus, 314, 1.
Merguli imago sunt dæmones, 360, 2.
Merum bibebant antiquissimi, 279, 1, 1.
Messis in die judicii quæ futura, 284, 1.
Meteora ignea in fine mundi cadent de cœlo, non ipsæmet stellæ, 155, 2.
Metu (in) misera est vita, 129, 1.
Michael quid proprie sonet, 21, 2. ejus emblema, *ibid.* videtur esse Seraphinus, 22, 1. contra Antichristum pro Christo et Christianis in bellum descendet, 337, 2. cum fulgure deturbabit in tartara, 341, 2. ejus prælium triplex cum Lucifero fuit, 235, 1; 275, 2 et seqq. est princeps angelorum, qui in Dei obsequio, ac consequenter in cœlo perstiterunt, 246, 2. est princeps Ecclesiæ Christianæ, *ibid.*
Milites olim stigmate in manu inurebantur, 200, 2. eorum labores et patientia, 181, 2.
Mille anni apud Deum sicut dies unus, 352, 2. mille annis duraturus mahometismus, 146, 2; 351, 1. mille anni quibus cum Christo regnaverunt Martyres, quomodo intelligendi, 349, 1, 2; 330, 1. item mille anni quibus ligandus est satanas, 344, 2 et seqq.; 346, 2. cur Joannes ponat sexies *mille annos*, volens finem mundi consignare, 350, 2; 351, 1; 353, 1. mille sexcenti numerus mystice exponitur, 288, 1.
Millenariorum quis error, et auctor, 345, 2 et seqq. eorum error refutatur, 348. eorum multi in variis rebus fuere Catholici, 252, 1, 2.
Millenarius est numerus perfectus, 344, 1; 350, 2.
Millesimus sexcentesimus trigesimus annus Mahometanis futurus fatalis, 351, 1, 2.
Milliaria Palæstina, et Romana, et Græca inter se comparantur, 286, 1.
Minæ Dei excidio Hierosolymitano præviæ, quæ, 152, 2 et seqq.
Ministrantes angeli videntur significari per septem lampades, cornua et spiritus tam Dei quam Agni, 109, 1.
Miracula an commode per fulgura repræsententur, 101, 2. miracula ficta Antichristi, 260, 1. miracula Eucharistiæ, 119, 1.
Misrere calicem priscis quid esset, 279, 2 et seqq.; 326, 1.
Misericordia divina adhuc elucet in vindicta, 295, 2; 399, 1. misericordiæ symbolum est oliva, et ipsa propria Sanctorum virtus, 226, 2. per iridem repræsentatur, 96, 2. id per omnes iridis proprietates declaratur, *ibid.* item per smaragdum, 97, 1. misericordia et justitia Dei significatur jaspide et sardio, quem referebat Deus in throno sedens, 95, 1.
Missæ sacrificium Christo gratissimum, 128, 1. in eo renovatur Christi oblatio in cruce, 125, 1 et seqq.
Mitis oratio potentior est quam violenta, 84, 2.
Modestia est purpura virtutum, 398, 2.
Modicam virtutem sextupliciter habere quis intelligitur, 72, 1 et seqq.
Monachi sunt mystice et civiliter mortui, 281, 1, 2. ii hæreticis cur sint locustæ, 202, 2. monachi quam antiqui sint, 203, 1.
Monarchiarum vicissitudines, 44, 2. monarchias quatuor Daniel propheta comparat quatuor bestiis, uti et Zacharias, 138, 2; 146, 2.
S. Monica quam multis precibus et lacrymis filium suum Christo pepererit, 240, 1.
Mons igneus in mare mittendus, est ingens globus ardens et igneus, quem angelus in mare mittet, 191, 1. futurus est aereus, 2. ejus descriptio, *ibid.*
Monstrosæ dæmonum formæ, 203, 2 et seqq.
Montani hæretici mulieres docebant eum esse Paracletum, 57, 2.
Montes aliquando de loco suo moti sunt, 157, 2. montes ignivomi videntur os inferni, 204, 1, 2; 287, 1. montes Romæ quinam essent, 316, 1, 2.
Mors prima et secunda quæ dicantur, 50, 2; 352, 1. 356, 1, 2. mors cur equo insidere fingatur, 144, 2. mors sæpe pestem significat, 144, 2. quos datura sit mortuos, 360, 1. mors in Domino est mors amoris, 282, 1. mortis apprehensio sæpe magis maleficos affligit, quam ipsa mors, 159, 2. mors Sanctorum et impiorum quomodo differat, 38, 2. mors in Apocalypsin inducitur velut persona comica, 38, 2; 360, 1, 2. mortis stimulus est efficax ad certamen et gloriam, 51, 1. velut pascha et transitus est, 50, 1 ante eam nemo dicendus beatus, 282, 2. plusquam media hominum pars moritur ante annum vigesimum, 378, 1. morientibus dæmon terribili forma apparere solet, 204, 1. omnes morientur, 341, 2.
Mortificatio cupiditatum liberum reddit a plagis, 165, 2 et seqq. ei jugiter est incumbendum, 150, 1, 2. est cithara, et mater ac nutrix virginitatis, 272, 1. per citharas seniorum repræsentatur, 120, 2 et seqq.
Mortui mortis et inferni et maris qui dicantur, 360, 1. mortui in Domino qui sint, 281, 2.
Mosis lex quot annis duravit, 353, 1. Mosis canticum quod sit, 292, 1. an in fine mundi cum Elia contra Antichristum venturus, 224, 2.
Motus cœlorum an in fine mundi alius per angelos futurus quam modo, 156, 2 et seqq.
Moveri regna et Ecclesiæ, quomodo dicantur, 44, 2.
Μυκᾶσθαι et rugire et mugire significat, 215, 2.
Mulieres quam sint illecebrosæ, 58, 1. eas decet in cultu honestas et modestia, 152, 2.
Mulierositas hæreticorum, 201, 2.
Multitudinis quanta sit vis, etiam rerum imbellium, 207, 1.
Mundus templum quoddam divinitatis est, 113, 2. quot annis durabit, 146, 2; 352, 2. sex diebus conditus est, 352, 2. ejus ad finem vergentis multa sunt judicia et argumenta, 352, 1. ejus a Deo creatio et gubernatio, quæ primo Symboli articulo traditur, recte per jaspidem adumbratur, 384, 2. videtur senescere et ad occasum tendere, 353, 2.
Mundus viro spirituali desertum est, 311, 1. contemnendus, utpote senescens, 353, 2. ejus potentia et regna similia vasis figulinis, 61, 1. an repræsentetur in bestia maris, 234, 2. mundus id est cœtus impiorum, significatur per bestiam coccineam, 311, 2. item mundus, id est complexio hominum mundanorum, *ibid.*; item comparatur mari vitreo mixto igne, 103, 2; 290, 2.
Murus civitatis cœlestis quam esset altus, 375, 2 et seqq. quid is repræsentet, 379, 2. cur fit ex jaspide, 388, 1.
Musa pueila ad cœlum a B. Virgine est invitata, 412, 1.
Musulmani qui dicerentur, 145, 2.
Musica est concordiæ symbolum, 128, 2.
Musicorum tonorum efficacia, 129, 2.
Myrias est decies mille, 132, 2; 240, 1.
Mysterium et sigillum libri signati quomodo differant, 120, 1. mysterium iniquitatis quomodo appellentur Roma et Romani Imperatores, 306, 2. mysteria Apocalypseos nullus hominum vel angelorum cognovit, nisi Deus et Dei Filius, 122, 1. mysteria cœlestia fidei clarius sunt revelata Apostolis in novo Testamento, quam Mosi et Prophetis, 193, 1.

## N.

Nabathæi ignavos oderant, 83, 1.
Nai idem est quod hebræis *amen*, Latinis *etiam*, 21, 2.
Narses ab æmulis accusatus, et contumeliose ab Imperatrice habitus, Longobardos in Italiam evocavit, sed hæc historia fide caret, 231, 1; 329, 2.
*Nasim*, id est *oblivio*, cur vocetur hebraice femina, 244, 1.
Nativitas Christi in quotum mundi annum inciderit, 355, 1.
Naturæ lex fere bis mille annis duravit, 353, 1.
Navigantes habent animus in mari, 193, 2.
Negatio Christi an sit character Antichristi futurus, 261, 1.
Nemrod cum fabris turris Babel persecutus est pios, 317, 2.
Nephthali S. Andream Apostolum repræsentat, 397, 1.
Nero quanti coronam Olympicam faceret, 89, 2. cur statis diebus porro vesceretur, 394, 1. pugnas gladiatorias smaragdo spectabat, 388, 2. nunquam senatus consilio utebatur, hinc a senatu damnatus, 100, 2. ejus imperium an per equum rufum significetur, 137, 2. ejus in imperio commutatio quo portento designata, 139, 1. ejus persecutio sustulit Petrum et Paulum Apostolos, 141, 2. ea an in Apocalypsi repræsentata, 231, 2. delectatus est magis et magia, *ibid.* non est futurus Antichristus, 133, 1.
Nestorius duas in Christo posuit personas, hinc negavit Christum hominem esse Deum, ac B. Virginem esse Deiparam, 133, 2; 196, 2. ejus lingua a vermibus exesa est, 342, 1.
Nicæas, Nicander, Nicanor, Nicephorus, Nicetas, Nicetius, Nicostratus, Nicomedes, Nicon sunt Martyres varii in Asia, 46, 1.
Nicephorus Martyr Antiochenus Sapricii deficientis coronam accepit, 75, 2.
Νικητής an sit nomen Antichristi, 263, 2.
Nicolaitæ unde dicti, quæ ipsorum hæresis, et qua occasione orta, 45, 2. ea hæresis repullulavit sub Ludovico Pio, Caroli Magni filio, *ibid.* comparantur Balaamo, 59, 1. an dici possint Jezabel, 58, 2. volebant legem miscere cum Evangelio, 59, 2.
Nicolaus IV Pontifex dicebat se malle esse cocum in suo monasterio, quam Cardinalem, 63, 2.
Nicolaus Diaconus e septem primis, qualem hæresin excogitarit, 45, 2.
Niger color symbolum infelicitatis, 334, 1, 2. is denotat ac decet tenebriones, calumniatores, improbos, 143, 1.
S. Nili Abbatis libera ad Leonem Comitem vox, 368, 2 quid de salute Salomonis censeret, *ibid.*
Nocens adhuc nocere quomodo jubeatur, 411, 1.
Nomen sumitur subinde pro homine, 69, 1. item capitur pro debito et debitore, 2. nomen virginitatis an virginum frontibus in fine sæculi inscribendum, 271, 2. nomen Antichristi quale futurum, 262, 2. id futurum character Antichristi, 261, 1. nomen Dei et Jerusalem novæ quomodo Deus super vincentes scribat, 78, 1. nomen novum quid sit, quod Christus promittat vincentibus, 56, 2. nomen novum Christi est Jesus, 79, 2. id ad Christi gloriam spectat, 79, 2.
Nomina septem primariorum angelorum, 21, 1. ea revelata B. Amadæo, *ibid.* nominibus inter se carent angeli, sed ea assumunt pro ratione ministerii quod obeunt, 2. nomina Hebræi imponunt ab eventu, 302, 2.
Nominis Nili litteræ efficiunt totidem, quot sunt in anno dies, 264, 1.
S. Nonnus an idem qui Hippolytus, et Episcopatum Antiochenum deseruerit, 66, 1.
S. Norbertus quomodo Antichristi adventum imminere existimaverit, 352, 1, 2.
Νοῦς mentem et sensum et intellectum significat, 255, 2.
Novissimæ plagæ quæ dicantur, 289, 1, 2. novissimorum meditatio est optimum collyrium animæ, 86, 1, 2. novissimum dicitur tempus legis gratiæ, 353, 2.
Novum quare sit virginum canticum, 273, 2. cur dicatur canticum, seniorum, novum, 130, 2 et seqq.
Nox non est in cœlo empyrœo, 181, 2; 403, 1.
Nubes sunt symbolum gloriæ Dei, 24, 1. nubes Christi judicis candida est, 283, 2 et seqq. nubes gloriæ et rerum cœlestium est symbolum, 214, 2.
Numerus electorum an sit certus ante præscientiam finalis perseverantiæ, 74, 1. numerus Beatorum etsi ingens sit, est tamen numerabilis, 170, 2. numerum certum cur Deus eligere gaudeat, 109, 1. numerus hominis quis dicatur, 262, 2. numerus nominis Antichristi quis sit, *ibid.* et seqq. numeros certos Scriptura exacte ponit, nec in iis ludit, 349, 2.
Nuptiæ a priscis noctu celebrabantur, 335, 2.
Nycticorax cur sit Ægyptiis mortis symbolum, 69, 2.

## O.

Obdurationis in peccatis quæ sint causæ futuræ in impiis sub finem mundi, 212, 2.

Obedientia plena quæ sit, quæ non sit, 68, 1.

Obstinati sunt hæretici, 202, 1.

Octonarii numeri triplicati perfectio, 264, 2.

Oculus Hebræis ponitur pro colore vel specie, 95, 1. oculi flammantes significant iram, 338, 1. in iis quanta vis, *ibid.* oculi flammantes Christi Joanni apparentis quid denotent, 34, 1. oculi cur ita inflammescant, *ibid.* oculorum quotuplex sit recreatio, 382, 1. oculi in animalibus Joannis cur apparuerint, apud Ezechielem vero in rotis, 109, 2. an fuerint veri oculi, *ibid.*

Oliva et oleum symbolum sunt Sanctorum, 226, 2. hæc quia lignum solidum, victoriæ, felicitatis et æternitatis est symbolum, 226, 2. item misericordiæ, *ibid.* et pacis, *ibid.* ejus folia nunquam defluunt, 227, 1. pinguis est et fertilis, frondes habet viles, at fructum præstantem, *ibid.* olivarum duarum prodigia, 277, 1.

Olympionicarum labores, gloria, præmia, 89, 2; 174, 2. etiam post mortem coronabantur, et divini prope iis honores habebantur, 173, 1. palma quomodo et quare iis daretur, 173, 1; 89, 2.

Onesimus fuit S. Timothei in Episcopatu Ephesino successor, 42, 2.

Onomaus primus invenit Circensium colores, 139, 1.

S. Onuphrio singulis diebus Dominicis S. Synaxin ministravit angelus, 189, 1. ei palma menstrue dabat fructus, 466, 2.

Onus vocantur tribulationes et afflictiones, 69, 1.

Opera non plena, sed vacua sunt sextupliciter, 68, 1. opera omnium perfecte novit Deus, tum bona, tum mala, 359, 1. ea quomodo sequantur sanctos, 283, 1. ea nos post mortem non deserunt, *ibid.* opera bona per peccatum sequens mortificata, per pœnitentiam reviviscunt, 67, 2. operibus Dei nil deest nisi laudator et æstimator, 134, 2.

Opisthographi qui libri essent, 121, 1.

Ὥραία tam pœna quam occasionem significat, 329, 1.

Oratio est thymiama ob sex analogias, 136, 1. jungenda ei mortificatio, 139, 2.

Ordo rerum in Apocalypsi satis exacte servatur, 446, 1. is quater tantum in ea inversus, *ibid.*

Ordo Franciscanorum et Dominicanorum an sit in Apocalypsi repræsentatus, 356, 2. ordo novus in Ecclesia futurus a Jesu appellatus, a Joachimo Abbate prædictus, quis sit, 72, 1. ordinem quemdam cruciferorum sub finem mundi nasciturum prædixit S. Franciscus de Paula, 322, 2. Ordo Eremitarum S. Augustini quomodo ab eodem designatus, antequam institueretur, 285, 1. Ordines Religiosos Deus semper propagat et promovet, 75, 2.

Oriente (ab) nasci est oriri tanquam novum solem, ad illuminandum alios, 163, 1.

Origenes puer ambivit martyrium, 144, 2. ejus error dicentis animas a morte non videre Deum, 146, 2, de angelorum negligentium punitione, 39, 1. item de stellis animatis, 155, 2. ejus interpretatio S. Scripturæ in quo reprehendatur, 11, 1. cur se castrarit, 7, 2.

Orpheo et Amphioni Christus comparatur, 199, 1. 2.

Osee propheta cur dicatur angelus fortis, 121, 2.

Ostentatio est in fronte, 314, 2.

Ostium apertum significat occasionem, opportunitatem, facultatem, 71, 1, 2.

Ottomanicum Imperium quando cœperit, 347, 2; 238, 1. quamdiu durabit, 351, 1 et seqq. — *Vide* Mahomet, Turca.

Oves suas quomodo pascat Christus, 182, 1. oves cos esse vult Christus, 268, 1. ovium salus pendet a vita pastorum, 68, 1.

## P.

Palatinus collis Romæ quis, 316, 1.

Pallidus equus Joanni visus quos significet, 145, 1.

Palma arbor describitur, cur ea victoribus in certaminibus detur, 173, 1, 2 et seqq. hinc symbolum est victoriæ, 172, 2. ei cur assimiletur cœlestis gloria, 19, 2. hinc similis est arbor vitæ, 406, 2.

Palma hieronicis danda in medio stadii, loco eminentiore in mensa spectanda proponebatur, 173, 1, 2.

Palmata tunica quæ diceretur, 173, 2.

Palmus est mensura quatuor digitorum transversorum, 222, 1.

Pantheon Romæ unum ex omnibus priscis templis exstat, 314, 1, 2.

Panthera symbolum est voluptatis, 327, 1.

S. Paphnutius palmæ affixus martyrium obiit, 174, 2.

Papias auctor Chiliastarum, 345, 2 et seqq.

Parcarum fila aurea vel candida quæ dicantur, 334, 1.

Pardali assimilatur diabolus, 241, 1. ipsa symbolum est voluptatis, 327, 1. et avaritiæ, 234, 2. ei cur comparetur Antichristus, *ibid.*

Partus animarum difficillimus, 259, 2.

Parvuli sine baptismo mortui quomodo dicantur mitti in stagnum ignis, 361, 1. parvuli in gratia mortui an judicandi cum aliis adultis in die judicii, 358, 2; 360, 1.

Paschasius Cardinalis an fuerit causa schismatis inter Symmachum Papam et Laurentium Antipapam, 208, 1, 2. et cur post mortem ejus anima visa sit torqueri in thermis Puteolanis, *ibid.*

Paschate (in) plerumque canitur *alleluia*, 333, 2.

Passio Christi smaragdo denotatur, 96, 1; 389, 1. in ea quas Christus virtutes ostenderit, 389, 1. ejusdem efficacia, *ibid.* et seqq.

Passus quot contineat pedes, 286, 2 et seqq.

Pastor Angelicus quis Pontifex futurus, et quando sedebit, 346, 2. a pastoris vita pendet vita subditorum, 43, 2. ejus est assidue vigilare, 65, 1; 67, 1, 2 et seqq. et apud suos residere, 184, 1.

Pastoris liber auctore Hermete, an sit Scriptura Canonica, 149, 1.

Pater æternus quomodo sit sanctus, 113, 2. paravit nuptias æternas Christo et Ecclesiæ, 334, 1. Patres vocant Religiosi suos Rectores, 38, 2.

Pati pro Christo gloriosum et nobile, 179, 1.

Patientia in adversis habenda, 280, 2. ipsa quasi thorax impenetrabilis omnes hostium ictus excipiens, 357, 2. patientia plena quæ sit, 68, 1.

Patmos insula est una e Sporadibus : in illam relegatus Joannes omnes insulanos Christo asseruit, 26, 1.

Patriarchæ duodecim repræsentant duodecim Apostolos, 382 2; 397, 1.

Patriarchales sedes quatuor an per quatuor animalia Joannis designentur, 107, 1.

Pauli III Pontificis Maximi in morte vox, 65, 2.

S. Paulus Apostolus quam creber in gratiarum actione et nomine Jesu nominando et iterando, 177, 1. Petro ubique sociatur : ejus non habetur particularis ratio in gemmis cœlestis Jerusalem, 385, 2.

S. Paulus primus Eremita vitam æternam semper præ oculis habebat, 218, 1.

Paupertas voluntaria dives est, 48, 1; 147, 1.

Pax Hebræis omne bonum significat, 16, 1. pacis indicium color albus est, 172, 2. et ejus symbolum oliva, 226, 2.

Pax quid sit Hebræis, et an ab hoc formetur vox toparior 293, 1.

Peccatum quid sit, 112, 2. in peccatum cadere expedit nonnunquam torpidis, 83, 1. ejus pœnæ et fructus, 279, 2. peccatorum materia hominem post mortem deserit, et peccata ipsum comitantur, 283, 1.

Pedes multis animalibus pro manibus sunt, 125, 2. pedes Sanctorum osculabantur prisci fideles, 73, 1. pedibus denotatur Christi humanitas, 32, 2. Christi cur

Pedum pastorale sua forma tria significat, 60, 2.





dicantur similes aurichalco, *ibid.* sic vocantur Apostoli, *ibid.* pedes Antichristi cur similes ursinis, 254, 1.

Pelagia virgo Antiochena et Martyr præclarum virginitatis ac fugæ exemplum dedit, 270, 2 et seqq.

Pelagii hæresis negantis gratiam, 195, 1.

Pella urbs refugium fuit Christianis e Jerusalem excindenda fugientibus : ejus etymon, 161, 2 et seqq.

Pentalpha Antiochi Soteris tessera, 26, 1.

Perfectio vitæ est velut lignum vitæ, 408, 2.

Pergamum urbs ubi sita : dicta eadem Troja : ejus rex fuit Attalus in Romanos beneficus, 51, 1. in ea magna fuit persecutio Christianorum, 2.

Persæ pro Deo solem habebant, 37, 2. Persici equi quam sint feroces, 211, 1. Persarum reges, septem habebant primarios principes : eorum majestas fuit imago divinæ majestatis, 19, 2. eorum consiliarii quam sint arcanorum tenaces, 101, 1.

Persecutio Antichristi quam acris futura, 264, 2. aquarum inundatione repræsentatur, 250, 2. Wandalica quam sæva fuerit, 200, 2 et seqq. in persecutione fideles Ven. Eucharistiam sumebant, 47, 2. in ea fideles esse debent constantes et longanimes, 259, 2 et seq. persecutiones Ecclesiæ usque ad finem mundi durabunt, 15, 1. decem cruentæ a Romanis Imperatoribus contra Christianos usque ad Constantinum excitatæ, 141, 2. iis exornatur et perficitur Ecclesia, 38, 1.

Persecutores suos puniri optant Martyres, 150, 2.

Perseverantia de sua ac salute nemo certus est, 74, 1.

Personæ SS. Trinitatis singulæ sanctissimæ sunt, 113, 2.

Pestis unde oriatur, 195, 1, 2.

S. Petrus Alexandrinus Episcopus et Martyr in throno Episcopali a suis cum palmis est collocatus, 174, 2.

S. Petrus Apostolus an sit angelus habens potestatem magnam, 223, 1. an fuerit senior ille qui dixit Joanni, ne fleret, 122, 2. est fundamentum Ecclesiæ, jaspidi comparatur, 384, 1. vigebit in suis successoribus usque ad mundi finem : fuit in fide firmissimus : errorum fugat phantasmata, *ibid.* sanguine fidem obsignavit, ejus jugis fletus : omnibus animi morbis medetur ; ejus dignitas prima et antiquissima, *ibid.* ejus vitæ puritas et spei soliditas, 2. ejus typus fuit Gad patriarcha, 397, 1. ipse et Paulus Romanæ fidei et Ecclesiæ sunt auctores et principes, 310, 1.

Petri Aureoli in annorum supputationibus error, 349, 2; 353, 1. Apocalypsin tantum applicavit, non explicavit, 232, 1.; 233, 2

Petri Galatini (sic) in Apocalypsin commentario Auctoris judicium, 12, 1.

S. Petrus Cœlestinus pontificatui renuntiavit, 282, 2.

B. Petrus Damianus, relicto cardinalatu, petiit sibi dari licentiam ad monasterium redeundi, 66, 1, 2.

S. Petrus Martyr dæmonem quomodo ligarit virtute Christi, et expulerit, 345, 1.

Petrus Romanus ultimus futurus est Pontifex Romanus, 307, 1; 322, 1; 355, 2.

Phaëtontis fabula unde processit, 299, 1.

Phialæ vocis quod sit etymon et significatio, et quale sit vas, 294, 1, 2 et seqq. in iis adolebatur thymiama in templo Salomonis, 130, 1; 295, 1. phialas suas quomodo angeli effudisse intelligantur, 297, 2. phialæ et citharæ seniorum quid significent, 127, 2.

Philadelphia urbs Mysiæ ubi sita, unde dicta, 28, 1. alia est Philadelphia Syria, *ibid.*

Philippi Solitarii in supputatione annorum a mundo condito error, 355, 2.

Philippides cur munus consiliarii regii declinaret, 101, 1.

Philippus Apostolus quam fuerit sincerus et candidus; ejus cœlestis spiritus et charitas, 390, 1, 2. ejus typus fuit Manasses patriarcha, 397, 1, 2.

Philippus Macedo puer unde regni augurium accepit, 62, 1. de eo dictum Parmenionis, 67, 2.

Philippus Melanchton auctor Lutheranorum protestantium, 301, 2.

Philtra veneficarum unde fiant, 313, 2.

Phocenses patria egressi, diris se devoverunt, si de ea repetenda cogitarent, 330, 2.

Phœnicis et palmæ similitudo, 174, 1.

Photinus docuit Christum fuisse purum hominem, et ob sua merita meruisse divinitatem, 133, 2.

Pietatem omnem exterminant hæretici, 202, 1.

Pii V Pontificis de papatus onere sententia, 65, 2.

Pionius Martyr clavis ligno affixus fuit, 49, 1.

Pisces sunt creaturæ maris, 194, 1. hi in sanguine vivere nequeunt extra aquam, 2. in fine mundi verisimile est in mari et fluminibus ab aqua sanguinea emorituros, 298, 2.

Piure oppidum in Rhætiis terræ motu obrutum et haustum, 157, 2.

*Pius* proprie quid sit, 292, 2.

Plagæ ante judicium quæ futuræ, 192, 2 et seqq. plagarum et futurorum in fine mundi series et ordo, 154, 1. plagis immissis visis Antechristiani sentient sibi has ob scelera immitti, 158, 2. plagas quaslibet in impios evocabunt Elias et Henoch, 228, 2. plagæ Ægypti quæ fuerint, *ibid.*; 297, 1, 2. quid eæ repræsentarent, 297, 1. iis respondent plagæ in fine mundi immittendæ, 193, 1. plagæ septem tubarum et septem phialarum in quibusdam sunt similes, in quibusdam dissimiles, 297, 1. plaga prima ab angelo primo tuba canente immissa quæ fuerit, 193, 2. plaga sexta equestris exercitus quæ, 207, 2.

Planetæ septem reguntur a septem angelis, 19, 1. repræsentant septem divinæ providentiæ attributa, 23, 1. iis comparantur septem Asiæ Episcopi, ad quos scribit Joannes, 54, 2; 42, 1.

Plangent impii in die judicii, 24, 2.

Platea non significat forum, ut putat Beza, 407, 1. plateæ cœlestes ex auro mundo sunt, 401, 1. repræsentant hæ Sanctos communes, *ibid.*

Plato multa ex Moyse hausit, 382, 2.

Plinius accuratus in gemmarum natura describenda, 383, 1. Dei providentiam negasse videtur, 121, 2.

Πλούτων est nomen Dei, 133, 2.

Pluvia sanguinis iræ cœlestis indicium, 193, 1. pluviam cœli prohibebunt Elias et Henoch, 238, 2.

Poculum aureum Babylonis quod sit, 313, 1, 2.

Podere (in) cur appareat Christus Dominus Joanni in primo cap. *Apocalyps.* 29, 1. est vestis talaris : unde sic appellata, *ibid.* denotat ea pontificatum Christi, 30, 1. fuit vestis sacerdotum veteris Testamenti, 29, 1.

Pœna Dei nunquam hominis culpam excedit, imo punit citra condignum, 326, 1, 2. pœnarum in inferno mira varietas est, 288, 1.

Pœnitentia est optimum collyrium animæ, 86, 1. cur dici possit mare vitreum, 192, 2 et seqq.

S. Polycarpus fuit Episcopus Smyrnæ, quoto anno Christi et ætatis martyrium obierit, 47, 2. ejus sanctitas et perfectio, *ibid.* ejus martyrium, 49, 1.

Polydamantis athletæ statua dicebatur in Olympia opem ferre febricitantibus, 90, 1.

Pompa omnis vitæ hujus vitrea est, 227 1; 331, 1.

Pompeius undenam affectati regni suspicionem contraxerit, 338, 2. frigidam cunctationem in bello habebat, 177, 1.

Pontifex Judaicus duplicem gestabat tunicam, lineam et hyacinthinam, 29, 1. ejus zona qualis fuerit, 30, 1.

Pontifex Romanus solemniter celebrans solus circum se habet in altari septem candelabra, cur, 29, 2. populo benedicens cur digitos attollat ad supputationem numeri 6300, mystice exponitur, 354, 2. eum dicunt hæreticæ esse Antichristum, 202, 1. id negatur, 229, 2. non est bestia maris, ut fingunt hæretici, 253, 1, 2; 255, 1. in eum injurii sunt Anglocalvinistæ, 12, 1. an possit cum

consensu Ecclesiæ pontificatum Roma in aliam urbem transferre, 315, 1 ; 321, 2. dum inauguratur ad Lateranum deducendus, omnes Præsules in equis albis ei adequitant, 149, 2. in fine sæculi erit Episcopus urbis Romæ, licet exul et expulsus, 314, 2. Pontifices quam multi adhuc futuri usque ad mundi finem : et quot anni singulis probabiliter attribuendi, juxta prophetiam S. Malachiæ Archiepiscopi, 355, 2. tempore Antichristi Roma alio sedem non transferent, 321, 2. cur annos Petri non attingant, sed brevi moriantur, 32, 1.
Pontificatus Roma in fine mundi eversa an alio transferendus, 321, 2. is etiamnum manet, et nunquam a sui exordio desiit, 246, 1 ; 317, 2. ejus exstinctionem semper, sed frustra sperant hæretici, 347, 2 et seqq.
Pontus Euxinus est sedes inferni, 145, 2.
Πόρνη, id est meretrix, etiam venditricem significat, 325, 1.
Porci doles et proprietates, 295, 1.
Portæ duodecim cœlestis Jerusalem quid designent, 378, 2. earum perpetua apertura in cœlo quid denotet, 403, 1. quomodo sint cælatæ ex margaritis, 393, 1.
Πῶς interdum sumitur pro ποῖα, 69, 1.
Potestas absolvendi et retinendi peccata a Christo collata Apostolis, 71, 2.
Potus denotat cœlestes delicias, melius quam cibus, 183, 2; 407, 2.
Præcursor Antichristi futurus est insignis aliquis impostor, 259, 1. et quidem Episcopus, *ibid.* ejus fraus et calliditas, 2. faciet quoque miracula, et cur, 260, 1 immittet in statuam Antichristi dæmonem, qui per eam loquetur, 260, 2. is cum Antichristo in tartara deturbabitur, 358, 1.
Prædestinati possunt damnari : at reipsa non damnabuntur, 74, 1.
Prædestinatio Dei an per librum signatum septem sigillis designetur, 119, 2, ejus liber, est liber vitæ, 359, 2. ipsa an possit mutari, 74, 1.
Prædicator quomodo conciones suas attemperare debeat, 101, 1. est velut citharœdus, 129, 1. ejus vita respondeat verbis, 2. plenus esse debet sapientia et scientia tam practica, quam contemplativa, 108, 2.
Prædicatores an per viginti quatuor seniores intelligantur, 95, 2. qui minus sancti, sæpe plures convertunt, quam qui sanctiores sunt, 72, 2. sunt velut stellæ, 34, 2; 413, 1. sunt gladii Christi, 35, 1 repræsentantur per angelum stantem in sole, 351, 1. prædicatores triplices in fine sæculi denuntiabunt orbi quæ futura sunt circa Romam et Antichristi sequacium punitionem, 278, 1.
Prædicatio Evangelii est excellens prophetia, 336, 2.
Prælati pleni esse debent sapientia et scientia, 109, 2. eorum dotes quatuor repræsentant quatuor animalia Joannis, 107, 1. quatem animi celsitudinem præferre debebant, 386, 2. sunt velut stellæ, 275, 1. eorum obligationes, quantæ sint, 64, 1; 67, 1. eos quomodo revereantur homines, 73, 1. habent angelum illustriorem pro custodia, 61, 2. sunt columnæ ob quinque analogias, 76, 2. debent subditorum orationes Deo offerre, 130, 2.
Prælium triplex cum Lucifero iniit S. Michael, 225, 1 ; 246, 1.
Præscientia divina omnia tempora complectitur, 167, 1.
Præterita quomodo sint typi futurorum, 8, 2.
Prasini erat factio aurigarum Circensium, 138, 2. horum quis esset color, *ibid.*
SS. Praxedes et Pudentiana Martyrum corpora sepelicre, 141, 2.
Preces Sanctorum quam vim habeant apud Deum, 150, 2 et seqq. — *Vide* Orationes.
Presbyteri apud Spartanos erant summi magistratus, 97, 2.
Primitiæ Deo cur sint virgines, 276, 2.
Principes sacerdotum erant olim XXIV, 97, 2. hi in templo suas habebant cathedras, 98, 1.
Principes angelorum in conspectu Dei stantes quinam sint, et undenam id probetur, 19, 1. illorum cultus in Italia celebris, 20, 1. is Ecclesiæ pastoribus suadetur, 2. illorum typus fuit candelabrum septiceps, 21, 1. eorum nomina, *ibid.* cui ea primum revelata, *ibid.* eorum officia, epitheta et emblemata, 2. ex quo ordine angelorum hi sint, 22, 1. sunt septem virtutes providentiæ Dei, 2. — *Vide* Septem spiritus.
Principum est nihil admirari, 315, 2. iis semper adesse debent consiliarii, 100, 2. cœlestibus interdaci, 386, 2. — *Vide* Reges.
Prophetæ mundus est desertum, 311, 1. Prophetæ non servant ordinem temporis, nec rei gestæ, nec gerendæ, 11, 1; 350, 1; 416, 1. cum prophetarent de futuris, præsentes erant, non futuri, 108, 1, 2. per angelos a Deo illuminantur, 109, 1. prædixere horrorem diei judicii : item ejus signa prævia, 158, 2. suas prophetias jam *verbum*, jam *visionem* vocant, 28, 1. eas quando Deus jussit prophetias suas obsignare, 110, 2 et seqq.
Prophetare iterum gentibus quomodo Joannes dicatur, 219, 1. *Prophetare* in Scriptura varia significat, 223, 2.
Prophetia quamdiu ejus executio pendet, obscura est, 10, 2. ejus spiritus non datur nisi illustribus servis Jesu Christi, 336, 1, 2.
Propositi pii efficacis vis, 280, 2.
Propugnatorum cohors quæ esset Byzantii, et eorum symbolum, 26, 1.
Providentia divina an per librum septem sigillis signatum intelligatur, 118, 2 et seqq. ejus septem virtutes quæ, 22, 2. ejus pictura antiqua, *ibid.* easdem repræsentant septem planetæ, 23, 1. his diabolus septem vitia capitalia opposuit, *ibid.*
Psalmodia æterna a quo primum in Ecclesiam introducta, 141, 2; 188, 1.
Ptolomæi astrologi epitaphium, 62, 2 et seqq.
Pudor et confusio impiorum in judicio quantus futurus, 158, 1, 2.
Puerorum bona institutio quanti sit momenti, 373, 1.
Pugilum in Olympico certamine quanta post victoriam esset gloria, 90, 1. eorum labores et patientia, 181, 2. — *Vide* Olympionicæ.
Pullum equinum album veteres Soli sacrificabant pro consequenda victoria, 140, 2.
Purgatorium contra hæreticos adstruitur, 282, 2. animæ in eo amant et laudant Deum, 134, 1.
Purificationis B. Virginis festum quando et ubi institutum, 232, 1.
Puritas vitæ est candida vestis animæ, 69, 2.
Purpura est regum vestis, 312, 1.
Purpureum capitur subinde pro albo, 171, 2.
Pusilli qui judicio extremo interfuturi sint, 358, 2.
Pyropus gemma eadem est quæ chalcedonius, 386, 2.
Pyrchias quis sit serpens, 210, 2.
Pythagoras unde multa supra mortalium captum sciverit, 197, 2.

## Q.

Quadragesima danda fidelibus ad pœnitendum cæso Antichristo, 342, 2.
Quadraginta Martyres viso uno e sociis defecisse, et rogantes Deum ut alium in ejus locum sufficeret, voti compotes facti sunt, 75, 1.
Quadrata figura cur non probetur in urbium munitionibus, 376, 2. ejus commoda, 376, 2.
S. Quadratus an fuerit Episcopus Philadelphensis, cui S. Joannes scribit, 79, 2. fuit martyr, et scripsit Apologiam pro Christianis, *ibid.*
*Quasi* sæpe veritatem, non similitudinem apud Hebræos significat, 273, 1.
Quatuor animalia currus Dei, quas providentiæ divinæ



virtutes designent, 23, 2. hæc quomodo essent in medio sedis et in circuitu ejus, 104, 1; 110, 2. qualis eorum sit forma, 103, 1; 110, 2 et seqq. an fuerint hæc animalia tota et integra talia, qualia a Joanne describuntur, 105, 1. an habuerint tantum capita animalium, et quoad cætera membra speciem humanam, 2. an eadem animalia fuere Ezechieli visa, quæ Joanni in Apocalypsi, 104, 1; 106, 2 et seqq.; 110, 1. quæ inter utraque diversitas, 106, 2; 111, 1. quid eadem significent, 107, 1 et seqq. alio ea ordine ponit Ezechiel, alio Joannes, 108, 1 per illa Evangelistas non indicari ad litteram, probatur, 107, 2 sunt quatuor primarii angeli Ecclesiam regentes, 108, 2. redemptionis Christi gestant insignia, 109, 1. an sint Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, *ibid.* per hæc videntur adumbrari angeli assistentes, *ibid.* quomodo et cur sint plena oculis, 2. cur quartum animal habens faciem hominis, dicatur tamen animal, *ibid.* singula habebant senas alas, 110, 1. quid illæ senæ alæ repræsentarent, *ibid.* quid ipsa animalia tropologice significent, 2. habebant pedes humanos, *ibid.* eorum descriptio compendiosa, *ibid.* assidue Deum laudabant, 111, 1.
*Qui est, qui erat, et qui venturus est*, an idem sit cum Dei nomine Jehova, 17, 2 et seqq.
Quiete (ex) oritur contemplatio, 186, 2. quietem dum quis sectatur inquietem invenit, 45, 1.
Quirinalis collis Romæ unus e septem, 316, 2.
Quotidiana communio olim in usu erat Romæ et in Hispania, 42, 1.

## R.

Rabanus Maurus Apocalypsin est interpretatus, 11, 1.
Rabbini Hebræorum sex annorum millia mundi ætati attribuunt, 354, 1.
Ramirus rex Hispaniæ victoriam auspiciis S. Jacobi de Mauris est consecutus, 140, 1.
Rana est animal molestum et importunum, 301, 1. earum tria sunt genera, 2. ejus loquacitas, *ibid.* cur dicatur gyrina, *ibid.* ranæ tres mystice sunt dæmon, caro, mundus, 301, 1.
Raphael unde cognomen invenerit, 21, 2. ejus emblema, 22, 1. an sit e Seraphinis, *ibid.*
Rationale erat typus cœli, ejusque speciem referebat, 382, 2. ejus gemmæ, *ibid.*
Rectoris tria sunt munia, 60, 2.
Reges cur seducere conentur hæretici, 201, 2. illi sua regna Deo accepta referant et offerant, 116, 2. habent angelum aliquem e superiori ordine pro sui custodia, 61, 2. eorum gloria evanida est, nisi in cœlestem gloriam desinat, 402, 2. reges contra Deum bellaturi in fine sæculi, ab eo siderabuntur, 301, 1. qui reges per Euphratem, contra Ecclesiam pugnaturi, ad Antichristum venturi sint, 299, 2 et seqq. hos Deus in loco Armagedon sensim adunabit, ibique eos cædet, 302, 1, 2. reges decem in orbe dominaturi veniente Antichristo, intelliguntur per decem cornua draconis, 242, 1. item per bestiæ cornua, 318, 2.
Regnum Christi et ligatio Satanæ idem sunt, 348, 1. regnum Antichristi quomodo sit futurum tenebrosum angelo quinto effundente phialam super sedem bestiæ, 299, 1. regnum suum multi reges præ æterno parvipendunt, 402, 2. regnum Turcarum cur vocetur mors et infernus, 145, 2 et seqq. regnorum omnium quanta sit vanitas, 231, 1.
Religio est civitas illa beata quam descripsit Plato, 400, 2. ejus spiritus intercidens identidem renovandus est, 1.
Religio Christiana quam semper Romæ floruerit et floritura sit, 308, 2.
Religiosi sunt mystice virgines, 274, 1. eorum quæ olim esset salutatio, 177, 2. sunt velu margarita ob varias analogias, 398, 2 et seqq. eorum vocatio e cœlis est, *ibid.* cæteris statibus eminent, *ibid.* eorum vita qualis sit, 399, 1. oratione nutriri debent : eorum diversa sunt instituta, *ibid.* eorum elogia varia, 182, 1. inchoant vitam angelicam, *ibid.* sunt toti addicti cultui Dei, *ibid.* in ipso Religionis ingressu ab omnibus peccatis emundantur, *ibid.* sæculum vicerunt, 2. Christi crucem semper præ oculis habent, *ibid.* Deo vocationem acceptam referunt, *ibid.* de tribulatione sæculi venerunt; serviunt Deo die ac nocte, *ibid.* sunt de domo ac familia Dei, *ibid.* quomodo non sitiant, neque esuriant, *ibid.* illorum provisor et nutritor Deus, 183, 1. quibus consolationibus a Deo perfundantur, 51, 1. vivunt simul quasi fratres, 183, 2. Religiosi singulares esse qui volunt, semper in anxietate sunt, 400, 2.
Remissio peccatorum optime per hyacinthum repræsentatur, 395, 2.
Remissionis a fervore quæ sit congrua pœna, 45, 1. remissio S. Timothei in prædicando unde ortum habuerit, 43, 2. — *Vide* Tepor.
Renes symbolum sunt occultorum cordis, 59, 1.
Renovatio spiritus semper necessaria et repetenda, 44, 1.
Repotia quod sit convivium, 88, 2. Christus quæ repotia præparet suis, *ibid.*
Reprehensio vitii virtutis laude temperanda est, ne sit nimis acerba, 43, 1.
*Respondere* in Scriptura sæpe est ordiri sermonem, 170, 2.
Resurrectio Christi et mundi creatio in quo sibi similes sunt, 95, 2. illa apte per sardium gemmam repræsentatur, 391, 1, 2. resurrectio prima et secunda quæ sit, 356, 1, 2; 351, 1. resurrectio tantum una est, 346, 1. est effectus Eucharistiæ, 46, 2. resurrectio generalis futura in die Paschæ, 342, 2.
Revelatio Jesu Christi in die judicii quæ futura, 15, 2. revelationes B. Amadæi cujus sint auctoritatis, 21, 1. multa continent fabulosa, *ibid.*
Reverentiæ triplex gestus, 114, 1.
Rex regum et Dominus dominantium titulus Christi et regum Persarum, 340, 2. rege sub impio subditi omnes impii, 157, 2.
Rhinocerotes loricati sunt, 206, 2.
Romæ quod sit etymon, 308, 2. olim dicta Valentia, *ibid.* censebatur olim dea, 255, 2; 310, 1. ejus luxus et opes, 311, 1. putabatur futura æterna, 310, 1; 324, 1, 2. quam varia habuerit regimina, 317, 2. ejus incrementa et decrementa, 309, 1. in ea erant templa omnium deorum, 314, 1, 2. erat septicollis, 316, 1. Roma Ethnica qualis fuit olim, et tempore Antichristi futura est, intelligitur per Babylonem meretricem magnam, 306, 2. diversimode id probatur, *ibid.* et seqq.; 316, 2. ipsa proinde exscindetur, 308, 2; 310, 1, 2. quomodo omnes ad sibi obsequendum pelliceret, 311, 1. quomodo in Christianos sævierit, 314, 1, 2; 329, 2. quot habuerit Martyres, 170, 1, 2. eam quomodo Christiana religio olim paulatim occuparit, 300, 1, 2.
Romæ modernæ sanctimonia, 308, 2. ibi jam portæ semper apertæ sunt, 403, 1. non sibi, nec suis meritis ascribat, quod fidem servarit inconcussam, sed meritis S. Petri, 308, 1. ibi cur luxuria permittatur, 2. in fine mundi fiet Ethnica, 309, 1. an et in hæresin sit tunc prolapsura, *ibid.* quomodo ad pristinas opes et gloriam tunc reditura sit, 309, 1, 2; 329, 1. tunc persequetur Christum et Christianos, 314, 2. in ea non residebit Antichristus, 229, 1, 2. sed eam evertet et cremabit, 319, 2. ejus excidium signum erit nati Antichristi, 320, 2. evertetur sub finem regni Antichristi, 321, 2.
Romana Ecclesia non est Babylon, ut volunt hæretici, 307, 2. ejus decus, *ibid.* et seqq. ejus splendor, 400, 2. cæteras omnes ut mater complectitur, 366, 2. ejus duratio, 348, 1.
S. Romani Martyris in tormentis constantia, 129, 1.

 

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Romanorum priscorum in fide servanda constantia, 371, 1. orbis et regum domini quomodo essent, 310, 1, 2. eorum propria levitas et superbia, 308, 1. eorum reges fuere septem, 317, 1. Romanorum veterum peccata Deus puniet in fine mundi, et quo jure, 330, 1. quomodo dici possint omnes toto orbe Martyres interemisse, 331, 1.
Romanum Imperium non est bestia ascendens de mari, 255, 1. quamdiu sit duraturum, 306, 2. ejus polyarchia, 242, 1.— *Vide* Imperium.
Romanus Papatus an sit juris humani, an divini, 321, 2.
S. Romula voce cœlesti ad cœlum invitata est, 114, 1.
Rosarium SS. Trinitatis quomodo recitari possit, 141, 2. rosarum duodecim stellarum in honorem beatæ Virginis, et ipsum quomodo recitetur, 228, 1, 2.
Rotæ apud Ezechielem quomodo essent oculatæ, 109, 2.
Ruben patriarcha est typus S. Bartholomæi, 397, 1.
Rubris vestibus usi Persæ et Lacedæmonii euntes ad bellum, 142, 1. rubra in fine mundi futura luna: quid id significet, 155, 2.
Rudolphi II Imperatoris mensa e gemmis variis constructa, 384, 1.
S. Ruffinæ in tormentis constantia, 166, 1.
Rufus color cædem, bellum, pugnas, iram denotat, 142, 1, 240, 2. rufus equus Joanni visus denotat Gentiles Ecclesiæ persecutores, 141, 2.
Russati erat factio aurigarum Circensium, 138, 2 et seqq.

## S.

Sabbatum significat diem beatæ resurrectionis Sanctorum post resurrectionem in cœlo, 352, 2.
Saccus pœnitentium est vestis, 325, 2.
Sacerdos et sacrificium correlativa sunt, 356, 2. sacerdos olim in Missa excitabat præsentes ad gratiarum actionem, 178, 2. ei celebranti peculiaris assistit angelus, 188, 2. sacerdotes velut murus cœlestis Jerusalem sunt, 379, 2 et seqq. an repræsententur per 24 seniores, 98, 2 et seqq. sunt quasi annulus signatorius Dei, 39, 2. angelis assimilantur, *ibid.* cur vocentur a laicis Papæ, 78, 2. sacerdotes quomodo sint omnes Christiani, 25, 2; 182, 1. sacerdotes olim alte se cingebant circa pectus, paulo axillis inferius, 30, 2. sacerdotes Romani olim nec capream, nec hederam tangebant, 29, 2.
*Sachar*, id *est memoria*, cur hebraice vocetur masculus, 244, 2.
Sacramenta novæ legis alia ratione vocantur mysteria, alia visiones ænigmaticæ et symbolicæ, 39, 2. ea septem esse asseritur contra hæreticos, 313, 1.
Sacramentariorum hæreseos auctor Andreas Carolstadius, 301, 2.
Sacrificium Missæ repræsentat Christi sacrificium, 190, 2. id offerunt Angeli Deo, 189, 1. quibus in sacrificiis priscis adumbratus sit Christus, 256, 2.
*Saddai* nomen Dei Hebræis, 153, 2.
S. Sagares an fuerit Episcopus Laodicensis, cui scribit S. Joannes, 79, 2.
Saladinus in Ægypto plurimos Christianos occidit, 349, 2.
Salutatio Apostolica et Christi quæ fuerit, 17, 1.
Salvandorum paucitas, 243, 1; 170, 1, 2. salvandorum ex Catholicis quanta sit multitudo, 378, 1.
A. Salvius ad vitam a morte rediens quid de cœlesti gloria narrarit, 381, 1, 2.
Sancta sanctorum significant locum Beatorum, 292, 2; 189, 2.
Sancti veteris Testamenti qui repræsentati per 24 seniores Apocalypseos, 99, 2 et seqq. Sancti precibus suis accelerant diem judicii, 180, 2 sunt altare thymiamatis, 189, 2. eorum vestigia olim adorata ab hominibus, 73, 1. dum jurant, Deo tribuunt illa epitheta quæ rei juratæ congruunt, 216, 1. in die judicii sunt futuri judices orbis, 61, 2. orationes nostras Deo offerunt, 190, 2. mystice sunt thronus Dei, 94, 1. per iridem repræsentantur, 96, 1. semper Deum laudant, 111, 1. terrenis affixi non sunt, 198, 1, 2. mites sunt et pacifici, 250, 1. semper dissolvi cupiunt, 413, 2. cur oleæ et olivo comparentur, 226, 2. e sanctorum qui misericordes fuere, corporibus scaturit oleum, *ibid.* possunt a gratia excidere, 74, 1. dupliciter in vitæ libro scribuntur, 70, 1. Sancti qui suas coronas resignarunt Deo, 115, 1. Sancti quilibet cur vocentur sacerdotes, 356, 2. divinæ contemplationis signum habent in frontibus, in manibus palmas boni operis, 166, 1. eorum invocatio contra hæreticos asseritur, 40, 1. Sancti in fine mundi victuri, in terra signabuntur, ne communibus orbis plagis involvantur; non in cœlo, 160, 1. cur iis tunc detur palma, 173, 1, 2.
Sanctitas in quo sita sit, 112, 2. Deus est sanctitas increata et infinita, *ibid.* ipsa jungenda sapientiæ est, 223, 2. sanctitas animæ sunt virtutes quælibet, 113, 2. sanctitas robusta convertit animas, 72, 2. in ea semper proficiendum est, 411, 2.
Sanctorum animæ dicuntur esse in cœlo sub altari thymiamatis, corpora sub altari holocaustorum in terra, 149, 1. uniformiter laudant Deum in cœlo, 128, 2. ibi amicti sunt stolis albis: quid hæ significent, 171, 1.
*Sanctum* quid sit proprie Latinis, 112, 1; 292, 2.
*Sanctus, sanctus, sanctus* est symbolum SS. Trinitatis, 112, 1, 2. eo quoque continetur totum Apostolorum Symbolum, et Evangelica doctrina, 114, 1.
Sanguis symbolum est ingentis hostium stragis, 194, 2. est item animæ et vitæ nota: eam esse ipsam vitam animalis censuere nonnulli, 195. in Scriptura symbolum est peccati, 155, 1. dum pluit, iram cœlestem prænuntiat, 193, 1. sanguis Agni est sapo macularum nostrarum, 23, 2; 171, 2 et seqq. eum quomodo nobis applicemus, 180, 2 et seqq. sanguis Martyrum in sardio gemma repræsentatur, 391, 1. sanguine hostili aspersus Christus, quando futurus, 339, 1.
Sapiens nihil in terra miratur, 156, 2.
Sapientia vera quæ sit, 218, 2. sapiens Judæorum et Christianorum quomodo differat, 31, 2. sapientia Sanctorum cur dicatur aurum ignitum, 84, 2. sapientia et sanctitas quam apte conjungantur, 223, 2. ita jungitur in Ecclesia Christi, 78, 2.
Sapor solis fratrem se appellabat, 248, 1.
Sapphirus gemma unde dicatur, describitur, cœli speciem præ se fert, 385, 1. olim opaca fuit: estque species lapidis lazuli, *ibid.* ejus apud veteres dignitas, pretium, vires et virtutes, *ibid.* et seqq. sapphirum mittit Pontifex recens creatis Cardinalibus, 2. an eadem cum hyacintho, *ibid.* 395, 1.
Saraceni cur per equum pallidum repræsententur, 145, 1. eorum potentia Christianorum crescit desidia, 2.— *Vide* Mahometismus, Turca.
Saracenismus est ultima, publica et generalis Ecclesiæ persecutio, 146, 1, 2; 350, 2; 253, 1. putatur duraturus usque ad Antichristum, 145, 2; 146, 2. quam multis fuerit noxius, eum dæmones promoverunt, 145, 2. quamdiu is durabit, 146, 2; 350, 2.
Sardi quid in otiosos statuerint, 83, 1.
Sardis fuit urbs Lydiæ, Crœsi regis Lydorum regia, 64, 1.
Sardius quæ sit gemma et ubi nascatur, ejus descriptio et virtutes, 390, 1. ejus natura, Dei justitia et terror repræsentatur, 95, 2.
Sardonyx gemma describitur, unde nomen habeat, ejus color et vires, 390, 1.
Satanas est ligatus per mille annos, quando, 343, 1.
Saturninus somniavit mundum ab angelis esse creatum, 19, 1, 2.
Scalæ Jacob an Deus inferne adstaret, an desuper incumberet, 93, 1, 2.



Scelera quæ abundarint tempore S. Joannis, et Antichristi tempore abundatura sint, 412, 2.
Schismate (in) moriens salvari nequit, 209, 2 et seqq.
Scorpionum caudæ maxime sunt virulentæ, 205, 1. ipsi describuntur, 2.
Scoti fere omnes a particularibus familiis sunt prognati, atque quæque familia habet suum caput, 170, 2.
Scriptura omnis ad litteram uti sonat accipienda est quantum fieri potest, 11, 1. in symbolis subinde se accommodat communi hominum sensui, 89, 1. genere neutro solet significare universitatem personarum et rerum, 67, 2. ipsa est verbum Dei, 102, 2. est velut arcus Christi, 140, 1. cur dici possit mare vitreum, 103, 1. ipsa an bene intelligatur per librum signatum Joanni visum, scriptum intus et foris, 118, 1. per libellum significatur, 143, 2. ejus lectio facit beatum, 334, 2.
Sealtiel angeli nomen quid sonet, 21, 2. ejus emblema, 22, 2.
S. Sebastiano apparuit Christus septem angelis stipatus, 19, 2.
Secreti servantes sint consiliarii, 101, 1.
S. Secundæ in tormentis constantia, 168, 1.
Secundæ nuptiæ illicitæ non sunt, 412, 1.
Sedens in throno quem vidit Joannes, fuit non Christus, sed Deus, 94, 2.
Sedere cum Deo in throno quomodo vincens intelligatur, 88, 2.
Sedes judicum quæ in cœlo visæ, 348, 2.
Senarius numerus cur dicatur numerus hominis, 263, 2. ejus numeri imperfectio, 264, 2.
Senatores quales esse debeant, 100, 2 et seqq. e senibus legebantur olim et postea sic dicti etiam a senatoribus nati, et in senatum cooptati, 97, 2. senatorum Romanorum potentia et auctoritas, 242, 1; 253, 1, 2.
Senes reipublicæ cur præesse debeant, 100, 2.
Señor vox quid apud varias nationes denotet, 97, 2.
Senior dicens Joanni ne fleret, quis fuerit, 123, 1, 2.
Sensus omnes Beatorum suas habebunt voluptates, 402, 1. sensus omnes in inferno patientur, 326, 2.
Sententia condemnationis æternæ recte gladio denotatur, 35, 1. sententia felicitatis et ipsa æterna felicitas vocari potest calculus candidus, 56, 1.
Sepeliri in inferno quomodo dicuntur graves peccatores, 361, 2.
Septem spiritus in conspectu throni divini stantes qui sint, 18, 2; 102, 1; 109, 1. sunt septem angeli principes, 19, 1 et seqq. quando horum septem angelorum primum mentionem facere cœperit Scriptura, 2.—*Vide* Principes. Spiritus denotantur per septem lampades, 102, 1; 109, 1. septem angeli tubarum quinam fuerint, 192, 2 et seqq. septem capita draconis sunt septem reges tempore Antichristi futuri, 242, 1. septem diaconi Cardinales repræsentantur per septem Episcopos ad quos S. Joannes scribit, 100, 2. septem phialæ quas habebunt septem angeli, quid significent, 294, 2. septem reges ante Antichristum, quorum quinque cecidere, unus est, et alius nondum venit, qui sint, 253, 1, 2 et seqq.; 316, 2. septem capitalia vitia alludunt ad septem capita draconis rufi, 241, 2. hæc an repræsentata per septem angelos tubarum, 304, 2.
Septempaginorum quale sit mel, 397, 1.
Septenarius symbolum est universitatis, 19, 1; 21, 1; 118, 1; 263, 2.
Septimius Severus Imperator quintam in Christianos persecutionem movit, 141, 2.
Sepulcro virorum fortium leo insculpebatur, 133, 1.
Sequi Agnum quocumque ierit, quid sit, 274, 1.
Seraphim Isaiæ fuerunt bipedes, non quadrupedes, 105, 1. raro mittuntur, 22, 1. aliquando dantur magnis Sanctis in custodes, *ibid.*
Serpens antiquus est diabolus, cur, 246, 2 et seqq. serpentes ignivomi aliquando visi sunt, 240, 2. serpentes etiam integros pueros devorant, 243, 2. serpentes magni sunt in India, 240, 1.
Servi quare vocentur corpora, 339, 1, 2. iis olim stigma in fronte inurebatur, 163, 2.
Servire Deo regnare est, 397, 1.
S. Servulus ab angelis ad cœlum vocatur, 414, 1.
Sex mille anni est tempus durationis mundi, 352, 2.
Sibyllæ de Imperatoribus primis vaticinia, 261, 1.
Siccatio Euphratis in fine sæculi cur futura sit ad transmittendos Antichristianos, 299, 2 et seqq. quid hæc mystice denotet, *ibid.*
Sicilia fuit olim Italiæ conjuncta, 157, 2.
Siclus argenteus cujus sit pretii, 144, 1.
Siderationes dicuntur inopinati morbi et mortes, 193, 2.
Sigilla septem libri signati quid repræsentent, 118, 2 et seqq.; 120, 1, 2 et seqq.; 138, 1. continent quæ futura sunt ante tempora Antichristi, quædam quæ futura sunt post Antichristum, 187, 1. amplectuntur non tantum initium, sed et finem libri signati, *ibid.*
Sigillum Apocalypseos quod sit, 413, 1. sigillo quinto quinam Imperatores denotentur, 137, 2. sigillum sextum quod sit, diversimode exponitur, 152, 1, 2. septimo an repræsentetur quies Ecclesiæ sub Constantino, 151, 1; 185, 2. an ad id pertineat silentium factum in cœlo, 186, 1, 2. id simul et semel initio apertum fuit, 221, 1.
Signaculum quod diabolo et inferno appositum, 348, 1.
Signandi in fine sæculi electi signo crucis, 168, 2 et seqq. signari a Deo quanti referat, 169, 1. signari quando prophetias jubeat Deus, 410, 2.
Signatio, qua Joannes vidit signari electos signo Dei vivi, fuit tantum visio imaginaria, 165, 1, 2. hæc erit ante Antichristum, tum sub ipso, tum post ipsum, 167, 1.
Signatus liber Joanni visus, quomodo et cur dicatur signatus, 118, 1. signati centum quadraginta quatuor millia qui sint. an definitus fuit numerus pro indefinito, 166, 2. per eos intelliguntur qui in fine mundi, tum ante Antichristum, tum sub ipso, tum post eum occisum, ad Christum convertentur, 167, 1. signati e Judæis in fine sæculi, erunt conversi e Judæis ad Christum, ante et post Antichristum, 160, 2.
Signum Dei vivi est crux, 163, 2. signa judicium præcessura describuntur in sexto sigillo ante et post Antichristum, 153, 1. quæ et qualia et quando ea futura, 154, 2.
Silentii victus quantæ sit dignitatis, 186, 1, 2. silentium in cœlo quod et quale, quasi media hora, 184, 2; 185, 1 et seqq. an pertineat ad septimum sigillum, 186, 2.
Silverius Papa et Mennas Patriarcha Constantinopolitanus an sint duo testes, quos Joannes ait occidendos, et delo cum gloria in cœlum ascensuros, 233, 1; 230, 2.
Simeon patriarcha est typus S. Jacobi Minoris, 397, 1.
Similitudo phrasi Hebraica veritatem rei denotat, 28, 1, 2.
S. Simon Apostolus cur hyacintho gemmæ assimiletur, 395, 2. ejus typus fuit Aser patriarcha, 397, 2.
Simon Magus funestum habuit interitum, 341, 2.
Singulares in Religione quam noxii, 409, 1, 2.
Sinus Abrahæ et altare dicitur locus felicitatis animarum, 118, 2.
Sion, in quo vidit Joannes Agnum stantem, quid significet, 268, 2. allegorice significat Ecclesiam, 267, 1. anagogice cœlum, *ibid.*
Siren figura est voluptatis, 237, 1.
S. Sisinnii Martyris in tormentis et afflictionibus gaudium, 55, 1.
Smaragdus unde dicatur: veteres quales fuerint, 388, 2. æri affinis est et durus, ejusque sapor amarus, *ibid.* ei passio Christi accommodatur, 389, 1; 96, 1. ejus vires, 389, 2. pudicitiæ symbolum est, 389, 2. ejus viror, 97, 1, 2; 388, 2. per eum Dei misericordia repræsentatur, 97, 1. item Dei et creaturarum in ipso visio, *ib.* et 2.

Smyrna urbs est Ioniæ in Asia, ejus elogium, 47, 2.
Smyrna Græcis item myrrha dicitur, 47, 2.
Societatis Jesu homines Ecclesiam contra Antichristianos in fine sæculi maxime propugnaturos prædixit S. Teresa, 224, 1. an præsignati in Apocalypsi, 72, 1.
Sociniani docent Christum non fuisse Deum, sed sua sancta vita meruisse, ut vocaretur Deus, 123, 2.
Sodomæ nomine cur dicatur Jerusalem, 229, 1. Sodomæ incendium quantum, 287, 1.
Sol nihil valebat proferre nisi cum luna sociatus, 236, 2. soli fulgenti cur assimiletur Christus, 85, 2; 36, 1. ejus proprietates describuntur, 36, 1 et seqq. est imago divinæ voluntatis, 37, 1. quomodo a Gentibus coleretur, ibid. is in fine mundi futurus est niger instar sacci nigri: quæ ejus obscuritatis ratio futura, 155, 1. ejus magnitudo, 36, 1. sol sculptus in sepulcro Josue, est symbolum vigilantiæ, 65, 1.
Solitudo mystice est abstractio mentis a rebus terrenis, 244, 1. quæ in ea observanda, 245, 2.
Solon neminem dixit beatum, nisi feliciter mortuum: ejus ad Crœsum vox, 281, 2 et seqq.
Sp. litteræ denotant Spiritus, 17, 2.
Spartani ad lyræ sonum acies instruebant, 127, 2.
Sphengites quod genus marmoris sit, 373, 1; 381, 1.
Sphynges depictæ Cherubinis Salomonis, 105, 1.
Spiritus Sanctus an denotetur per angelum habentem signum Dei vivi, 163, 1. est fons vitæ, 405, 1. quomodo sit sanctus, 115, 2. apte topazio gemmæ confertur, 393, 2 et seqq. ejus proprietates et operationes, ibid.
Spiritus quasi ranæ de ore bestiæ, draconis et pseudoprophetæ exeuntes, quid sint, 300, 2. cur ranis comparentur, 301.
Spiritus septem sunt septem angeli primarii, præsides Ecclesiæ, repræsentantur per septem cornua Agni, 126, 1. cur dicantur oculi, ibid.
Sponsa Agni an dicatur Jerusalem, an ejus cives, 372, 1.
Stadium quanta sit mensura, 386, 1, 2; 377, 2. stadia 1600 ad quæ effundendus sanguis impiorum, proprie de spatio inferni intelliguntur, 386, 2.
Stagnum inferni quale sit, 287, 2. ejus murus spissitudo, ibid. ipsum horrende ardebit, 361, 2. stagna in fine mundi non habebunt aquam sanguinolentam, sed tantum maria et flumina, 298, 2.
B. Stanislaus Kostka ex angelorum manibus S. Eucharistiam sumpsit, 189, 1. et quod datum elogium a proceribus Polonis, 277, 1. quam ardenti in Deum esset amore, 282, 2.
Stater cujus sit pretii, 144, 1.
Statio, non sessio, decet Beatos in cœlo, 170, 2.
Stella matutina quæ sit, quid per eam dandam vincentibus Joannes intelligat, 61, 1, 2.
Stellæ non sunt elementares, nec indigent alimento juxta Origenem, 155, 2. eæ de cœlo quomodo cadent, ibid. eas æmulantur gemmæ, 382, 1. stellæ septem in manu Christi quid significent, 33, 2.
Stephanus Papa ob persecutiones Longobardorum in Franciam ad Pipinum profectus est, 284, 1, 2.
Stilico ambitionem capite luit, dum filium suum Eucherium ad imperium evehere satagit, 200, 2.
Stimulus acer ad virtutem, 75, 1.
Stola est vestis honoris, gloriæ, immortalitatis et triumphi, 151, 2; 171, 1. item sacerdotalis, ibid. erat priscis vestis mulieris honestæ et nobilis, 151, 2. stolis albis denotatur animæ gloria, 1; 171, 1.
Struthiones ova spectando fovent, 338, 1.
Suffragiis (in) ferendis quis esset usus calculorum, 56, 1.
Suggestio ad honores, opes et delicias, prodit ex ore dæmonis, 301, 1, 2.
Sulphur quomodo de ore militum procedere videatur, 219, 2. sulphur verum in inferno erit, 341, 2; 361, 1. ejus natura, ibid.
Superbi usque ad cœlum dicuntur exaltari, 240, 2.
Superbia Romanorum Imperatorum, 263, 1.
Supplicia a Deo immissa humiliter et libenter sunt amplectenda, 87, 2.
Symboli articuli duodecim repræsentantur in duodecim gemmis civitatis cœlestis, 375, 1, 2; 380, 1. ejus primus articulus repræsentatur in jaspide, 384, 2. secundus in sapphiro, 386, 1. tertius in carbunculo, 388, 1. quartus in smaragdo, 389, 1. quintus in sardonyche, 391, 2. sextus in sardio, 392, 2. septimus in chrysolitho, 1. octavus in beryllo, 2. nonus in topazio, 393, 2. decimus in chrysopraso, 394, 2. undecimus in hyacintho, 395, 2. duodecimus in amethysto, 396, 2.
Symbolica Scripturam interpretandi ratio quatenus admittenda, 9, 2.
Synagogæ in Apostolos odium, 57, 2. ea an Jezabel appellari possit, ibid.
Syriaca versio in Apocalypsi desideratur, ea exstat tamen in Bibliotheca Vaticana, 13, 2.


## T.


Taciturnitas consiliarios decet, 101, 1.
Talentum quanti pretii et magnitudinis, 303, 2.
Talenti Attici et Hebræi quæ differentia, ibid.
Tamberlanes tricolor tentorium habebat, cur? 141, 1; 174, 2.
Tarantularum venenum saltando, sudandoque excutitur, 129, 2.
S. Tarsilla a S. Felice ad cœlum est invitata, 414, 1
Tartari an futuri sint Gog et Magog, 146, 1; 357, 1.
Tedæ accensæ sponsis præferebantur, 335, 2. hinc teda capitur interdum pro nuptiis, ibid.
Τειταν an sit nomen Antichristi, 263, 2.
Temperamentum virtutum per citharas denotatur, mens est citharœdus, 127, 2.
Templorum usus et structura adstruitur, 401, 2 et seqq. ipsa habent custodes angelos, 186, 2.
Templum etiam dicitur martyrium vel confessio, 147, 2. templum cœli Deus est, 400, 2. alia in eo non sunt templa, cur, ibid. templum Dianæ Ephesiæ quam celebre, 42, 1. templi Salomonis descriptio, 189, 2. partium ejus significatio et allegoria, 190, 1. ejus partes, 222, 1. allegorice Ecclesiam militantem, anagogice triumphantem significat, 222, 1; 116, 2.
Tempus pro anno ponitur aliquando in Scriptura, 249, 2. temporis quanta habenda sit ratio, 217, 1. cito id prætervolat, ibid. cum præteriit, est irrevocabile, ibid. ejus signa et schema, 2. ab illo pendet nostra æternitas, ibid. nobis datum est ad bene operandum, ad salutem et gloriam procurandam, ibid. post illud elapsum non sequitur aliud, 218. in eo impendendo nos oportet esse avaros, ibid. brevi nobis Deus hoc auferet, et in æternitatem transferet, 218, 1. tempus legis Christi cur dicatur novissimum, 353, 2.
Tentationes sunt signum fructus pii laboris, 239, 2.
Tepida cur provocent vomitum, 83, 1, 2. tepidi de sua innocentia semper gloriantur, 84, 1. tepidi, calidi, frigidi quinam spiritualiter sint, 80, 1, 2.
Tepores S. Timothei et Sanctorum causæ variæ, 43, 2. quomodo sit pejor frigore, 81, 2. unde is nasci soleat, ibid. ejus mala, 82, 1. ejus varia remedia, 86, 1, 2.
Tergo (a) vox cur Joanni audita, 27, 1.
Τερμιὸς cur diceretur Jupiter, 25, 2.
Terra conversatione cœlesti fieri potest cœlum, 367, 2. terra an post finem mundi æquanda sit sublatis montibus et vallibus, 157, 2. in fine sæculi sese aperiens absorbebit persecutores fidelium immissos ab Antichristo, 250, 2. terra nova quæ dicatur, 365, 1 et seqq. terræmotus magnus futurus paulo ante necem Antichristi, 303, 1. terræ sanctæ longitudo quanta, 286, 1. terræ mobiles et trementes variæ, item fluitantes, 157, 1. super terram repere dicitur diabolus, 246, 2.
Terrena despicienda, 390, 1.
Tertia angelorum pars an ceciderit, 242, 1. tertia pars terræ quomodo combusta intelligatur, 193, 1.
Testamenti veteris novem illustria, 416, 2. alia illustria novem novi, ibid.
Testes duo in fine sæculi apparituri, quinam sint, 223, 2. testis fidelis quid proprie sit, et quomodo Christus sit talis, 23, 1. testis per catachresin vocatur judex et princeps, 23, 1.
Testimonium sæpe ponitur pro doctrina, 149, 2. testimonium Jesu Christi habere quid sit, 250, 2 et seq.
Testudines ova spectando fovent, 338, 1.
Thalilæus Eremita cur semper fleret, 217, 2.
Thebanorum pro patria occumbentium sepulcro insculptus est leo, 123, 1.
Themistocles etsi grandævus, doluit se e vita discedere, cum sapere inciperet, 82, 2.
Theodoricus rex Arianus qui Joannem Papam carcere maceravit, et Symmachum occidit, mortuus, est visus discinctus et discalceatus ad ollam Vulcaniam rapi, 208, 2; 238, 2; 342, 1.
S. Theodorus Martyr in tormentis gratias agebat Deo, et gaudebat, 54, 2; 178, 1.
Thermæ Diocletiani a Christianis Confessoribus ædificatæ, 20, 1. thermæ olent sulphur, 361, 2.
Theseus primus palmeas coronas dedit victoribus in agone Apollineo, 173, 1.
Thomas Anglicus, non Angelicus, auctor comment. in Apocalypsin, 12, 1.
S. Thomas Apostolus apte per beryllum repræsentatur, 392, 2. ejus typus fuit Benjamin, 397, 2.
S. Thomas Aquinas qualiter mortuus sit, 282, 1. quotidie lectitabat Collationes Cassiani, 83, 1; 100, 2.
S. Thomas Morus æterna temporalibus præposuit, 250, 1.
Throni quales sint angeli, et cujus chori, 99, 1, 2.
Throni viginti quatuor seniorum an essent in orbem, an in quadrum dispositi, 98, 1. throni prisci Pontificum plures Romæ conspiciuntur, ibid. thronus Dei in cœlo, quem vidit Joannes, an fuerit instar propitiatorii et Cherubini, 93, 2. quid hic repræsentaret, 94, 1.
Thuribulum est symbolum corporis Christi, 191, 1, 2.
Thyatiræ urbis situs, origo, etymon, significatio, 56, 2; 59, 1.
Thyinum lignum quid sit, 328, 1.
Thymiama non in ipso altari, sed in foculo seu thuribulo adolebatur, 188, 1; 191, 1, 2. id e quibus odoribus componeretur, 190, 1. ei assimilatur oratio, ibid.
Tiberius Imperator quomodo monitus ut vim multitudinis caveret, 207, 1.
S. Tiburtii Martyris in tormentis lætitia, 54, 2.
Ticonius Donatista an in Apocalypsin scripserit, 11, 1.
Timor et amor sunt duo effectus Scripturæ et sapientiæ, 248, 2.
S. Timotheus fuit angelus Ephesi, ad quem scribit Joannes, 42, 2. quamdiu fuerit Episcopus, et an interpuerit, ibid., 43, 2. et cur, 43, 2. remissionem suam postea correxit, ibid.
Titi Imperatoris Imperium an per equum nigrum significetur, 137, 2; 142, 2.
Tobias a Raphaele didicit septem esse in cœlo primarios angelos, 19, 2.
Tonitrua quomodo locuta dicantur, 215, 2 et seqq. ipsa et fulgura Dei majestatem et potentiam repræsentant, 101, 1. unde hæc nascantur, 102, 1. tonitruo comparatur vox virginum in cœlo, 271, 2 et seqq.
Tonis musicæ affectus quilibet concitantur, 129, 2.
Topazius gemma describitur: ejus color, species, nomina, unde nomen derivetur, 393, 1. ejus dotes et vires, ibid. 2. ei comparatur S. Jacobus Minor,
Tormentorum varia sunt genera in inferno, loca et instrumenta, 288, 1.
Trachenses cives linguis ab Hunerico excisis loquuntur, 209, 2.
Traditio de Antichristo ex Dan nascituro probabilis est, 168, 2.
Trajanus tertiam in Christianos persecutionem movit, 141, 2. ipsa vehemens quidem fuit, sed mox desiit, 73, 2. ejus columna Romæ erecta describitur, 76, 2.
Tres partes, in quas dividetur Jerusalem sub Antichristo, quomodo mystice intelligendæ, 303, 1. tria angelorum nomina tantum agnoscit Ecclesia, 21, 1. trium millium numerus symbolice quid denotet, 379, 1.
Tribulatio est probatio virtutis, 257, 1. tribulatio præsens parit coronas æternas, 179, 2. per eam additur homini robur, fit Christo crucifixo similior: per eam crescunt virtutes, 165, 1. in ea Deus adest suis, 27, 1.
Tribus Israel singulæ populum ingentem constituerunt, 170, 2. ex iis in fine mundi convertentur aliqui, 167, 1. an præcise ex singulis XII millia, et non plures et pauciores, ibid. earum mystice interpretationes quoad earum ordinem a S. Joanne servatum in signatione, 168, 2. eædem ad Ecclesiam referuntur, ibid.
SS. Trinitas est prima virgo, 269, 1. ejus mysterium an repræsentetur per nomen Jehova, 18, 1. nunquam satis laudari potest, et quod ejus sit rosarium, 111, 2. ejus symbolum est triophthalmus cum onyche nascens, 112, 1, 2.
Trisagion SS. Trinitatis unde in Ecclesia ortum habuerit, 111, 2. quid eo repræsentetur, 112, 1, 2; 113, 2.
Triumphantes olim albis equis vehebantur, 140, 2. eorum ministri oleaginis coronis coronabantur, 225, 2. ipsi coronas suas Jovi Capitolino dicabant, 115, 2.
Tubæ quas angeli in manibus habent, an veræ tubæ, an vero ænigmaticæ per prædicatores inflandæ, 187, 1, 2. tubarum plagæ aliæ sunt a plagis phialarum, 297, 1. tuba septima denuntiat regnum beatum quod cum Christo inibunt omnes Sancti in die judicii, 250, 2. quis proprius ejus tubæ locus in Apocalypsi, ibid. et seqq. 350, 2; 333, 1, 2.
Tunicæ duæ pontificis Judaici, 29, 2. ejus tunica hyacinthina cujus res eum commoneret, 395, 2.
Turba magna, non dinumerari potens, an eadem sit cum 144 millibus signatis ex omni tribu, 169, 2. ii sunt Christiani Gentiles, futuri in fine mundi sancti, ibid.
Turca draco est unius capitis, sed multarum caudarum, 253, 2. Turcæ cur venerentur lunam, 258, 1. eorum imperium quamdiu durabit, 347, 2 et seqq. — Vide Mahomet, Saracenismus.
Tuzia est spuma subnigra argenti, 85, 2.
Tyranni libere arguendi, 223, 1. eorum imago est locusta, 204, 2. tyrannorum collectio, qui septem ætatibus fideles persecuti sunt, sunt septem illi reges, quorum ait Joannes quinque venisse, unum esse, alium nondum exstare, 317, 1. tyranni prisci tantum sunt typus Antichristi, 253, 2 et seqq.


## U.


Ubertinus de Casalis commentatus est in Apocalypsin, 12, 1. fuit a Joanne XXII Pontifice alienior, cur, 345, 2.
Udo qua voce monitus resipiscere a mala vita, 289, 1, 2.
Ὑγίεια Antiochi Soteris symbolum, 26, 1.
Ulcera qualia inducturus sit angelus primus phialarum, 29, 2.
Ultio Dei est res pretiosa, 294, 2.
Unio Cleopatræ quanti pretii fuerit, 313, 2. unionis nomine cur dicantur margaritæ, 398, 1, 2 et seqq.
Urbs nulla a sceleribus immunis, 308, 2. urbis statuendæ quis situs spectandus, 196, 1. urbes in opibus, gloria, religione quomodo creverint et decreverint, 309, 1. ur-




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bes maritimæ considerantur quasi dominæ illius maris, quod despectant, 319, 2.
Uriel angeli nomen an sit authenticum, 21, 1. quid ea vox sonet, 2. ejus emblema, 22, 1.
Ursulæ Martyris elogium, 46, 1.
Ursus symbolum luxuriæ, 254, 1, 2. ursi in Russia quomodo capiantur, 237, 1.
Uxor Agni est Ecclesia in cælo, 334, 1.

## V.

Valens Imperator Arianus in casa combustus est, 341, 2.
Valentini hæretici æones et portenta numinum, 59, 2.
Valeria Luperca immolanda ab aquila neci erepta est, 197, 2.
Valerianus Imperator octavam in Christianos persecutionem suscitavit, humiliatur per Saporem Persarum regem, 142, 1.
Vallis absinthii dictus locus in quo S. Bernardus primum Ordinis sui fundavit monasterium, 195, 2 et seqq.
Vanitas regnorum et omnis pompæ, 61, 1; 331, 1, 2.
Vaticanum S. Petri templum orbis miraculum, 314, 1.
Veneti erat factio aurigarum Circensium, 138, 2. horum quis esset color, ibid.
Venti quatuor primarii sunt priscis cogniti, postea a nautis alii inventi, 161, 1. eorum necessitas quadruplex, 2. eorum compressio minus damnum facit quam laxatio, ibid. eorum motus ac gyri ab angelis concitantur, 162, 1.
Verbum Dei est nomen Christi, 338, 1, 2.
Verbum Dei dulce est rationi, sed amarum sensualitati 219, 1. sic vocatur S. Scriptura, 16, 1. verbum capitur pro præcepto et promissione, 73, 1.
Verum in Scriptura subinde pro perfecto capitur, 79, 2.
Vespasiani Imperatoris vigilantia et sedulitas, 65, 1.
Vestem candidam cur olim acciperent baptizati, 69, 2. talis cur detur in multis monasteriis monacho dum vestitur primum, ibid. vestis martyrum quomodo aspersa sanguine, 339, 2.
Vicissitudo rerum humanarum et regnorum, 309, 2.
S. Victoris Confessoris duplicis elogium, 16, 1; 78, 2.
Victor et Corona Martyres simul, 46, 1.
Victoriæ et triumphi symbolum candor est, 172, 1; 140, 1. item palma, 172, 2; 174, 1. item calculus candidus, 56, 1. item equus, 139, 1. victoria est difficillima, sed gloriosissima, 89, 1. victoriam Christus de hoste suo quomodo referat, 140, 1.
Victoriæ Martyris illustris agon et triumphus, 52, 2.
Vigesimi quarti numeri perfectio, 100, 1.
Vigilantiæ varia symbola, 65, 1.
Vigilare est proprium Episcoporum, 65, 1; 67, 1.
Viginti quatuor seniores in circuitu throni Dei sedentes quinam sint, 95, 1 et seqq. hi repræsentant quales debent esse senatores, 97, 2; 100, 2. quid per eorum numerum 24 designetur, 110, 1, 2. quomodo prociderent ante sedentem in throno, et cum adorarent: quid per hoc denotarent, 114, 1. Deo laudem deferunt, 116, 2 et seqq. habebant in manu citharas et phialas, 127, 2.
Viminalis collis quis esset Romæ, 316, 2 et seqq.
Vincens quis dicatur in epistolis Christi ad Episcopos Asiæ, 52, 2. vincentibus promittitur cœleste præmium, 370, 2.
S. Vincentius Ferrerius an sit angelus habens Evangelium æternum, 278, 2. semper prædicabat mundi finem instare, 255, 1. ejus victoria per prædicationem Evangelicam, 141, 2 et seqq.
S. Vincentii Martyris mira coram Daciano præside fortitudo, 77, 1.
Vindemiatio in Scriptura passim pro punitione capitur, 285, 2.
Vindicare capitur aliquando pro liberare, 150, 2 et seqq. qualem vindictam petant Martyres, ibid.
Vinum iræ vocatur calix vindictæ in Scriptura, 324, 1. vino veteres cur miscerent aquam, 390, 1. illius mixturæ commoda, 279, 1.
Virga ferrea quid significat, 60, 2 et seqq.
Virgines stant in culmine virtutis, 269, 1. superiores sunt angelis, 2. fugiunt alterum sexum, 270, 1. quomodo Agnum sequantur, quocumque ierit, 271, 1. sunt primitiæ Deo, cur, 273, 2; 277, 1. eorum decem elogia, 277, 1. oliva eorum symbolum est, ibid. eorum quod canticum novum sit, 273, 2. eorum quanta copia futura sub Antichristo, 270, 2. an præcise futuri 144 millia, ibid. et seqq. erunt hi tam viri quam fœminæ, 271, 1. sunt principes in aula Christi, 2
Virgines Christianæ olim ad lupanaria damnabantur, 323, 2. eas cur in direptione Romana a barbaris violari permiserit Deus, 51, 1.
Virginitas omnem virtutis communis altitudinem superat, 269, 1. ejus dignitas, 2. tam est ardua quam excelsa, ibid. eam Dominus consuluit, non præcepit, ibid. ea in parvulis non est virtus, sed conditio ætatis, 271, 1. semper viret, et suo virore splendescit, 97, 2. quibus virtutibus perlatur, 272, 1. ejus quod sit emblema, 273, 1.
Virtutes septem providentiæ Dei sunt, cur illæ vocentur spiritus, 22, 2. virtutes quatuor cardinales an per quatuor animalia Joannis denotentur, 107, 1. virtutum Theologalium æqualitas inter se, 379, 2. virtutes variæ a B. Virgine petendæ, 238, 2 et seqq. eæ inter se connexæ esse debeant, 327, 1. virtutem modicam quomodo Philadelphius Episcopus habere dicatur, 72, 1. virtutem accipere quomodo dicatur Deus, 116, 1. virtutes cœlorum movebuntur quintupliciter, 156, 2.
Visio Dei beatifica est fluvius aquæ vitæ, 405, 2; 395, 2. item lignum vitæ, 407, 2. et velut fons vitæ, 158, 2.
Visio, qua Joannes vidit thronum Dei et seniores, fuit tantum intellectualis, 93, 1. visiones septem Apocalypseos quæ sint, 10, 1. res eadem sæpe in Scripturis per diversas visiones figuratur, 11, 2. in ea ad visiones Ezechielis et Danielis alludit S. Joannes, 11, 1. in visionibus ænigmaticis eadem res per diversa ænigmata repræsentatur, 403, 2.
Visus cur pro quolibet sensu capiatur, 28, 1.
Vita et lumen sæpe in Scriptura conjunguntur, 406, 1. vita sæpe idem est quod felicitas et beatitudo, ibid. cur dicatur cœlestis gloria corona vitæ, 50, 1. vitæ integritate Deus laudatur, 333, 1. vita Christi est velut liber vitæ, 350, 2. vitam bonam bona sequitur mors et vicissim, 251, 2. vitæ hujus pompa fragilis est, 301, 1. vitæ hujus et futuræ pulcher apologus, 80, 2. vita præsens mercatus est, in qua emere quidlibet possumus, 217, 2. vitam cœlestem agere debent Prophetæ et viri Apostolici, 93, 1.
S. Vitalis Martyr in Christo confitendo fuit constans, 58, 2.
Vitis qui in se vincit, facile ea in alio vincet, 60, 1.
Vitri quæ sit materia et origo, 103, 1. ei virginitas assimilatur, 381, 1. vitrea dicitur aqua, 102, 2; 400, 2.
Vitulus in animalibus Joannis significat Dei patientiam, justitiam, religionem et cultum, 108, 2. item Christi sacerdotium, 1. — Vide Bos.
Vivus est epithetum Dei, 163, 2. vivus an aliquis ad infernum descendat, 341, 1.
Volvilæ erant veterum libri, 117, 1; 121, 1.
Volupia Romanis erat Dea voluptatis, 327, 1, 2.
Voluptas cœlestis pellucida, terrena, turbida, 406, 1. voluptas spiritus sequitur post victam tentationem, 54, 1. voluptas est character Antichristi, 261, 2. ipsa quam noxia, 337, 2. ejus descriptio, ibid.
Voluptuariorum sordes, 327, 1.
Vomitum cient tepida, 85, 1. sic tepidi Deo, ibid.
Vox cur Joanni a tergo audita, 27, 1. vox magna indicat ingentem animi affectum, 133, 1. quid vox magna de throno Dei veniens significet, 369, 2. vox aquarum multarum quid sit, et quid significet, 33, 1. vox virginum in monte Sion qualis fuerit, 271, 2. voces in aere futuræ ad finem mundi an futuræ sint articulatæ, 302, 1. voces in Apocalypsi Joannes reales non audiebat, sed illæ menti ejus objiciebantur, 273, 2. voces erumpentes e throno Dei quid significent, 101, 1, 2.
Vulcani rupe (in) enascentes palmæ etiam florent, etsi inter ignes, 173, 1, 2.
Vulnera relucebunt in Christi corpore ad judicium venientis, 24, 1.

## W.

Wandali a Gothis facti sunt Ariani, 260, 2. hi etsi Romam vastarint, mansit tamen Pontificatus sub Leone I, 317, 2. per plusquam trecentos annos Ecclesiam vexarunt, 143, 1. eorum feritas in Orthodoxos, 260, 2 et seqq.; 265, 2. eorum regnum quando finem acceperit, 260, 1. an fuerint locustæ e puteo abyssi prodeuntes, ibid.
S. Wenceslaus Bohemiæ rex cruce aurea divinitus signatus ab Angelis in Imperatorum conspectum perductus est, 165, 1.
S. Wilibaldi Episcopi Eystetensis elogium, 30, 2.

## X.

Xerxes quam numerosos exercitus contra Græcos eduxerit, 219, 2.

## Z.

Zabulon patriarcha est typus S. Matthiæ Apostoli, 397, 1.
Zacharias propheta sub persona Zorobabelis et Jesu filii Josedec, loquitur allegorice de Elia et Henoch, 226, 1, 2.
Zeno Imperator Eutychianus vivus ab uxore sepultus est, 342, 2.
*Zona* Hebræa vox significat cauponam sive lenam, 325, 1.
Zona pontificis Judaici a communium sacerdotum zona distinguebatur, 30, 2. zona aurea octo Christi dotes significat, ibid. ea an repræsentet Ecclesiam, ibid.
Zosimus non fuit nomen Episcopi Sardensis cui Joannes scribit, 66, 2.

# INDEX
# MATERIARUM MORALIUM

QUÆ HIS IN APOCALYPSIN COMMENTARIIS CONTINENTUR,

VERBIS EVANGELII DOMINICARUM ET FESTORUM ALIQUOT ACCOMMODATARUM, IN USUM CONCIONANTIUM.


### DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

STELLÆ DE CŒLO CADENT. Quomodo eæ cadere intelligantur, 135, 2.

VIRTUTES COELORUM MOVEBUNTUR. Hoc quomodo fiet, 136, 2. quomodo cœlum recedere dicatur sicut liber involutus, 1. Elias et Henoch an in fine sæculi venturi sint, quidve tunc facturi et passuri, 223, 2 et seqq. hi sunt velut duæ olivæ, cur, 226, 1. quæ miracula sint patraturi, 227, 2 et seqq. eorum mors, 229, 2. — *Vide notata Domin. ult. post Pentecost.*

### DOMINICA II ADVENTUS.

CUM AUDISSET JOANNES IN VINCULIS. Joannes in vincula conjectus est, quia Herodem coarguit; nihilominus reges et tyranni peccantes libere arguendi, 228, 1.

IN DOMIBUS REGUM SUNT. Regum Consiliarii et Senatores quales esse debeant, 100, 2.

MOLLIBUS VESTITUM. Occasione cilicii Joannis agi poterit de decenti mulierum Christianarum ornatu, 151, 2.

ARUNDINEM VENTO AGITATAM. Impii vocantur arundo et vena, cur, 232, 1.

### DOMINICA III ADVENTUS.

PROPHETA ES TU? Deus tripliciter Prophetis loquitur, 15, 2.

PARATE VIAM DOMINI. Concionatores terreant auditorium suum narratione novissimorum, 101, 1, 2.

### DOMINICA IV ADVENTUS.

PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ. Pœnitentia mare vitreum vocatur, 102, 2.

### IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

IN PRINCIPIO ERAT VERBUM. Divinitas in Christo fuit ante ejus existentiam, 193, 2. Deitas ejus est sol, et humanitas lunæ comparatur, 236, 2.

VERBUM CARO FACTUM EST. Humanitas Christi quam sit splendida, 32, 2. Leo vocatur Christus ob octo analogias, 122, 2. quomodo sit radix et ramus David, 123, 1, 2. est item natus, Agnus Dei, 124, 1. ejus cornua septem quæ sint, 125, 2. ut Deus et homo sapphiro comparatur, 386, 1.

DEDIT EIS FILIOS DEI FIERI. Christiani sunt Deo filius masculus, 243, 2.

### IN FESTO S. JOANNIS.

S. Joannes fuit proprie Martyr, 3, 2. cur aquilæ comparetur, 3, 2. varia ejus elogia, 4, 1. quando et an mortuus, 6, 2. smaragdo adumbratur, 388, 2. an ipse iterum prædicaturus Gentibus in fine mundi, 219, 1. cur angelus ab eo adorari noluerit, 385, 2.

### IN FESTO EPIPHANIÆ.

TURBATA EST OMNIS HIEROSOLYMA CUM ILLO. Multitudinis quanta sit vis, etiam rerum minimarum, 207, 1.

OBTULERUNT EI MYRRHAM. Myrrha mortificationis est symbolum: mortificatio vero ac crux mystice quædam est cithara, 129, 1; 372, 1.

THUS. Oratio est ob varias analogias thymiama, 130, 1.

AURUM. Charitas est aurum, 65, 1.

### DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

PROFICIEBAT SAPIENTIA ET ÆTATE. Sapientia vera quæ sit, 248, 2. Sic et in sanctitate semper proficiendum, 411, 2.

ERAT SUBDITUS ILLIS. Obedientia plena quæ sit, 68, 2.

### DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

MOTUS MAGNUS FACTUS EST. Deus cur suos sinat affligi et castigari, 87, 2. Persecutiones varias passa est Ecclesia, ut navis hæc tempestates, 141, 2; 264, 2 et seqq.

IPSE VERO DORMIEBAT. Christus etsi dormiens, eorum tamen quæ gerebantur conscius per suam providentiam erat: providentiæ Dei virtutes septem quæ, 22, 2.

MODICÆ FIDEI QUARE DUBITASTI? In metu vita est misera, beata vero quæ vicit metum et voluptatem, 159, 1.

VENTI ET MARE OBEDIUNT EI. Ventorum necessitas quadruplex, 161, 2. his præsunt angeli, 163, 1. per hos Deus eorum uti et fulminum ac tonitruorum, vim moderatur, ut hos, non illos; impios, non pios affligant, 2.

### DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

CONDUCERE OPERARIOS IN VINEAM SUAM. Opera bona et mala hominem ubivis sequuntur, 283, 1. botri vineæ sunt reprobi, cur? seges vero electi, 285, 2.

AN NON LICET MIHI QUOD VOLO FACERE? De libro vitæ quomodo deleri quis possit, 70, 1.

MULTI VOCATI, PAUCI VERO ELECTI. Paucis auditoribus etiam fervide concionandum, 44, 2. quam pauci salvandi in fine mundi, 166, 2 et seqq. salvandorum e Catholicis quanta sit multitudo, 378, 2. Prædestinati an damnari possint, et eorum numerus sit certus ante præscientiam finalis perseverantiæ, 74, 1, 2.

### DOMINICA IN SEXAGESIMA.

SEMEN EST VERBUM DEI. Concionator verbi Dei sit velut citharœdus, 129, 1. cum doctrina jungat exemplum sanctæ vitæ, 2. Concionatores aquilis comparantur, 197, 1.

A VOLUPTATIBUS EUNTES SUFFOCANTUR. Voluptates et concupiscentiæ locustis comparantur, 199, 2. Voluptas (cui multi his diebus incumbunt) est Antichristi character, 261, 2. ea quam sit noxia, 327, 1.

### DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

FILIUS HOMINIS TRADETUR. Christus est Agnus occisus ab origine mundi, quomodo, 256, 2. Passio Christi smaragdo denotatur, 389, 1.





UT VIDIT, DEDIT LAUDEM DEO. Gratiarum actio quam sit utilis, sancta, necessaria et Deo grata, 175, 2. est victima novi Testamenti ob varias causas, 176, 1 et seqq. etiam in adversis gratiæ Deo agendæ uti agebant Martyres, 177, 2. Deum semper laudare est vitam inchoare angelicam, 178, 2. Laus Dei quadruplex est, 333, 1. Deus semper laudandus, 111, 1. quomodo id fieri possit, 112, 1. Septem actus amoris et laudis Dei, 134, 2 et seqq.

UT TACERET. Silentium quam præstans sit virtus, 186, 1, 2.

### DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

IN DESERTUM. Mentis abstractio a rebus terrenis est velut solitudo, 244, 2.

CUM JEJUNASSET. Quadragesimalis jejunii commendatio, 342, 2.

TUNC ACCEDENS TENTATOR. Generose fideles tentationibus resistant, 243, 2. Tres hominum sunt hostes, diabolus, mundus, caro, iique per ranas intelliguntur, 301, 1.

ASSUMPSIT EUM DIABOLUS. Dæmones nocere nequeunt, nisi volentibus, 210, 1. Dæmonis septem sunt spiritus, 241, 2. ejus indoles et arma quæ sint, 241, 1. Angelorum tertia pars an cum Lucifero ceciderit, 242, 2. quomodo diabolus super pectus gradiatur, 247, 1. quomodo sit serpens, 2. horret sanguinem Christi, 339, 1. scorpius est symbolum illius, 205, 1, 2 et seqq.

OSTENDIT EI OMNIA REGNA MUNDI. Regnorum quanta sit vanitas, 331, 2. Regna ea Christus non quæsivit, utpote qui in femore scriptum gestat Rex Regum, 340, 1. Omnis pompa regnorum et hujus vitæ est vitrea, 291, 1.

SI CADENS ADORAVERIS ME. Lucifer voluit esse Deus, quomodo, 244, 2.

ACCESSERUNT ANGELI, ET MINISTRABANT EI. Ut Christo post conflictum peractum adfuere angeli, sic et hominibus rite certantibus dantur consolationes, 54, 1. Vincentibus tentationem quam stellam matutinam promittat Deus, 61, 1. quam item coronam vincentibus passiones, 45, 2. et hæc victoria quam sit gloriosa, 89, 1; 90, 1.

### DOMINICA II IN QUADRAGESIMA.

RESPLENDUIT FACIES EJUS SICUT SOL. Quomodo Christi facies ut sol resplendeat, 35, 2. quinimo ipse Christus et Deus sol sunt ob varias analogias, 36, 1. Lumen gloriæ est velut stella matutina, 62, 2. Capilli candidi Christi quid denotent, 31, 2.

### DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

NE DEFICIANT IN VIA. Defectus teporis Sanctorum quæ sint causæ, 43, 2. Tepidi, frigidi, calidi in spiritu qui sint, 80, 1, 2. Tepidis quomodo optare liceat lapsum, 82, 1. hi Deo vomitum provocent, 83, 2. tepor quantum sit malum, 82, 1. ejus remedia, 86, 1, 2.

### FERIA VI POST DOMINICAM IV.

INFREMUIT SPIRITU, ET TURBAVIT SEMETIPSUM. Uti Redemptor multis præviis gestibus et affectibus Lazarum (qui peccatoris typum gerit) ad vitam revocavit, sic quam difficile peccatores convertuntur, 239, 2.

### DOMINICA PASSIONIS.

*Vide notata Dominica in Quinquagesima.*

### DOMINICA PALMARUM.

Palma cur detur Sanctis futuris in fine mundi, 178, 2. — *Vide Indicem Rerum* v. Palma.

### IN FESTO PASCHÆ.

SURREXIT, NON EST HIC. Christus resurgens habet claves mortis et inferni, 38, 1. eæ sunt sextuplices, *ibid.* Ejus descensus ad inferos apte sardonyche repræsentatur, 390, 2. et resurrectio sardio, 391, 2. Resurrectio prima quæ sit, 350, 1.

Alleluia canitur in Paschate, et ejus initium, 333, 1, 2.

### FERIA II POST PASCHA.

IN OMNIBUS SCRIPTURIS. Scripturæ lectio facit beatum, 334, 2.

### DOMINICA III POST PASCHA.

PLORABITIS ET FLEBITIS. Afflictio et tribulatio quomodo hominem probet, 257, 1. ipsa character est Christi, 261, 2. adversis virtus clarescit, 257, 2.

### DOMINICA IV POST PASCHA.

ARGUET MUNDUM DE PECCATO. Peccati pœnæ et fructus, 279, 1. conscientiam assidue examinare et arguere debemus, 362, 1.

### IN FESTO ASCENSIONIS.

Christi ad cœlos ascendentis typus egregius est gemma chrysolithus, 392, 1.

### IN FESTO PENTECOSTES.

Apud Judæos hoc in festo recolebatur memoria datæ legis, quæ etiam hodie abrogata, et nova data est: hinc dici poterit quæ utriusque testamenti illustria fuerint, 116, 2. Spiritus Sanctus optime topazio repræsentatur, 393, 2.

NON FORMIDET COR VESTRUM. In timore qui vivit, misere vivit, 159, 1.

### DOMINICA SS. TRINITATIS.

DOCETE OMNES GENTES. Evangelii prædicatio quam sonora ac potens fuerit, 33, 1. ejus doctores stellæ sunt, 34, 2. Evangelium cur dicatur æternum, 278, 1.

BAPTIZANTES EOS. Baptismus cur vocetur mare vitreum, 103, 2.

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. SS. Trinitatis mysterium ostenditur, 18, 1. Dei nomen est: Qui est, et qui erat, et qui venturus est, 17, 1. quomodo sit α et ω, 24, 1 et seqq. amor Christi erga Patrem, et Patris in ipsum, 114, 1.

### IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Eucharistia prodest ad spiritus vigorem reparandum, 46, 2. ipsa manna absconditum est, 53, 2. ejus septem sigilla quæ, 118, 2 et seqq.

Missæ sacrificium cur Deo tantopere placeat, 128, 1. hinc sacerdoti celebranti peculiaris assistit angelus, 188, 2.

### DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

UXOREM DUXI. Mulier quam illecebrosa sit et mala, 58, 1.

EXI CITO IN PLATEAS ET PAUPERES, etc. INTRODUC HUC. In apostatantium locum alii sufficiuntur a Deo, 75, 1.

### DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

IN NAVIM QUÆ ERAT SIMONIS. Est hæc navis imago Ecclesiæ Romanæ. Hæc autem non est Babylon nec Antichristiana, ut volunt hæretici, 307, 2; 317, 1. quomodo tamen Roma per Babylonem et purpuratam meretricem designetur, 306, 1, 2. Ecclesia Catholica optime in chrysopraso denotatur, 394, 2. ejus claves habet Christus, 71, 1, 2.

### DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS. Hæretici quare equo nigro assimilentur, 143, 1. optime locustis denotantur, cur, 201, 1. hæresiarcharum, eorumque fautorum funestus exitus, 341, 2 et seqq.

### DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

EO QUOD NON COGNOVERIS TEMPUS. Temporis quanta sit ratio habenda, quia id pretiosum, 247, 1.


ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

Omnis qui se humiliat exaltabitur. Humilitas est radix sanctitatis, 401, 1. humilitas plena quæ sit, 68, 2. ipsa est via ad cœlum, 372, 2.

### DOMINICA XI POST PENTECOSTEN.

Tanto magis prædicabat. — *Vide notata Dominica in Quinquagesima.*

### DOMINICA XII POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, 27, 1. charitas est aurum et ignis, 85, 1.

Diliges proximum sicut teipsum. Charitas quam lata sit, ut quæ omnes complectatur, 401, 1. mandatum amoris cur sub Christo novum, 181, 1.

Infundens oleum. Oleum est symbolum sanctorum ob varias analogias, 226, 2 et seqq.

Qui fecit misericordiam. Misericordia per iridem et smaragdum repræsentatur, 97, 1; 96, 2. ejus symbolum est oleum, 226, 2.

### DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN.

Ostendite vos sacerdotibus. Christus quomodo sit sacerdos et vestitus veste podere, 29, 1. quomodo zona aurea præcinctus, 30, 2.

### DOMINICA XV POST PENTECOSTEN.

Tibi dico, surge. Octo modis nobis inclamat et pulsat Deus, 88, 1.

Resedit qui erat mortuus. Mors prima et secunda quæ sit, 50, 2. mori in Domino quid sit, 281, 1, 2. mors amoris est mors in Domino, 282, 1.

### DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN.

In tenebras exteriores. In inferno erit ignis sine fumo, 279, 2. erit tamen verus ignis et sulphur, 361, 1. ejus latitudo et longitudo quanta, 286, 2. ejus horror, 288, 1.

### DOMINICA XX POST PENTECOSTEN.

Erat quidam regulus. Rectoris et regis tria sunt munia, 40, 2. in omni congregatione dux et caput est necessarius, 207, 1.

Corona regia quarum rerum sit symbolum, 114, 1. Sancti qui coronas suas Deo resignarunt, 115, 1. cornu semper habitum est symbolum regni, 259, 1, 2.

### DOMINICA ULT. POST PENTECOSTEN.

Et nisi breviati fuissent dies. Judicii dies ob preces Sanctorum acceleratur, 150, 2.

Surgent pseudo-christi. Antichristi descriptio, actus, mores, regnum, miracula, character, 253, 1, 2 et seqq.; 255, 1, 2; 260, 1, 2; 261, 1. ejus persecutio, 2[illegible], 1. rerum ab eo gerendarum ordo, 321, 2. Jerusalem erit ejus r[illegible]a. non Roma, 229, 1. sed hanc evertet, 319, 1. a dæmonibus in tartara, jam fulminatus rapietur, 341, 1, 2. quo die id fiet, 342, 1.

Plagarum et futurorum in fine mundi ordo et series, 154, 1. orbis evertendi quæ sint signa, 193, 1. tunc dæmones induent formam terribilium locustarum, cur, 203, 2; 205, 2. mundus paulatim ad finem vergit et senescit, 356, 1. is quot annis durabit, 352, 2 et seqq.

Luna non dabit lumen suum. Luna cur sit futura sanguinea in fine mundi, 155, 1.

Videbunt Filium hominis venientem. Veniet Christus ad judicium sicut fur, 69, 1. signa judicio prævia, quæ, qualis, et quando futura, 154, 2.

Judicii quantus horror futurus, 158, 2. id per beryllium gemmam adumbratur, 392, 2. libri aperiendi in judicio quinam sint, 358, 2. in eo quisque alterius facta videbit, 359, 1. liber vitæ quis sit, 2.

Ite, maledicti, in ignem. Condemnationis sententia ore Christi egrediens gladio acuto comparatur, 35, 1. montes quomodo super se cadere tunc optabunt impii, 156, 1.

### IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Templum nullum in cœlo est, cur, 401, 2. altare thymiamatis in templum est vir quilibet sanctus, 189, 2.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Ecclesiæ institutio quam fuerit mirabilis, 234, 1. ejus pars potissima est cœlum, *ibid.* — *Vide notata in festo omnium Sanctorum.*

### IN FESTO S MATTHIÆ.

In amethysto gemma optime S. Matthias repræsentatur, 396, 2.

### IN FESTO ANNUNTIAT. B. VIRGINIS.

Incarnationis mysterium hodie peractum apte carbunculo denotatur, 388, 1. humanitas Christi est arca testamenti anagogice, 232, 1. — *Vide notata in festo Nativitatis Domini.*

### IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

S. Philippus cur sardonyche designetur, 390, 1. et Jacobus carbunculo, 387, 2.

### IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

Crux est signum Dei vivi, 163, 2. hinc Christiani tempore Antichristi crucem publice gestabunt, 164, 1. in fronte, corde et brachio ea quomodo ponenda, 164, 2. crux est signum electorum Dei, 165, 2. per eam Christus diabolo vires et potestatem ademit, 344, 2.

### IN FESTO SS. PETRI ET PAULI.

Tu es Petrus, etc. S. Petrus cur jaspidi comparetur, 384, 1. Pontificatus in fine sæculi an Roma alio transferendus, 321, 2. Christi Pontificatus, 30, 1.

Quodcumque solveris super terram. Peccatorum remissio hyacintho designatur, 395, 2.

### IN FESTO S. JACOBI MINORIS.

S. Jacobum Apostolum adumbrat gemma topazius, 393, 2.

### IN FESTO ASSUMPT. B. VIRGINIS.

B. Virgo quomodo sit arca testamenti, 232, 2. est mater Ecclesiæ, 235, 2. est item luna variis de causis, 237, 1. ejus duodecim prærogativæ, 238, 1. an sit mortua, an vero rapta in cœlum translata, 249, 1.

### IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

Sardius gemma cur adumbret S. Bartholomæum, 391, 1.

### IN FESTO S. MATTHÆI.

Repræsentatur hic in gemma chrysolitho, 392, 1, et in primo animalium S. Joanni visorum, 107, 2.

### IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

E septem primariis angelis est S. Michael, et quinam hi primarii sint, 19, 1. eorum typus candelabrum septiceps eorumque nomina, 21, 1. officia et emblemata, 2. Angeli quatuor regentes Ecclesiam repræsentantur in quatuor animalibus Joanni visis, 108, 2. Cherubinorum idea, 110, 2. Michaelis cum diabolo prælium triplex, in cœlo olim, in Incarnatione Christi, et in fine mundi, 285, 1.

Per Michaelem Christus Antichristum in tartara deturbabit, 387, 2.





### IN FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ.

S. Thadæus chrysopraso denotatur, 394, 2.
S. Simon hyacintho, 395, 2.

### IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Sanctorum invocatio astruitur, 28, 1. Beatorum jubili in cœlo qui, 128, 2. in cœlo sunt velut reges, 132, 1. quanta ibi futura multitudo, 169, 2. sanctitas in quo sita sit, 112, 2.

Ecclesia et civitas cœlestis describitur, 363, 2 et seqq.; 381, 1. cœlum est civitas fortium, 368, 2; 371, 1. vocatur tabernaculum ob quatuor analogias, 365, 2. ejus amplitudo et longitudo, 377, 1 et seqq.; 378, 2; 379, 2. ejus fundamenta duodecim denotant XII Apostolos, 374, 2; 383, 1.

Gloria cœlestis vocatur corona et palma ob tres causas, 1, 2. ea septem titulis et nominibus significatur, 62, 2. vere in cœlo futuræ sunt citharæ, 128, 1. Beatorum vestes sunt stolæ albæ, 171, 2. cœlestes delicias potus denotat ob septem analogias, 183, 2. claritas Dei in cœlo est ad instar solis, 401, 1, 2. Christus Agnus quomodo sit lucerna cœli, 402. fluvius vitæ in cœlo quid sit, 405, 1. visio beatifica est velut fons vitæ, *ibid.* vitæ arbor in cœlo quæ sit, 407, 1. ibidem est verus fluvius et poma, 408, 2. beatitudo in Beatis semper renovatur, cur vocetur cœna, 285, 1. amethysto optime adumbratur, 396, 2. — *Vide Indicem Rerum, voce* Cœlum, Ecclesia triumphans.

Animæ puræ mox a morte vident Deum, 147, 1. puræ sint antequam illuc perveniant, 403, 2.

Beati pauperes spiritu. Paupertas voluntaria dives est, 48, 2.

Beati mites. Mansuetudo nihil non vincit, 124, 2.

Beati misericordes. Misericordiæ symbolum oleum est, 226, 2.

Beati qui persecutionem patiuntur. Patientia quanti sit meriti, et stimuli ad eam, 280, 2. patientia plena quæ sit, 68, 1. pati pro Deo quam sit gloriosum et nobile, 179, 2. in persecutione debent fideles esse constantes et longanimes, 240, 2.

### IN COMMEMOR. FIDEL. ANIMAR.

Purgatorium contra hæreticos astruitur, 282, 2.

### IN FESTO S. ANDREÆ.

S. Andreas cur sapphiro assimiletur, 385, 2.

### IN FESTO S. THOMÆ.

S. Thomam beryllus gemma egregie repræsentat, 392, 2.

### IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Apostoli sunt velut pedes Christi, 32, 2. cur equo assimilentur, 139, 1, 2. duodecim Patriarchis æquiparantur, 397, 1. Apostolorum Symbolum repræsentatur in duodecim fundamentis cœlestis civitatis 373, 1, 2; 383, 1. idque per singulos illius articulos ostenditur, 384, 2 et seqq. stellis comparantur, 415, 1. repræsentantur in 24 senioribus circum Dei thronum stantibus, 99, 2.

### IN COMMUNI EVANGELISTARUM.

Evangelistæ repræsentantur in quatuor animalibus symbolicis quæ vidit Joannes, 107, 2.

### IN COMMUNI PONTIFICUM.

Episcopi sunt velut stellæ ob varias analogias, 33, 2. vocantur angeli, 39, 1. eorumdem dignitas, 40, 1. eorum obligatio est, ut Ecclesiæ sua sanctitate præfulgeant, et vigilantia improbos curent, 2. eorum quanta esse debeat cura, 65, 1. multi Episcopatum a se abdicarunt, 66, 1. eorum munia sunt vigilare et confirmare, 67, 1. sunt velut columnæ Ecclesiæ, 76, 2. Doctores et Præsules Ecclesiæ sunt velut stellæ, 413, 1.

### IN COMMUNI CONFESSORUM.

Centuplum promissum sæculo renuntiantibus, 56, 2. Undecim Religiosorum elogia, 182, 1. Religiosi et Virgines Martyres sunt mystice, 274, 1. Religiosi iidem optime margaritis assimilantur, 398, 2 et seqq.

### IN COMMUNI MARTYRUM.

Martyres olim sub altari sepeliebantur, 147, 2. quam a Deo ultionem de suis persecutoribus petant, 150, 1. quam multi in Ecclesia Martyres sint, 170, 1. quomodo mille annis in pace regnare dicantur, 349, 1.

### IN COMMUNI VIRGINUM.

Christus Agnus amat virgines et castos, 268, 1; 274, 2; 275, 2.

Virgo fugiat alterum sexum, 270, 1. Virgines sunt in aula Dei principes, 271, 2. earum vox quasi tonitru est, 271, 1. earum quod canticum novum sit, 273, 2. illarum elogium, 274, 2; 277, 1. sunt primitiæ Deo et Agno, 276, 2.

Virginitas quam sit virtus sublimis, 259, 1. ipsa est excelsa et ardua, 2. dicitur virtus princeps et regalis, 271, 2. simul sincera et candida est, 276, 2.


FINIS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## CORRIGENDA

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Pag. 2, | col. 2, | lin. 37, | *lege*: | amictus progreditur |
| — 5, | — 1, | — 25, | — | Beati mundo |
| — 43, | — 1, | — 27, | — | si qua bene dicta |
| — *Ibid.* | — ib. | — 31, | — | peccatoris animus |
| — 47, | — 2, | — 8, | *alii*, | ad certam structuram |
| — 69, | — 1, | — 5, | *lege*, | esset כאשר |
| — 104, | — 1, | — ult., | — | Hæc Rosenmullerus. |
| — 288, | — 2, | — 44, | — | Et centumgeminus |
| — 310, | — 1, | — 33, | — | tua quæ |
| — 342, | — 1, | — 45, | — | Bredenbachius, lib. VIII *Sacr. Collat.* |
| — 373, | — 2, | — ult., | — | beatorum |

— 440, *not.* (1), col. 2, lin. 2, *lege*: certissime eventura

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.
Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |
| | | | |

BS1145
L3
v.21
1891 85409
AUTOR
LAPIDE, Cornelius A.
TITULO
Commentaria in scripturam sacram.
FECHA DE VENCIMIENTO NOMBRE DEL LECTOR

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS